DOMINI

PETRI FORESTI

ALCMARIANI,

MEDICINÆ DOCTORIS

EXPERIENTISSIMI, INCLYTÆ REIPVB.

Delphensis Medico-Physici ordinarij,

OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM,

LIBRI DECEM POSTERIORES,

IN QVIBVS

OMNIVM ET SINGVLARVM AFFECTIONVM

corporis humani causæ, signa, prognoses & curationes graphicè depinguntur.

TOMVS SECVNDVS.

ROTHOMAGI,

Sumpt. IOAN. & DAVIDIS BERTHELIN, Fratr.

M. DC. LIII.

OBSERVATIONVM
ET
CVRATIONVM
MEDICINALIVM,
SIVE
Medicinæ Theoricæ & Practicæ,
TOMI SECVNDI,
LIBRI DECEM POSTERIORES.

XI. *De morbis oculorum & palpebrarum.*
XII. *De aurium morbis.*
XIII. *De naſi affectibus.*
XIV. *De ægritudinibus labiorum, gingiuarum, dentium, oris ac linguæ.*
XV. *De faucium, gutturis, gulæ, & aſperæ arteriæ affectibus.*
XVI. *De pectoris pulmoniſque vitiis & morbis.*
XVII. *De cordis ac quibuſdam mammillarum affectibus.*
XVIII. *De ſtomachi & ventriculi affectibus.*
XIX. *De hepatis malis ac affectibus.*
XX. *De Lienis morbis, vitiis ac affectibus, & de Scorbuto.*

IN QVIBVS EORVNDEM CAVSÆ, SIGNA, prognoſes & curationes graphicè depinguntur.

ROTHOMAGI.
M. DC. LIII.

DOMINI

PETRI FORESTI

ALCMARIANI,

MEDICINÆ DOCTORIS

EXPERIENTISSIMI, INCLYTÆ REIPVB.

Delphensis Medico-Physici ordinarij,

OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM,

LIBRI DECEM POSTERIORES,

IN QVIBVS

OMNIVM ET SINGVLARVM AFFECTIONVM *corporis humani causæ, signa, prognoses & curationes graphicè depinguntur.*

TOMVS SECVNDVS.

ROTHOMAGI,

Sumpt. IOAN. & DAVIDIS BERTHELIN, Fratr.

M. DC. LIII.

ſtens, quæ ὑμενώδης; Latinis, Agnata ſeu Coniunctiua dicitur, cum neque cerebro aut aliqua eius membrana, ſed ex ea, quæ exterius os caluariæ ambit, pericranio dicta, originem ducat. Nuncupatur autem Agnata, propterea quod aliis, quæ oculũ ipſum conſtituunt tunicis forinſecus agnata ſit, ligamentum exiſtens toti oculo ad circumſita oſſa, vt *conſtat. 4. De compoſ. medic. ſecundum locos, & 10. De vſu partium.* Alij vero tres iſtas proprias oculorum tunicas in ſex diuidunt. Quibus etiam non reclamamus, cum ad hanc rem tractandam nec obſit nec conferat, vt etiam Donatus annotauit: ſciamus quod prænominatæ tunicæ, & agnata, quæ ſimul mouentes ipſos muſculos (*qui numero ſex ſunt, & totidem oculorum motus,*) operit; Deinde etiam dicti humores, vt perfecte viſio ipſa abſoluatur, à natura conditi ſunt. Quo fit, vt ex triplici vitiorum genere (*teſte Galeno, primo De cauſis ſymptomatum*) videndi actio lædi poteſt.

Quod triplici vitiorum genere videndi actio lædatur.

Primo ſentiendi inſtrumento quippiam perpeſſo, nempe cryſtallino humore: *Secundo*: pars aliqua primo inſtrumenti ſentiendi adminiſtrans affecta, nempe tunicæ iam dictæ: *Tertio*: cum ipſa ſentiendi potentia, quæ à cerebro per neruum opticum in oculum ipſum deſcendentem procedit, quoquo modo fuerit impedita. Verum exempla ponemus, primo ab iis oculorum malis (*vti iam vnum propoſuimus*) quæ tunicis cuenire ſolent, nempe partibus ipſis vſum aliquem præbentibus; initium ſumentes ab Agnatæ ſeu coniunctiuæ tunicæ affectibus, vtpote quæ exterior magis ſit, ac frequentiſſime ab affectione ὀφθαλμία Græcis prorie dicta Latinis *Lippitudine*, afficitur. Ophthalmia nomen ab affecta ſede ſumpſit, ſcilicet ab oculis, quaſi oculi morbum dicas. Latine lippitudinem ab accidente, ſcilicet excremento, minus proprie nominarunt, quod multos quoque alios affectus lippitudines appellent, quod eo excremento abundant: Vnde & diuturnis quidam oculorum morbis affecti Lippi dicuntur, vt *apud Horatium videre licet.* Græci vero (*vt Iacchinus doctiſſimus annotauit ſupra Rhaſem.*) velut Antonomaſticõs dixere oculi morbum, nomen generis ſpeciei adaptantes, quod hic grauiſſimus omnium eſſet. Cæterum, *vt recte interpres Holerij c. 17. De ophthalmia dicit*, Morborum oculi, vt infinita prope multitudo eſt, ita in illis diſtinguendis maxima confuſio, præſertim in his, qui ad ophthalmiam ſimilitudine quadam accedunt: quales ſunt, πλέγξις, φλωσις, χήμωσις, & ἐφθαλμία proprie dicta. Montanus vir alioqui doctiſſimus cæteris accuratius hęc diſtinxiſſe epiſtola quadam videtur: à veterum tamen ſententia, vt Galeni, & Pauli Æginetæ, longe diſcedens. Scribit enim χήμωσιν palpebrarum inflammationem eſſe, licet aliquando partes cæteras in conſenſum trahat. At Paulus Ægineta tumorem albi oculorum eſſe vult, quam ſequitur inflammatio, & palpebrarum contorſio. Vidius quoque (*vt doctiſſime D. Corvæus annotauit*) negligẽtius εἰς τὸ κατ' ἐπιπεῖον legit χήμωσιν αἵμ' τῆς φλωσεως. Sed his prætermiſſis omnia facillime ſic diſtinguuntur. Si leuis quædam inflãmatio, & veluti phlegmones principium ſine diſcrimine partes oculi inuadens primo intuitu appareat, cum rubore quidem, ſed exiguo, quem dolor mitis conſequatur, πλέγξις erit duntaxat, id eſt, oculi perturbatio, Hæc enim certiſſima ſigna ſunt, quod hic affectus, neque phlegmone ſit confirmata, neq; vnius magis quam alterius partis proprius, neque vehementem dolorem habeat, aut tumorem.

Vnde ophthalmia dicta: & vnde lippitudo.

χήμωσις.

πλέγξις.

Quibus ſi adiicias à cauſſa externa excitatum fuiſſe, vt ſole, fumo, puluere, oleo, radiis lunæ, vino, cſu cæparum, erucæ, alliorum, ſinapi, ictu, (*quæ omnia ab ægro diligenter exquirenda*) tum nulla in iudicãdo dubitatio eſſe poterit. Paulus à manifeſta tantum cauſa fieri vult: quare etiam inquit occaſione ipſius cognita, promptiſſime ſoluitur. Experientia tamen conſtat non raro ab interna excitari; præcipue vero ventriculi, & poſt egregiam potationem: neque tamen proprie eſſe ophthalmiam, licet aliquando in corpore cacochymo, & negligatur, in eam facile degeneret. Si vero palpebræ tantum inflammationem patiantur, atque in ſeſe concidant, vt oculus aperiri nequeat, ἐπίφυσις erit, id eſt præcluſio quædam, & quaſi ligatio eorum, quæ ſecundum naturam aperta & recluſa eſſe debent, ſiue cicatrice, aut carnis incremento partes coaleſcant, vt labra vteri; ſiue inflammatione, vt palpebræ oculorum. Contra ſi oculus apertus maneat nec claudi poſſit, albi nimirum oculi ſublato atque eminente, nigro vero ſubſidente, & veluti hiatum quendam efficiente, ἔκτροπιον μῆκος eſt. Idem & Fernelius dicit, quod album rubeſcens nigro ſublimius euadat, ipſumque vero contegat. In qua præter ruborem & inflammationem pathognomicum ſignum eſt, palpebrarum, vt ait Paulus, ἕλκωσις, id eſt, conuerſio, quia adduci non poſſunt. Sic & Fernelius, Ectropion palpebræ eſt inuerſio, qua pars eius interior rubra prominet. Oritur autem vel ob cicatricem, vel ob ſubditæ carnis exuperantiam, qualis ſæpe ex chiroſi relinquitur. At ſi coniunctiua tunica ſue adnata, phlegmone laboret, cum tumore, tenſione, dolore, calore & rubore, ophthalmiam eſſe ὀφθαλμία non dubitandum. Ergo πλέγξις (*quam ophthalmiam non veram vulgo appellant*) affectio eſt omnium oculi partium externarum communis: φλωσις palpebrarum: χήμωσις, albi oculorum: Ophthalmia, adnatæ membranæ propria. Sæpe tamen omnes inter ſe vel plures commiſcentur, *vt exemplo oſtendimus libro ſeptimo De ſymptomatis febrium: atque alia etiam paulo poſt demonſtrabimus.* Interea ophthalmiæ magna ſimilitudo eſt cum Epiphora. Sed inter ſe diſtant, *Fernelio auctore*: quod in ophthalmia oculi album; in epiphora ſolum palpebræ cilium rubeſcat. Sed de Epiphora poſtea ſuo loco ſtum de aliis: nunc de ophthalmia. Neoterici vero Ophthalmiam in veram & non veram diſtinguunt. Non veram appellant conturbationem & vacillationem, nos Taraxin appellauimus. Veram vero eam quæ phlegmonem habet admixtam, & diſtinguunt eſſe ſimplex apoſtema non pertranſiens terminum: Deinde in aliam, quæ magis tranſit termi-num in magnitudine, quã nos diximus eſſe Chemoſim, Arabes vero alguardenegi. At nunc loquimur de ea quam Græci veram ophthalmiam eſſe volunt: quæ nihil aliud eſt quã tunicæ agnatæ ſeu coniunctiuæ inflammatio vel phlegmone, vt nunc diximus. Satis igitur cõſtat quæ ſit vera lippitudo vel vera ophthalmia, & quæ pars ſit in ea affecta: nam ad ſenſũ liquet oculum quidem affici, quamuis *iuxta Galen. lib. de differ. morb.* ex accidenti videatur eſſe oculi morbus, interea proprie pars affecta eſt ipſa agnata tunica. Non enim totius inſtrumenti morbus eſt, quæ ſimilaris exiſtit: & ſic de ſimilarium corporum morbi ex accidenti (teſte eodem Galeno loco citato) ad totum inſtrumentum referuntur, etiamſi compoſiti ſint vt phlegmone. Cumque è numero inflammationum ſit lippitudo vel ophthalmia, morbum eſſe compoſitum in quantitate ſeu magnitudine primo, in intemperie ſecundo, ac ſoluta continuitate forte tertio, vt de *phlegmone*

phlegmone apud Galenum colligitur. Signa facile etiam ex prædictis habentur, concurrit agnatæ tunicæ color ad rubrum, adeſt eiuſdem tum oculi tumor ac dolor grauans. Sæpe autem ita in tumorem attollitur, vt tunica agnata, nec non partes quæ vicinæ ſunt, admodum tendantur, imo aliquando vſque ad malas intumeſcant & attollantur: lachrymæ etiam fœcundæ ex oculo reſudant, decidunt à vehementi dolore expreſſæ: tanta enim aliquando punctio occurrit oculi, tanquam acu ſtimularetur. Arteriæ quoque circumſitæ, vt in alia phlegmone, valide pulſant. Venæ quoque exiles, quæ in albo oculi antea latebant, iam tumidæ apparent, rubeſcitque quod album eſſe ſolebat: prout hæc ſigna intendantur, maior erit affectus; ſi mitiora, leuior. Et quod ad ſigna temporũ attinet, quod in nulla alia phlegmone animaduertere poſſis, hic manifeſte viſitur: initium ſcilicet influxionis & augmentum ipſius, & cum eſt maxima. Etenim non per notas vt in aliis, ſed ipſis oculis vſurpamus: ideo & principium ipſius notare poſſumus, cum venæ diſtenduntur: mox augmentum, cum in carnoſam tunicæ ſubſtantiam ſanguis funditur, & iam intumeſcere incipit: Status vero, cum ad ſuam magnitudinem peruenit influxus; quæ modo maior, modo minor eſt, prout humor affluit in corpore, aut remediis à medico eſt obuiam itum, quibus ceſſit morbus. Maxima vero tunc eſt, cum non modo ipſa tumuit, ſed & palpebræ craſſæ & inuerſæ viſuntur: & vna oculi orbita phlegmonem omnis pati videtur. Sic igitur morbi tempora diſtinguemus, & morbum ipſum, & morbi magnitudinem, *vt & Rhaſes facit.* Alij tamen ex mente Galeni tempora ex coctionibus ponunt, ſi materia ab humore oculi proueniens, aquea & tenuis fuerit, tunc eſt morbi principium: ſi craſſeſcat & ad album tendat, erit morbi incrementum: vel ſi ſordes inhæreſcunt ſubſequentes in maioribus oculorum angulis, erunt incrementi teſtes. Si palpebras, quas Græci βλεφαρὶς vocant, agglutinent, vel ſordes ita incraſſeſcant, vt oculos quaſi gluten oblinant, erit morbi ſtatus vel conſiſtentia, præſertim ſi lachrymarum copia præceſſerit: ſi vero hæc omnia minuantur, erit morbi finis. Alij tamen, *vt Iacchinus*, potius hæc ſigna deſumi volunt ex ſymptomatis ipſis, cum & iudicium à coctione inefficax ſit, nec perpetuum, vt ſymptomatis. Vide pulcherrima apud ipſum de hac re in commentario ſuo ſupra Rhaſem de ophthalmia. Cauſæ autem veræ ophthalmiæ vel agnatæ tunicæ phlegmonis, vel ex plenitudine totius corporis, ob quam agnata tunica repletur, diſtenditur: vel ob acres humores influentes acrimonia ſua & morſu erodẽtes: vel propter aliquam extenſionem eius, ex craſſis ſuccis, ſpirituve flatuoſo, atque ex his cauſis excitantur dolores inſignes, *vt 3 meth. med.* Et ita fit ex congeſtione humorum, in ipſa tunica permanente, ex ſuperfluitate alimenti, vel non bene concocti. Vel per modum fluxus à capite per venas & arterias, muſculos, ac neruos opticos intrinſece ſiue extrinſece ad adnatam tunicam ſeſe conferentes, aut ab aliis partibus ad oculum debilem ob eius temperaturam, vel à generatione exiſtentem, tranſmiſſos. Cauſæ igitur antecedentes ſunt humores ipſi, vt ſanguis præcipue venis & ſubſtantiæ tunicæ impactus, nõ tamen ſemper ſolus, ſed aliquando & bili, imo plerumque, admiſtus: nam pituitoſus vix credo poteſt, vt faciat in eo corpore tumorem præter naturam; *vt Galenus de pleuritide argumentatur 4. De præſag. ex pulſu.* Attamen alij frequentius ex ſanguine, & acri humore erodente, tum ex craſſis ſuccis pituita abundante fieri volunt, & ex ſpiritu flatuoſo. Alij & ex pituita ſalſa. Nonnulli quoque fieri volunt ex ſucco melancholico, quamuis rariſſime. Sed hæc exemplis clariora euadent.

OBSERVATIO II.

De Ophthalmia ex acri humore bilioſo.

SOlent autem quædã præcedere Ophthalmiam ex acribus humoribus; vt crapulæ, ebrietates, & vſus vinorum potentium, & eſus ciborum acrium, vt alliorum, ceparum, & porri ac ſimilium tum aromatum, quæ ſua acrimonia & mordaci qualitate humiditates capitis fundunt & attenuant, & fluxione facta ad oculos, acutas & acres lippitudines gignunt, præcipue in bilioſis, qui fluxione acri ſæpius tentantur, & oculos debiliores habent. Ita iuuenis quidam, temperaturæ bilioſæ, cum longa triſtitia, & quidem curis afficeretur, & diu vigil perſtitiſſet, ob obitum parentis, vt ſollicitudines illas mitigaret, cum amicis vina potentia largius ſumebat: alliis & acribus cibis delectabatur, ſæpe in ſole verſabatur, media æſtate; vnde acribus humoribus collectis, in ophthalmiam incidit, ex rodente & acri humore, ſubito catarrhi inſtar in oculos prolapſo, cum ingenti dolore. Ad quem cum ſubintraſſem, & plane bilioſus eſſet, & animaduerterem totum corpus minime plethoricum eſſe, ſed potius præditum vitioſo humore, lachrymamque rodentem adeo oculum infeſtare, vt anguli oculorum ſimul & genæ tali influxu roderentur, ita vt æger vri videretur, & roſionem non tolerans exiliret, facile intellexi hanc ophthalmiam à bile erodente originem ſumpſiſſe. Cum hic igitur rubor pãcus in oculis adeſſet, & punctura ac dolor vehementior, & lachrymæ tenues acutæ, & tumor exiguus appareret, & ſigna totius plenitudinis abeſſent, & bilioſa humorum prauitas in corpore ſatis macilento ſuperaret, curationem auſpicati ſumus ab iis, quæ totum corpus purgarent, & à recrementis liberarent, ſtatim hanc potionem exhibui: ℞. *caſiæ recens ex canniſ extractæ* ʒ vj. *pulpæ tamarind. extractæ cum aqu. violar.* ʒ ij. *ſyrup. ex infuſ. roſarum pallid. ſyrup. viol. ana* ʒ ß. *diſſolue cum* ʒ iij. *ſeri lactis.* Quibus ter aluum depoſuit. Deinde propinaui ad humores acres & mordaces contemperandos, ſyrupos refrigerantes, incraſſantes, hoc modo: ℞. *ſyrupi roſarum, ex roſis ſiccis, ſyrup. nymphææ, papa. ana* ʒ j. *aquæ ſolatri, plantag. cichorij ana* ʒ ij. *miſce, pro* ij. *dofibus.* Poſtea etiam purgaui *cum infuſo rhabarbaro* adiecto *ſyrupo violarum.* Oculis vero *candidum oui liquorem inſtar aquæ concuſſum*, infundebam; hoc enim modo acris fluxio ſine offenſa eluitur, *iuxta Galenum 13. meth. ac Pauli cap. 22. lib. 3.* Et cum dolor vrgeret, accipiebam *aquæ albuminis oui* ʒ ij. *lactis mulieris* ʒ iij. *ſucci plantaginis* ʒ j. *miſce*; panni duplicati ex lino in eo infuſi oculis imponebantur. Interea *& collyrij albi Rhaſis* ʒ ß. *modo cum lacte mulieb. ſoluti, modo cum aqua roſacea oculis inſtillabam.* Fouebam etiam oculos cum decocto foliorum maluæ, violarum & fœnugræci priusloti à puluere ad ſedationem doloris. Sic & puellæ poſt vniuerſalia remedia etiam venæ ſectionem cum portio ſanguinis vna cum bile mixta eſſet, præſcripſi, cum ſimiliter purgata eſſet, *cum* ʒ i ß. *ſyrupi ex infuſ. roſarum pallid. cum rhabarb.* ʒ j. *cum* ʒ ii ß. *aqua violarum, elect. de ſucco roſarum* ʒ i ß. *miſce.* Cum hæc oculis appoſuiſſem, melius habuit:

habuit: ℞. *medullæ panis optime tritæ* ℥ j. *medullæ pomorum dulcium, bene tritorum,* ℥ ij. *lactis mulieris,* ℥ j. *olei rosac.* (cum palpebra inflata & rubra esset) ℥ ß. *mixta emplastri modo oculo affecto apponebantur.* Et cum dolor vehementior esset, addebam *croci, o*ƒ *ij ana* ℈ iij. modo *albumen ouí agitatum & desquamatum cum aquæ rosarum*, modo *cum decocto papau. albi cum cotto insuccato instillabam*: In principio cum aqua rosarum, oui liquore tenui & lacte mulicbri aut asinæ simul mixtis.

Fouebam autem cum decocto tepide, deinde cottum madefactum in liquore supradicto linteolo lineo inuoluebam: similiter linteolum insuccatum oculo ita insternebam, atque fascia alligabam; Ita tamen, ne oculus grauaretur aut doleret. At dolore vrgente cataplasmate vtebar croci & opij granis tribus adjectis, sed ab eius vsu tum etiam collyrio albo cum opio, vbi necessitas vrgebat, oculos deinde decocto meliloti tepido fouebam. Sed non vtebar collyrio albo cum opio confecto in lacte muliebri soluto, nisi crescente morbo & dolore augescēte: alioqui sæpe in principio, & etiam postea, vbi dolor esset, commode quoque sine opio vtebar, & ita paratum absque opio in officina fieri iubebam; quo in multis commodissime vsus sum. Vbi enim dolor tā vehemens non erat, vel leuis, sublato opio. In augmento addebam sarcocollæ nutritæ in lacte muliebri, ℥ j. & procedente morbo & in declinatione augebam dosim sarcocollæ, ac tandem sola sarcocolla in lacte vel aqua fœniculi, vel euphragiæ dissoluta vtebar. Et in fine fotu cum spongia ex malua, meliloto, fœnugræco, vel cum panno lineo duplicato, postea etiam expresso, & oculis alligato. Quibus remediis, antea adhibitis subinde venæ sectione & cucurbitulis, & purgationibus, mox ad localia dicta deueniens, hunc iuuenem tum puellam & alios plurimos curaui.

SCHOLIA.

6 OPhthalmia vera pluris & minoris differētiam in se recipit: modo enim bilioso sero magis participat, modo pituitoso, & quamuis phlegmone dicatur, aliæ enim tenuiore sunt sanguine, aliæ crassiore, vnde multa fit in ipsis symptomatis differentia, quibus significatur morbus. Etenim aliæ, quæ crassiore constant, distentione magis cruciant, quod fluxio è tunica perhibetur excerni. Contra aliæ multum excernunt, quæ acre ferum, mordax, aut salsum habent: vnde & morsu, & rosione dolorem faciunt. Aliæ mitius excernunt, quibus serum pituitosum est & tenue. Sic & color magis euariat, rubens magis & minus.

7 *Si ex sanguine fiat, signa.* Considerandum igitur diligenter ex quo humore fiat: si propter totius corporis plenitudinem sanguineus humor, aliter quoque curatur, quam si bilis aut crassus succus aut spiritus flatuosus. Si sanguis, ea aderunt, quæ diximus iuueni in prima obseruatione adfuisse: quoniam cuncta (*vt etiam Trallianus, tum alij, testatur*) rubra & sanguinea erunt, nedum agnata ipsa tunica; sed & facies rubens & humidior erit. Venæ latiores, sensus grauitatis aderit, functiones solitæ segnius perficientur, lachrymæ neque mordaces, neque acres, temperamentum, ætas, anni tempus, regio, victus ratio præcedens, sanguinis plenitudinem attestabuntur. Bilis notas iam posuimus in hac secunda Obseruatione de iuuene bilioso. Adest bilioſum temperamentum, tum reliqua præcedentia de bile testimonium præbēnt; lachrymæ mordaces, non solum hirquos, (*qui à Græcis καπροὶ*) exurentes obsident, genas imo irritant, & quascunque partes attingunt: & reliqua aderunt, quæ in Obseruatione iam præcedente diximus. Si autem ex redundante pituita inflammatio orta fuerit, grauitas erit vehementior & tumor, calidi-

Ex bile vel acri humore signa.

tas exigua, & rubedo agnatæ tunicæ modica, cum qua & facies, ac eiusdem color communicabit; & reliqua quæ præcesserunt & concomitantur, pituitæ redundantiam arguent. Si ab humore melancholico (*vt alij volunt*) dolor debilis, grauitas cum offuscatione, exsiccat cum perseuerantia, paucitas glutinationis, & minutæ sunt grumæ, & paucæ lachrymæ. Quod si neque feruore, neque rosione aut vehementi grauitate vrgente, agnata oculi tunica extendatur, adeo, vt disrumpi videatur, ac doleat, lachrymæque non appareant, aut paruæ, licet quandoque rubea videbitur eadem tunica; indicium erit spiritum esse, qui distendat, ac dolorem faciat. Fluxiones extra caluariam notant vasa, inquit Paulus, in fronte & temporibus distēta. Per partes intrinsecas, tunc præcedit frequens sternutatio, dolorque ab intima parte oculi antequam ophthalmia appareat. Si per essentiam, dolor capitis præcedit & grauitas: Si per consensum ventriculi, præcedit nausea & vomitus: Si vero ab externa causa lippitudo originem ducat, ab ægri vel astantium relatu percipere poteris. Si plura de his desideres, *vide alios auctores & Benedictum Fauentinum præceptorem meum.* Signa pronostica præcipue etiam considerāda num curatio perfici poterit nec ne: pars autem male affecta, tum morbi causa, hæc indicant. Si morbus mollior & causa non vehemens, facilius curatur: Si grauior & in quibus suffusionis periculum imminet aut cæcitatis, pessima est; sæpe enim disruptæ sunt fluxionis tunicæ & reficatæ. Ideo considerabimus magnitudinem ophthalmiæ: ex magna non modo in præsens magna inuehuntur symptomata; sed & periculum adest, vt quæ multa fluxione constet, & corneam quoque afficiat, quam vel exulcerari tandem periculum est, vel impacti humoris reliquiæ restare, ac suffusionem fieri. Ophthalmia enim frequenter perducit ad exitum vueæ, cum cornea tunica fæpe disrumpatur per corrosionem aut putrefactionem, si diu duret malum, materiaq; erodens continuo ad oculum fluat. Ophthalmia quæ venit à velaminibus intrinsecis, & quæ à cerebro est orta, deterior est illa, quæ venit à panniculo cooperiente craniū. Cornelius Celsus *libro sexto capite 6.* *Ingentibus*, inquit, *& variis casibus oculi nostri patent. Qui cum magnam partem ad vitæ simul & vsum & decorem conferant, summa cura tuendi sint. Primum autem orta lippitudine, quædam notæ sunt, ex quibus quod euenturum sit, colligere possimus. Nam simul ac lachryma, & tumor, & crassa pituita cœperint, si ea pituita lachryma mixta est, & ea lachryma calida est; pituita vero alba & mollis, tumor non durus; longæ valetudinis metus non est. At si lachryma multa & calida est; pituitæ paulum, tumor modicus, idque in vno oculo est; longum id, sed sine periculo, futurum est. Idque lippitudinis genus minime cum dolore est, sed vix ante vigesimum diem tollitur: nonnunquam per duos menses durat, sed quandoque finitur. Si pituita alba & mollis esse incipit, lachrymæque miscentur: aut si simul hæ vtræque euanuerunt, potest esse brevior, sed periculum vberius est. Pituita autem sicca & arida, dolorem quidem mouet, sed maturius desinit nisi quid exulceranit. Tumor magnus, si sine dolore est & siccus, sine vllo periculo est.*

est. Si siccus quidem, sed cum dolore est, fere exulcerat: & tamen quam ex eo casu sit, vt palpebra cum oculo glutinetur. Hæc ante Celsum apud Hippocratem eadem quoque leguntur. Galenus etiam admonuit *libro 3. method.* lippitudine affectos diligenter esse curandos; cum ex curationis errore, quosdam ægrè confuseque constet vidisse: modo suffusionē, pupillæ nimia dilatatione vel tabe aut corrugatione fuisse occupatos, potissimum ex vsu stupefacientium medicamentorum. At tumore itaq; magno, sicco, parumque dolente nullum periculum impendet. A tumore autem magno, sicco, multumque dolente, periculum est, ne oculus exulceretur. Interea quanto magis lachrymæ in se habent mordacitatem, tanto citius reducitur ophthalmia ad statum. Periculum autem est exulcerationis ipsius pupillæ, cum salsa fluit lachryma multumque calida. Si ophthalmia laborantibus continuò diuque doleat oculus, periculum cæcitatis adfert. Facilius quoque curatu est reliquis phlegmonis, quando magnitudo eius, & incrementum & vigor, oculis quoque discernuntur. Hippocr. *aph. 6. aph.* 17. lippientem alui profluuio corripi bonum: materia enim deorsum vergit. At hyeme sicca, & aquilonia existente, vere autē pluuioso & australi, præcipue mulieribus & virisnatura humidioribus, æstate lippitudines fieri necesse est; Hippocrate dicente aph. 11. lib. 3. Quidam vero volunt, quod in regionibus meridianis multiplicetur, & remoueatur velociter lippitudo; superueniente autem eis frigore, difficile eandem ipsis fieri: propterea quod in regionibus & temporibus frigidis lippitudo minoratur; verum ea, quæ oritur, praua sit. Lippitudines pueris & senibus curatu difficiliores & maligniores, ob capitis imbecillitatem & excrementorum abundantiam: hinc fluxio maior in oculos distillans, *vt constat apud Galenum 5. de sanitate tuēda.* Tales igitur ægros si curandos suscipiamus, vsque quo morbus inclinet, sic tractabimus. Etenim domi in obscuro cubiculo continebimus, nam & Celsus primo die iubet, vt æger loco obscuro cubet; sic vt etiam à fermone abstineat: nam visionis instrumentum citra molestiam splendorem tolerare non potest, *Galeno teste libro primo. De causis symptom. & 10. de vsu partium* (quo loco exemplum illud comprobauit, tum militum Xenophantis, qui cum per multam noctem iter fecissent, oculis læsi fuerunt: tum Dionysij Siciliæ tyranni, qui super carcerem domum clarissimam, ac longe splendidissimam construxerat, in quam diutissimè in fimo, ac caliginoso loco carcerātos educebat, atque ita cupidè lucem intuiti occæcabantur.) Recreatur autem potissimum nigro, cæruleo aut viridi. Continebimus igitur hos in cubiculo obscuro: à quo calor omnis excedens, & fumus absint. Attamen frigidus aut calidus eligatur aër, non tamen immodicè, pro cuiusque ratione. Somno moderato vtantur ægri, & præsertim nocturno. In principio quidem & augmento conuenit; in declinatione minus, cum opus est resolutione: ideo cum dolor incitat fluxionem, somnus inducendus. Capite eleuato dorso ad partem posteriorem conuertatur, idque in ophthalmia ac causa calida in principio & augmento phlegmonis. Exercitium vitent, quietē eligant, procurentque singulis diebus alui excremēta excernere natura vel arte, clysteriis lenibus, seu glandibus. Cumq; humores quietos esse cupimus, quietem corporis, tum animi eligemus; à furore, metu, tristitia, ira, coitu abstinebimus. Ægrum quoque in integra inedia seruabimus, vsque quo fluxior exstiterit. Et sic parco vtemur cibo ac potu, præsertim inter initia: imo, si fieri potest, nullum cibum (*Celso auctore*) sumere debent; ne aquā quidem; sin minus, certe quam minimum eius: nam prima omnium, (*vt ipse testatur*) in eiusmodi casu sunt quies & abstinentia. Vel si quid dare cogimur, id erit frigidum actu & potestate, & exiguum, vt farris vel ptisanæ cremor. Tenui etenim prorsus vtendum victu ciboque parciore, vt inanitæ partes auidius, quos habent humores retineant, ne ad oculos cōfluant. Qualitas autem cibi eligatur eius, qui humorem generat laudabilem; eos vitando, qui vaporosi sunt, ac tardæ concoctionis: & proinde carnium, potissimum quadrupedum animalium, lactisque vsus vitandus erit: cauendum ab acetosis, salsis ac acribus. Pro potu, abstinendum à vino est circa initia, & ab omni potione vaporosa. Et quidam vsque ad declinationem ab eo abstinendum volunt, etiam à veteri & vinoso: sed aqua eius loco vtuntur, in qua coriādrorum præparatorū semina, seu hordeum aut cinamomum fuerint decocta. Alij vero sola aqua excocta, aut multæ permistionis, aqua mulsa, præsertim cum ex crassioribus humoribus lippitudo fiat ac tempore anni frigido. Rhases autem à dulcibus abstinendum putat, quę in bilem vertuntur. Sed vbi humores adsunt crassiores, & tempus frigidum sit, tunc quidam vinum quoq; admittunt; album tamen & adstringens, tenue & aquosum. Quod vero ad medicamentorum rationem attinet, curandi methodus eadem est, quam Galenus proponit 4. *De medicina secundum locos.* Cum ophthalmia phlegmone sit in extima, & alba oculi tunica, scopos curatiuos ab ipsa phlegmone sumere oportet, & primo ab ipso phlegmonis natura, mox ex partis natura congruum medicamentorū vsum & specialem electionem. Scopus autem curandi phlegmonem est, ipsius augmentum inhibere; atque id quod factum est persanare: inhibetur præcedente causa ablata, sanatur conjuncta simul amota; mox & propriis ipsius morbi contrariis. At cum phlegmone compositus sit morbus, & complectatur intemperiem & solutionem continui; Ex his dolor, qui aliquando mitis existēs, nullam opem priuatam desiderat; aliquando grauis vt opem postulet: non tam propria ratione, quod vires destruat, tum totius, tum partis; quā quod fluxionem, id est, morbi causam auget, & somnum aufert, cuius ratione morbus leuatur, enim intemperiem creat, & soluit continuū. Materia autem, quæ influxa est, ac venulis hæret & exiguis meatibus illius corporis, tolli non potest, nisi ea, quæ continue influit inhibeatur. Rursus fluxio inhiberi non potest, nisi plenitudo humorum in venis tollatur, & vna excrementa omnia vitiosa. Quare si ophthalmia magna fuerit (in qua scilicet omnis hic affectionum complexus adsit, & vna in multam molem creuerit) vena secanda est: nam si leuis sit (*inquit Rhases*) hoc auxilij non exigit. Sicut enim Galenus in leui pleuritide 6. Epid. non secat venam: ita neq; nos hoc loco. Nam magnitudo morbi est, quæ id exigit, virtus vero permittit. Sat igitur erit in leuibus aluum subducere, & à cibo abstinere, & frictione vti & cucurbitulis, & demum ocularibus medicamentis: quoniam causa morbū facietis exigua est & debilis. Verum vbi grauius malum est, venæ sectio, arteriotomia, cucurbitula, sanguisugæ, scarificatio, purgatio, cauterium, paracentesis, fortiora collyria & localia remedia instituenda sunt. *De quibus vide Holerium.*

Medicamentorum ratio.

In ophthalmia grauiori, quid faciendum.

rium. Verum quod ad præsidia attinet, breuissimo quodam sermone seu potius oraculo Hippocrates *aph.*31. *lib.*6. ex quacumque vera lippitudo
17 oriatur, decretum reliquit. Dolores oculorum, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ sectio, aut purgans medicamentum potum soluit. Non tamen omnibus omnia hæc auxilia adhiberi iubet Hippocrates; cum aliis, *teste Aëtio*, conueniat venæ sectio, aliis purgatio, quibusdam fomentum, aliis balneum, aliis vini potus. At si malum ex plenitudine sit ortum: si nihil impediat, vena secanda, *iuxta Galenum* 13. *method.* quem sectati sunt Aëtius, Paulus & Alexander, ac Celsus. Quantum emolumenti habeat venæ sectio in morbis oculorum, testatur longa historia Galeni *in libro De venæ sectione capite tertio*, illius adolescentis, quem Erasistratus medicus tractabat, & imperauerat ne eidem venæ sectio fieret; vbi vena secta fuit per Galenum satis copiose, statim à phlegmone ac fluxione liberatus, vt res incantationi similis videretur de velocitate curationis obstupescentibus. Scribit Benedictus Veronensis medicus insigniter doctus, se vidisse senem visu hebetiorem nonagenarium, Hadriæ supra frontem vulneratum, sanguine profuso, cæcitate & vulnere pariter liberatum. Sic & mulieri (*referente Ruberto Dodonæo medico insigni & amico nostro*) quæ quinquaginta annos excesserat, frontis vena ex casu ab alto vulnerata, affluente multo sanguine, libera & expedita facta est elocutio, & linguæ eius impedimentum solutum, quod ab Apoplexia, qua aliquot ante mensibus laborauerat, fuerat relictum. Conuenit igitur in ophthalmia vera, venæ sectio: sed ex qua vena id fieri debeat, medici hoc tempore non omnes inter se conueniunt. Arabes, Auicenna, Rhases ex cephalica partis oppositæ satis imprudenter sanguinem detrahunt. Alij ex saphena, vt *Gradus*; deinde à communi, postremo à cephalica. Galenus & qui eum sequuntur, ex cephalica lateris eiusdem: Nam hoc modo intra horæ vnius spatium oculorum persæpe dolores grauissimos, è directo venæ quam humeralem nominant, sectio compescuit. In vehementi inflammatione ad deliquium animi idem permisit; cum & adolescente iam dicto quatuor libras sanguinis detraxerit. Sed si vires non admittant, reiteranda venæ sectio, *vt Galenus inquit iubet.* Verum cum omnia non concurrant,
19 quæ ad deliquium animi sanguinem mittendum suadeant vel in tanta copia, consulit Donatus, vt prius media secetur, deinde humeralis. Si multum sanguinis sit extrahendum, *vt Galenum imitemur*; tunc præstat, admonente etiam doctissimo medico Iacchino, ad calumniam euitandam, cum chirurgo consilium inire, vt vulgares quantitas lateat, ne quid sinistri sanguinis missioni asscribant. Si cuncta non respondeant, interim sanguinem mittere nemo vereri debet, si oportuerit, non semel tantum, sed bis.

20 Statim quoque ab initio, si dolor vrgeat vehementius, ac rubor & tensio maior, viribus, ætate, regione consentientibus, alio sua sponte subducta vel clysteri molliore, cephalicam aperiemus eiusdem lateris, amplo vulnere vel foramine, tum vt crassior sanguis exeat. Vide Galenum de his 6. *Epid.*13. *methodi*, & 2. *ad Glauconem.* Aëtius è fronte & angulo maiore: sed hoc post venæ sectionem cephalicæ. Conueniet insuper prædictos infernarum partium frictione curare: & si necessitas aliquando vrgeat, vincula artibus adhibere, & alui dejectionem procurare *ex Galeni sententia eodem*

Venæ sectio.

Vide historiam Gal. de venæ sectione de Erasistrato medico αἱμοῤῥοῳ, id est, sanguini trepidulo.

18. *Historia Benedicti Veronensis lib.* 2. *c.*1. *de sene nonagenario vulnere frontis à cæcitate liberato.*

13. *methodi*; potissimum si bilioso & acres humores cum sanguine redundarint, quo casu, paulo post sanguinis missionem, purgationem adhibebis, *Tralliano teste.* Sic nos in primo ægro sanguinem detraximus, & in puella, in qua acres humores erant admixti cum portione sanguinis; In iuuene vero bilioso contenti fuimus purgatione sola. Volunt autem hic auctores vt in affectib. oculorum, *ex Hippocrate De locis*, leniora exhibeantur pharmaca, in bilioso sanguine, quum dolor acerbior vrget, *rhabarb. cassia, manna, Catholicon. electi. de succo rosaceo.* Attamen (*vt Benedictus Faventinus praceptor meus suadebat*,) in contumaci ophthalmia vehementiora danda etiam sunt. Interea eadem pro humoris quantitate & qualitate temperandi. Tamen humoribus prius præparatis, in calido cum frigidis tenuem humorem incrassantibus, *vt cum syrup. de pap. rof. iuiubino, de granatis; frigido cum calidis rhodomelite adjecto.* Fortiores purgationes sunt *pilulæ aureæ, lucis, hiera colocynth.* In pituita, *hiera picra, pilulæ alephang. de agaric. diaphœn. pilulæ indæ & cochiæ.* In melancholicis hiera Ruffi cum epithymo, foliis senæ. Interea & clysteres & glandes per intervalla loco purgationum esse possunt, cum hæc omnia iam diuertunt; quemadmodum & cucurbitulæ, frictiones, vincula, ac balnea pedum, sed non ante venæ sectionem aut purgationem. Si malum perseuerat, alij frontis venas tunc incidunt, vel sincipitis, aurium, temporum; eligentes eas, quæ magis tument. Sed & reliquias inflammationis vacuat, quoad maiorem, angulum est: ex qua & sanguinem mittebat Galenus 13. *method.* Alij & hirudines applicant, & cartilagines auriculæ scarificant. Holerius & vernam ad pollicem vergentem incidit, quæ inicio secta plurimum diuertit, & viribus minus detrahit, quam secta cephalica. Arteriotomia locum habet, vbi calidus & spirituosus sanguis est: huius rationem describit Galenus *ad finem* 14. *method.* & *Mesue capite De ophthalmia.* Cauteria autem ad coronales suturam, vt prius post aures in occipitio, è regione oculi laborantis, in cerucis initio imprimi possunt. Paracentesis fit hoc modo: *prehendes digitis cutem cum carne qua initio cervicis ad caput occipinij: cum acum traductam filo serico satis crasso transfiges. Et ita locum pertium ad triginta aut quadraginta dies permittes, per intervalla sublato, ac demde re-posito filo.* Sic Amatus post multa remedia puellam sexdecim annorum à lippitudine, tandem ad lequeum supra nucham deueniens, curauit, *vt videre licet Cent.* 4. *Cura.* 68. Verum hæc remedia non nisi post diuersiones leues conferunt, nisi in ophthalmia diuturna, aliis remedijs præcedentibus. Successu cedit secundus scopus inhibendi fluxionem, quem vt primo retractorio auxilio effecimus, ita & mox repulsorio faciemus, nempe topicis & localibus remedijs dictis, & in principio quæ vehementem dolorem non sint sortita adstrictionem, cum ampliorem infligant, tunicas exasperando, quam iuuent influxionum impetum repellendo. Commendat autem Gal. mediocriter adstringentia 4. *De compos. medic. secundum locos*, quibus & liquores lenitiuos admiscebimus, vt album oui liquorem & lac iuuenculæ. A vehementer stupefacientibus, vt dictum est, abstinebimus; quibus si vrgendum sit necessitate coactis, postmodum sanitatis tempore oculi excalfaciendi sunt, *vt patet* 12. *meth.* Interea frons illinienda ex succo plantag. solani, vel semperuiui, oui candido, rosaceo oleo, vel aqua, bolo armeno ac pauco aceto, & imponendum lac muliebre, vitellum ouorum & ros. *Tralli.*

lio, teste, micam panis cum croco, oleo ros. & vitellis ouorum, & similia imponemus, & cataplasmata ex capitibus pap. in aqua coctis, ac fœnugræci vel hordei, lini semin. farina, aqua im-
24 mista *iuxta Gal.* 12. *meth.* in vehementi dolore. Si ex erodentibus succis fiat, ea adhibemus quæ nunc diximus *in Obseruatione præcedente* de ophthalmia ex acri humore bilioso: venæ sectione præmissa, si acres humores sanguine permisti fuerint; sin minus, etiam purgatione præcedente, ad eiusmodi medicamentum ex oui liquore, quo nos vsi sumus, deueniendum est; quo & veteres magna consideratione vtebantur, cum minime mordens sit, & glutinosus: & propterea lenit asperitates omnes quascumque acris fluxio excitat: deinde cum crassius sit & lentus humor, constantius quam tenuis & aquosus in loco permanet: cumque absque rosione sit, si modice incalcat, dolorem maxime lenit, *vt* 3. *methodi medendi constat.* Lac etiam,
25 quo vsi sumus, connumeratur inter lenitiuos liquores. Vbi autem cõiuncta iam phlegmone fuerit, & corpus vacuum; tunc lauationes in balneo aptissimæ sunt. Quæ autem leniter repellant, iis in principio vtendum est. Vide de his autores, Rondeletium, Iacchinum & alios; & de iis qui intrinsecus illinũtur ad reprimendum, nempe ipsi oculo, temporibus & fronti, quorum varia est sententia autorum & compositio. In augmento repellimus admixtis leuibus resoluentibus. Vbi vero summum vigorem morbus attingit, neque iam dictis sedatur inflammatio, tum fomentis rem aggredi oportet, quæ tensionem remittant, & materiam transpirare faciant tepido calore: vti est calida aqua, cui fœnumgræcũ sit incoctum vel meliotum, idque ter quaterue per diem adhibita. Si dolor vrget, incoquemus capita papau. vel hyosciami folia. At resolutio magis conuenit postremæ parti status & declinatione. Arabes ante tres dies nihil oculis imponebant vel instillabant, ne materiam incrassarent aut exitum lachrymarum inhiberent, cum sola venæ sectione, purgatione, diuersione & victus ratione curationem absolui putarent. Id quidem fieri potest, si materia exigua & benigna fuisset. At copiosa in toto vel in capite ad tres dies non expectabant, sed secundo die applicabant, cum vnica die ne sectio venæ nec purgatio adhiberi posset. Attamen cogimur aliquando factis aliquibus diuersionibus statim à principio leuia apponere potius extra oculum vel supra oculum, quam intra; vt emplastrum ex mica panis infusum in lacte muliebri vel asinæ, momento decoct. pap. adiecto ob dolorem acutissimum ex acuitate materiæ, & non ex multitudine, re ita vrgente. In principio igitur à leuioribus incipiendum, quæ in oculos instillantur, vt est lac muliebre, tum alia, quæ nunc diximus: quamquam lac muliebre solum instillatum vel asinæ, experientia vidi multis inflammationem auxisse, quia facile acescit, quamuis humores corrodentes mitiget. Crescente morbo ad collyrium album deueniendum. Ad narcotica
27 numquam deueniendum, nisi maxima vrgente necessitate, *vt dictum.* Concocta iam phlegmone lauationes in balneo aptissimæ sunt: nam & dolorem statim sedant, & fluxionem sistunt (*Galeno* resse) quæ ad oculos defluit. Si ex crassis succis fiat, prius toto corpore vacuato auersisque humoribus deorsum, ipsam curabimus *iuxta Galenum* 13. *method.* pituita prius parata ac concocta, demum eo modo repurgata, *vt capite De dolore cantis ex pituita docuimus*: & ita quoque, si succus adsit melancholicus, *vt de melancholia, quæ caput affici diximus*) eadem adhibebimus remedia. Si tamen in vtraque sanguis sit admixtus, vena humeralis ante purgationem secanda: deinde dicti humores purgandi. Si à sanguine sint absoluti; purgatione duntaxat vtendum, & frictionibus vehementibus, vinculis cucurbituliscque ad impetum humorum auertendum. Hinc localibus insistendum, non reprimentibus aut repercutientibus, sed iis quæ enocãt & digerunt, *Galeno auctore* 13. *meth. & Paulo libro* 3. *capite* 22. nempe fotu ex fœnugræci decocto, eo prius curiose lauato, ne quid pulueris vel fabuli clam adhæreat. Idque viscosum est, albo oui liquori simile, discussorij, moderate calfactorium, dolores mitigans, *teste Galeno* 4. *De comp. medic. se-* 28
cundum locos. Habes & alia collyria apud Galenũ, Aëtium, & reliquos auctores, *vt aloe sola cum aqua euphragiæ, fœnicul. ros. & similia.* Si caput tantum humorum abundantiam ad oculos transmittat, & totius corporis habitus sit mediocris in humorum qualitate, tum modo; caput ipsum prius curandum est: &, si adest intemperies, contrariis curanda; vt etiã docet Galen. 13. *meth.* & 2. *de loc. aff.* quod frigida intẽperies vel humida caput vitiet. Tunc etiam, præcedentibus aliis purgationibus & diuersionibus, aliquando ad errhina & apophlegmatismos recurrendum. Verum Rondeletius in omni ophthalmia probat quidem masticatoria post vniuersales purgationes, sed caputpurgia minime, cum nerui optici non longe à meatibus illis, per quos euacuatur pituita, ortum ducãt. Ob id facile trahetur materia ad oculos. Præterea caputpurgia magis trahunt ad partem anteriorem; masticatoria ad posteriorem. Neque valet obiecto, quod multi practici hoc iubeant, dicentes Galenum ita fecisse in aliquibus oculorum affectibus: respondendum leniori quodam caputpurgio vsum fuisse, quod vim haberet tantum deobstruendi nares, non autem trahendi pituitam à cerebro. Præstat igitur masticatorio pituitam attrahere. Si neque in toto corpore humorum adsit 29
copia, nec à capite ad oculos fluxio fiat; verum crassus sanguis oculorum venulas intẽdat, easque squallidas habeant, & propterea valde tumidas ac plenas sanguine, balneum eis præcipiendum temperatum, quo meatus excalfaciat & laxet. Tunc etiam Galenus vinum meracius exhibet, *vt constat aphor.* 31. 6. *lib.* Alexander etiam post balneum temperatum vini potionem commendat. Verum si vini potionem æger metuit, fomentum tutius erit ex calida aqua vel fœnugræc. decocto, aut meliloti aut chamomillæ. Sed hæc iuuant præcedentibus venæ sectione & purgatione, aliisq; remediis iam dictis, quamuis omnino tutius sit præsidium fomentum ipsum, *iuxta Galen. inter alia illa præsidia ab Hippoc. aph.* 31. 6. *lib. enarrata.* Spiritus vero flatuosis distendẽdo agnatam tunicam, ophthalmiam causat. Verum si contingat, auctores vtuntur vaporatione ex milio & furfure, faccellis paratis, atque in decoctis seu fotibus infusis iam dictis digerentibus, euocantibus ac discutientibus. Medicamenta autem quæ astringunt, repellunt, Galenus vitare hic iubet 13. *meth. medendi.*

Caputpurgia vtrum conueniant nec ne.

*Balneum quando conseruat. Vide Act. lib.*7. *c.* 6. *quib. lippientib. balneum conueniat: & c.*7. *quib. vini potio & 8. quibus sanguinis miss.* 9. *quib. purgatio. &* 10. *quibus fomentatio.*

OBSERVATIO III.

De Ophthalmia cum variis symptomatis & affectibus.

ELizabetha Nieuvvenburchia, Alcmariana, cognata vxoris meæ, nata annos viginti nouem, anno 1556. mense Maio cum ingenti dolore 1

dentium torqueretur, vt ex dolore decumbere coacta fuerit, temperatura sanguinea, facie admodum pulchra, imprudenter, nescio cuius mulierculæ consilio, (*corpore nequaquam repurgato, neque medico aliquo adhibito,*) aquæ vitæ gargarismo cum vsa esset, ac nodulos quosdam staphide agria repletos in ore deinde detinuisset ad dolorem dentium mitigandum & pituitam ab ore eliciendam, in febrem satis acutam, eamque continuam incidit, & ex impetu vehementioris fluxionis tota maxilla subito inflammationem passa, etiam in ophthalmiam non simplicem tantum collapsa est & admodum grauem, verum etiam in oculi ac palpebræ inflammationem, cum ingenti inflatione earundem partium, vt oui magnitudinem excederet, adeo vt nec palpebram ipsam aperire posset.

2 Erat enim palpebra ad oui gallinæ magnitudinem inflata, similiter inflammata cum rubedine quadam purpurascente, & ad nigrum colorem quodammodo inclinante, anthracis instar. Primo enim intuitu de carbunculo pestifero seu anthrace dubitabam. At originem huius mali cum intellexissem: quod ex acribus medicamentis, toto corpore pleno existente, tum capite repleto euenisset, aluo per balanum soluta cum clysterem non admitteret, sanguinem satis copiosè detrahere iussi ex cephalica vena in brachio è directo oculi affecti. Nam malũ dextram ferè partem faciei, potissimum verè oculum dexterum & palpebram, occupauerat. Et statim à venæ sectione
3 propter febrem acutam syrupum istum vt ebiberet iuasi: ℞. *syrup. rosati, de end. cichoreæ ana* ʒ ß, *aquarum cichoreæ, end. boraginis ana* ʒ j. *misce.* Adeo enim post hæc subitò in sudorem aliquo modo prorupit, quem per quatuor horas meis monitis seruauit; ita vt febris deinde minus eam affligeret. At tumore circa oculum & palpebram remanente, rursus syrupum propinaui, & cucurbitulas cum scarificatione scapulis admoueri præcepi, vtcumque etiam sanguine extracto. Oculo vero tum palpebris ipsis inflammatis continuò applicabam linteolum duplicatum aqua rosacea & lacte mulicbri, tum liquore albi oui, idque ter quaterue in die; quo dolor mitigari cœpit ac palpebræ inflatio, vt tandem oculum aperire potuerit: & inspecta tunica coniunctiua omnino rubra apparebat; quare liquorem albi oui cum aqua rosacea in oculum stillabam, & postea facta fomentatione cum decocto foliorum maluæ, semin. cydon. & fœnugræci seminis prius abluti, paulatim inflammatio oculi, tum palpebræ cessarunt; maxilla tamen inflata ac inflammata permanente. Præscripta victus ratione tenui, cataplasma sequens appositi: ℞. *rad. althææ mund.* ʒ ß. *foliorum maluæ* m. iij. *coquantur in aqua, ad mollitudinem pistentur. Addi farinæ seminis lini, hordei ana* ʒ ß. *olei amygd. dulc. quantum sufficit fiat cataplasma.* Et assumto medicamento leuiori in hunc modum concinnato: ℞. *Cassiæ recens extractæ, diacatholici ana* ʒ iij. *diaprun. simplicis* ʒ ij. *cum* ℥ iij. *aquæ casei; fiat potio,* qua aluum (*dictu mirum*) decies deposuit, & intus in faucibus latens absessus per se ruptus est, pure ex ore defluente satis copiosè, ac maxilla detumescente. Vires tamen tunc nonnihil prostatæ erant: ideo victum restaurantem nonnihil qui conualescentibus vtilis est, præscripsi, cum hactenus tenuiori victu, vt ratio postulabat, vsa fuisset. Vtebatur tunc gargarismis nonnihil materiam attrahentibus, ex *ficubus, hyssopo & vuis passis paratis*; Deinde magis mundificantibus, & abstergentibus, ex *hordei communis decocto, melle rosaceo adiecto*; Postremo vero magis consolidante, ex lacte cui plantago incocta erat. Et istis præsidiis rectè habuit.

Scholia.

OMnia ista symptomata, ac omnes isti affectus ex gargarismo calido & nodulo ex staphide agria, in corpore plethorico, ante vniuersalia remedia adhibitis, originem habuere: nam præter absessum, qui tandem ruptus est ophthalmiam incurrebat, non tamen simplicem, sed phimosim coniunctam habebat, & etiam taraxim. sæpe enim, *vt diximus antea*, etiam Chemosis atque omnes isti affectus inter se vel plures commiscentur. Et licet hic ophthalmia erat non omnino vera, quia à caussa procatarctica inceperat, grauissimen erat affectus; & cum oculum aperire posset, videbatur inclinare ad veram ophthalmiam, cum adnata tunica alba rubedinem haberet, & inflammata spectaretur: Deinde & reliqua signa quæ aderant, non leuem inflammationem indicabant: & ob hoc commodè sanguinem detraximus; deinde & ad alia remedia deuenimus, quæ etiam ophthalmiæ conueniunt. Verum quomodo ophthalmia vera curetur, iam diximus. At Taraxin, *quam perturbationem antea oculorum appellauimus*, si ex fumo aut æstu aut puluere vel alia causa externa contigerit, facile *iuxta Aetium libro septimo, capite tertio* curabimus, modo ophthalmiam admixtam non habeat. Primo quidem *iubendo aegrum à causa lædente abstinere, veluti sole, fumo & huiusmodi. Oculos tepida primo*, deinde & *frigida abluere auersumque à lumine connuere: Ita enim, nulla alia re adhibita, salus parabitur.* Parcior tantum cibus offerendus, potusque augendus, si ob æstum affectio contigerit; nam & somnus profundior occupabit, & formidata lippitudo digeretur: ideo ne à balneo quidem abstinendum, si modo reliqua victus ratio diligentius obseruetur. Persistente morbo, quies adhibenda, illinendaque collyria genis aut ex croco, aut ros. confecta, & præcipuè collyrium Nili. Sordes vero ac gluten noctu circa palpebras collectum, repurgat & probe exterit posca dilutior, vel aqua frigida priuatim insperta. Sic in exigua
7 inflammatione maioribus remediis non est opus; Sæpe enim rosarum succo, *oui liquore tenui, aqua rosarum aut plantagine, lacte mulieris aut asinæ*, curatur. Sed vbi grauius malum est: ea adhibenda, quæ de ophthalmia vera & magna diximus. At Taraxis quæ leuis est, remota eius causa, facile remouetur & ipsa. Ad phimosim, post vniuersalia remedia, si vna cum inflatione etiam adsit inflammatio, palpebrarum occlusio, valent fomenta ex malua, foliorum viol. sem. fœnugræci & similium. Vel cataplasma ex puluere lini decocto, cum lacte bubulo & modico oleo liliorum; quo commodè vsi sumus *libro septimo De symptomatis febrium, in illo qui ophthalmia & phimosi laborabat cum febri acuta.* Curatur vero Chemosis, *iuxta Paulum*, venæ sectione, medicamento purgante, collyrio diarodon albo, & quod à cinereo colore vocatur apud eundem *σποδιακὸν* cum lacte vel oui aquato. Eodem vero palpebras, tempora & frontem illinire oportet, tum fomentis & cataplasmatis lenibus vti: cum remittit inflammatio, acrioribus; quale etiam est viride diarodon. In quibus vero chemosis carnosa contingit, oui luteum cum musceæ carne terito, atque vbi ad cerati formam deducta fuerint, linteolo excepta imponito, & confestim

sedant, *Galeno teste 4. De compos. medic. secundum locos.*

OBSERVATIO IV.

De Ophthalmia non vera.

1 ANno 1565. tribus integris mensibus, nempe Octobri, Nouembri, & Decembri, cum constitutio austrina permansisset, multæ inflammationes oculorum cũ rubedine, & ophthalmiæ non veræ popullariter grassatæ sunt, & palpebrarum pruritus; adeo vt integras familias instar morborum epidemiorum occuparent. Quibusdam vero & acres, cum lachrymis vrentibus & dolore: & plurimis hæ affectiones diuturnæ admodum erant. Omnibus fere præcipue purgationes profuere, postea & cucurbitulæ scapulis appositæ cum scarificatione. Quibusdam vero, propter pruritum & acres humores, purgationibus tum cucurbitulis præcedentibus, collyria ex aqua albuminis ouorum cum aqua rosarum egregie contulerunt: Aliis autem ex aqua rosarum & saccharo candi confecta, aloes exigua portione adiecta. Erat autem hæc ophthalmia quasi contagiosa, vt si quis ophthalmicos istos intueretur, mox eodem malo corriperetur. Quibus vero inflammatio aderat, iis missio sanguinis admodum profuit: Quibus vero aeriores fluxiones, purgatio magis vtilis fuit, ex sennæ & rhabarb. infuso, aut pilulis lucis deuoratis, tum aliis ad hanc causam magis appropriatis. Cæterum inflammationibus magis acrioribus hoc collyrium sequens, præ aliis omnibus, valde commodum fuit: ℞. *cerussæ lotæ* ʒ j. *aloes* ʒ vj. *gummi tragacanthi, sarcocollæ, tutiæ præparatæ ana* ʒ ß. *camphoræ, opii thebaici an.* ʒ j. *aquæ rosar. q. s. fiat massa, vsui reseruanda.* Atq; huius portio exigua dissoluebatur cum aqua rosarum, vbi vsus postulabat, & collyrij instar pluma in oculum affectum stillabatur; præcedentibus tamen purgationibus. Infiniti hoc solo remedio conualuere. Et propterea in officina paratum reseruatur. Attamen iis qui simul catarrho obnoxij erant, minus conueniebat, ob opium: alios autem, quibus acres fluxiones erant & oculi rubicundi cum pruritu palpebrarum, egregie iuuabat.

Scholia.

3 DIctum est prius ophthalmiam non veram à causis procatarcticis originem suam habere: hic vero ab austrina constitutione. Est enim ophthalmia non vera, Intemperies tantum oculi calida cum pauco rubore; vt dictum est prius; citra tumorem, nisi à casu aut percussione initium habuerit. Et cum Taraxim, seu perturbationem apud *Aetium & Paulum*, idem esse dixerimus cum ophthalmia nõ vera, eodem modo curatur: prout causæ procatarcticæ variæ sint, eædem semper sunt auferendæ: vt si à vino, à vino abstinendum; si à vento vel constitutione maligna, vt hic ab austrina, domi (modo liceat) manendum. Si ob radios solares vel lunares (*quemadmodum anno 1567. in Aprili cum eclipsis solis fieret, ob intuitum eiusdem plurimi oculis afficiebantur*) caput contegendum, ne solem inspiciant, cum & illi qui debiles oculos habebant, etiam nunc (*vt diximus*) ophthalmicos inspicientes facile eo malo statim corriperentur. Si ob esum capparum, alliorum, erucæ, cæparum, sinapi (*hæc sua acrimonia fluxiones in oculis concitant, & lachrymas fundere faciunt*:) ideo hæc erant vitanda. Si ex percussione, vel ictu, statim sanguis mittatur; si metus sit de inflammatione, fodetur dolor, & liquor oui albuminis cum aqua rosarum oculo instilletur, & tandem sanguis columbæ adhuc calidus ad Tarfati sanguinis resolutionem. Et si dolor instet, præmissa venæ sectione oculi fiat fotus cum spongia panno subtili lineo inuoluta & infusa in lacte & oleo rosar. tepidis vel moderate calidis bene expressa oculo dolenti sæpe applicata. A venæ sectione & doloris sedatione ad ecchymosim factam in oculo, quam Barbari Tarfati vocant, sanguis columbæ, vel turturis, calidus instilletur, ad sanguinis illius digestionem. Si vero cum aliis causis aliqua materia contineatur in capite, si sanguis, venæ sectio adhibenda; vel si pauca; cucurbitulæ spatulis admouendæ: & si sit pituita coquenda, purganda, deinde embrochæ, cataplasmata, collyria, tum alia localia admouenda. Ita quoque de bile vel melancholia, quæ tamen *raro* in causa est. De his vide Rondeletium. Idem iubet, si ventriculus causam præbeat, vt vomitus leuis excitetur, modo excitari possit sine magna perturbatione: nam motus vehementes materiam exagitant, & humores exagitati facilius in partes imbecilliores fluunt. Quod vero ad Xerophthalmiam attinet, (*quæ genus aridæ lippitudinis existit, qua neque tument, neque fluunt oculi, sed mia curatio rubentes dolent, grauescunt, & noctu præ graui pituita inhærescunt*) quanto minor humorum in ea impetus est, tanto minus inexpedita curatio habetur: in hac multa inambulatio, exercitatio, balnea, & in ipsis desudationes, frictionesque necessariæ sunt. Cibi ex media materia quærendi sunt. Mane post stomachi concoctionem ex sinapi gargarismata valent. Deinde capitis & oris defricationes. 5
Paulus vero oculos fouere alternis spongiis ex aqua calefacta, & dormituris ouum ex rosaceo imponi tradit, an anserinum adipem; & capiti quoque pinguia infundi: *Frigida*, inquit, *& quæ indurant, vitanda; caput velandum vngendumque; aluus ducenda.* Hæc valere scribit ad sclerophthalmiam, quæ apud ipsum durities oculi & difficilis motus est, cum labore ruboreque circa humiditatem; Xerophthalmia, quasi dicas *arida lippitudo*, pruriginosa oculorum est sine fluore dispositio. Curatur apud eundem, balneis, inunctionibus, & victu probi succi. Vtrisque vero communiter conueniunt medicamẽta acria, at etiam lachrymas prouocent, per quæ & durities emollietur, & siccitas humectabitur. Talis est Erasistrati quoque *panchrestus*, & quod dicitur dicenteton: Item cui nomen est stratiotico. Vide Aëtium *de duritie ac ariditate oculorum libro 7. capite 76.* Ego autem ad ariditatem sæpissime commode vsus sum decocto maluæ, viol. hordei mundati: vel solo fotu decoct. maluæ. Alij tamen, (*vt Fernelius*) ὑποφθαρμίαν ad pruritum palpebrarum referunt ex humore salso & nitroso, quæ etiam nostris ficca lippitudo dicitur. Interpres vero Pauli appellat Psorophthalmiam pruriginosam palpebræ scabiem ex salso & nitroso humore contractam. Verum de pruritu palpebrarum latius dicturi sumus, cum de palpebrarum vitiis agemus.

Xerophthalmia.

Sclerophthalmia Xerophthalmia ex Paulo.

OBSERVATIO V.

De Dolore oculorum.

MVlier vtcunq; biliosa, cui & sanguinis portio admixta erat, de oculi dolore ingenti, cum rubore conquerebatur, & palpebræ non solum

solum inflatæ, sed inflammatæ ac rubedine affectæ conspiciebantur. Ac optimo victus ordine, post ventris lenitionem, huic vena cephalica in brachio è directo oculi affecti secta fuit: postea etiam cucurbitulæ cũ scarificatione in parte colli qua iungitur cranio, appositæ fuere: etiam sanguisugæ post aures applicatæ; & medulla panis, simul & pomorum dulcium, cũ lacte muliebri & aqua rosarum macerata oculo appositа sunt: atque oui albumen concussum cum collyrio albi Rhasis instillatum, quod opium recipiebat. Pilulas quoque lucis deuorauit, & à dolore liberata est. Quemadmodum & alteri, quæ ex dolore ab humore afficiebatur, (*præmissis vniuersalibus remediis,*) caseus recès ouillus pluries in aqua frigida lotus, & tandem albumine oui permistus, & oculo appositus, sanguine calido grauante, mirifice profuit. Altera quoque, cum acerbe ab ophthalmia conflictaretur, pomum coctum cum aqua rosarum & lacte muliebri mixtum cum oculo continuo apposuissemus; Deinde *collyrium Rhasis album cum aqua rosarum* solutum instillassemus, tandem ab omni dolore liberauimus.

Vir quoque cum pilulas sequentes deuorasset: ℞. *pilul. sine quibus, lucis, ȝ hab. pulu. an.* ℈ j. *diag.* ʒ ij. *cum aqua fœniculi, fiant pilulæ v. dentur post mediam noctem.* Cæterum iis optimum egessit, sed non quod hac de causa dolor aut rubedo discederent: sequenti vero die scapulis cucurbitulæ cum scarificatione cutis sunt applicatæ: tandem quinto die, *vti etiam apud Amatum Centur. 4. Curat. 45. Iosephus quidam, cum oculum aqua rosacea tutia præparata excepta, & per manicam traiectila lauaret,*) breui sanitatem obtinuit. Adrianus Milius vir prudens ac pius, Hollandiæ Præses, narrauit mihi, cum aliquando iuuenis Coloniæ agens inflammationem ingentem & oculi inflationem pateretur, ei à medico consultum fuisse, vt albumen oui ad dimidiam horam concuteret, mox adiecta aqua rosacea panno lineo in eo humore intincto ac continuo oculo imposito; deinde & radice chelidoniæ contusa, addito panis fermento & nuchæ appositо, & foliis eiusdem vna cum radicibus simul contusis pedibus admotis. Quo facto egregie conualuit. Sed & Laurentius Vlimmius Baccalaureus iuris, Alcmarianus, anno ætatis suæ vigesimo septimo 24. Martij mensis die, anno 1555. cum ex nimia vini potione in oculorum dolorem leuem & rubedinem quandam cum exigua inflammatione incidisset, & vna catarrhum & dolorem capitis, non tamen grauem, incurrisset; sequens decoctum eidem præscripsi: ℞. *cort. r. ad. cichorij, fœniculi an.* ʒ ß. *foliorum fumariæ* m. ij. *betonicæ* m. j. *acetosæ, saluiæ, euphragiæ an.* m. ß. *sem. anisi* ʒ ij. *sem. coriand. præparati* ʒ j. *foliorum sen.* ℥ i ß. *sem. siler montani* ʒ ß. *uuar. pass. ab arill. repurgat.* p. j. *prun. damasc. numero nouem, fiat decoctio in libris trib. aquæ communis ad consumptionem mediet atis. Stent per noctem supra herbas infusa, mane coletur cum forti expressione, & aromat. cum* ʒ j. *cinnamomi selecti, & saccharo dulcoretur.* Bis in die ex eo sumebat. Postea has pilulas sumpsit: ℞. *pilul. lucis maioris, pilul. hieræ simplicis Galen. (hic erat aliquo modo pituitosus) an.* ʒ ß. *cum succo fœniculi, fiant pilulæ vij.* quibus circa mediũ noctis sumptis quinquies aluum deposuit, & dolor capitis magna ex parte euanuit. Ad oculi ruborem hoc collyrio vtebatur; ℞. *aquæ fœniculi, ros. an.* ℥ i ß. *lactis mulieris lactantis puellam* ℥ ß. *misc.* victuque attenuante vtens statim fuit curatus. Ad idem post mensem largius vino vtens, denuo incidit in catarrhum & columellæ ac tonsillarum leuem inflammationem. Sed nunc post vniuersalia remedia, garg. ex aqua plátag. floribus ros. rub. incoctis, & semine cydon. cum dianuco & diamoro, fluxus catarrhi facile cessauit, & pristinæ sanitati restitutus fuit.

Scholia.

Sciendum est omnes morbos oculorum in triplici esse differentia, scilicet ex phlegmone, fluxu, & vlcerationibus, & in omnibus istis semper adiungitur dolor. Et quia oculorum dolores in primis graues esse solent, ideo seorsum quoque æstimandi sunt. Mouentur autem ab humorum acrimonia, in acri epiphora, ab ardore in ophthalmia, à flatuum vel humorum influentium copia, quæ illorum tunicas distendit, à carbunculo à carcinomate: sed à pustulis & vlcusculis, quæ in corneam incidunt, aut nullus aut admodum leuis oritur dolor. *Et ideo recte dispositionem doloris,* inquit Galenus, *in phlegmone animaduertere debemus*: aut enim humores acres fluunt ac mordaces, ac multi, quibus tunicæ oculorum supra modum extenduntur, aut humor crassior lædit, aut spiritus intus inflammans. Vnde erodere, compungere, extendere, comprimere, vel astringere sentiuntur, ex intimis cerebri destillationibus, *vt de ophthalmia vera ostensum est*, aut forinsecus euenientibus, aut abipsis arteriis venisue descendunt. Vt igitur in aliis multis, ita in oculorum quoque vitiis (*teste Alexandro Trallliano*) primum docere conuenit, quomodo vniuersa internosci debeant, deinde curationem subiungere. Nihil enim adeo excruciat vrgetque artem ad curationem, vt vehemens dolor oculos affligens. Si igitur vehementes dolores, & intolerabiles, oculos comprehendunt, æger ferre nequeat, ne collyriis ad torporem inducendum efficacibus, vt plerique, confidas.

Multi namque opium quoque instillare ausi, præterquam quod nihil prorsus dolorem mitigarint, etiam valde adhuc offenderunt. Quapropter causam efficientem inspicere oportet; & eam considerando, ita quoque curationis speciem definire. Non enim vna est causa efficiens, sed multæ ac variæ. Sola materiæ copia influens dolorem potest incitare, nec non qualitas: subinde vero etiam vtrumque, & qualitas simul & quantitas. Videndum porro est, vnde id quod influxit, procedat; num ex toto corpore, an ex solo capite: Item vtrum per arterias, an à venis, vel ab vtrisque profluat: adhæc quale vtique sit, quod influit, vel sanguis, vel pituita, vel humor melancholicus, vel spiritus flatulentus est, quod instruxerit: præterea humor noxius, vnus sit an duo commixti; fieri enim potest; vt vnius tantum influxus inflammationem doloremque vehementem, & duorum simul etiam compositum tumorem excitarint. Cum igitur differentes causæ sint, artificem ad singulas se accommodare oportet. Præcedat igitur internotio, quæ ad rectam curationem deducit. Verum cum de his prius dictum sit, & de singularum notitia & curatione, si plenitudo aut sanguis dolorem faciat, aut bilis aut pituita, aut flatulentus humor, eadem erit curatio. Si plura de his desideres, vide Trallianum *lib. 1. De curatione doloris oculorum*: nam vbi à plenitudine dolor fit, nihil prosunt topica remedia seu anodyna, nec reprimentia, aut repellentia. Nam quæ repellunt, ob plenitudinem non possunt humores retro pellere; & distensionẽ maiorem faciunt, ob idque dolorem potius augent. Digerentia quoque magis attrahunt, quam digerunt, & sic morbum potius

potius augent. Talis itaque dolor, vt iam dictum est, soluitur sanguinis missione, clystere cucurbitulis & sanguisugis, demum fomentis, de quibus dictum est prius. Si humor adsit, ille purgandus cum pilulis aureis, cochiis, lucis: si pituita, curatur, *vt iam exposuimus*. Si dolor fiat à flatibus, licet flatus non euacuentur medicamentis, sunt tamen danda quæ pituitam euacuant, *Rondeletio auctore*: mox partes relaxandæ cum fotu. Collyria vero quæ ad acrimoniam valent, dicta à nobis sunt. Vide *Trallianum & Rondeletium, & Actium quoque*: Et præcipue Benedictum Fauentinum præceptorem nostrum, *& tomi primi sectionis secundæ cap. 3. De doloribus oculorum & de eorum curatione.* Qui de his rebus ad longum agit. Hæc inquam diligenter notanda, cum mulierculæ apud nos sine ratione ocularibus remediis vtentes, plurimos misere excæcent. Non ita pridem puer apud calcearium extra portam Diui Georgij habitans, ad fossam aqueam dictam, cum oculi inflammatione ac dolore afficeretur, & ab empirico male tractaretur; cum postquam cum syrupo *ex infus. ros.* pallidarum euacuassem, & cucurbitulas scapulis admouissem, cum venæ sectionem minus toleraret, ac oculos fouissem cum fotu *foliorum maluæ, viol. hordei mum. sem. cydon. & fœnugr. exiguo, sem. papau. adiecto,* dolor mitigabatur, etiam aliis remediis aptis adhibitis. Verum hic puer à manibus nostris tractus, ad muliercularum consilia, cum suo damno deuenisset, vlcerationem postea incurrit, & cœcus factus est. Non sine ratione conqueritur doctissimus ille Benedictus Veronensis medicus, suo tempore paucissimos ocularios medicos in Italia reperiri, eo quod literas non didicerint. At apud nos multo minus, cum hæc curatio modo ad mulierculas modo ad quosdam imperitos tonsores, redierit; qui vno collyrio omnes oculos curare nituntur: Hinc quoque innumeri apud nos oculis orbati cernuntur. In Asia vero, & in Syria ac Media, præstantissimi ocularij medici hac ætate inueniuntur; apud alias nationes paucissimi. In Græcia quoque desiere non solam ocularij, sed & chirurgi, vel ex tota medicina Clinici: quoniam ætate nostra Turcarum feritas Græcorum imperia & regna cum literarum studiis sustulit.

Observatio VI.

De Oculorum panno.

Vilicus quidam iuuenis, Cornelius nomine, in pago Ryfvviickio dicto, non procul ab vrbe Delphensi habitans, cum exanthemata incurrisset, & mediocriter ab iis curatus esset, intempestiue & nimis subito cũ sese aëri exposuisset, atque ad nundinas illas famosas equorum Valckenburgenses profectus esset, domum reiens inflammatione oculorum haud exigua correptus est: & cum tempori medicamenta non adhiberet, tandem pterygion seu pannum vel sebel oculorum incurrebat. Hic autem cum ad me deueniisset, ac ambobus oculis inspectis, cum videretem in corpore repleto & potissimũ capite, quod etiam venæ replerentur in tunica adnata, quæ circa inuicem texebantur, veluti fumus intertextus, totam coniunctiuam fere pauniculi instar cooperiebant, ab ocularib. nostris medicis pannus dictus, ab aliis sebel, & à doctioribus pterygion dicitur, quanquam alij inter se differentes passiones tunicæ adnatæ esse velint, de quibus latius in scholio. At nos statim deposita aluo prius, altero die sanguinem ex vena cephalica in brachio dextro, cum oculus dexter magis affectus esset, detrahere iussimus. Deinde vt aluus laxior quotidie haberetur, apozema longius descripsimus, *ex fumaria, malua, euphragia, fœniculo, foliis sennæ, rhabarb. prunis & myrob.* Idque in sero lactis ad aluum molliorem reddendam. Postea eundem purgauimus cum pilulis sine quibus, & lucis. Iisque aliquando in villico reiteratis, simul etiam appositis cucurbitulis natibus ad scapulis cum scarificatione, sanguine satis copiose extracto. Quibus licet inflammatio sedabatur, pannus tamen non tollebatur, adeo vt nihil videret, imo vt cæcus longo tempore ad nos deduceretur. Cæterum cum hic pannus durior esset, factis prius fomentis emollientibus & inflammationem tollentibus, *ex decocta malu. foliorum viol. seminis maluæ, cotoneorum, papau. sem. fœnugr. diligenter loti, & similibus,* dolor quidem sedatus est; & licet mollior videretur, durior tamen postea euasit, & magis inueteratus. Primo igitur commodis remediis vsi sumus emollientibus, deinde detergẽtibus, postea etiam iis quæ ad pterygion confirmatum valent; similiter fomentis, sacculis & collyriis vsi sumus, qualia descripsimus *in lib. de febrib.* pro iuuene quodam Nicolao Halsio, cui post variolas pterygion accessit. Quamuis in hoc villico ad fortiora detergentia coacti fuimus accedere, præter collyria frequenter adhibita, ex succis chelidoniæ, rutæ, felle bubulo, anguillæ, postea etiam æris ærugine & vitriolo adiectis: quale hoc sequens erat, quo sæpius vtebamur ℞. *succi fœniculi* ʒ iiij. *succi chelidoniæ* ʒ iij. *succi rutæ* ʒ ij. *succi maluæ* ʒ ii ß. *aloes* ʒ vj. *vitrioli* ℈ iiij. *æruginis æris* ℈ j. *zinzib. cinnamomi an.* ℈ ß. *fellis anguillæ* ʒ ß. *fellis tauri* (vel eius loco si haberi non possit, fellis bubuli aut porci ʒ ij. *sacchari candi* ʒ iij. *mellis optimi* ʒ ß. ebulliant succi, addendo reliqua, & depurentur, & fiat collyrium secundum artem. Quæ cum sæpius bis in die in oculum stillarentur, licet cæcus per integrum fere annum paulatim visum recepit, & tandem integre pterygio liberatus est, magno cum nostro honore, at Dei benignitate.

Scholia.

Morbi tunicæ agnatæ seu coniunctiuæ.

Morbi ad tunicam agnatam pertinẽtes, præter ophthalmias veras & lippitudines, chemoses, perturbationes, (*teste Aëtio libr. 7. capit. 2.*) etiam pertinent œdemata, id est, *tumefactiones, pterygia, vlcera, carbones, cancrosæ affectiones.* Gordonius autem 13. passiones tunicæ coniũctiuæ enumerat, vt *ophthalmiam, pterygion seu vngulam, maculam rubeam, pannum,* Arabibus *sebel, tumorem, duritiem, pruritum, apostemata, vlcera, saniem, carnis diminutionem, & excrescentiam, fistulam lachrymalem, lachrymas currentes, & pulueremcadentem in coniunctiuam.* Addit Valescus *& dolorem oculorum & horbor seu vesiculas paruas.* Verum pannus vel sebel Arabibus, & pterygion vel Vngula maximam affinitatem habent, & parum aut nihil in curatione differunt. Hinc quidam, *vt Rondeletius,* pterygion Græcorum, Arabum Zeber vel Zebel esse putarunt; quam passionem alij *Vngulam* vocant. Differt tamen pannus seu Zebel ab Vngula, *vt Barbari distinguunt, sebel, & vngulam seu pterygion, etiam teste Arculano*: cum Vngula seu pterygion, sit nerueum quid sine venarum repletione, oriens à lachrymali domestico, nec cooperit oculum nisi in forma sagittæ: At zebel seu pannus à Barbaris descriptus, cooperit totum oculum, vel quasi totum, seu tunicam adnatam, vel etiam corneam.

Differentia inter pannũ seu Zebel & vngulam seu pterygion.

corneam, instar panni rubei viscosi cum venulis intertexti vel diffusi; vnde & nomen suum ab ocularibus medicis recepit, non quod panniculus sit, sed quod similitudinem cum eo habeat. Habétque in se plures differentias, vel quod sit mollior durioruе, minorisaut diuturnioris temporis vel per viam defluxus, aut paulatim ibidem con-
Causa sebel. gesta, modo etiam coniungitur cum aliis oculi affectibus aut palpebrarum, cum inflammatione, vlceribus vel scabie palpebrarum quandoque sine iis reperitur, & causa generalis est ipsa fluxio vel congestio. Hic vero post variolas ex fluxione, postea etiam congestione facta originem habuit. Et plerumque fit à sanguine solo vel cum aliis humoribus permixto, bilis enim puta tenuis in panniculum congelari non potest, ita neque pituita sola aut melancholia, cum alba sint & fusca; & ideo zebel rubrum progignere nequeunt.
6 Fit igitur à solo sanguine vel à sanguine cum aliis
Signa. humoribus permisto. Signa per se manifesta sunt, cum visu pateant; apparet enim panniculus ex inflatione venarum rubeus, carnosus in coniunctiuæ superficie. Quod adsit caloris æstuatio, fit propter humidum retentum, quod non euoporatur, neque spiritus neque calor naturalis euentantur. Oculi præterea læduntur potissimum à luminе candelæ & solis & ignis, cum lumen & ignis dilatent & exagitent humores ac spiritus; vnde nocumentum. Visus debilitatur, & in totum aliquando auferetur ob panniculum cooperientem. Ob contactum cuiuslibet rei imprimentis seu ca-
7 lidæ seu frigidæ oculus offenditur, quia debilis est; & præter naturam venæ extensæ, & sic à
Signa differentiarum seu specierũ. leuissima causa, vt *vento, fumo, puluere*, oculus patitur. Signa distinguentia differentias & species ipsas: si à sanguine puro, color purpureus tum ruber adest: si cum bile permixtus, rubedo ad citrinitatem inclinat, dolor vehementior, lachrymæ plures & acriores: si cum pituita, color rubeus ad album vergit; ita cum melancholia, ad fuscedinem. Si in principio vel statu eadem signa cum ophthalmia, & si fluxio per pericranium descenderit, supercilia, frons magis intumescent, & dolor externus, venæ externæ magisque rubentes, tum facies ipsa, si per arterias, maior pulsatio in temporibus, si per meninges internas, dolor profundius hæret circa oculi radices, & sternutatio multiplicatur, vt de ophthalmia diximus *ex Rhase*.
8 Si materia paulatim congesta, ex multitudine
Signa prognostica. dierum habetur, per pruritus præcedentes, vapores, materias subtiles retentas: per fluxiones, si subito collapsa: Signa vero prognostica cum duplicia existunt, modo indicantia futurum pannum: ita magna ex parte præcedunt ophthalmia, variolæ, morbilli: oculi quoque debiles, calidi, eminentes cum habitudine sanguinea, leui de causa in sebel incidunt, maxime vero in locis calidioribus. Alia mera prognostica sunt: & sic sebel difficulter curatur. Per integrum fere annum hunc villicum curauimus, cum per totum
9 illud tempus nihil videret. Præterea hoc malum contagiosum est, & facile de vno oculo in alium transit, & vapor inde exiens inficit aërem, ac facile in recipiente communicatur, vt in ophthalmia euenit, vt intuitu aliorum quis afficiatur, si oculos debiles habeat & materiam paratam. Hinc & morbum hæreditarium quidam autumant, vt ophthalmiam, vlcera oculorum, rubedines, epiphoras: & ita videmus lippos lippientes progignere: nam ex morbo diuturno spiritus gignitiuus ex oculo decisus tempore generationis agit debiliter in imprimendo pro compositionē debita oculi: & si oculus faciliter aptus est pati proportionalem dispositionem (*vt quidam recte senserunt*) quæ fuit in generante. Malum quoque præsagium est in sebel, si oculus minoretur: id enim oculi debilitatem decernit, & quod virtus restaurатiua debilior euadat. Nouum vero ac tenue *cornea* facile remediis cedit; antiquum & crassum; nisi opere chirurgi. In curatione eadem victus ratio præscribatur, *vt de ophthalmia dictum est*. Aërem luminosum declinet, & alia omnia quæ materiam mobilem reddunt; cibum ac vinum subtrahendo, licet alij in leui sebel vinum admittunt, tamen qui facile euaporat, nonnisi in declinatione, ad materiæ resolutionem; dandum. Summatim, tenui vtatur victu, abstineat ab omnibus fumosis. Quod ad alia præsidia attinet, cephalica vena incidatur, si omnia respondeant: si vterque oculus affectus, ex duabus venis fiat, Gordonius venas frontis quoque incidit & in temporibus, vel sanguisugis vtitur, postremo alij vtrasque venas in angulis oculorum aperiunt; quamuis nunc hæc minus fiant. Cucurbitulæ cum scarificatione etiam adhibendæ, & corpus purgandum; deinde ad topica veniendum. Vide Tharantanum & Gordonium, ac Rondeletium, qui eodem modo hoc malum curat vt pterygion, post fomenta emollientia, adhibenda supra partem resiccantia exedentia, quorum copiam apud auctores iam dictos inuenies. Addam collyrium, quo quidam Graphiatius, (*præmissis particularibus euacuationibus & purgationibus*,) fuit curatus à panno seu sebel totam coniunctiuam cooperiente cum carnositate satis crassa, vt aspectu abominabile idem malum fuerit: ℞. *lapidis hæmatitid.* ʒ ij. *vitrioli albi, viridis æris vstorum ana* ʒ iij. *myrrhæ, crocі, ana* ʒ j. *piperis longi* ʒ ß. *sacchar. candi* ℥ ß. *puluerisentur subtilissimè vt alcohol, & cribrentur, ac pyxidi ad vsum reponantur.* de isto puluere ʒ j. accipiatur & dissoluatur *in* ℥ j. *vel* ij. *aquæ raphani*, & applicetur bis terue in die, prout æger tolerare possit, ad momentum vel tempus exiguum, quibus tandem curatus fuit. Quod si remediis istis non curatur, ad opus chirurgicum deueniendum est: *vti Paulus, Celsus & Aëtius libro septimo capite sexto docent.*

OBSERVATIO VII.

De puella pterygion in oculo vno habente.

PVella paupercula, cum oculum pterygio affectum haberet, consultandi causa ad me deflectebat. Præmissis vniuersalibus remediis, lisdem quoque fere præsidiis, quibus Nicolaus Haldem quoque fere præsidiis, quibus Nicolaus Haldzius curatus fuit, *de quo diximus libro sexto obseruat. de febribus contagiosis.* Inprimis aqua calida oculum fouebamus, deinde vero decocto ex hordeo, malu. althæa, chamæmelo, semine lini & fœnugræc. quoad oculus calefieret. Deinde abstergentia medicamenta admouebamus, & repurgantia, etiam & hoc collyrium, quod ab initio sæpe iuuisse accepimus: ℞. lactis muliebris, croci, fellis capræ ana partes æquales; fac aliquantulum ad ignem bullire in oui testa; guttas duas in oculum instillato, multis in quatuor diebus vnguem erosit & pannum abstulit, Præcepi quoque, *vt hoc aqua destillata oculum ablueret linteolo molliuri, vel guttulas aliquas instillaret*: Accipe *extra lupi piscis aqua vna cum felle, iecore & reliquis viscеribus, in minutas partes concidito, adiecto* m. j. *foliorum fœniculi, vel seminis*

eiusdem contusi; & in alembicum destilla, ac vsui reseruato. Visum acuit, & vnguem ab oculo remouet. Atque hac aqua Domina de Hoochstraten in pauperibus frequenter vsa est. Verum hoc collyrio, vti & reliquis, non sine ratione, vt mulierculæ faciunt, vtendum. Empir. cuspiam quidam ad pannos & pterygia consumenda hoc collyrio vtebatur ℞. *salis gemmæ* ʒ j. *aquæ ros. & fœniculi* ana ℥ j. *misce.*

SCHOLIA.

PTerygion Aëtio, tum Græcis; Latinis verò, vt *Celso lib. 7. capit. 7.* Vnguis dicitur; vulgaribus vero Vngula. Est que, eodem Celso auctore, *membranula neruosa, oriens ab angulo oculorum*: quæ nonnumquam ad pupillam quoque peruenit, eique officit, sæpius à narium, interdum etiam à temporum parte nascitur. *Membranula*, inquit Paulus, *oculis sese obiendens, ab angulo orta ad pupillam vsque peruenit, eamque, vbi fuerit adaucta, obtegit.* Augmentum capit, *iuxta Aëtium*, sæpe ab angulo magno appellato, iuxta nasum: rarius à paruo; & adhuc rarius à superna vel inferna: extenditur vsque ad nigrum ipsius oculi, & cum maior facta fuerit, etiam pupillam contegit, & visum impedit primaria ratione, *iuxta Galen. 1. De caus. symp.* Est que pterygion proprius & compositus oculi morbus, & primo veluti totius instrumenti, cum eodem tempore multæ partes ipsius in eo afficiantur, vt *libro De different. mor. liquet.*

Nam licet in agnata tunica primum oriri incipiat, corneam tamen attingit. Ita & Neoterici, vt *Gordonius*, coniunctiuæ tunicæ morbum dicunt: Tharantanus Corneæ: ita & sebel. & sicut increscens, pupillam obscurat visumque impedit, sic & pannus apud eosdem seu sebel. Sic quoque in pterygio plures partes læduntur: primo, *agnata tunica*; secundo, *cornea*; tertio, *pupilla*. Propterea ipsius oculi tamquam instrumenti, primo compositus morbus est pterygion, propter eam quam diximus rationem, & non ex accidenti pupillam obscurat, vt *eodem libro, De different. morbor. liquet*: in numero videlicet ac in excessu (*non tamen toto genere præter naturam*) vt est lapis in vesica & lumbrici. Licet signis non opus sit, quibus hoc vitium deprehendatur, cum ad sensum pateat: tamen cum Aëtio dicimus in hoc malo album in oculo amplius augescere, carnemue subcrescere. Fit autem ex scabra lippitudine, aut lentorum humorum. Recentem, *vt ait Celsus*, non difficile est discutere medicamentis, quibus cicatrices in oculis extenuantur: inueteratum vnguem, cui crassitudo accessit, difficile; cum & excidi debeat. Pterygia tenuia, alba, iuxta Paulum & Aëtium, facilius quoque curationem recipiunt. Magna inueterata non nisi manu, *resse Paulo*, curantur. Recentiores vero vngues, & magnitudine mediocries, præsidiis elidi possunt abstergentibus, qualia aspritudini idonea sunt, & albuginibus. Idem sentit & Aëtius. Quæ vero aucta sunt pterygia & ad nigrum se extendunt, manu curare oportet: quæ parua & in albo sunt, ea dictis præsidiis conabimur curare. Neque crassa, cuersa, eminentia, indurata facile curabimus, asserit enim talia maligna & cancerata esse.

De iis, quæ curari possunt, vniuersam victus rationem statim præcipiemus, quæ crassos ac leuitos humores extenuet & incidat, quæ petenda sunt ex *capit. De dolore capitis ex pituita & lethargo.* Inueteratos vngues curandos chirurgis expertis relinquemus: Recentiores vero vel mediocres abstergentibus curabimus, quæ & cicatrices in oculis extenuant, corpore prius à crassis lentisque humoribus repurgato, atque iisdem prius purgatis: deinde ad topica veniemus: quorum latissimum campum remediorum inuenies *apud Galen. 4. De compos. medic. secundum locos, & apud Aëtium & Paulum & Rondeletium, tum alios neotericos.* Sarracenus ocularius medicus, vt à Gisliberto Horstio præceptore nostro, nosocomij Mariæ consolationis Romæ medico, accepimus, æruginem æris cum lacte in collyrium redigebat, atq; eo lachrymas detergebat, & nubeculas ac maculas & pterygia discutiebat.

Nihil æque, eodem auctore, ad pannum quoque præstat quam liquor formicarum rubrarum in arboribus habitantium expressus per pannum, & oculo instillatus. Lapis pumicis tritus tenuissime, prius leuioribus tentatis remediis, absumit pterygiori; & ærugo vsta mitius erodit, quam non vsta. Quod si remediis non absumatur; ad chirurgiam recurrendum, cuius modum operandi inuenies non solum apud Paulum & Celsum, verum etiam apud Aëtium *lib. 7. cap. 6.* Rondeletius nouacula aut forcipe abscindi iubet: interea hæc curatio, iuxta Paulum & alios iam dictos, potius chirurgis peritis cōmittenda. Quamquam Rondeletius refert, se in muliere, quæ carbunculum passa erat, ʒ ij. carnis ab oculo detraxisse, abscissione per multas vices facta. Quidam vero pinguedine coturnicis destillata in radiis solis, maculas oculorum delebat. At in pueris, qui fortia remedia non ferunt, mel pelui illinitum ignitisque carbonibus suppositum, vt lente calescat donec mel viriditatem conceperit, abstergendum: quo liquore oculi inungendi sunt. In inueteratis vtimur *Sieff* viridi, aut de chalcantho.

OBSERVATIO VIII.

De Sugillatione & oculi macula.

THeodorus Mœderius nauta Alcmarianus, qui ex contusione cranij varia accidentia incurrebat, à quibus curatus fuit, *vt libr. 9. obseruat. 32. recensuimus.* Hic post oculi quoque inflammationem ac tumorem, cum postea oculum aperire posset, sugillatione conspecta lacte recenti calide ab vbere extracto & instillato per vnum aut alterum diem, vt ibidem dictum est: quæ cum non iuuarent, & sugillatio nigrior fieret, collyrium quoque ex ruta, chelidonia, fœniculo, verbena, cuphragia in oculum stillauimus: quibus, vti loco citato scripsimus, cessauit sugillatio; alioqui ad aquam raphani deuenissemus.

Verum alteri iuueni, qui ex ictu vehementiore sugillationem oculi incurrebat, post venæ sectionem & purgationem & cucurbitulas scapulis appositas (*alij quidam colli lateribus applicant*) ne plus sanguinis à vena rupta atque contusa effluueret, leuiter repellentia, vt albumen oui cum aqua ros. concussum, & lacte muliebri, appositi. Palpebra quoque exterius inuncta oleo ros. & myrteo, aliquando etiam puluerem myrtillorum vino inspargimus. At cum sanguis deinde omnino ad locum defluxisset, priusquam denigraretur, sanguinem calidum columbarum ab aliis destillantem instillauimus, ad maiorem discussionem. Nonnulli lac muliebre cum pauco thure infundunt, vel farinam fabarum cum hordeo cocto in oxymelite apponunt. At nobis satis fuit sanguis columbæ vel turturis, alioqui ad magis discutientia veniissemus, quæ ad inueteratas & denigra-

tas ſugillationes præſcribuntur, vt eſt aqua raphani & ſimilia.

SCHOLIA.

3 EX genere effuſionum, quas Græci ἐκχυμώσεις, ἢ ἐκχυμώματα vocant, eſt affectus is, qui ab eiſdem Græcis ὑπώπιον ſcilicet per ω in ſecunda ſyllaba & ι in penultima (nam ὑπωπιον per ο & υ in penultima, de quo poſtea, ocularis morbus eſt, cum pus fuſu cornea includitur) ἢ ὑποφθάλμιον dicitur; à Paulo & Aëtio ὑποφαγμα: Latini autem *oculorum Sugillationem*, recentiores vero *oculi maculam* appellant: Gordonius autem *maculam rubeam*; alij ſimpliciter, vt Tharantanus, *Maculam*; Auicenna, *Aliarfati*. Eſtque punctus ſiue macula ſanguinis recentis rubei vel antiqui mortui in coniunctiua modo rubei coloris, modo ſubrubei, modo nigri. Vnde & aliqui ſanguinem mortuum vocant.

Paul. lib. 3. cap. 22. Aët. lib. 7. cap. 20.

Nonnulli tamen, *vt Holerius*, volunt hypopion, quod eſt ſugillatum, ab hypoſphagmate differre: quia hoc in oculis, hypopion vero in genis & malis eſſe contendunt, licet remediis conueniant. Sugillationem nihil aliud dici aſſerit Aëtius, quam cum ex ictu ſeu plaga quadam, potiſſimum ruptis aut contuſis vaſis in oculorum tunicis, ſanguis ſub tunicam ſubierit; & ſtatim quidem cruentus oculus fuerit, poſtea vero liuidus. Affi-

4 *Vide Holerium in 5. librum Galen. de compoſ. medic. ſecundum locos.*

Quæ pars oculi in ea afficitur.

citur oculus & particulatim agnata tunica, ſeu cornea dicta, indifferenter. Si videndi functionem non impediat, poteſt eſſe ſymptoma eorum, quæ ad viſum pertinent. Si vero impediat per ſe primo, vtpote magna exiſtens, & ſub cornea potiſſimum, tunc non erit ſymptoma, ſed morbus in numero, ſeu quantitate. Si hoc malum ſymptoma ſit, ſiue morbus, ſtatim viſu comprehendi poterit oculi color ſtatim cruentus, progreſſu liueſcens, aut nigricans; putantque ægri rubra omnia, quæ aſpiciunt.

Quis affectus præter naturam.

Signa.

5 *Cauſæ.*

Cauſa immediata eſt vaſorum ruptio, aut contuſio: externa ex ictu vel plaga: interna, ex nimia vaſorum repletione, vel feruore exuperante.

Prognoſtica.

Externas, ex ægri ſermone facile percipies; internas ex te ipſo perpendes: iiſque perceptis, conſeſtim ad eius curationem properandum priuſquam denigreſcat: ſi in grumos ſanguis coierit, difficulter diſcutitur, & progreſſu temporis liueſcit oculus & denigratur; nam refrigeratus diu manet & multus in pus conuertitur, maxime ſub cornea. Venæ ſectione & purgatione, ſi opus eſt, vtendum erit; atque vt alij ictus curandi in principio. Quidam initio caſeo recenti vtuntur. Paulus & Aëtius ſanguinem palumbi, columbæ, turturis: Celſus vero hirundinis commendat. Tenellæ autem pennæ extrahuntur plenæ ſuo ſanguine, & molliter oculis ſanguis infunditur. Alij & ſucco fœnugræci poſt initia vtuntur, & ad fortiora digerentia deueniunt: de quibus videas Aëtium, & Paulum, & Galenum, loco citato. Inueteratis fortiora diſcutientia adhibent, vt raphanum, hyſſopum, & ſimilia, quæ à Galeno petenda: reliqua vide apud Holerium, Rondeletium & alios neotericos. In ſubnigris & inueteratis, nux rancida & iam oleoſa cum melle ſubigitur, & ſupine decumbente ægro, ne excidat, tribus horis adhibetur; quæ cum excidit, alia reponitur. Succus abſinthij cum melle mixtus liuorem oculi tollit: quo nos in pauperibus vtimur. Sed & maculam aufert aqua vitis, è ramo vere deſtillans.

Curatio.

OBSERVATIO IX.

De puſtulis, ſcabie, & oculorum prurigine.

CVm plurimi anno ſalutis ſexageſimo ſexto ſupra milleſimum quingenteſimum menſe Octobri, Delphis variis oculorum affectibus correntur, quidam ex catarrho in oculos defluente, in tunica adnata, vel in cornea, puſtulas exiguas incurrerunt: alij oculorum pruritum, aut ſcabiem paſſi ſunt. Puſtulas vero curauimus venæ ſectione præmiſſa, vel purgatione, vti nobis vtile videbatur. Deinde ob acrem fluxionem commode collyrio albo vtebamur cum lacte, aliquando cum aqua roſarum, plantag. vel ſolatri: ſubinde cum muccagine cotoneorum, pſyllij, cum decocto ſumach vel aqua roſarum ſolutis. Quod ſi rumperentur, vtebar muccagine fœnugræci, & veſtigia remouebam cum pul. margarit. Si ingens calor eſſet, vtebar collyrio ex ceruſa lota, & albumine ouorum ſubinde. Quibus autem pruritus oculorum contingebat, in coniunctiua ex humoribus acutis, ſalſis, viſcoſis, corpore prius ab humoribus iiſdem repurgato oculos fouebam cum aqua calida frequenter & cum decocto maluæ, viol. & acetoſæ, modo cum aqua chelidoniæ, verbenæ & fœniculi, & in principio aliquando etiam ſola aqua roſarum tepida. Quibus ſi pruritus aut ſcabies non recederet, temperabam aloëm per noctem in vino, & poſt colaturam guttam vnam aut alteram inſtillabam, & etiam palpebras liniebam, ſi ſcabioſæ & pruriginoſæ eſſent.

SCHOLIA.

PVſtulæ hæ paruæ ſub nomine Bothor ab Auicenna, à Tharantano ſub quarta paſſione coniunctiuæ referuntur; & ſub noua à Gordonio, quas & appellat apoſtemata parua ad modum milij, modo maiora, modo alba, modo rubra, quæ etiam, iuxta Auicennam, in cornea tunica fiunt: & tunc eſt color albus; aliquando in coniunctiua & tunc eſt color albus; aliquando in oculis, pauca; & tunc eſt rubens. Fiunt itaque in oculis, potiſſimum circa corniformem tunicam, quamuis & in eorum albo, & in palpebris interim fieri poſſint, Aëtio teſte: & procul dubio hæ vocantur à Græcis φλύκταιναι à Latinis, vtpote à Celſo, Puſtulæ; à Barbaris quoque Veſicæ nuncupantur. Vnde & Rondeletius, *Phlyctænæ propriæ*, inquit, *ſunt veſicæ paruæ aqua plenæ, quæ fiunt in omnibus partibus à ſeroſo humore, ſuntque ſimiles bullis aquæ feruentis, ſuntque in oculo ſupra corneam, quæ ex multis membranis compoſita eſt, & humor tenuis aquoſuſque abſcedere facit, & tumorem præter naturam gignit. Suntque excreſcentiæ quædam corniformis membranæ, ortæ ex humore quodam ſubexcoriante ipſius campaginem: vel à ſanguine ob plenitudinem, aut acribus ſuccis*, vt idem aſſerit Aëtius. In hoc affectu afficitur oculus vel tunica adnata, ſecundum quoſdam neotericos, & ſecundum Græcos corniformis tunica. Eſtque morbus in quantitate ſeu magnitudine præſertim: quamquam & in intemperie & in ſoluta continuitate ſimul morbus dici poſſit, cum ſit de numero tumorum præter naturam. At cum corniformis tunica quatuor habeat membranas denſiſſimas ac fortiſſimas; modo ſub prima, & in ſuperficie fieri poſſunt, & tunc colorem nigriorem præ ſe ferunt: modo ſub ſecunda aut tertia, & tunc albiore colore exiſtunt: nam licet, eodem Aëtio teſte, iam dictarum puſtularum color naturalis niger ſit, in profundo corniformis tunicæ cum fiunt, occultatur, eo quod tunica conformis alba eſt, & cornibus ſimillima. In quantum igitur, *vt idem Aëtius aſſerit*, in profundo corniformis tunicæ puſtula occultatur, in tantum colorem aſſimulat, & maiorem dolorem inducit, & moleſtior eſt. Ex iis ergo diſtinguendæ ſunt puſtulæ, quæ in ſuperficie, ab iis, quæ in profundo fiunt. Alij, qui Auicennam ſequuntur, dicunt eſſe coloris albi, ſi in cornea; rubei vero, ſi in adnata tunica ſeu coniunctiua. Sed vtrum à ſanguine ob plenitudinem vel ex acribus humoribus haud difficile cognoſcemus, ex doloris qualitate, magnitudine, ipſarumque puſtularum colore, ægri temperamento, habitu, ætate, ac eiuſdem anteacta vita, anni tempore, regione, aëris conſtitutione, ac reliquis optime animaduerſis. Superficiaria curatu facilis: profunda, difficilis, & ſi tunica ipſa vlcerata ſit. Si in profundo orta, periculum eſt ne reliquum corniformis tenue exiſtens rumpatur, & vniformis procidat, ac effluant oculi humores; præſertim ſi iuxta pupillam ruptio fiat, vt Aëtius refert: aliudque graue conſequitur: nam inducta etiam talibus vlceribus cicatrice, homo non videbit propter inductas cicatrices.

Pſeudo.

Cæterum in iſtis puſtulis curandis, multiloquium, ſternutationes, iram, ſpiritus detentionem, ſplendorem nimium cauebimus, & inhibebimus deambulationes, & alios motus ab initio. Aſſument ægri cibos molles, concoctuque faciles, & vino abſtinebunt toto curationis tempore, ex Aëtij decreto. Si à plenitudine ſint, & cum rubore oculorum, vena ſecanda humeralis, aluuſque acri clyſtere excitetur: quibus adiicienda diuerſentia, frictiones infernarum partium & vincula, cucurbitulæ cum ſcarificatione. Si humores acres puſtulas progignant, purgatione vtendum, eis primum domitis ac præparatis: at quæ non vehementer purgant, iuxta Aëtium, non danda: quæque ſtomacho infeſta ſunt.

Conueniunt igitur manna, pulpa caſſiæ, cum thamarindorum decocto: commendantur & à quibuſdam ſyrup. & medicamenta quæ ichores & tenues humores, à quibus fiunt, euacuant, *De quibus videas Rondeletium.* Deinde ad topica deueniendum. Aëtius adhibet leuiter diſcutientia cum leuiter adſtringentibus, cum adhuc recentes & inflammatæ ſunt, deligationes fortes vitando: cataplaſmata leuia lata imponenda ſupercilio & toti oculo, vt & mala atque tempora comprehendant: ſinenda que quamdiu fuerint madida; ſiccata tollenda, & alia imponenda. Commendat Aëtius ouorum albuginem ac luteum tritum cum pauco croco moderateque paſſo & pane, additque opij valde exiguum, ſi dolor vrgeat. At cum phlyctænæ fiant cum quodam affluxu, alij mucci-

7 laginem pſyllij vel cydoniorum extractam cum aqua roſ. vel myrti, inſtillant. Alij poma cocta diligentiſſime contrita, aut mala cotonea parum vnguento roſ. admiſcentes, palpebris admouent. Si repellentibus non cedat, digerentia magis adhibenda, vt fœnugræci muccilago; fomentiſque vtendum quæ magis diſcutiunt, & florum chamæmeli, fœnugræci, ſeminis lini decocto & procedendum ad medicamẽta quæ ex thure, myrrha, & croco parantur. *de quibus vide Aëtium.* Si ob multitudinem rumpantur, aut ob acrimoniam puſtulæ erodantur, aut vlceretur corniformis tunica, earum curatio petenda *cap. De oculorum vlceribus*; de quo poſtea. Quod ad pruritum oculorum attinet & ſcabiem, fiunt aliquando in coniunctiua tunica ob humores acres ſalſos, pungentes, mordicantes, ita & ſcabies etiam in ipſis palpebris inhibendi ægri ne ſcalpant oculum pruriginoſum, vitentque victum, qui humorem acrem, bilioſum ſalſum gignant: qui humores quoque ſimiliter purgentur; adhibeatur venæ ſectio, vel cucurbitulæ cum ſcarificatione adminiſtrentur, bilis expurgetur.

Valent autem, quæ leuiter repercutiant & alterent, vt aqua roſ. cum oui albumine, & pro pruritu fœliciter ſæpe vtor aqua roſ. mixta cum aloë vel vino, & aliquando vino per ſe. Vel vitriolo cum aqua roſ. vel aqua pura collyrij inſtar. Vel aqua decoctionis ſumach ſola. Vel hoc quod ad pruritum, lippitudines ſiccas commendatur, & effluuia lachrymarum, pruritum & rubedinem inferentium: ℞. *aloës lotæ cum aqua roſ. vel plantaginis, collyrij albi Rhaſ. ana* ʒ j. *camphoræ lotæ* ℈ ß. *miſce cum aqua roſ. inſtar collyrij, vel* ℞. *aloës ſuccotrinæ ſubtiliſſime pul.* ʒ i ß. *vitrioli Romani* ℈ ij. *ponantur in nodulo, & ſuſpendantur in* ℥ iij. *vini Rhenenſis veteris*: quo oculi abluantur, vel inſtilletur: aqua decoctionis ſumach ſola tollit pruritum, ſi oculi ea lauentur: aloë ſoluatur cum ſucco fœniculi, & palpebræ inungantur: aqua ex ſtipitibus vitis dum comburitur egrediens, oculo inſtillata confert pruritui & ardori oculorum. Scabiem vero adeſſe dicimus, *ex Aëtio*, oculorum, quando oculi vlceroſi rubei & valde prurientes fiunt genæq; rubeſcunt, lachrymaque ſalſa & nitroſa deſtillat. Curationẽ huius habes ſub vno capite etiã. De duritie & ariditate oculorum apud eundem, *lib. 7. cap. 76.* *L. 7. c. 98. & 76.*

Cæterum filia Nicolai Halzij, annos tres nata 9 (cum hæc ſcriberem) ex lachrymarum acrium fluxu incidit in rubedinem vnius oculi, quam & phlyctænæ in tunica adnata mox ſequebantur: quæ tamen fotu decoct. foliorum maluæ, & collyrio albo Rhaſ. cum aqua roſ. ſoluto, in oculum inſtillato, curatæ fuere. Idem euenit Heylæ filiæ fratris mei Nannij Foreſti annos nouem natæ: aqua albuminis oui inſtillata, aluo prius ſubducta cum ſyr. ex infuſ. roſ. pallidarum, deinde collyrio albo Rhaſ. ſine opio cum aqua roſ. ſoluto ac inſtillato, breui admodum ſanitatem adepta eſt.

OBSERVATIO X.

De inflatione & de tumore coniunctiuæ atque duritie.

PVer cum ex veſpæ morſu oculi inflationem incurreret; micam panis infuſam cum lacte apoſuimus, & egregie profuit: & puer ab inflatione & leui inflammatione liberatus fuit. Commendatur etiam cucurbita in partes diuiſa & appoſita, præcipue ſi inflammatio adfuerit. Verum alteri, qui ætate prouectior erat, & tunicam adnatam tumidam habebat, non ſine leui quadam duritie, abſque tamen abſceſſu aut inflammatione, commode pilulas ex hiera cum agarico dedimus: mox fotu vſi ſumus, aqua calida decoctionis florum chamomillæ, meliloti, abſinthij & aniſi, maluæ, biſmaluæ, exterius oculo appoſito emplaſtro ex vitellis ouorum duris, mixtis cum oleo roſaceo: quibus præſidiis & hic optime ſe habuit.

SCHOLIA.

IN tunica agnata ſeu coniunctiua, vt etiam Gordonius & Valeſcus annotarunt, aliquando euenit tumor ex aquoſitate, ventoſitate, phlegmate aquoſo, & melancholia. Ex Aëtio quoque intelligimus, oculum tumere, quando gena exterius attollitur decoloratior, grauior, ad motum

Lib. 7. c. 13. de oculorum tumore, quod vocãt ædema.

tum contumacior, pallidiorque reddita, interdum & candidum genæ supereminet nigri quantitatem. Nonnunquam etiam tumor laxus extra genam contingit, qui digito pressus, pari velocitate meat. Estque plerumque indolens ac natiuo concolor, fere à deflexu aqueo fieri solitus. Quicumque vero tumores circa genas absque oculorum consensu fiunt, præinanita per clysterem aluo, solis linimentis curandi sunt; quæ adhibitis primo spongiæ fomentis apponi debent. Ad laxum autem & concolorem tumorem præcuacuata similiter aluo, post fomentationem mel interiori genæ illinitur, & reliqua adhibentur ab ipso Aëtio descripta. Aliter tamen œdema oculi apud ipsum curatur, si ad scirrhi formam accedat. Et licet ex morsu apum vel vesparum fiat inflatio oculorum; eodem Aëtio teste, ex Demosthene inflati dicuntur oculi, quando absque manifesta causa intumescunt, decoloratioresque ac magis pituitosi prurientesque cùm fluore efficiuntur. Quod quidem senibus maxime euenire scribit, inchoante pruritu ad angulum nasi tanquam muscæ vel culicis morsu, in æstate præcipue redundans. Curatur fomento spongiæ, & interiori genæ illito melle, etiam extrinsecus, aluo proritata, & capite calida temperate perfuso, post balneum vino calefacto epoto. Si adsit vehemens pruritus, venam secat cubiti, & præmollita aluo corpus purgat, & aqua marina in hyeme oculum recte colluit. At Neoterici, vt *Tharantanus*, si vna cum inflatione aut tumore adsit ophthalmia oculorum, & rubedo; recurrunt ad caput De ophthalmia. Singulare autem remedium est & à multis repertum ad oculos inflammatos vel lachrymantes & lippientes, lapis calaminaris in pollinem redactus, & albumine duriter cocto, exiguo huius puluueris immixto, deinde huius humoris expressa gutta vna atque altera, oculo instillata. Si solummodo ob humores & humiditates sine apostemate, quod equidem cognoscitur ex profusione lachrymarum, neque tantus sit dolor aut rubedo excedens. Si est ob ventositatem, adest dolor extendens, & tunc tenui vtantur diæta, caput purgetur pilulis aureis vel cochiis, hiera picra. Si adsit repletio, venæ sectio adhibeatur, & balneum intret, & oculorum fiat fotus cum decoct. chamomil. fœnicul. absinthij, anethi, & similibus. Si adsit caliditas ab iniitio, iniiciatur collyrium album: sin minus, vtatur alio collyrio apud Tharantanum descripto. At durities etiam contingit in tunica adnata, ita, vt oculus neque recte possit claudi aut aperiri, sitque ex crassiore humore, siue acrimonia & caliditate, & sine apostemate replente coniunctiuam, ita vt oculus lateraliter nec sursum moueri possit, nec palpebræ commode possint claudi, cum humiditas quædam in iisdem includatur, vnde actio motiua & visua læditur. Auctores, si opus est, adhibent venæ sectionem cephalicæ, & purgant crassos humores hiera picra, agarico, & similibus, & corpore repurgato vtuntur emollientibus & dissoluentibus, etiam euaporantibus ex decoct. malu, melil. flor. chamomill. in oculos receptis, & iisdem fotis. Si adest caliditas, fouent collyrio albo soluto cum lacte muliebri puellam lactante, quod in principio instillant. Aëtius ex Demosthene, quando genæ & oculi ipsi ita indurantur, vt non nisi cum difficultate moueri possint, dolentes rubentesque, sed potissimum post somnum vix aperiuntur palpebræ, neque humor vllus destillat, ac sordes quæ in angulis oculorum consistunt, paruæ auersæque sunt, & subaridæ; & si genas ab eis extricare quærimus, haud facile ob duritiem extricamus. Ita & ariditatem idem oculorum vocat, vbi oculi subaridi & prurientes fiant, genæque rubescant & leuiter doleant absque genarum duritie. Istis duabus prædictis affectionibus, vti & scabiei oculorum diligens cura adhibenda est: neglectæ enim eodem auctore suffusiones, albugines, lippitudines diuturnas: vlcera & staphylomata inferunt: quibus autem istæ affectiones curentur, sub vno capite idem docet; quem ad longum videre poteritis.

Tumor.

Vide eundē libro eodem cap. 14.

Lib. 7. c. 2. de oculorum inflatione ex Demosthene.

Duritiei.

Lib. 7 c. 73. de duritie oculorum ex Demosthene.

OBSERVATIO XI.

De lachrymis ex vno oculo vltro effluentibus.

PVellæ nouem annorum, alioqui pulchræ satis, cuiusdam Typographi Delphensis filiæ, ex vno oculo lachrymæ vltro effluebant, quæ frigidæ erant, neque oculum corrodebant. Erat autem puella pituitosa & catarrho obnoxia. Præscripsi autem ea, cum parentes consultandi causa me accessissent quæ destillationem seu catarrhum auferunt & curant, cum lachrymæ ex cerebro humidiore originem habere viderentur: post *pilulas ex hiera simplici* sumptas pro minoratione materiæ aquosæ, *decoctum* sumpsit *herbarum betonicæ, fœniculi, stœchados, euphragiæ, adiecto syrup. è stœcade, melle rosaceo, & de betonica*, per quatuor dies. Deinde purgata pilulis infrascriptis: ℞. *pilul. masticinar. ex myrobalanis* (ob astrictionem, quam habent, fluxum impediunt) *ana* ℈ j. *pilul. lucis*, ℈ ß. *cum aqua euphragiæ, fiant pilulæ* v. *die sequenti dedi* ℈ i ß. *theriacæ optimæ cum* ʒ j. *conseruæ florum betonicæ.* Sed & hunc puluerem capiti inspergere iussi: ℞. *caryophyllorum, maceris, masticis, florum rosarum rubearum, betonicæ exsiccatæ, ana* ʒ ß. *coriandri præparati, corticis citri sicci, cyperi an.* ℈ j. *misce.* Postremo, vt sequenti collyrio vteretur, mandaui: ℞. *aloës, nucis cupressi thuris, masticis, ana* ʒ ß. *tutiæ præparatæ, sarcocollæ nutritæ ana* ℈ j. *myrrhæ* ℈ ß. *cum succo fœniculi, fiant trochisci, & vnus temporis vsu cum aqua fœniculi soluatur, & fiat collyrium, quod oculo fluenti mane & vesperi instilletur.* Victu extenuante & exsiccante commode vtebatur. Et cum ætas paulatim accresceret, etiam hoc collyrio vsi sumus magis fortiori; adultis quoque conueniens, in quibus malum perseueret: ℞. *aloës, nucis cupressi thuris, masticis, myrrhæ ana* ʒ ij. *tutiæ præparatæ, sarcocollæ nutritæ ana* ʒ i ß. *sanguinis draconis, berberis, sumach. rosar. ana* ℈ j. *pulueriseentur tenuissime, & excipiantur aquæ fœniculi, fiatque collyrium.* Cum menses aperti essent, & hæc præsidia continuaret, ab hoc malo liberata est, quæ postea marito copulata & cum proles peperisset, sana degebat.

Cap. 11.

Cauſa ex. latior.

SCHOLIA.

LAchrymas inuoluntarias neoterici referunt ad effectus tunicæ adnatæ seu coniunctiuæ, *Lachrymatio.* quamquam idem ad angulum oculi quandoque pertineat. Hunc autem affectum refert Arculanus ad morbum in via, cum visum impediat, prohibendo debitam delationem specierum visibilium per corneam. Verum si recte rem inspiciamus, erit potius symptoma immodice excretorij, quod frequentissime oculos infestat: atque hic affectus Græcis epiphora dicitur, seu defluxionis species vel tenuis humoris impetus, lachrymarum specie in oculos factus. Is autem humor, alias frigidus ac plane aquosus sine dolore, sine ardore aut rubore molestus:

Epiphora.

Lib. 6. de curatione morborum.

Lib. 3. de diuinatione per somnia.

Lachrymatio.

Lachrymæ.

Lachrymæ.

molestus: alias acer est aut salsus, qui & dolore aut acrimonia, & ardore molestus est; vnde & palpebrarum sequitur exulceratio.

4 Epiphoram vero nonnunquam molestia sola insequitur, aliquando dolor, morsus, pruritus subinde & hallucinatio, præcipue cum ex internis oculi partibus prouenit: aliquando & asperæ palpebræ his fiunt cum erodent: aliquando callosæ, duræ atque inuersæ: cum à materia crassa sunt repletæ, & velut scirrho laborant. Fit & nonnumquam vlcus in aliqua oculi parte, & malum sibi creat & auget. Nam exeditur aliquando caruncula, quæ in lachrymalibus est; vnde maior fit lachrymarum, & conferta magis fluxio, quod ea caruncula glandulosa, velut operculum quoddam sit; ac aquosam, quæ à venis capitis, fluxionem velut regurgitare faciat in proximas nares, per communem meatum. Et quidem aliquando videntur hic qui fistulis lachrymalium laborant, si arcte eas comprimât, saniem per nares excernere.

5 Fluxionis huius origo fere (*teste Fernelio*) è syncipite & è summo vertice ducitur, in quo humor extra caluam, & subter cutem congeri solet, qui per pericranium in adhærentem membranam destillat, ac demum foras per oculos exsidit; quemadmodum & ex ea sede destillationes alias in dentes, alias in maxillas procumbere proditum iam est. Quocirca huius eædem atque destillationi causæ statuendæ sunt. At Paulus vult eas quoque oriri ex partibus internis, hoc est, ex cerebri sede. At lachrymarum materia est ipsa humiditas aquea, quæ in cerebro secundum alios continetur, tenuis & splendida, quæ citra admixtionem ærис, vel refrigerationem per oculos guttatim redditur: ob id à saliua differt, quæ spumea est ob ærис admistionem; à muco vero, spissitudine ob refrigerationem incrassato: non differt ab aqua, quæ in coryza redditur, nisi quod aliquantulum acris est aqua coryzæ ob intemperatum calidum.

6 Lachrymæ tamen aliquando calidæ sunt, vt paulo ante diximus, & exulcerant, modo etiam ob canthorum oculi apertionem, vt in his, qui carnem canthi maioris absumptam habent, quæ claudit & replet, magnumque influxum prohibet, non aliter quàm pannus, spongia aut bombax obstruens foramen aliquod. Causæ lachrymarum duplices sunt: externæ, facultate expultrice irritata, vt ex fumo acri & odore acri, videlicet cæparum, alliorum; quæque debilitant, rarefaciunt angulos musculorum dilatatis poris; & quæ rarefaciunt; etiam irritando expultricem, ob cerebri compressionem: sic caliditas solis, ignis, balnei, aër crassus, vaporosus, dilatatis poris vel humectatis, tum ex parte cibi humidi, tum potus fomentum lachrymarum dant, vti frigiditas exprimens cerebrum & constringens; idque ex mœrore, tristitia, & melancholia.

7 Ita vxorem noui cuiusdam Pietcellij dicti, quæ ob obitum parentis tantas effudit lachrymas, vt ex inflammatione & vlceratione, oculo vno fuerit orbata: ita quoque fit profusio lachrymarum in profundo risu. Apoplectici leui de causa plorant, ob cerebrum humidum, vti arbitor, *vt alias diximus* cum de apoplexia loqueremur. Mulieres, senes atque pueri ad lachrymas sunt procliniores, ob copiam humoris aquosi contenti in cerebro. Qui plurimos serosos humores in cerebro habent, ij lachrymantur inuoluntarie, vt vulgus medicorum loquitur: nullæ tamen sunt voluntariæ lachrymæ, quamuis nos dicere possimus inuoluntarias, quod nulla tristitiæ occasione fluant. Hippocrates *malum esse signum* ait *lachrymas ægrorum voluntarias*. id enim arguit summam facultatem contentricis cerebri, imbecillitatem, & humoris aquei copiam.

8 Sed quæ ob timorem vel cogitationem mortis fluunt, aliquid boni portendunt, nec illos morituros dicimus; quod & notum est mulieribus. Qui enim ob mortis timorem lachrymantur, indicant se sana mente & animo bene constare. Et ita fiunt ex casu, percussione, frigore, calore, & ex medici imperitia, cum nimis acria præsidia apponit, vnde ex tristi & doloroso sensu vis expultrix stimulatur, & lachrymæ profusius exeunt. Internæ causæ à cerebro fiunt per venas interiores & sic etiam fluidi dicuntur oculi apud Aëtium, quando ex vlcere, aut pterygij encanthidisve ablatione angulus totus ablatus sit, ne influens lachryma amplius detineri possit, sed ad malas delabatur, quod interdum etiam ob ægilopas male curatos contingit.

Internæ Lib. 7. c. 87. de fluoribus oculi.

9 Fluidi etiam vocantur, qui assiduarum destillationum ratione iugiter lachrymant. Signis præsentibus non opus est, cum ea visui pateant; sed videndum num interna vasa hoc committant, *ex Paulo*: tunc dolores aliquando intimos sentiri necesse est, & acres sternutationes nonnunquam molestè eliduntur, humorem sub calua teneri censendum est. Fluxiones vero extra caluariam, vasa in fronte & temporibus distenta, & caput veluti reuinctum, tum quod ex agglutinamentis sicca præsidio sunt, & ab applicitis medicamentis facilius curantur. Estque & affectus distinctio, humoris ratione qui effluit: qui aliquando mitior est, & sanguinis & pituitæ naturam obtinens, aliquando acrior. Hæc facile distinguunt per ægri sensum: qui hinc calorem, mordacitatem, acutos sæpe dolores sentit: illinc quod effluit facile crassescit, atque eorum est expers. Sæpe vero & hæc mixta reperies, vt in ea lachryma, quæ salsuginem præ se fert, & pruritum excitat.

Signa.

Lib. 3. c. 22. Paulo.

10 Calidæ palpebram adurunt & pilos cadere faciunt, oculi sentiuntur calidi. Si frigidæ, & calor non sentitur. Causæ procatarcticæ ex relatu ægri habentur. Quod ad prognostica attinet, ab externis ortæ causis lachrymæ facilius curantur, nisi vehementem noxam oculis impresserint. Sed per abscissionem caruncula factæ vel corrosionem à medicamentis, si tota vel maior pars remota fuerit, non curantur. Ex superflua humiditate vsque ad ætatem iuuenilem corrigi possunt: sed antiquæ & in senibus difficile curationem recipiunt etiã natiuæ, cum & diuturniores frequenter fistulam lachrymalem inducunt. Quod alias ægritudines sequuntur, curari poterunt, si eædem ægritudines tolli possunt; alioqui non curantur, si eæ quoque lethales sint.

Prognostica.

11 Temporaneæ & ex causis primitiuis facilius curantur: at ab internis per venas interiores, difficilius. *Galenus* 13. *method.* multo deteriores eas lachrymas dixit, quæ ex cerebro prodeunt male affecto, eo quod & ægrius curentur. Quod ad generalem curationem attinet; omnium primo fluxionis causam abscindemus, siue in cerebro sit, & materiam ad oculos debiles transmittat, vel oculi affecti facile fluxionem recipiant: siue quod cerebrum ipsum laborat, & ob imbecillitatem à reliquo corpore suscipit: siue in se ipso generat, ob vitiosam alimenti transmutationem: siue quod totum cerebrum non suscipiat, sed vasa solum circa caput, vt temporum & retro aures. Præcipue vero per arterias solet calidus & vaporosus sanguis ferri, & inde in oculos fluere. Cum igitur duæ

Curatio.

cauſæ adſint,& imbecillitas partis (*vt recte de Epiphoris dixit Iacchinus*) & multitudo excrementorum in cerebro, vel ſaltem in toto corpore, non vnus modus curationis erit. Si à toto corpus purgabimus, & caput roborabimus, humore expulſo qui huius mali cauſa ſit. Et ſi in capite lachrymarum materia gignatur, primum ipſam genitam ferre conuenit, mox prohibere ne gignatur: demum oculos roborabimus, ne recipiat prompte. Per quas vias ſit euacuãdum & deriuandum, iam ſæpius dictum eſt, & quomodo intemperiem capitis corrigemus, plenitudine prius ablata per venæ ſectionem, & humoribus adæquatis & repurgatis, demum ad oculi curationem veniemus. Sed hæc exemplis clariora euadent.

OBSERVATIO XII.

De rubedine oculorum, cum lachrymis calidis perpetuo ex oculis profluentibus.

INter frequenter oculorum fluxiones, acres vero lachrymas admodum irritant, quæ frequenter rubedinem quoque inducunt, atque palpebras ipſas rodunt: vti euenit cuidam honeſtæ matronæ, cui cum in vniuerſo corpore plenitudo adeſſet, conſului, vt prius vena externa cubiti dextri inciſa, (*cum oculus dexter afficeretur*,) hunc ſyrupum ſequentem ebiberet, ad acres humores contemperandos: ℞. *ſyrup. end. nymphæ, viol. ana* ℥ i ß. *aquar. cychorij, acetoſæ, euphragiæ an.* ℥ iij. *miſc. & per triduum manè bibatur.* Poſteà vt hoc modo purgaretur mandaui: ℞. *ſyr. roſ. laxat.* ℥ j. *electr. de ſucco roſ.* ʒ ij. *caſſiæ recens extractæ* ℥ ß. *pulpæ thamarind.* ʒ ij. *diſſolue cum aqua euphragiæ, cichorij, fumariæ ana* ℥ j. *miſce, & fiat potio purgans, ſumenda in aurora.* Cucurbitulas quoque ſcapulis appoſuit, ſanguine vtcumque extracto. Poſtea adhuc ſemel illam purgaui cum pilulis ſequentibus: ℞. *pilul. ex quinque generibus, myrob. pilul. aggregat. ſine quibus ana* ℈ j. *cum aqua end. fiant pilulæ* v. *dentur poſt mediam noctem.* Corpore repurgato, collyrio ſequenti vtebatur: ℞. *trochiſc. alborum Rhaſ. ſine opio* ʒ j. *aquæ roſ. vel aquæ cuſſidium roſ. (ſi adſit) quart.* j. *aquæ fœniculi* ℥ ij. (additur aqua fœniculi, ne ob refrigerationem obtundatur acumen viſus, incraſſata cornea, & ſpiritibus repulſis: id etiam Rondeletius ſuadet) miſce, fiat collyrium. Si illud collyrium non iuuaret, conſului vt ſequenti vteretur: ℞. *ceruſæ abluta, ſarcocollæ nutritæ, licij; acaciæ, olibani an.* ʒ j. *oſſium myrobalan. aduſtorum, coralli albi rubri ana* ʒ ß. *margaritarum* ℈ ß. *ſuccimali punici, ad dimidij abſumptionem cocti, q. ſ. fiat collyrium.* Solus etiam malorum punicorum ſuccus coctus, donec dimidium abſumatur, lachrymas calidas curat.

SCHOLIA.

3 *Fluxus per internas venas quomodo curetur.*

LAchrymæ ſi à cauſis externis & primitiuis vel ab animi accidentibus contingant, harum curationem medici flocci faciunt, cum cauſis ipſis remotis facile curentur. Quæ vero à cauſis internis fiant, & potiſſimum per interiores venas fluãt in oculum, difficilius, vt dictum eſt, curantur. interea oportet tum inedia, tum frequente purgatione humores exſiccare & concoquere, coctoſque pilulis aptis euacuare & eradicare; & cerebrum roborandum, *vt dictum eſt*, atque exſiccandum internis & externis. In hac ſpecie commendantur cauteria retro aures, & diſſectio arteriarum, ſed magis in diuturnis affectionibus *iuxta Paulum & Gal.* quamquam nemo hactenus, quod ſciam, ſit auſus. Primũm quod nẽc hoc, vt neque cætera generoſa remedia, adhibemus: deinde quod miniſtris egregiis caremus. Rondeletius in hoc caſu potius laudat cauterium ſupra commiſſuram. Galenus vero Romanam mulierem curauit *libro quinto, capite decimotertio.* calidis per tapſiam capiti impoſitis.

4 *Hippocr.*

Sic vetulą quædam in Italia, vxor cuiuſdam ſerpentarij, cum oculos haberet lippientes, lachrymantes & ſanioſos cum intenſo dolore & prurigine, cum nullis remediis poſſet curari, tandem raſo capiti emplaſtrum impoſitum eſt, quod conſtabat ex puluere cantharidum & fermento ac melle, excitatiſque veſicis ac ruptis butyro impoſito, ac demum caulis folio: quo præſidio perfecte curata fuit, vt ex arcanis Gisberti Horſtij, præceptoris mei Romæ exaraui, medici expertiſſimi Noſocomij Matiæ conſolationis apud Romanos. Si per venas extra caluariam deſcendat fluxio in oculos, poſt vniuerſalia remedia cauterium aliqui in temporibus vel poſt aures applicant, remedia reſtringentia & emplaſtra adſtringentia ſupra tempora & frontem apponunt, prius tamen corpore & capite repurgatis, quorum copiam vide apud auctores & Rondeletium.

Deinde ad collyria veniunt, de quibus vide Aëtium *libro ſeptimo, capite* 87. & quæ Paulus *libro tertio, cap.* 22. ad Epiphoras valere ſcripſit. Ego ſequenti commode vtor: ℞. *tutiæ præparatæ* ℈ j. *ſarcocollæ nutritæ* ʒ ß. *thuris, maſticis, ſpicæ, ana* ℈ ß. *fiant trochiſc. cum oui albumine vel ſucco cydon. cum* vſus poſtulat, diſſoluatur cum aqua fœniculi, euphragiæ vel aqua peculi roſ. prout cauſa exigit. Si plura deſideras, conſule præceptorem meum Benedictum Fauentinum *in ſua Praxi magna tomo* 1. *ſect.* 2. *capit.* 8. *De oculorum lachrymis.* Sic Margareta Theodori filia Verhochij cereuiſiarij Delphenſis, cum poſt morbillos oculos lachrymantes retinuiſſet rubros atque inflammatos, hoc ſequenti collyrio curata fuit: ℞. *ſumach. parum trito* ℈ j. *macereturaliquamdiu in aquæ plantaginis calidæ* ℥ j. *fortiter deinde exprimatur, addendo aquæ roſ. euphragiæ, aquæ albuminis, ouidiu concuſſi ana* ℥ ß. *ſacchari candi ſubtiliſſime triti & cum exiguo aquæ irrorati* ℈ j. *fiat collyrium.*

Habes quoque experimenta egregia de oculis lachrymantibus apud Bayrum *libro tertio, capite decimoſexto.* Veſicatoria in collo egregie profunt poſt vniuerſalia remedia adhibita, vti euenit Domino de Sprang, cum longo tempore oculorum dolore detineretur, etiam ophthalmia cum rubedine quadam & lachrymis, nec vlla remedia iuuarent, tandem veſicatorium ex fermento & cantharidibus collo impoſitum eſt, veſica acu pertuſa multum aquæ flauæ reddidit, & vi magna tenebat veſicatorium apertum, materia aquoſa crocea multum effluente. Veſicatorio rurſus ſubinde reiterato, ab hoc malo liberatus eſt, palpebris tamen prius quoque inunctis ſingulis diebus vnguento roſaceo, quæ rubedinem & aſperitatem ſimul contraxerant: neque vmquam amplius huic malo obnoxius fuit.

OBSERVATIO XIII.

De ſanguine per tres fere ſeptimanas ex oculis lachrymarum inſtar, copioſe emanante & profluente.

LAchrymas vero ab oculis profluere, nihil nouum eſt; at guttas ſanguineas reddere, rariſſimum: id tamen vidimus anno 1581. 23. Aprilis die, in vetula quadam annos 80. nata, quæ in parte orientali Delphis decumbebat, in domo cui flos calendulæ pro inſigni erat. Lecto autem incumbebat, mente conſtabat cum ad illam accitus eſſem, vtcumque comedebat, nullum dolorem ſentiebat, niſi ſubinde exiguum in ventre; idque circa vmbilicum, quem referebat aliquando ex caſu contractum: vtcumque dormiebat, non febricitabat, quamquam per totum corpus ictero ſuffuſa videretur. Erat autem mulier procera & valde macilenta, cui & lachrymæ ſanguineæ, imo ſanguis, continuo fere per vtroſque oculos fluxerant. Inſpecto lotio, quod croceum & nigrum erat, quale in ictericis apparere ſolet, interrogaui quamdiu hoc malo, nempe ictero, laboraſſet, & ſanguinem ex oculis profudiſſet reſpondit, *tres ſeptimanas elapſas eſſe, quibus hoc colore totum corpus infectum fuerat*: & ſtatim ab eodem tempore ſatis continuo in hunc vſque diem lachrymas ſanguineas ex oculis emanaſſe referebat: oculi tamen non dolebant, niſi quod mane ob ſanguinem profuſum difficulter aperirentur, & quod in iiſdem ſentiret aliquem pruritum. Aluus huic ad 14. dies reſtricta erat; ſed cum clyſterem non admitteret, glande impoſita probe aluum reddidit. Deinde adhibitis leuioribus medicamentis, qualis eſt *ſyrup. ex infuſ. roſ. pallid. cum rhab.* cum vetula eſſet & vix aliquid edulij longo tempore ſumpſiſſet: deinde ebibito hoc quoque iulebo: ℞. *foliorum acetoſæ belidis minoris* ana m. j. *florum viol. p. j. ſem. acetoſæ portulacæ* ana ʒ j. *ſem. 4. frig. maior.* ana ʒ ß. *hordei mundati p. j. coquantur in aqua communi pro lib. j. col. adde ſyr. de limonibus. granat. ana* ℥ i ß. *miſce.* Sitiebat autem, & pro ſiti frequenter ſumebat ex compoſitione rob de ribes dicta. Oculos autem purulentes lauabat lotione ſequenti: ℞. *folior. viol. malvæ, plantaginis, belidis minoris. an. m. j. ſe. ʒ i ß. in aquæ q. ſ. f. decoctio.*

Quibus remediis poſt quinque dies, quod dictu mirum eſt liberata fuit à lachrymis ſanguineis & ſanguinis profuſione, & præter omnium ſpem ſanitati reſtituta.

SCHOLIA.

Ictere. TAle numquam videram, nec apud præceptores, nec alibi, quamquam Dodonæus, mediocris inſignis idem refert euenisſe in virgine quadam carnoſa, ſanguinea, annorum XVI. cum ad menſtruas purgationes idonea eſſet, neque menſes ſuccederent, natura per oculos ſuperfluentem ſanguinem expellere conata fuit; ſanguineis guttis lachrymarum inſtar frequenter ex oculis profluentibus. Cui bene fecit ſanguinis è vena talo proxima detractio, quam menſtrua purgatio non ita diu ſubſequebatur. Recte quidem dixit Hippocr. *lib. De genitura*, Menſibus non procedentibus corpora fæminarum morboſa fieri: quod quidem intelligendum venit, niſi aliunde ſanguis erumpat. nam, *vt idem Hippocr. aphoriſm.* 33. *ſect.* 5.

4 *Menſtrua ſi deficiant, ſanguis ex naribus, aut eruptione Dodonæum, ſed ex vicinis oculis profluxit. At in nostra vetula, aliam cauſam habuit, forte eandem de qua meminit Aëtius, cum dicat ab oculorum angulis, quandoque erumpere ſanguinem, potiſſime infantibus ob continuos eiulatus, aperiis venarum vaſis: quos curari oportet poſcæ frigidæ infuſione, gelidæ aquæ, aut etiam poſcæ inſperſione ſuper caput. Inſtillandum quoque eſt albumen oui; cui commiſceri collyria poſſunt, quæ ad tenues defluxus, conueniunt, inferioraque membra vinculis conſtringenda, & craſſior cibus offerendus. Maiori vero morbo infeſtante, cucurbitula cum ſcarificatione apponenda eſt.*

OBSERVATIO XIV.

De Oculi & canthi maioris rubedine, lachrymis, & pruritu palpebrarum, vt meatus eſſet de ægilope incurrenda vel fiſtula lachrymali.

VXor mea chariſſima, cum oculi & canthi maioris rubedine diu laboraſſet, atque timerem fiſtulam lachrymalem vel ægilopa; præſertim eo tempore cum multa vitia oculorum ac palpebrarum per modum catarrhi plures depopularentur, longa quidem auſtrina conſtitutione præcedente, diligenter hoc modo ipſam curare inſtituebam, nempe *decoctis præſcriptis ex fœniculo, betonica, euphragia, fumaria & ſimilibus, ſem. fœniculi, ſenæ & prunis*; mox pilulis ſubſequentibus deuoratis. ℞. *pilul. lucis* ℈ i ß. *pilul. cochiar. aureav. maſtichinar.* ana ℈ ß. *cum aqua fœniculi, fiant pilulæ* v. *quibus probe aluum depoſuit.* Sanguinem ex cephalica vena, cum hyems eſſet, non detraximus: ſed eius loco cucurbitulas cum ſcarificatione ſcapulis appoſuimus, & pro diuerſione balnea pro cruribus inſtituimus, *ex decoct. florum chamomillæ, hederæ terreſtris, fœniculi, caulium rubr. artemiſ. ſale adiecto.*

Primo vero collyrium ſequens inſtillabam: ℞. *aquæ roſ.* ℥ ij. *aquæ euphragiæ, fœniculi* ana ℥ ß. *miſc.* poſtea ad perfectam curationem ℞. *tutiæ preparatæ, ſarcocollæ* ana ℈ j. *vitrioli Romani, ſumach* ana ℈ ß. *teruntur in nodulo*; & aquæ infra ſcriptæ nodulus imponatur: ℞. *aquæ euphragiæ, roſ. fœniculi* ana ℥ j. calefiant ſupra ignem, & nodulus exprimatur, & fiat collyrium, & ſtilletur in canthum maiorem vbi rubedo aderat; & palpebræ pruriginoſæ eadem aqua abluantur, & his præſidiis fuit feliciſſime curata, & plurimi alij qui hoc tempore paſſim in idem malum inciderunt.

SCHOLIA.

HOc ſolo collyrio multi à lachrymis fluentibus, quibus & rubedo oculorum aderat, curabantur. In quibuſdam etiam vnguentis commode poſt vniuerſalia remedia vſi ſumus. quale illud eſt, à Rondeletio deſcriptum ℞. *corticum thuris, maſticis, ſarcocollæ* ana ʒ ij. *gummi tragacanthi, avah. torrefactorum* ana ʒ j. *tutiæ præparatæ, antimonij* ana ʒ ß. *ſanguinis draconis puri, acaciæ & amuraæ inſpiſſatæ* ana ℥ ij. *miſce, fiat vnguentum*; quo canthi oculorum & totæ palpebræ inungantur. Si ad ægilopa & lachrymalem fiſtulam conficere velis, dõſis tutiæ & antimonij augenda, vt idem admonet. Verum cum hic metus eſſet de ægilope, profuit collyrium noſtrum, antequam malum augeretur & in ægilopem tranſiret. Ægilops vero à Gordonio & Valeſco fiſtula lachrymalis dicta, ad vitia coniunctiuæ tunicæ ab iiſdem refertur, licet proprie ad canthi maioris ſeu anguli domeſtici morbum pertineat. Nam inter maiorem oculi angulum & naſum, quidam affectus oriri conſueuit, qui à Græcis αἰγίλωψ dicitur. Eſtque, *Galeno auctore* 5. *De compoſ. medicamentorum ſecundum locos*, paruum quoddam abſceſſui ſimile tuberculum inter naſi os, & magnum iuxta oculi angulum ortum, & rumpitur ſane ſæpe in angulum, hoc enim tuberculum ſi diſruptum fuerit, ſiue ante diſruptionem, Galenus appellat *Ægilopa*. Paulus vero nominat *Angilopa*, priuſquam in vlcus erumpatur; eo vero in vlcus verſo, *Ægilopa*. Pars quæ afficitur, ad ſenſum patet. Affectus vero

αἰγίλωψ.

Angilopa.

Pars affecta & affectus.

morbus est in compositione primo, in magnitudine videlicet; & proprie in excessu: cum quo intemperies, ac soluta continuitas complicatur. Verum eo disrupto, morbus erit in soluta continuitate primo, cum de genere vlcerum sit. Fit à viscosis succis ad prædictam partem delatis, aut à toto, vel à quibusdam partibus transmissis. Ægre curatur, *teste Aëtio & Galeno*, & ideo Apollonius, *teste Galeno*, nulla pharmaca ad ægilopa scripsit; Archigenes vero pauca. Vide reliqua, tum quæ ad curationem valent, apud Altimarum, quæ ab Aëtio, Paulo, Tralliano, Galeno & Archigene, mutuauit. Hoc enim tuberculum in cantho maiori factum, facile in fistulam lachrymalem vertitur, & hic tumor à lachrymis retentis, aut ab humoribus corruptis acribus à capite in eam partem descendentibus fit, & facillime à principio (*vt docet Rondeletius*) curatur. Verum quum paruus sit tumor, & sensim fiat, negligitur, nisi cum per defluxionem repente fit, & dolorem excitat. Si fiat sine dolore, sine aliqua inflammatione est. Purgatio sufficit & aliqua digerentia supra tumorem apposita; vt emplastrum diuinum, ceroneum, & similia discutientia, & diapalma. Si per defluxionem repente fit, & tumor maior est, tunc mittendus sanguis, & à parte propellendum medicamentis repellentibus, dolor sedandus cum pomo cocto in lacte, si vrgeat. Si tumor suppuratur, cito aperiendus, ne materia diutius retenta sinum faciat & os lædat. Reliqua vide apud Rondeletium, & quibus modis fistula curetur Anchilops antequam succedat ægilops, & ideo ego non libenter me intermitto huic curationi, si ad Chirurgiam deuentum sit. Noui medicos doctos, qui iuuenculam generosam præ manibus curandam habuerunt, quæ ex morbillis Anchilope, postea & ægilope laborabat: quam cum auro ignito curare tentarent, in perpetuam fistulam lachrymalem incidit, aspectu horribilem, quam alij chirurgi curare minime audebant. Addam exemplum aliud.

Causa.

Prognostica

5 *Methodus curãdi morbos cap. 26. de ægilope.*

6

OBSERVATIO XV.

De Aegilope & fistula lachrymali.

1 CHirurgus suo tempore alioqui insignis, cum Louanij mulierem curaret inter lachrymale, & nasum absessum habentem, eoque aperto angulum maiorem cauendo, (*adhibitis tamen optimis remediis*,) quamuis vlcus consolidatum, tamen cum denuo reuerteretur, in fistulam lachrymalem incidit; quæ neque Ægyptiaco vnguento, neque alio remedio corrigi aut deleri potuit. Idem aliam domicellam religiosam fistula lachrymali laborantem, hoc modo sanabat, cum nullum os neque panniculum infectum spectaret, neque maligna qualitas vlceri aut vicinis partibus adesset, optima victus ratione præscripta, & pharmacis vniuersalibus adhibitis, tum venæ sectione præmissa pedis ac brachij, orificium vlceris aperuit, tenta (*sic enim barbarè chirurgi loquuntur*) ex gentiana radice confecta, & orificio successiue satis aperto, pro vlceris mundificatione sequens medicamentum præscripsit: ℞. *mellis communis* ℥ ij. *viridis æris* ʒ ß. *aquæ ruæ* ℥ iiij. *æs viride puluerisetur*, & cum aliis lento igne decoquatur ad tertiæ partis consumptionem, & colatura vsui reseruetur; quæ syringa tepidè suauiter imponebatur: si acrius videbatur, aqua rutæ vlcus abluebat omni die, & post lotionem exiguum vnguenti
2 Apostolorum admouebat. Hoc modo tribus continuis septimanis procedebat, superponendo etiam emplastrum conueniens, ac oculum aqua rosacea defendebat. Postea pro tertia intentione perficienda, nempe incarnandi atque cicatrisandi, vlcere iam satis repurgato, istud collyrium præscripsit: ℞. *thuris*, *sarcocollæ*, *aloës*, *sang. draco.* *halauft. antimonij*, *aluminis*, *ana* ℈ j. *flor. gran. p. i. subtiliter pulueriserentur*, & cum aqua rutæ fiat collyrium satis liquidum. Imponebatur leuiter cum rutæ stipite, deinde exsiccabat. continuabat ter in die tribus septimanis; postea bis in die minorando tentam. deinde tantum lauabat diapalma super imposita & panno lineo raro loco compressionis. atque hoc modo feliciter absoluebat curationem. Idem commendabat tartarum calcinatum & pulueriſatum, & agaricum mixtum cum aqua vitæ, quo tenta oblinata fistulæ lachrymali imponebatur. Vel hoc, quo etiam vtebatur: *salis tosti, tartari calcinati, agarici ana* ʒ j. *pulueriseantur subtiliter, & cum melle communi fiat vnguentum.* Tartarum autem in hunc modum calcinatur: inuoluitur inter stuppas canabinas madefactas in aceto, & ponatur sub cineribus, donec sit calcinatum ac ab omni parte ad albedinem transmutatum. Deinde misceatur cum aqua vitæ ad modum vnguenti, vtere in fistula lachrymali. Consumit carnem vitiosam, & fistulam mortificat: eaque extincta succedet sanies alba digesta. Deinde imponatur sequens exsiccatiuum & incarnans: ℞. *thuris*, *sarcocollæ*, *sang. drac. aloës*, *halauft. antimonij*, *alominis*, *ana* ʒ j. & ℈ j. *floris aris*; fiat puluis, misceatur cum aqua ros. plantag. vel cum harum decoct. Iacobus de Carpo chirurgus suo tempore expertissimus, ad fistulam lachrymalem sequenti collyrio vtebatur: ℞. *aloës*, *myrrhæ*, *croci*, *ana p. æ. infundantur in aqua vitæ quinquies sexiesve destillatæ, per noctem & diem, deinde coletur*; *& colaturæ addatur theriacæ optimæ & camphoræ q. s. fiat collyrium.*

SCHOLIA.

QVomodo Ægilops curetur, vide Holerium *in commento suo in librum quintum Galeni cap. De ægilope*, habes ibidem quomodo per chirurgiam curetur. interea adiiciendum, quod aliud vitium oculi, *Rhyas*, dictum, fistulis fere succedat; quæ *quid* est *caruncinlæ anguli maioris absumptio vel imminutio, à qua & angulus latior euadit.* Fit tamen & aliis ex causis, velut ab humoribus, & medicamentis exedentibus. Rhyadi opponitur *Encanthis*, quæ ipsius est caruncinlæ immodicæ eminentia. Valescus & Gordonius carnem superfluam adnatæ seu coniunctiuæ tunicæ ponunt, quamuis vitia iam supradicta potius ad angulum pertineant. *Causas* *sup.* *repletionem: Diminutionis vero internæ, vt siccitas illius partis, vel indebita incisio sebel aut pterygij.*

Signa per se nota. & quod ad prognostica pertinet: *Si magna & antiqua, non curatur nisi chirurgia: Signa* *vel eius curatio est nimis longa & periculosa, cum caro* *superflua nequeat amoueri nisi fortibus & corrodentibus* *medicamentis, quæ oculus difficile sustinet. Carnis quæque ablatio lachrymalis oculi, ex incisione parui vel pterygij, aliove modo vt in fistula vel cancro, vel vulnere illius loci, est irreparabilis.* Curatio hæc est: *vt caro superflua amoueatur incisione, vel cauterio actuali misso per calamum: cum cautione diligenti, ne diminuta aut superflue abscindatur. Ex superflua autem incisione lachrymæ fiunt, & iterum ex diminuta accrescunt, & ideo post incisionem lachrymali imponatur puluis croceus dictus, & super oculum vitelli ouorum ad perfectam duritiem non coctorum, si dolor non adsit: alioqui albumen oui concussum* *apponatur.*

apponatur. Ante incisionem Haly humorem peccantem prius purgat, deinde vtitur collyrijs præscriptis ad sebel seu pterygia quibus si non curentur, ad incisionem venit. Diminutio carnis si fiat ab alia causa quam incisione, ponantur in lachrymali medicinæ carnem generantes, quibus stipticitas cum exiccatione adsit, vt mentha, crocus, aloe cum vino: aut vinum in quo decoctæ fuerint rosæ, nux cupressi: vel hoc collyrium: ℞. aloës, olibani ana ℈ ij. *sang. draconis, sumach. ana* ℈ ß. *cum aqua ros. fiat collyrium; gummi Arabicum solutum vino decoct. supradictæ generat carnem, lachrymas stringit.* Paulus encanthidas, quæ de Ectropiis scripsit; causticis & septicis ablumit; sed non totas, ne eius loco Rhyas subnascatur, verum ad naturalem vsque magnitudinem. Ad Rhyadas curabiles collyrio diacrocum inscripto vtitur, prodest & alterum in vino coctum impositumque & aluminis ex vino pauxillum. Quomodo autem encanthides molles indolentes curet Aëtius, vide eundem *lib. 7. cap. 61.* magnas & maleficas chirurgia tollit, *lib. eodem, cap. 62.* Quæ vero Paulus de ægilope & anchilope scripserit, vide eundem *lib. 2. cap. 22.* De ægilope vera, quæ Aëtius ex Seuero collegit; vide *lib. 7. cap. 84.* Deque eiusdem vsti one *cap. 85.* & de anchilope *cap. 86.* & de fluoribus oculi *cap. 87.* ex vlcere aut pterygij encanthidisve ablatione. Benedictus præceptor meus Fauentinus admodum longam & egregiam curationem ponit ægilopis in sua magna Praxi, ad quem accedere poteritis, ne hic longiores simus. Et quum iam absoluerimus affectus fere omnes præter naturam, qui in tunica aquata contingere solent, adhuc duæ passiones restant, nempe de puluere vel rebus extrinsecis in oculum cadentibus, & de vlcere ipsius oculi: quamuis vterque affectus tam ad tunicam corneam quam adnatam referri posset: vt postea latius declarabitur. At nunc prius exemplum adferamus, de puluere in oculum cadente.

6

OBSERVATIO XVI.

De puluere ac culice in oculum incidente.

1 CVi puluis in oculum cadebat, fluxionem quandam & rubedinem in coniunctiua tunica postea incurrebat. Iussi vt oculum aqua dulci aspergeret frequenter, ac in oculum sæpius proiiceret lac muliebre ab vbere statim mulctum. Iisque præsidiis adhibitis mox à fluxione ac rubedine æger liberatus est. At famulæ meæ cum culex oculum intrasset, oculum confricabam. Hoc enim modo, si in oculum culex aut alia quæuis bestia inciderit (*teste Alexandro Veronensi libro 2. capite 24.*) sponte tædium illud exilit. At cum hoc modo nondum exiret, leuiter palpebra superius tracta cum linteo molliori eximebat. Ad idem valet, vt in me ipso expertus sum, vt vna narium parte occlusa digito oppressa, per alteram vehementior fiat exsufflatio. Vel anhelitus contineatur, vt lachrymæ prosiliant, aut facta sternutatione (*si leue est, quod oculum intrauerit*) facile exsilire solet.

SCHOLIA.

2 GOrdonius hanc passionem modo ad tunicam coniunctiuam, modo ad totum oculum pertinere adfirmat, quamuis iuxta Tharantanum etiam corneæ accidere possit, vt aliqua res extranea in oculum ingrediatur, *vt festuca, puluis, pilus, calx, gypsum & similia*: quibus cito occurrendum, ne diutius inhæreant ac dolorem inferant. ideo statim os aqua fontana implendum, & subito in oculum apertum sufflanda. Vt lac fœminæ ab vbere mulgendum, & infundendum; vel vinum album, id enim lachrymas producit, & oculos à sorditie repurgat. Si arena, *inquit Demosthenis*, aut quodcumque vento sublatum fuerit, alterius oculi confricatione exibit. Si adhuc inhæserit, aqua foueto egelida: vel lac mulicbre infundito, vel mulsam. At si quippiam tale adhæreat, & occultetur, corrigia gracili remoueatur, aut tenaculis parnis, leuiterque oculus aperiatur, & visa festuca corrigia vel penna gallinacea subtiliter extrahatur. Rubinus vel sapphirus oculis immissus extrahit puluerem & quicquid exterius ingressum fuerit. Seminis lini mucilago extracta cum aqua ros. in oculos instillata, similia expellit. Palpebra quoque supra aliam posita & inuersa, ad expulsionem facit. Refert Aëtius: *si in oculum talex inciderit aut aliud perexiguum animal; occluso sano oculo proinus alter aperiendus est, vt animal libere exeat.* Si vero palea aut arena quippiamve tale inciderit, idem quoque fieri potest: quod si parum succedat, volsella suauiter extrahes, aut aquam, aut lac, aut potius mulsam infundes; sin adhuc magis oculo adhæreat, medicamento quopiam viscido minime acri tentabis euellere, quale est, quod è melle conficitur. Si calx viua in oculum inciderit, lac quidem aut aqua infusa vlcerat & incendit. Oui vero albumen infusum, & magis oleum rosaceum, aduendi facultatem retundit. Cum diuideretur lignum, pars ligni impacta est in oculum filiæ cuiusdam mulieris. Ipsa autem statim cepit rubrum oui, ceruſam & oleum rosarum, ac in circuitu totius oculi posuit hanc mixtionem loco defensiui, & intra oculum aquam albuminis oui. Alij vero commode imponunt aquam albuminis oui vna cum lacte muliebri & aqua ros. Sed hæc priori medicamento sanitati restituta fuit, ac pars ligni hoc modo exiliit.

Lib. 7. cap. 16.

De parte ligni in oculũ impacta.

Lapidis sculptori, frustum lapilli in oculum illapsum est. Factæ sunt fomentationes ex mollitiis, vt malua, anetho, fœnugræco, meliloto per biduum: postea fuit tutia cum saccharo candi imposita, & ab hoc tædio euadens sanus factus est. At si in oculo surculus aut quippiam impingatur, officulum (*teste Aëtio*) volsella extrahemus, diligenter cauendo ne infringatur. Si veronihil eminet, sed æqualem habeat cum corpore superficiem, bina poma accipito, atque vtrinque eiectis nucleis comprime oculum, vt quod infixum est in medio, intercipiatur; cumque procumbere videbitur, volsella extrahito, deinde sanguinem turturis aut columbæ aut oui albumen instillabis: quæ si parum successerint, curato oculum infusionibus & linimentis, quæ ad inflammationem conficiuntur. post aliquot enim dies suppurata punctione, quod infixum est, fluitabit.

Lapidis frustum in oculum impactum.

Lib. 7. cap. 9.

OBSERVATIO XVII.

De vlcere oculorum.

PVella quædam apud orphanos Delfenses, Heynrica nomine, annos circiter septemdecim nata, vertigine capitis subito ac oculorum suffusione deprehensa, cùm operi panificij intenta esset, in clibanum ardentem milera cecidit, ita vt faciem atque vtrumque oculum combusserit. Verùm non rectè ab Empirico curata non solùm palpebras inuersas retinuit sed eadem cicatrice obducere non potuit, ita vt aspectus horribilis perpetuo ei adhæserit. Hæc sæpiùs doloribus oculorum

oculorũm ac fluxionibus obnoxia, poſt annum dolore magis ingraueſcente, longo tempore rurſus male tractata fuit ab eiuſmodi medicaſtra, quæ vno collyrio omnia oculorum vitia curabat. Vnde dolore quaſi confecta miſerrima puella, tandem in vtriuſque oculi vlcera incidit, præſertim tunicæ adnatæ: vt poſtea eò noſtris præſidiis peruentum eſſet, vt oculum aperire poſſet, quod antea non potuerat, vt illa vlcera tunc probè animaduerteremus. Ad hanc igitur accitus veris tempore, hoc modo illam curauimus. Omnium primo leuiter corpus purgauimus medicamento infraſcripto: ℞. *ſyrup. ex infuſ. roſarum pallidarum cum folijs ſenæ* ʒ j. *ſyrup. ex infuſ. roſarum pallidarum per ſe* ʒ ß. *aquæ betonicæ* ʒ ii ß. *miſce*, & dabatur diluculo. vnde tres quatuorue ſedes habuit. Die vno atque altero intermiſſo, hoc apozema præſcripſimus: ℞. *fœniculi viridis, euphragiæ, betonicæ* an. m. j. *flor. cord. p.* j. *hordei mundatim.* ß. *prun. damaſc. numero* xiij. *thamarind.* ʒ ß. *vuarum paſſarum enucleatarum* ʒ j. *foliorum ſenæ Alexandr.* ʒ vij. *polypod. querc.* ʒ ß. *ſemin. aniſi, fœniculi* an. ʒ i ß. *fiat decoctio in aquæ communi pro* ℥ vj. *fortiſſim. expreſſ. adde ſyrup. ex infuſ. roſarum pallidarum, ſyrup. de betonica* an. ʒ j. *miſce pro* ij. *doſibus matutinis.* Poſtea cum etiam inflammatio in oculis adeſſet, vena cephalica ſecta fuit, deinde fluxione & inflammatione vtcumque ſedatis, pilulas lucis ad ʒ j. deuorauit, & vno atque altero die intermiſſo, ſcapulis quoque cucurbitulas cum ſcarificatione commode applicari iuſſimus. Quod ad topica remedia attinet, primo hunc fotum aliquot diebus adhiberi mundauimus: ℞. *foliorum maluæ* m. ij. *florum roſarum rubearum* m. j. *ſemin. cydoniorum* ʒ i ß. *hordei mundati* p. j. *coquantur in aqua communi pro* ℥ x. *addendo aqua roſar. & maluæ* an. ʒ ß. *colentur*; & colatura vſui reſeruetur pro fotu oculorum: Chirurgus Theodorus qui in inſigni quinque annulorum habitabat, ocularius medicus vna tunc aderat, qui bis in die fotum quem præſcripſeramus adhibebat. deinde hoc collyrium ſequens in vtrumque oculum, vt præcepimus ac præſcripſimus, inſtillabat: ℞. *aquæ roſarum* ʒ ij. *trochiſ. collyrij albi Rhaſ. ſine opio* ℈ ij. *miſce, fiat collyrium.* deinde pannis lineis mollioribus, duplicatis & in decocto fomenti immerſis & moderate expreſſis oculis appoſitis, & diligenti adhibita deligatione, per aliquot dies ſic curationem inſtituimus. Poſtea etiam in principio ante pilulas bis aut ter hunc iulebum ſumpſit: ℞. *decoctionis vltimo præſcriptæ* ℥ iij. *ſyrup. ex infuſ. roſarum pallidarum. ſyrup. de betonica* an. ʒ ß. *miſce.* Hunc quoque nodulum in fotu præſcripto ſuſpendimus, eundem exprimendo dum fotus adhiberetur: ℞. *ſeminis fœnugræci loti prius cum aqua gelida, & rurſus exſiccati* ʒ ij ß. *ſemin. cydoniorum* ʒ j. *contundantur craßiuſcule, & fiat nodulus in panno lineo raro.* Poſtea cum inflammatio aliquo modo ſederetur, pure iam paulatim ex oculis fluente, fotu ſequenti per aliquot dies vtebamur: ℞. *foliorum maluæ* m. iiij. *florum roſarum rubr.* ʒ ij. *ſeminis fœnugræci à pulvere prius ablati* ʒ iij. *ſemin. althææ* ʒ j. *hordei mundati* p. j. *ſemin. cydoniorum* ʒ j ß. *fiat decoctio in aquæ communi pro lib.* j. *pro fotu.* Poſt fotum bis in die adhibitum, collyrium ſupra dictum inſtillabatur. Poſt aliquot dies reiterabatur idem fomentum: quibus per tres ſeptimanas vtebatur. poſtea mutauimus collyrium vt paulo magis abſtergeret: ℞. *decoct. hordei communis, aquæ roſarum aquæ euphragiæ* an. ʒ ß. *trochiſc. collyrij albi Rhaſ.* ℈ j ß. *miſce fiat collyrium.* Et cum pus mediocriter abſterſum eſſet, poſtremo adiecimus aliquam portionem ſarcocollæ nutritæ cum lacte muliebri, cum aſinæ non adeſſet; quod melius fuiſſet; mox & aliquid thuris & croci pauxillum admiſcendo & fœnugræci muccilag. exiguum. Quibus remediis viſum recuperauit, & ab vlcere curata, quod non penetrauerat corneam; ita vt epuloticis opus non fuerit, vt in altera muliere ſequenti.

Scholia.

VLcera oculorum, vt refert Aëtius ex Seuero, fiunt circa oculos, vel in ipſis oculis, aut in cantho, vel in adnata tunica, vel in cornea, genis, anguliſque oculorum, ſiue in quauis oculi parte; ideo non vnum genus vlcerum eſt in oculis, vt & *Paulus teſtatur*, quamuis differentiæ ſpecificæ diuerſæ ſint, ac diuerſimode nuncupentur. Etenim in cornea membrana, quæ Græcis *Ceratoides* appellatur, vlcus cauum, anguſtum & purum, ob vuæ ſimilitudinem botryon dicitur, quod autem latius botryo eſt, ſed minus altum, *cæloma* nuncupatur. Argemon in pupillæ circulo naſcens ambientia comprehendit, vt etiam in exteriore pupillæ parte rubicundum, in interiore candidum appareat. Epicauma vlcus eſt ſordidum, & cruſta obductum, quo repurgato humores oculi ſæpe effluunt. Iam & aliæ plures vlcerum ſunt differentiæ cum inflammatione cum ophthalmia. Interea in quacumque parte vlcus contigerit, curatur communi conſilio, *teſte Aëtio*, quemadmodum & reliqua totus corporis vlcera, vel venæ ſectione, vel purgatione, vel clyſteri, vel omnibus ſimul adhibitis, ſi ita occaſio poſtulauerit. Interea ſciendum, prout diuerſas eiuſdem oculi partes exulcerari contingit, non vno etiam modo: namque tunica adnata, vt hic interdum (*vt diximus*) interim corniformis, aut angulorum aliquis, ſeu palpebræ eadem affectione laborat. Quæ vero prædictarum partium exulcerata ſit haud difficile dignoſci poterit, cum prompte ſenſu viſus dijudicetur. Ipſe vero affectus morbus eſt, in genere *aſſolutionis continui*, viſionem incommodans, ſi fuerit notatu dignus, non ſolum ob id quod redundantem humorem coaceruat, ſed etiam quia efficit, vt cryſtallinus humor ex breui ſpatio conſpicatur cum circumfuſo ſplendore conuerſari, *Galeno auctore libro primo, De cauſis ſymptom.* præſertim ſi in corniformi genitum ſit vlcus & quod præcedens quoque ad interiora vlcus verſus pupillam aliquid aquoſi humoris foras effundit; atque hinc eminet periculum, ne ſic affectus ad extremam peruenias cæcitatem. Cauſa exulcerationis modo externa eſt, ab aliqua re in oculum illabente; vel cauſa procatarctica, vt à ſpina, fruſto vitri, gladio, lapide, aliiſque incidentibus aut rumpentibus, vt ſtylo, percuſſione, caſu, pulvere, ictu, conquaſſatione, primo vulnus inducentes, demum inflammationem aut abſceſſum, poſtea vlcus, ſiue in oculis, ſiue in tunicis, genis aut angulis. Modo veniunt ab interna cauſa, ſcilicet ex acrium humorum eroſione, à qua magna parte ſit, vel ex confluxione humorum ad oculum vel tunicas aut alias partes confluentes & vlcerantes. Et ſic vlcera quoque fiunt poſt phlyctænas, & nonnumquam poſt ophthalmiam, ob materiam humoris erodentis & cohibiti ab emplaſticis, *vt Galenus ait*: imo aliquando cum vlcere ophthalmia coniuncta eſt. Quod ad ſigna attinet; alia vlcera futura præſagiunt: alia vlcus præſens indicant: alia vero ſpecies atque cauſas diſtinguunt: alia ſunt mere prognoſtica. Vlcus futurum aliquando præſagiunt phlyctænæ iuxta adnatam vel cornis formem tunicam, ſi non recte curentur: ita & ophthalmia,

ophthalmia, ſi dolor non mitigetur, ſignum eſt materiam inobedientem reſolutioni, & quod apoſtema ſequetur, & facile in pus vertetur, præſente punctione, pulſatione, materia acuta corrodente, ebulliente: dum enim pus fit, fiunt dolores magis quam confecto pure: hæc enim ſigna magna ex parte præcedunt vlcera. Vbi præſens vlcus eſt, viſui ac ſenſui patet, ex clauſione palpebrarum, ſi in coniunctiua aut cornea, pure emanante. At ſigna ſpecierum tum cauſarum, facile ex ægri & aſtantium loquela percipiuntur, ſi ab externa cauſa proceduntur; ſi ab acribus humoribus & cauſa interna; ex qualitate doloris, pruriginoſa videlicet aut punctoria: qualitas quoque redundantis ſuccinueſtigari poterit, ægri ætate, temperamento, victu, regione, anni tempore, aëris conſtitutione, ac reliquis non prætermiſſis. Numquid etiam phlyctænæ præceſſerint, tunc vix viſu comprehenduntur cum exigua ſint; percipiunt tamen quaſi arenam diſperſam per oculos ob contactum à palpebra: quibus & ſigna adiungere poteris de phlyctænis prius dicta; nam vlcera in albis oculorum ſunt magis rubra, in nigredine alba: ideo in tunica adnata rubra cernuntur, in cornea ad album & fuſcum inclinant. Si ab apoſtemate præcedente, facile patent ab remiſſione accidentium: ſi ex ophthalmia, præceſſit rubedo & dolor ingens ac inflammatio. Vlcera tam in adnata, quam cornea tunica modo in ſuperficie, modo alte deſcendunt, vt humores quoque effluant: & ideo quod ad prognoſtica attinet, ſatis ſit noſſe, quod vulnus ſeu vlcus corniformis tunicæ periculoſius ſit, quam reliquarum partium oculi: & ſi ea ipſius pars, quæ pupillæ obiecta eſt, fuerit vlcerata, ſi vulnus ad interiora deſcendit, magna ex parte obcæcantur, *Galeno teſte* I. *De cauſ. ſymptom.* Quæ vero in adnata tunica oborta; non adeo periculum adferunt, velut prædicta. Verum in quacumque oculi parte contingunt, ſemper ſuſpecta ſunt, vt medicum valde peritum & inſtructum in curationibus oculorum ſemper requirant, *vt Rhaſes medicus ille illuſtris ac inſignis experimentator capite decimo ſexto De vlceribus oculorum curandis* 9. *ad Almanzorem admonebat.*

Nam à medicis doctis & expertis aliquando committitur error; quanto magis à mulierculis, lippis & tonſoribus! Hinc hiſtoria illa apud Gradum nos cautos in curationibus oculorum reddet, quam ſuo tempore eueniſſe narrat. *Vidimus*, inquit, *Papiæ medicum alioqui magni nominis, & Dominum, Venatium nomine, de Forliuio, qui cum ægrotæ cuidam, quam & nos viſitabamus, nie tamen ignorante, circa noctem medicamenta quædam oculoria octilo impoſuiſſet, noctu peſſime habuit.* Gradus vero ſummo mane primo cum acceſſiſſet, & medicamentum ſupra oculum poſitum extreme dolentem vna cum ſtuppa amoueret, oculus totus ſimul auulſus eſt extra orbitam, pendens vſque ad mediam genam, parum enim videbatur alligatus mediante nerno optico. Quod cum vidiſſet Gradus, valde contriſtatus eſt: quamquam fuerit oculus ſine alio dolore eleuatus, vt pars exſiccata concauata orbita in totum remanſerit ac ſi oculus ibi numquam fuiſſet. Maritus autem hæc videns deſperatione ductus, vt inſanus enſe euaginato per totam ciuitatem diſcurrens, medicum Venatium quærebat interficere. Sed aufugit, & numquam in vrbe amplius viſus eſt. Propterea rectè concludebat idem Gradus, *ne nimium audaces eſſemus in fortibus remediis ac medicamentis circa oculos applicandis.* Nouitonſorem iuniorem & arrogantem, qui ſeni nobili ac generoſo ophthalmia laboranti, quotidie ter in die neſcio quem puluerem corrodentem in oculum ſufflaret, vnde facta corroſione vlcus incurrebat, & demum cæcitatem cum maximo dolore; quamquam nos in fine ad eundem acciti collyriis aptis aliiſque præſidiis eundem à dolore liberauerimus. Non eſt mirum quod medicaſtra illa hanc puellam, de qua diximus, collyrio corrodente in ambobus oculis dolorem intolerabilem & deinde vlcus induxerit. quod & alteri mulieri ab alia empirica etiam euenit, vt exemplum ſequens demonſtrabit.

OBSERVATIO XVIII.

De muliere ophthalmia laborante, & ex mala curatione in vlcus vnius oculi incidente.

MVlier, quæ in inſigni arboris Buxeæ Delfis commorabatur, ſub finem ætatis anno ſexageſimo tertio ſupra milleſimum quingenteſimum, in oculi dextri acutiſſimum dolorem incidit vna cum ophthalmia. Empirica ocularia ad hanc ingreſſa raſuram ex lapide Talck dicto (*prima fronte cum vide. em.* gypſum eſſe *putabam, cum hic lapis gypſo admodum ſimillimus ſit, de quo vide Pandectas*) capiebat, atque eam, neſcio qua aqua deſtillata immixtam, collyrij modo in oculum ſtillabat: at non diu poſtea dolore ac ardore ingenti ſubſequente, etiam vlcus ſubſequutum eſt, acribus humoribus adnatam primo, deinde etiam tunicam corneam corrodentibus. Cum igitur ad hanc vocati eſſemus, & vlcus vna cum ophthalmia & inflammatione ſpectaremus, atque venæ ſectio prætermiſſa eſſet, aluo prius inanita cum caſſia recens extracta & pulpa thamarindorum, ſanguinem in brachio dextro oculo affecto correſpondente detrahere iuſſimus; cum & eadem hic conueniant, quæ de ophthalmia diximus, atque hic locum habeant, ſi à cauſa interna vel à fluxione originem ſumpſerit: quamuis ab externa cauſa, nempe collyrio corrodente, malum per empiricam augmentum ceperat, & fluxionem concitauerat, & humores acriores reddiderat. ideo & corpus ab acribus humoribus erat expurgandum, & recurrendum ad victus rationem, quæ acrimoniam humorum obtunderet, ad purgationem doloriſque mitigationem, tum ad ea quæ de ophthalmia ſcripta ſunt. Cum itaque illam purgaſſemus cum infuſo rhabarb. & decocto ſenæ, cucurbitulas ſpatulis admouimus cum ſcarificatione. Deinde pilulas lucis vt deglutiret imperauimus; nam ab acribus humoribus frequenter purgandum: pro qua intentione complenda Rondeletius quadam opiata ſolutiua vtitur. Interea & humorum defluxum non ſolum cucurbitulis iam dictis, ad inferiores partes, etiam vinculis iniectis & frictionibus auertebamus. Iſtic inquam præſidiis dolor, qui vehementiſſimus erat, tum inflammatio ceſſarunt, oui albumine omnium primo in oculum inſtillato, ita vt ab vlteriore curatione abſtineret. Verum paulo poſt cum chirurgum neſcio quem vocaſſet, is collyrium quoddam, *ex aqua chelidoniæ, fœniculi, euphragiæ cum ſucco vuæ confectum in oculum mittebat*, quo denuo & dolorem & calorem ac fluxionem auxit; vt rurſus me reuocarint: & impoſito iterum collyrio ex aqua roſacea & albumine oui, dolor paulatim mitigatus eſt; cum enim vlcus ſimul cum inflammatione infeſtabat, curationem ex iis, quo ad topica remedia auſpicabamur quæ inflammationẽ lenire poterant & concoquere; nõ neglectis iis quæ ad vlcus proprie pertinent: idque ex Pauli

&

& Tralliani, & aliorum sententia: & ideo non solum hæc per initia collyrium album muliebri lacte dissolutum immittebam; sed & illud quod ex albumine oui constabat, instillabam. interea abstinebam à vino vsque ad declinationem, summopere cauendo ea, quæ caput replent, & fluxionem irritant: adhibitis postea quoque fomentis ex malua, floribus rosar. & meliloti. Cum dolor præcedentibus præsidiis & euacuationibus sedatus esset, vt pus magis detergeretur, collyrium tale fieri præcepi, ex aqua ros. fœniculi, lacte muliebri, & modico melle rosaceo, per pannum lineum colatum, vt purius euaderet: quod sæpius instillatum, faciebat ad ophthalmiam, vlceris absterſionem & doloris sedationem. Demum vlcere vtcumque repurgato per collyrium prædictum, tandem huic adiecimus aliquid sarcocollæ nutritæ, thuris & croci pauxillum, & muccilaginis fœnugræci exiguum: quibus remediis optime hæc mulier se habuit. Cæterum corniformis tunica non erat plane perrupta, & sic postremo ad reliquam curationem perficiendam, vt magis epuloticum fieret collyrium, id est, cicatricem inducens, tale præscripsimus: ℞. *antimonij, plumbi vsti ana* ʒ j. *aloës. sarcocollæ nutritæ ana* ʒ ß. *cum succo rubi; fiat collyrium.* Vsus tempore dilui potest cum lacte aut oui liquore. Ad cicatrices inducendas, vide collyrium Cleonis *apud Aetium libro septimo, capite* 106. Hæc, *inquam*, mulier breui curata fuit ab vlceratione; paruo tamen foramine, instar arenulæ impressæ, permanente & coniunctiuam tunicam transeunte, ad corneam etiam peruenientem, sed non in totum penetrante. Quomodo autem istæ fossulæ curentur, habes apud eundem Aëtium *libro septimo, capite vigesimo septimo.* At rusticus clauа ictus visum perdidit, oculi vlcere superueniente: at cornea perrupta liquor oculi cum emanasset, à cæcitate curari non potuit. Venit tamen nunc mihi in mentem quod Galen. 4. *de accidenti & morbo*, narrat, inquiens: *Equidem vidi incredibile quippiam, & quod antea nunquam videre consueueram: puero cum iuxta pupillam stilo pungeretur, effluente protinus aquoso humore, imminuta est pupilla, an ceratoides tunica corrugata videbatur: qui mox curatus visum recuperauit: instaurato scilicet paulatim humore, qui ante effluxerat.* Sed eiusmodi euentus raro contingit: quippe huiusmodi vulnera magna ex parte cæcitatem inducunt. Verum cum vulnera ad chirurgiam spectent; de iis suo loco agemus.

Scholia.

HOc enim vlcus in genere quidem communem habet curationem cum reliquis vlceribus. Verum enim (*vti omne vlcus secundum Galen. 3. 4. method.*) repurgari, siccari, impleri & cicatrice claudi: quamuis ob partis naturam quam leniſſima adhibenda sint medicamenta, *iuxta Galen. 4. De compoſit. medic. ſecundum locos:* vbi & syluam inuenies medicamentorum, quæ proprie ad oculorum vlcera pertinent. Vide de his, quæ valere scripserit Holerius in 4. *lib. De vlceribus oculorum*, vniuerso tamen corpori præ omnibus prouidentia adhibita; quo id quod redundat in habitu, tollatur per venæ sectionem, corpore existente pleno, humeralis seu mediæ venæ eiusdem lateris; aut per purgationem, si humorum adsit acrimonia, per clysterem, frictiones, vincula, cucurbitulas, auersiones, *vt diximus.* Qualia topica esse debeant, ab iisdem auctoribus edisces, quamuis & de his nonnihil diximus. Per initia, *vt etiam Trallianus docuit*, valet collyrium album muliebri lacte solutum instillatumque, & cataplasma ex Aëtio ex ouo cum eius vitello, rosaceo & vino leuiter tepefactum & lana exceptum & impositum, & sequentibus diebus fomentum ex ros. decocto & melilori & lac muliebre cum ouo tepidum infusum. Vel linimenta ex capitibus papau. meliloto, croco & pane, ex quo superna dumtaxat palpebra illinatur, quo aperiri possit oculus, & lachrymas influentes excernere, oculus quoque leuiter deligetur, *iuxta eundem Aetium.* Si sordida, mulsa diluta & fœnugræci decocto vtendum, *vt Paulus suadet*; si multa sordes, fœnugræci succum & parum mellis addere oportet. Oportet autem fœnugræcum ipsum exactissime purgare (*vt alias diximus*) sæpe abluere, ac eo modo madefacere pura dulci aqua, *iuxta Aetium.* Postquam autem purum factum est vlcus, à fœnugræci succo abstinendum, & collyrio ex thure, quod vim glutinandi ac incarnandi obtinet, vtendum: incarnato cicatrix inducenda. Plura vide apud Galenum, Aëtium, Paulum, & apud Rondeletium & Holerium aliosque neotericos. Interea videndum num à causa procatarctica veniat: nam vbi recens vlcus est, in collyriis adstringentia adhiberi possunt ad sanguinis præcautionem, & si recens & pars multum ſiccæ consolidari potest cum oui albumine fortiter agitato, & succo hyperici; hoc enim vulnus coalescere facit: vel trochiſc. albi Rhas. cum sarcocolla & thure: in fine addantur tutia, & reliqua quæ cicatricem ducunt. Si postphlyctænas, detergendum est prius, deinde aglutinandum: si ab humoribus acribus, illi sunt contemperandi, *vt diximus*, si adsit inflammatio vel apostema, fluxionis impetus in principio inhibendus cum oui liquore & similibus, cum dolorem sedet. Sed obseruandum, *vt tempore huius apostematis fiat accubitus in parte contraria loci affecti*: sed rupto iam apostemate & in vlcere iam facto, in loco affecto decumbat; vt melior fiat mundificatio. Si tamen vlcus est magnum, & timor sit de ruptura corneæ, vel pupillæ, & eductione humoris albuginei; tunc secundum Rhasem, præstat decumbere supine, & vtile erit plumaceolum supra oculum ponere, ne per rupturam corneæ humor elabatur. Præterea sciendum, si vlcera ab igne contrahantur, duriores cruſtas inducunt, quas assiduo albuminis oui (*teste Aetio libro 7. capite* 17.) & lactis illitu madefieri oportet, collyrioque vti quod è stibio conficitur, & eo quod ad Cleonem refertur. Absoluimus igitur mala quæ in tunica adnata contingunt, quamuis etiam quædam ex his in corniformi tunica euenire possint, vt pannus seu febel, pterygion, phlyctænæ, & vlcera. Sed nunc agemus de reliquis vitiis, quæ corneam tunicam occupant, vt sunt nebulæ, albugines, cicatrices, corrugationes, durities, imminutiones, coloris mutationes, humectationes, carcinomata, rupturæ, sanies sub cornea; de quibus deinceps dicturi sumus, facto initio de cicatricibus, nebulis, albuginibus, quæque vlcera oculorum subsequi solent.

OBSERVATIO XIX.

De nebulis, albugine, cicatrice, in cornea tunica.

PVer ex variolis in phlyctænas incidit, iisque exulceratis nebulam in oculo dextro incurrebat. Fit autem vesica, ab aliis, *vt Tharantano*, variola dicta in cornea; sæpissime in iis qui variolas patiuntur. Curatur vero, vt iam de phlyctænis diximus. Verum cum in puero exulcerarentur, & neglectim haberentur, nebula subsequuta est vel cicatrix, aut albugo tenuis; quam tamen collyrio ex aqua fœniculi, adiecto felle anguillæ & saccharo candi, breui confumpsimus. At in adultis præsumptis pilulis aureis, fel accipitris, *iuxta Gordonium*, commode in oculum stillauimus.

Scholia.

CVratis oculorum vlceribus, cicatrices aliquando in eis fiunt, quæ, *Paulo teste*, si per summa oculorum sint, à Græcis interim ἄλωσι, à quibusdam vero νεφέλαι; Latine, *cicatrices*, seu *nubeculæ* appellantur. Nubecula dicitur quoque Fernelio ὑμίχιον; à quibusdam vero, *albugines tenues*: at si altiores fuerint, à Græcis λεύκωμαθ, à Latinis vero, *albugines*, & ab aliquibus *crassæ albugines* nuncupantur. Nubecula, *vt Fernelius annotauit*, tenuis humor est corneæ inhærescens, cuius ádhæsu putat laborans se per nebulam, per vaporem aut fumum res omnes intueri. Hic vero humor sensim crassescens, tandem albuginem parit. Tharantanus: si in superficie corneæ fiat exterius apparens, tunc est albugo tenuis; apud Auicennam vero nebula. Si vero est spissa & crassa, tunc albugo dicitur ab oui cocti albedine, quæ totam corneam vel eius partem occupat, post vlcerum vel phlyctænarum curationem ipsa cicatrizatur. Iuxta Fernelium vero albugo est crassus & albus humor in vuea aut etiam supra hanc ita concretus atque densatus, vt omnem plerumque videndi aciem perstringat. Sensim quidem hæc duo vitia succrescunt, ac sæpe ex ophthalmia & epiphora: vel *vt alij volunt*, post variolas vel vlcera oculorum. Interdum vel ex proprio fiunt humore lento, qui ob pupillam effunditur, & ex iis spatiis quæ sunt inter membranam adhærentem & vueam, *vt Fernelius sentit.* Verum, *vt Donatus*, tum alij referunt, oculi pars in albuginibus afficitur, nempe præcipue corniformis tunica. Connumerandæque insuper & ipsæ sunt inter morbos è numero. Quod si supereminentes fuerint, maxime albescunt, *auctore Aetio.* At si planæ seu æquales, minus sunt albæ; quæ vero magis cauæ, quodammodo colores sunt nigro. Verum ipsæ, *vt testis est Cornelius Celsus*, duobus vitiis periclitantur, ne videlicet aut cauæ aut crassæ sint: qua ratione dicebat Aëtius callosas ac diuturnas & crassas cicatrices curari non oportere: si vero suffusio etiam aut glaucedo adfuerit, vanum est cicatrices extergere. Tharantanus ponit tres species; vt nebulam; quæ cum recens est facile curatur; at antiqua & crassa, tum maiori difficultate; tertia incurabilis, cum cicatrices amoueri non possunt, sed aliqualiter leniri & palliari. At medicamentis vt tuto vtamur extergentibus, ne fluxio fiat aut inflammatio in corpore pleno, prius euacuationes, purgationes, tum diuersiones faciendæ: cibis boni succi vtendum: à salsis, acribus, & crassi succi cibis abstinendum: deinde ad topica veniendum, & securius primo ad leniora extergentia, cum acria valde excorient, fluxionem & inflammationem irritent, & aliquando resolutis cicatricibus vlcera magis profunda reddant. Recentes cicatrices & nebulas circa omnem molestiam extenuunt lac equinum cum modico melle assidue illitum, idque ante cibum, & vbi ventris excrementa prius deposita sint, & centaurij minoris succus cum melle inueteratas & altiores albugines cum sepiæ testa combusta, & cum melle in pollinem trita. Horum copiam vide apud *Galen. 4. De compoſ. med. ſecundum locos*, & ea quæ in eundem locum ad albugines conferre scribit Holerius & Rondeletius *cap.* 52. *de cicatricibus & albuginibus oculorum.* Valent enim fel hirci, bouis, auium rapacium, milui, aquilæ, & succi herbarum amararum, chelidoniæ, centaurij, absinthij, marrubij, anagallidis cæruleo flore: Arida, vt *ſacch. eandum, os ſepiæ.* ex quibus omnibus collyria cõficiuntur: qualia & apud Aëtium & Paulum inuenies.

OBSERVATIO XX.

De Κεράτοιδι seu pure collecto sub cornea tunica.

Ὑπόπυον per o & *v*, *vt antea diximus*, malum dicitur, *quando pus sub cornea tunica collectum fuerit*: & id sæpius contingit, *vt Neoterici volunt*, cum in corneam & vueam, quemadmodum Tharantanus refert, per modum resudationis vel congestionis pus colligatur; quod aliquando fit ex ophthalmia non bene curata, aliqua subtili materia ad locum dictum penetrante, & ibidem incrassata ac in pus vel saniem conuersa. *Subinde enim pus*, inquit Paulus, *sub oculi tunica, cui nomen est Ceratoides, nunc alius, nunc in summa superficie colligitur, humani vnguis specie: quæ causa est, vt hoc etiam malum vnguis oculi nominetur.* Sic nuper quædam mulier cum ophthalmia laboraret, nec tempore sibi prospiciens de bono medico oculario, postquam in vlcerationem vnius oculi deueniret, nec medicamenta apta adhiberet, pus sub cornea tandem collectum fuit: quæ cum ad me consultum veniret, missione sanguinis prius neglecta, vt eam nunc adhiberet, imperaui, ob dolorem qui ad partem attrahit, & cum vires etiam nunc constarent: deinde materia concocta, & purgatione propinata, & cucurbitulis etiam scapulis appositis, quoad topica remedia; cum huc spectaret curationis ratio, vt pus digeri posset, aqua mulsa & succo fœnugræci vt pro collyrio vteretur, consului. Verum cum nec eo, nec aliis remediis proficeremus, vtpote cum malum iam inueteratum esset, eam ad chirurgos relegauimus: licet aliquando viderimus in principio hoc malum curatum eo modo quo ophthalmia vel pterygium, vel vt cataracta curatur.

Scholia.

REcentiores medici etiam ex ictu, aut apostemate eam materiam colligi in cornea posse, ac subinde suppurari censent: si enim sanguis suppuretur, dolorem facit in oculo, qui prius non erat; & oculus quodammodo inflammatur. Mutatur color ille sanguinis in albedinem. Ex his colligimus ὑπόπυον factum esse. Raro si sine præcedente contusione, *vt Rondeletius sentiebat*: quamuis tamen ex aliis causis fieri possit, iuxta alios, velut ex ophthalmia; imo aliquando habet ophthalmiam vel inflammationem coniunctam: tunc adest dolor, qui si etiam adfuerit præcedente contusione, cum vehementissimus sit, etiam sedandus cum lacte recens mulso, decocto, fœnugræci & lini. Et vtcumque sedato pure iam facto, ad leuiter discutienda veniendum; *vt mel, muccilag. fœnugr. cum pauco saccharo*, vel addendo succum fœniculi. Verum si non adsit ophthalmia vel inflammatio, eadem adhibenda quæ ad pterygion valent. Valent & euaporationes & fotus in declinatione, quæ resoluunt. At si nulla ratione ob crassitiem expurgari possit, dolorque magnus & vehemens perseueret, punctura seu acu curandus affectus est, etiam si malum sit inueteratum;

teratum, per chirurgum peritum: acus confectio docebitur, cum de suffusione tractabimus. Plura de pure aut iis quæ onychia appellantur, vide apud Aëtium *lib. 7. cap. 28.*

OBSERVATIO XXI.

De Carcinomate corneæ & excrescentia quadam cancrosa supra oculum.

VLcuscula vero in nigro oculi genita, cicatrici aduersantia, parua, dolorifica (*vt Aëtius refert ex Demosthene*,) venas insitas habentia, exiguas, varicosas, cancrosa appellantur; quæ interdum imaginaria cicatrice obducuntur, & absque manifesta ratione euanescunt. Percipiuntur etiã punctiones quædam vsque ad tempora discurrentis cum defluxu humoris moderate acris & tenuis, & cum perpetuo ipsarum partium oculi, albæ inquam & nigræ, rubore: sed & ciborum appetitus prosternitur, vehementer increbrescunt dolores, si acriora medicamenta applicentur. Morbus is senioribus maxime, (*vt idem ait*) post diuturnas lippitudines accidit, & mulieribus, quibus menses defecerint. Ita sexagenario cuidam euenit, habenti excrescentiam cancrosam ad pilæ quantitatem, emittentem virus quoddam, cuius magnitudo totum oculum occupabat, & non videbatur nisi ad pilæ quantitatem. Huius origo erat ex cantho domestico seu lachrymali, ad corneam procedens. Cum autem non posset corrodi propter senium & debilitatem partis, neque consumi ob continuum fluxum; Chirurgus igitur pro palliatione apposuit vnguentum Diapompholygos, cum curari non posset incisione: interea pro oculi corroboratione & quod carnem cooperientem consumeret, hoc sequens collyrium præscripsit: ℞. *antimonij loti cum aquæ caprifolij* ʒ ij. *tutiæ præpar. & extinctæ in aqua ros.* ʒ i ß. *cinoliæ* ʒ ij. *pulueriseruntur subtilissime, & cribrentur, & cum aqua ros. & decoctionis memithæ* ℥ iiij. *misce, & fiat collyrium, addendo in fine camphoræ pulueriſatæ gr.* xv. Deinde præscripsit vnguentum palliatiuum & exsiccans, ne increscret aut latius serperet, & vt consumeretur: ℞. *aquar. caprifolij, ros. solatri ana* ℥ ij. *tutiæ præparatæ cum aqua ros. terræ sigillatæ, mirrhæ ana* ℥ j. *plumbi vsti, & loti cum aqua ros.* ʒ iiij. *pulucrisentur subtiliter & misceantur cum aquis prædictis per noctem, mane vero cum oleo cheirino q. s. & ceræ* ℥ j. *thuris* ℥ ß. *pul. fiat vnguentum cum* ʒ j. *camphoræ.* Cum isto vnguento componebat emplastrum, quod apponebat oculo prius loto cum collyrio supradicto.

Scholia.

Dictum prius est ex Paulo, varia in tunica ceratoide contingere vlcera, *vt & Benedictus Veronensis recensuit.* ita & carcinoma vlcus in ceratoidis tunicæ parte rubens innascitur, ex inflammatione materiæ adustæ; ex quo continuus dolor ad tempora infixus peruenit, vel eo magis, si oculus moueatur. Anthracosis quoque cacoethe vlcus dicitur, cum in eadem ceratoide tunica aut palpebra suppurat, vel vtraque: tale corrumax est & magnum vlcus. De cancro etiam sub cornea & de carbunculo Neoterici scribunt: de quibus vide Gordonium & Tharantanum. Barbari vero cancrum sub cornea, vocant apostema melancholicum, quod fit à bile adusta, quodque vlceratur quidem, & fit cancer vlceratus seu vlcus cancrosum. Signa præter iam dicta sunt manifesta: *Vlcus cum calore ad fuscedinem inclinans; color oculi & faciei plumbeus, dolor intensus, cum punctura capitis & tempora. Malum incurabile est, nisi statim succurratur; & periculum est perdendi totum oculum cum vicina loca excedit.* Vulgares ob hoc in *Noli me tangere* mutari malum aiunt, morte subsequente. Interea ægri in morbis desperatis non relinquendi, sed palliatione & blandimentis vtendum: & sic Demosthenes, apud Aëtium remediis mitigatoriis procurari censuit, corpore prius repurgato, & victus ratione optime præscripta, vt apud Aëtium videre licet: quibus adiunges ea quæ de carbunculis genarum ex Seuero, & de maleficis vlceribus oculorum conscripserit. De carcinomatis palliatione & curatione, tum anthracosis & carbunculi oculorum, vide *lib. 2. Benedicti Veronensis cap. 12.* quæ ex Paulo, tum aliis collegit: & de cancri curatione in cornea, consule ex neotoricis Tharantanum.

Carcinoma. Anthracosis Cancer. Signa.

OBSERVATIO XXII.

De mutatione coloris corneæ tunicæ, seu glaucemate.

GOrdonius & Tharantanus referunt, colorem corneæ tunicæ posse immutari in colorem non naturalem, etiam oculo sano existente, propter oppilationem hepatis & splenis, vt in ictero; vel in nigredinem & viriditatem: tunc curatio eiusdem in remotione causæ ægritudinis & ictericonsistit, vt obstructiones aperiantur, *vti de ictero curatione scribunt.* Sic cuidam viro Alexandrino cum ictero laboraret, & oculos citrinos haberet, & omnia crocea spectaret, prius adhibitis iis quæ ad icterum faciunt, iussi deinde vt narium instillis vteretur, vt cyclamini succo, anagallidis & betæ; & vt acetum acerrimum desidens in solio attraheret, contineretque pressis naribus paulisper: quod mirifice vacuabat, adeo vt tandem naturalis color subsequutus sit.

Scholia.

MVtatur etiam color tunicæ corneæ, iuxta eosdem, in lepra & secundum diuersitatem humoris crystallini & albuginei, & spiritus, & humoris vitrei. Hinc apud Aëtium & Paulum, *quemadmodum etiam Fernelius annotauit*, Glaucoma est crystalloidis aut vitrei humoris in glaucum aut fuscum colorem mutatio. Hoc vitio impediti aut per fumum aut per nebulam se videre arbitrantur. Idem impedimentum accidit, cum vtriusque humoris substantia nimiopere crassescit. Si quem forte alium colorem contraxerit, is etiam in obiectis rebus elucebit. Hinc videmus in ictericis crocea omnia apparere, sed ablatis eiusmodi morbis, talis color facile curatur. Verum quod humorum substantiam immutet, vitium quidem rarum est, at certe immedicabile. Hinc Aëtius Glaucedinem duobus modis intelligi voluit: alteram proprie, & *est crystallini humoris ad glaucum colorem transmutatio, arefactio & concretio*: alteram vero speciem *glaucedinis ex suffusione produci volunt humore in pupilla vehementissime congelato & arefacto; quæ quidem insanabilis est.* At quæ proprie *Glaucedo* appellatur, in principio secundum eandem nonnunquam sanari potest deambulatione pro virium ratione, totiusque corporis frictione & lauacris, præcipue capitis. Æstate vero balnea frigida concedenda, caputque ad cutem abradendum, oculique oleo antiquo tantum inungendi sunt. Cicatrices quoque in oculis cum albæ sunt, tinguntur hoc modo: ex Paulo: ℞. *gallæ, acaciæ ana* ʒ iiij. *atramenti*

sutorij ʒ ij. *pauco vino irrora, & illinantur.* Reliqua vide apud auctores iam dictos.

OBSERVATIO XXIII.

De humectatione corneæ, & oculis eminentibus.

ANno 1555. cum ad Dominum de Abbenbrouck tabe laborantem ex Alemaria in Hagam-Comitis euocatus essem, vxor eius generosa, filia Domini de Bergen, cum oculos eminentes haberet & valde humidos, cum corneæ tunicæ humectatione, cui & nigredo oculi in albedinem conuersa esset, ex præscripto Gemmæ Phrysij medici insignis Louanienſis vtebatur hoc collyrio ex melle confecto: ℞. *mellis* ʒ j. *aquæ pluuiæ* ʒ iij. *bulliant, & despumetur; & fiat collyrium.* Postea hoc vtebatur, sed rarius: ℞. *ligni Guaiaci optime limæ comminuti* ʒ iij. *macerentur per 24. horas in aquæ pluuiæ lib.* j. *deinde bulliat igne prunarum, ad lib.* ß. *colentur, & addatur mellis* ℥ ij. *salis* ʒ j. *bulliat parum, & despumetur, & fiat collyrium.* Ego insuper consului Dominæ vt subinde purgaretur pilulis mastich. de hiera & lucis, propter corneæ humectationem; & vt collyriis adderet magis corroborantia, quæque lachrymas nonnihil exsiccarent: vt est aqua cuspidum ros. caprifolij, interea vt pro albugine collyriis iam dictis magis extergentibus vteretur: cum indicatio curandi contraria foret; albugine requirente detersionem; humectatione corneæ & lacrymis, exsiccationem. Iacobo Musio prætorio Dordraceno, oculos eminentes & humectos habenti, commode consului vt vino euphragiato vteretur, quod exsiccando visum roborabat.

Scholia.

HVmectatio corneæ, humoribus ad ipsam fluentibus, siue à natiuitate, de necessitate visui nocet; *vt Galen. 4. de morb. capit. 2. declarat.* quod tunc videnda obscura & tenebrosa appareant; & augeatur, cæcitatem inferat, oculi humidi apparent, & nebula obducti, humore humido crassiore à capite in corneam defluente. Caput purgetur pilulis cochiis, aureis; & fiat venæ sectio, si adsit plethora. Aliqui vtuntur collyriis ad lacrymas fluentes descriptis, vel ad nebulas: quale hoc est: ℞. *sarcocollæ mundatæ* ʒ ij. *stercoris lacerti &* ʒ j. *aquæ pluuialis q. s. fiat collyrium.* Vitium vero huic contrarium est durities corneæ, frequenter senibus euenions. Visus etiam *eodem Galeno teste*, obtenebratur. Valet fotus *ex decocto maluæ, viol. semiculi, hordei, mucilago cydon. & emulsio lactis.* his oculi corrugantur & minores fiunt.

Fluentibus. Visui nocet. Glaucoma. Crystallini. Suffusio. Lacrymas.

OBSERVATIO XXIV.

De oculi procidentia, seu corneæ ruptura.

ANno 1563. in Autumno, Brielas cum euocatus essem vna cum Hughone medico Haghano, ad Kerckweruium senem, qui tunc temporis moriebatur; adolescens ad nos consultum venit, cum vlcerationem vtriusque oculi cum inflammatione & palpebrarum inuersione incurrisset, atque intensissimo dolore afficeretur, ob remedia cuiusdam monachæ medicastræ, quibus per duas septimanas vsus esset. Huic consuluimus, *vt post leuitium medicamentum assumptum cephalica vena incideretur, & vt oculos, quos aperire non poterat, foueret cum decocto maluæ & hordei mundati.* quo præsidio dolor vtcumque sedatus fuit, & simul inflammatio consopita est. Sed vno oculo inspecto cum vtrumque nunc aperire posset, vlcus in eo esse animaduertimus. Et cum inde discedendum esset, neque æger nos diutius in cura retinere vellet, totum negotium chirurgo Brielensi relictum fuit: antequam discederemus, chirurgus nobis retulit corneam tunicam perruptam esse, vuea etiam propendente. Communi consilio leuiter repercutientia ad retinendum humorem præscripta sunt; vt fotus decoct. plantag. bursæ pastoris & ros. rubr. & collyrium à Gordonio cap. proprio descriptum, quod ita fit: ℞. *antimonij vsti & abluti, cerussæ vstæ & ablutæ, cadmiæ adustæ & lotæ ana* ʒ ij. *spicæ nardi, aloës, tutiæ nutritæ, sarcocollæ nutritæ ana gran.* vj. *cum mucilag. tragacanthi & gummi arab. fiat collyrium; cum decoct. bursæ pastoris, cum vsus postulat, huius aliqua portio soluatur.* Succus solus virgæ pastoris cum plumbo vsto in collyrium si redigatur, egregie prodest. Verum hic minus obediens medico suo præsenti, tum chirurgo, vt postea nobis relatum est, cæcitatem incurrebat vno oculo orbatus. Hoc autem mense Augusto præcedenti innumeri oculorum vitiis afficiebantur.

Scholia.

CVm propter erosionem, vt ab humore erodente, vlcere, apostemate, aut ruptione (*vt à causis externis, percussione, ligno, ferro, vebusque acutis, vulnere, casu & similibus*) corniformis tunicæ, potissimum cum vlcera profunda euadunt, pars quædam vuiformis seu aciniformis tunicæ procidit, ῥαγοειδὴς ἀτῶνος; à Latinis vuiformis tunicula procidentia; à quibusdam barbaris, cornea ruptura appellatur. Describitur autem à Paulo, quod procidentia est vuiformis tunicula, quæ erosa ruptaue cornea tunica accidit. Ea insuper cum nondum creuit, à Græcis μυοκέφαλος nominatur, eo quod figura musæ capiti similis existit, *Paulo & Aetio testibus.* Qui Auicennam sequuntur, appellant granatilem vel Formicalem, eo quod apparet ad modum grani exigui vel capitis formicæ; & tunc vuea non exit extra locum suum: Cum vero amplius creuerit, eousque vt acinum vuæ repræsentet, σταφύλωμα à Græcis, à Latinis *Vuatio* dicitur, at vbi plurimum aucta est, vt palpebras transiliat, μῆλον à Græcis, *vtpote à Paulo*, Latine *Malum* vocatur: verum vbi callum obducit, præter id quod extra palpebras transgrediatur, *ab Aetio & Paulo* ὄλος, Latine *Clauus* nuncupatur: quoniam per omnia claui capiti similis existit. Affectus hic, quamuis oculi existat, non tamen secundum omnes eius partes, sed in eo tum corniformis tunica oblæsa est, tum vuiformis: corniformis inquam, erosa vel rupta in soluta continuitate morbo afficitur. Ipsius vero vuiformis tunicæ, morbus in situ est, totiusque oculi in figura. Quapropter nec vna dumtaxat pars in hoc affectu laborat, neque vno tantum affectu: quo fit vt pupilla ipsa in iam dicto affectu diuulsa omnino sit, ita vt aut non appareat, aut à situ, & figura eius sit imminuta: quo discriminatur oculi procidentia ab eiusdem phlyctæna seu pustula: tum etiam quod id, quod prolapsum est, nigrum aut cæruleum appareat; in circuitu vero circa fundum eius partis quæ procidit, labia corrosæ corniformis tunicæ alba apparent: id quod in pustula videre non licet, quoniam ea superficialis existens, similiter vndique nigra est, licet non exacta nigredine.

ῥαγοειδὴς ἀτῶνος. Vuiformis tunicula procidentia, ruptura corneæ. μυοκέφαλος. Granatile. Formicalis. σταφύλωμα. μῆλον. Quæ partes lædantur in hoc affectu. Quod affectus compassius fit. Quibus discriminetur à phlyctæna

Vide de his plura *apud Aetium*. Quatuor itaque veri prolapsus sunt differentiæ, quæ ex dictis facile distinguuntur; cuius causa erosio aut ruptio corniformis tunicæ existit. Ex quacunque ergo causa oculi procidentia ad μωκέφαλον degeneraeuerit, si medicamẽta rite adhibeãtur, curari poterit: quemadmodum etiam, licet ægre, recentia σταφυλώματα: verum vbi alborem aut callum contraxerint, nullus remediis locus est, *ex Pauli sententia*. Si vuea exierit, visus deperditur: sin minus, curantur quidem remanente albugine: si vero sit timor de corneæ ruptura ob apostema, vlcus, vel corrosionem, curetur vt de vlceribus dictum est: præmissa venæ sectione & purgationibus: si rupta est, & quæ ad μωκέφαλον aut ad recentia σταφυλώματα degenerant, tunc repellentibus & astringentibus simul pharmacis opus est, *vt Galeno placet 4. De compos. med. quem & Paulus & Aetius sequuti sunt*: & eligenda quæ nullam aspritudinem faciunt: ea sunt, *folia ros. flores, succus, nardi spica, crocus, lycium & hypocistbis, spongia luuiter posca aut vino adstringente aut ros. decoct. imbuta applicetur*. Quorum medicamentorum copiam habes apud auctores iam dictos & Donatum. Tharantanus & alij qui Auicennam sequuntur, applicant emplastrum oculo affecto, ægris supine decumbentibus, vniuersalibus remediis prius adhibitis, ex cotoncis lentibus vel addita farina lentium cum melle, aut mulsum granatum, cum toto coctum, pistum, adiecto exiguo aceto. Si ruptura sit magna, vuea extra oculum prolapsa, supine jacet æger, vt in locum redeat; repellentibus dictis appositis. Si tamen vtrique oculo tale quippiam eueniat, nihil auxilij restat, *teste Tharantano*, quam vt caniculus egregie doctus tales per calles deducere possit. Nam ciusmodi vnius aut duorum annorum incurabile Auicennæ habetur.

Cap. 29. & 33. lib. 7.

Prognostica

Lib. 7. c. 22.

Curatio.

Topica.

OBSERVATIO XXV.

De Staphylomate.

MErcator quidam Delfensis cum in capite vulnus accepisset, & iam quasi curatum videretur, cicatrice obducta, cum sese aeri subito commisisset, incidit in tumorem magnum totius capitis, & facie ex phlegmone erysipelatosa, ita vt defluxio ad oculos processerit, vnde vlceratione subsequente, in vno oculo tunica corniformis erosa fuit; & tandem Staphyloma subsequutum & excæcatio. Chirurgi licet magnam experientiam jactarent de staphylomate curando, vnus eorum acu pungebat vuationem, toto humore effluente: sed quam perperam illi egerint, recte constat: cum huic vitio manum admoueamus, non vt visum abolitum restituamus; verum vt moderatum ægrotanti decorem conciliemus. Hinc factum quoque est, vt dum ita male chirurgia vterentur, id minime præstarint, cum potius ita manum adhibere debuissent, vt *Paulus Aegineta docet libro 6. capite 19.* scilicet acu ab inferiore parte sursum per basim staphylomatis traiecta, deinde alteram acum duplex linum ducentem ab angulo, qui ad manum spectat, ad alterum per basim staphylomatis transmittere oportet, manenteque prima acu, lini plexu amputato, staphylomatis aliam partem sursum, aliam deorsum filis deuincire: atque tunc acu detracta lanam oui liquore imbutam imponere: post solutionem blandis infusionibus oculum lenire, donec fila simul cum staphylomate decidant.

1

2

Scholia.

AEtius staphylomatum plures differentias conscribit, vtpote cum corniformis ipsa tunica fuerit eleuata, & eminentiam acino vuæ similem fecerit, aut ab humoribus intra ipsam collectis, aut ex pustula quadam satis profunde inter eius partes consistente: quæ duæ differentiæ licet tunicam ipsam corniformem eleuent, & curuari faciant, non tamen ipsam rumpunt, seu exedunt. Et propterea eiusdem eleuatio sola, & non ruptura, existit: quo fit, vt neque id, quod prolapsum est, cæruleum, aut nigrum appareat, quemadmodum in vero staphylomate; in quo disrupta iam est corniformis tunica, & magnus vuiformis tunicæ prolapsus factus est. Cui etiam sententiæ adhærere videtur Celsus, dum dixit: *In ipso autem oculo nonnumquam summa attollitur tunica, sive ruptis imus membranis aliquibus, sive laxatis, & similis figura acino sit; vnde id* σταφύλωμα *Græci vocant.* Verum cum has duas differentias non liceat (*Paulo teste*) vera σταφυλώματα appellare, & insuper earum curatio diuersa existat, cum veræ inflammationis & pustulæ curationem similem requirat, *vt apud Aetium videre licet*. At nunc loquimur de veri prolapsus differentiis, quas quatuor præcedente scholio esse diximus: & quomodo verum staphyloma recens curetur, nempe repellentibus & astringentibus, docuimus. Si vero recentia non sunt, & prædictam curationem respuunt, chirurgia indigent potius, vt decorem conciliemus, *vt in Obseruatione ex Paulo ostendimus*. Habes & hanc curationem apud Aëtium & Celsum. Neque opus est hic victus rationem addere, quum non alia indigeant, quam ea quam aliis oculorum affectibus laborantibus in præcedentibus nos instituimus, & alij auctores; præsertim cap. *De vlceribus & pustulis*.

OBSERVATIO XXVI.

De oculi clauo.

PVella septem annos nata, cum vlcus in oculo haberet, à tonsore pessime tractata, qui oculo affecto frequenter oleum nescio quod calidum infundebat, adeo vt perrupta non solum corniformi tunica, sed etiam vuiformi tunicula procedente, adeo vt callum obduxerit, præter id quod extra palpebras transgrediebatur. Hæc cum ad me consultum veniret, conspexi illud malum esse quod à Paulo & Aëtio diximus, clauum vocari; à Græcis vero ἧλος dicitur, nam per omnia claui capiti similis existebat. Illud enim vitium sine sensu stupet; estque callosum in albo oculi tuberculum, cui nomen à figuræ similitudine habetur. Cæterum cum in hoc affectu oculus duobus dispendiis, cæcitati inquam & deformitati subiiceretur, eum quidem ad naturalem habitum velle reducere, vnum est ex iis, quæ ab arte fieri nequeunt: formæ enim aliquod studium impendi potest, quod maxime à chirurgia sperandum est: Quare hanc puellam ad chirurgos peritos relegauimus.

Scholia.

QVamquam scribit Paulus *eadem remedia quæ ad staphylomata recentia conueniunt, clauis quoque prodesse, priusquam inalbescant; vbi vero alborem & callum contraxerint, nullis remedijs locus est.* Abscisatis corniformis

corniformis tunicæ malis, nunc ad vitia vuiformis tunicæ descendamus; quamquam etiam hæc tunica in corneæ ruptura, *vt nunc ostendimus*, quoque lædatur & egregie efficiatur. Nunc igitur ad Mydriasim seu pupillæ dilatationem accedamus, in qua secundum Rhagoidis foramen, hoc est, pupillam, oblæditur.

OBSERVATIO XXVII.

De Mydriasi seu pupillæ dilatatione.

ELizabetha Ebaldi, vidua honesta, supra triginta annos nata, in insigni aquilæ aureæ Delphis habitans, oculos nigriusculos habebat: huic cum paulatim oculi absque dolore tenebrescerent, ac in dies obscuriores fierent, visusque adeo afficeretur, vt cæcitatem metueret; initio mensis Februarij anno 1581. consilij causa me accessit. Quum autem Rhagoidis seu vuiformis foramen, quod pupillam appellant, diligenter inspicere-mus, inuenimus ampliatum: quod quidem malum Græci μυδρίασιν, Latini vero *pupillæ effusionem seu dilatationem* vocant. Cuius causa cum humor excrementitius existat, qui aut aceruatim, aut paulatim affluit; ab eo citra sensum, *vt Aetio visum est, (quod equidem virum mulier hæc paulatim factum quoque narrabat, absque sensu ac sine vllo dolore,)* vuiformis tunica distenditur & pupilla amplius dilatatur. Cum itaque pro re certa haberemus hoc malum initium sumpsisse ab humorum defluxu, & ad tunicam Rhagoidem eiusque foramen peruenisse ac impleuisse, mandaui, vt victo attenuatorio inprimis vteretur, & in prandio cibo parciore, in cœna pauco vel nullo contenta esset, nihilque excrementicij habente: vt sunt *carnes volatilium, auicularum montanarum, perdicum, phasianorum, turdorum, merularum, columborum, non omnium sed in turribus versantium*, & vt cuniculos subinde gustaret, & quantum posset ab aliis quadrupedibus abstineret, potiusque assa sumeret quam elixa, vinumque vitaret & cereuisiam crassam & quæ-uis alia, quæ facile ad caput transmittuntur & euaporant: præcepi quoque vt quotidie operam daret aluum deponere, per se vel arte; & vt frictionem in diluculo infernarum partium adhiberet, ventris saburra prius exonerata. Venam non secuimus, cum in asperrima hyeme essemus, & illa venæ sectionem abhorreret; quare post purgationes paulo inferius descriptas, cucurbitulas scapulis admouimus, & collo & in occipitio circa collum vesicatorium applicuimus, & in eodem loco, atque post aures, folia fœniculi trita apposuimus: à quibus præsidiis, purgationibus prius assumptis, se multum iuuari ipsamet profitebatur. Omnium primo hoc apozemate vtebatur: ℞. *betonicæ, euphrasiæ, fœniculi ana* m. j. *flor. verbasci, veronicæ* p. j *seminis anisi, fœniculi ana* ʒ i ß. *silueris montani* ʒ ß. *folior. sennæ à stipitibus repurgatorum* ʒ vj. *rhabarb. selecti* ʒ j. *agarici fœmini, albi leuis* ʒ ß. *schœnanthi, zinzib. albi ana* ϑ ß. *uuar. passar. enucleat.* ℥ j. *prun. damasc. numero* xiij. *coquantur in aqua communi pro* ℥ vj. *vel vij. seni infusa per noctem: mane fortiss. expressoni adde syrup. de betonica* ʒ ij. *misc. pro* ij. *dosibus mane sumendis*. Postea & has pilulas sub noctem cepit: ℞. *pilul. lucis* ʒ j. *diag. gran.* iij. *cum aqua fœniculi, fiant pilulæ* vij quibus satis aluum deposuit, quamuis per interualla adhuc bis eadem cepit; syrupo de betonica ad cochlear vnum aut alterum sæpius quoque deglutito, antequam pilulas sumeret; idque stomacho ieiuno. Quod ad topica remedia attinet, marina aqua vt frontem & oculos ieiuna perfunderet tepide, cum in hyeme essemus, imperauimus. Deinde vt hoc collyrio vteretur, vel simili, quo præceptor meus Benedictus Fauentinus feliciter vtebatur, *vt in eius libro de morbis curandis constat 2. sect. capite duodecimo, de pupillæ dilatatione*; in quo loco remedia egregia inuenies: ℞. *ros. siccarum, mentha, siccæ, spicæ nardi ana* ʒ ij. *corticum thuris, myrrhæ ana* ʒ ß. *croci* ϑ j. *prompholygos, acaciæ, spodij, omnium lotorum ana* ʒ j. *aloes lotæ* ʒ ß. omnia pulueriſato & cribrato cum cremore tragacanthi: fiant trochisci, & dissoluatur vnus cum aqua peculi ros. & fiat collyrium. Et quia hoc malo non diu laborasset, etiam fiebat fotus ex fœniculo, floribus ros. & myrti & euphragiæ, chymis rubi adiectis: & fuit hæc egregie curata, antequam malum ad statum peruenisset & confirmatum esset, tunc enim difficulter curatur, *vt in scholio latius dicturi sumus*, eo quod pars illa rugata suam contractionem amisit, ob distentionem internam.

3

4

5

Scholia.

LIcet Rhagoidis, seu vuiformis, foramẽn (*inquit Donatus*) quod pupillam appellant, quatuor modis à naturali statu immutari possit, *Galen. teste libro primo, De causis sympt.* nempe vel ampliatum, vel imminutum, vel ruptum, vel in aliquam partem detortum, seu diuulsum: cum eius ampliatio (*de qua nunc loquimur*) siue à natiuitate sit, siue postea, semper visui incommodet. Cum igitur pupilla ipsa colore quidem nihil euariat, multo vero latior, quam pro naturali modo efficitur, vt aliquando ad iridis circulum accedat, *Aetio teste & Paulo*, μυδρίασις dicitur. Censendum est oculum ipsum quidem hic oblæsum esse, non tamen totum, sed secundum rhagoidis foramen, hoc est, pupillam; ea namque à naturali statu accessit, & pro quantitates declinationis increscit iterum ipsius visionis noxa, & est morbus *iuxta Galenum* in genere conformationis, quoniam immodice pupilla dilatata. Pro cuius recessus quantitate, quandoque in totum visus impeditur, interim vero vident ægri, verum obscure, & quæ videntur ab ipsis, omnia minora quam sint putantur esse, *Paulo & Aetio testibus*. Vniuersus spiritus ipsam pupillam (*vt ait Galenus*) implere non sufficit, vnde ipsum diffundi dissiparique necesse est. Causas iam diximus: cum fiat ab humore excrementitio: quamquam etiam à causa externa (*vt ad longum docet Benedictus Fauentinus præceptor meus*) euenire possit, ex percussione, casu, ictu, & obuiatione rei duræ, vt ex exemplo in subsequenti Obseruatione etiam ostendimus. Barbari volunt, & qui Auicennam sequuntur, tum Arabes, etiam ex desiccatione vuiformis tunicæ fieri: sed hoc rarissime contingit, & ægre curatur, quamuis & illa quæ paulatim vel coaceruatur, fit ab humoribus collapsis, non facile curetur, nisi in principio. Volunt quoque, si à capitis vehementi dolore fuerit, curationem non recipere, præsertim si maxime dilatetur; sicut & parturientibus. Accidit quoque hæc affectio magis pueris propter debilitatem: insuper & his qui ex natura nigros habent oculos (*vti & hæc vidua habebat*) quoniam magnas etiam pupillas habent, & propterea facile in hanc affectionem delabuntur. Quæ vtique curari potest, victu attenuante & ventri commodo, *teste Aetio*, vtendum. A vino abstinendum, donec affectio fuerit soluta. Balnei vsus sit rarior: deambulationibus lentis ac plurimis in locis vmbrosis vtendũ, clysteribus aluus humectanda,

6

quid sit mydriasis seu pupillæ dilatatio.

Quæ para affecta.

Quis affectus.

7

Signa.

Causæ.

Prognostica.

Curatio.

ctanda, & infernæ partes fricandæ, vena humeralis vel media in cubito secanda, si adsit plethora; alioqui purgandum pro ratione succi redundantis, sed non multis vicibus neque vehementer. Moderate astringentia loco affecto adhibenda, *vt apud eosdem auctores iam dictos inuenies.*

OBSERVATIO XXVIII.

De pupillæ dilatatione ex ictu pilæ palmariæ.

IOhannes Teylingius cognatus noster, Dordracenus, anno 1576. 31. Februarij die, cum Delfis in sphæristerio pila ludentes spectaret, pila in oculum eius dextrum percussa est, & iuuenem fere excæcauit. Statim pharmacopœum accedit, qui stuppam canabinã albumine oui immersam oculo apposuit: & ita in Hagham Comitis profectus, vbi habitauit, nihil præterea egit, nisi quod postea nescio quæ stillauerit in oculum, quibus, vt ab vxore tandem intellexi, aliquid vitrioli albi immixtum erat. Duodecimo vero die à pila inflicta, consultandi causa me prius accessit, & animaduerti oculum mydriasi affectum esse, & nigredinem pupillæ iridis circulum fere occupasse. Cum principium iam præteriisset, libenter adhuc venam secuissem, sed cum eam admittere nollet, & principium præteriisset, ac iuuenis macilentus & raræ constitutionis esset, hæc præscripsi: ℞. *syrup. de betonica* ℥ iiij. *capiat* ij. *cochlearia bis in die.* Deinde has pilulas: ℞. *pilul. Indis* ʒ j. *fiant pilulæ* v. verum cum parum purgarent, hanc potionem deinde sumpsit: ℞. *folior. sennæ* ʒ iij. *rhabarb. selecti (quia biliosus & macilentus)* ʒ j. *schœnanthi* ϑ ß. *semin. anisi* ʒ j. *infunde per noctem in* ℥ v. *aquæ betonicæ & mane fortiss. expressioni adde syrup. de betonica* ℥ j. *misce.* Deinde cum venæ sectionem non admitteret, cucurbitulas duas cum scarificatione scapulis affigi iussimus, & vnam ventosam sine scarificatione in nucha. Et imperaui vt lotionibus pedum quoque vteretur, pro diuersione: & vt oculum lauaret frequenter aqua marina; idque tepide, cum in hyeme essemus: & vt victu attenuante vteretur, vt viduæ præcedenti injunctus fuit. Mandabam præterea, vt domi se contineret, eo quod tempus hybernum & pluuiosum esset. Et hoc collyrio in oculum ter quaterue in die instillato, pupilla dilatata paulatim ad pristinum suum statum rediit; & visum, qui antea impeditus erat, probe retinuit, quamquam primis diebus adhuc cum collyrio vteretur subinde experrectus mane cum quadam molestia videret. Sed collyrio ad tempus instillato, recte se habuit, & nunc optime videt: tale erat collyrium quod præscripsimus: ℞. *flor. ros. rubr. exsiccat.* ϑ ij. *croci, flicæ nardi, corticis thuris ana* ϑ ß. *pomphol ygis, spodij, acaciæ ana* ϑ j. *in pollinem redacta ligentur in nodulo panni linei rari, & nodulus conjiciatur in aquæ ros.* ℥ iij. & quando eo vtebatur, nodulus fortiter exprimebatur, & aqua ipsa in oculum collyrij instar stillata, paulatim ad pristinam sanitatem rediit.

Scholia.

Dilatatio pupillæ si repente fiat quomodo curetur. 4

DIlatatio pupillæ si repente fiat, plerumque à causa violenta fit, ex percussione vel ictu, vt hic ex pila palmaria subito ex reticuli percussione in oculum volante, & cum oculus non esset vulneratus, hæc mydriasis facilius per nos curata fuit, cum neque inflammatio neque aliqua symptomata subsequerentur. Si tamen repente & ab alia re violenta fiat, vt vulnere, tunc disrumpitur extremitas rhagoidis, qua parte rugata est circa iridem. Hæc non curatur, sed sufficit, si vulnus seruetur. Tantum tentabimus in principio, *ne dilatetur magis fluxu copiosi sanguinis, siquæ venæ sectione, derivatione & medicamentis astringentibus, repellendo & corroborando.* Et quamuis Tharantanus prædicit hunc affectum incurabilem, si fiat à causis primitiuis, nempe ob casum, ictum & obuiationem rei duræ; tamen hic noster æger fuit curatus, cum non subsequeretur apostema. Si paulatim fiat, vel *si paul.* fit ob magnitudinem humoris albuginei, vel ob *frig.* humores aut vapores ad vueam decurrentes, ipsumque impellentes: tunc purgentur pilulis; tenuis victus obseruetur, vt dictum est, qui oculorum non tantum superfluitates absumit, sed & totius corporis; vti & venæ sectio, quæ multitudinem humorum euacuat. Si vero fiat ob oculorum apostema, recurrendum ad præsidia descripta de ophthalmia. Si sensim fiat, id quoque, *vt Rondeletius annotauit*, accidere potest, à multis flatibus vel humoribus intra oculum fluentibus. A flatibus tibicines sæpe hoc malum incurrunt, cum fortiter buccis inflatis canunt; vt nos aliquando vidimus, & in curatione habuimus. Quam ob causam frequenter tales sunt euacuandi; & in his discutiendi flatus, tum qui in toto corpore geniti sunt, tum in oculo. Medicamentis topicis discutientibus addit aliqua astringentia, quæ partibus robur addant, vt si fiat fotus *ex decocto sem. fœniculi, perici ad mediam partem aliorum*: & decoctio fieri poterit in aqua peculi ros. vel myrti, & adde vini albi quartam partem. Ista fiant in principio, *cum collyria spissa ex acacia, hypocist. cortice thuris, tutia, sang. dracon. inspissando cum pauco vino.*

Hoc modo possemus præcauere & curare; sed facta difficilimè, vt dictum est, ad statum redit. Et magna ex parte ægroti conqueruntur tantùm quando est facta, quia sine dolore fit, *vt diximus*; & ideo tardius consulunt medicum, & eo tempore sæpius cum iam malum confirmatum est. Siquidem, vti Arabes volunt, accidat ob siccitatem vueæ (*vt sicca temperie præditis vel ex longis febribus consumptis*) oculi frequenter erunt fouendi aqua dulci tepida, & lac muliebre infundendum, & victu resumptiuo vtendum.

OBSERVATIO XXIX.

De tabe pupillæ ac diminutione.

IMminuitur quoque rhagoidis foramen: quam immutationem Græci φθίσιν appellant, *vt patet* 10. *De vsu partium*; Latini vero tabem seu diminutionem pupillæ vocant; medicorum vulgus pupillæ constrictionem: & est priori morbo contraria: fit enim hic (*Paulo teste*) pupilla angustior, obscurior, rugosiorque. Res lumini obiectæ in his maiores apparent. Causa vero est densatio, quæ siccitati potius fertur accepta, vt si humores minuantur vel plus iusto exsiccentur. Ita quidam ad nos veniens, pupillam vnius oculi magis angustam & constrictam habebat, ita vt sanus oculus (*quod & Galenus testatus est*) qui in propinquo erat, affecti vitium proderet: hoc enim modo, *vt Galenus docuit* 10. *De vsu partium*, affectus hic dignoscitur. Cum ex siccitate pupillam diminutam contraxisset, curationem contrariam mydriasi, *iuxta Aetium*, instituimus: victum optimum & humectantem & resumentem præscripsimus, quæ forbilia, & iura restaurantia dedimus, vinumque fuluum atque odoratum, & somnum longiorem concessimus; qui vt etiam cibum exciperet, præcepimus balnea ex aqua dulci vt fierent consuluimus; & vt capitis ex aqua calida perfusione vteretur: quibus addunt Paulus & Aëtius, vt supernas partes exerceant, humeros præsertim & brachia, cum spiritus detentione, caputque & faciem diligenter fricando, extremisque digitis oculos contrectando, ac calida faciem fouendo, deinde iungendo caput vnguento aliquo eorum quæ moderate calefaciant, sicut irino: tum genuis dispansis illiuendum erit oculo acre & rarefaciens medicamentum quod humores possit attrahere: quale est *ammoniaci* ϑ ij. *aloes* ʒ j. *crocomagmatis* ʒ ij. *croci* ʒ ß. *axungiæ anseris* ϑ ß. potest in defecta crocomagmatis croci dosis augeri: triturentur, & cum aqua pluuiali vtaris. Sunt qui herbas in aqua coquunt, vt bismaluam, & huius fotu vtuntur. Verum quæ emolliunt, *vt Rondeletius doctissimus censet*, valde oculis periculosa sunt, & ideo is mauult ex axungiis & muccilag. collyrium spissum componere, & palpebris adhibere post aquæ tepidæ fotum, vel post receptionem vaporis decocti *viol. & chamomillæ.* Collyrium parari potest vel ex pomata, vel butyro recenti vel axungia anatis vel gallinæ porci & similibus: *Vt* ℞. *pomatæ* ʒ j. *mucceil. seminis lini exc. cum aqua viol.* ʒ iij. *axungiæ anseris vel anatis* ʒ ij. *incorporentur simul. fiat ad formam linimenti. palpebris applicetur*, quo nos commodè vsi sumus.

Scholia.

PHthisis oculi ab atrophia oculi differt, quod illa angustiorem pupillam; hæc totum oculi bulbum minorem, *teste Paulo & Aëtio*, humilioremque reddat. Galenus vero diminutionis pupillæ duas causas ponit: vnam ex parte ipsius rhagoidis tunicæ vel extensæ vel relaxatæ, *vt* 1. *De causis symptom. docet*, & hanc longiore sermone explicat Donatus ab altomari: alteram ex parte humoris tenuis, albuginei dicti, qui medio loco inter ipsam rhagoidem & crystallinum humorem effusus, consistit, & ex defectu humoris in se concidens contrahitur ac rugatur. *& de vsu partium* 10. si ad pupillam ipsam parcior spiritus affluat, etiam corrugatur pupilla, velut in senibus ac annosissimis videre licet; quamquam & ipsis quoque rugosa interdum fiat propter senectæ imbecillitatem corniformis tunica: & propterea male, aut prorsus non vident pupillã non immutata. Ex quibus constat *spacium omne, quod est post humorem crystallinum, spiritu simul & humore tenui assiduè repleri oportere: & quod in cæteris partibus humor, in ipsa vero posissimum pupilla spiritus ineat plurimus.* Numquid vero imminutionis pupillæ causa, tenuis humoris defectus, seu inopia fit, aut spiritus, seu vuiformis tunicæ laxitas propter humiditatem, distinguere haud admodum difficile erit, si ea quæ in oculis apparent, ætatem, temperamentum ægri, ac ante actam vitam, & reliqua perpendas. Neotetici ita signa distinguunt: *Si à siccitate oculus parvus erit vel diminutus neque humidus; similiter quando est ex defectu albuginei humoris, si autem ab humore vel sanie vueam comprimente, eadem aderunt quæ dicta sunt de sanie seu pure inter corneam: si ab humiditate ipsam emolliente, oculus apparet humidus.* Quod vero ad prognosticum attinet; dicebat Galenus 1. *De caus. sympt.* non semper malam esse pupillæ paruitatem: quoniam ea quæ naturalis est, bona existit; siquidem in minori pupilla colligitur spiritus, constringitur atque densatur: quæ omnia ad sensus bonitatem oculi conducunt. At si morbi vitio, & non naturæ, pupilla minor reddita sit, mala quidem existit, ac multo deterior efficitur, quam mediocris: quoniam vitiosos sequitur affectus, vt ipse asserit: eoque maxime insanabilis est, si ex tenuis humoris defectu gignatur; minùs autem innoxia est, si propter vniformis humorem minor reddita sit pupilla. Nam difficilius est similari corporis particulæ cuiuis, cùm siccata est humiditatem restituere; quam eam, cùm humectata est, siccare. Si ex siccitate est, iam curationem diximus. At si ex humiditate vuiformem tunicam extendente & relaxante tabes pupillæ fiat, curanda erit ex his, quæ præcedente capite de pupillæ ampliatione diximus, aut ex his quæ pro cura suffusionis dicemus; quamuis raro accidat; & in summa ea adhibeantur medicamenta, quæ vim digerendi ac exsiccandi citra morsum habeãt. Et ideo, si fiat humorum repletione vel sanie, purgationes & venæ sectio adhibendæ, & collyriis vtendum de albugine oculorum apud auctores descriptis: si autem humores vel plus iusto exsiccentur propter aliquam causam exsiccantem & astringentem; hic quidem morbus sensim fit, nisi quando vulnere aliqua pars albuginei humoris euacuata fuerit; tunc enim affatim contrahitur & cæcitas sequitur: sed vbi humor paulatim exsiccatur, laborandum est vt refarciatur cum cibis bonis & aliis iam dictis: quamquam hoc difficile erit, si plus æquo diminutus sit humor. Atrophiam, id est, innutritionem oculus pati dicitur, *Aetio auctore libr. 7. cap. 54.* quando ob vehementes capitis dolores aut acutas febres paulatim depressus, concanatus omninoque pusillior redditus, & ob paruitatem obscurus, impedit visum, euenitque id frequenter, quando vulneratur vel perforatur: estque tunc omnino insanabilis, alioqui hos curare oportet fouendo oculos spongia ex calida aqua expressa, & lac tepidum instillando, ac prorsus à collyrij applicatione abstinendo: cibique offerendi sunt optimi plurimique alimenti; atque ea ipsa quæ antea ad tabem pupillæ conferre diximus.

OBSERVATIO XXX.

De oculi seu suffusione seu cataracta.

SVffusione dextri oculi afficiebatur mulier quædam Alcmariana; quæ cum nondum radices egisset, aluo prius irritata per cassiam, die sequenti (*cum faciem rubicundam & pustulis plenam haberet, & tempus verum esset*) vena cephalica secta fuit in brachio dextro, tam ob plenitudinem, quam ob suffusionem ipsam, cum Galenus 4. *method. medendi*, recte admonuerit, oculum non sanandum ante totum caput; neque hoc ante totum corpus. Sic Aristoteles, Plato de morborum curatione senserunt; sane & Hippoc. & Diocles & Praxagoras & Plisthonicus, & Veteres vniuersi. Thessalus vero non sic: sed primum ad medicamenta ex sinapi venit, post toto corpore sollicitus; ne hic quidem prudenter quicquam docens. Post itaque venam sectam, materia pituitosa & melancholica existente vna cum sanguine mixta, sequens decoctum propinauimus: ℞. *betonicæ, salui æ, florum stœchados scabiosæ, euphragiæ, fœniculi, dentis leonis cum toto ana* m. j. *flor. rosarum. flor. cordial. ana* p. j. *semin. anisi* ʒ i ß. *rad. fœniculi, apij liq. vas. ana* ʒ ß. *folior. sennæ* ʒ x. *prun. damasc. num.* xiij. *iuiub. sebestem ana num.* v. *fiat decoctio in sero lactis pro* lb i ß. *colaturæ sacchar. dulceretur.* bis in die aut semel sumebat, prout venter respondebat, hoc enim modo ichor

sanguinis expurgabatur, cum etiam hæc mulier ad lepram disposita esset. Deinde has pilulas deuorauit: ℞. *pilul. fine quibus (purgant egregie bilem, pituitam & melancholiam, & proprie valent ad cataractas & oculorum obscuritates, visum custodientes ac roborantes) pilul. lucis maioris (quæ excrementa pituitosa à capite educunt, visumque roborant) ana* ʒ ß. *diag.* g̃ iij. *cum succo fœniculi, fiant pilulæ* vij. *quas post mediam noctem sumpsit, & aluum septies exoneret.* Deinde cucurbitulas cum scarificatione scapulis admouimus, oculo priuatim adhibuimus inter mali initia quæ molliter siccabant & extergebant, vt est mel exstillatum, fœniculi succus; postea & chelidoniæ & fumariæ herbæ aut marrubij: deinde ad collyria fortissima ex fellibus composita deuenimus: ac denuo assumptis pilulis visum recuperauit, ac mediocriter fuit restituta; vt deinde à remediis abstinuerit. Sed post annum malo victus genere vtens in idem malum recidit, & ad consilia Empyricorum, agyrtarum, medicastrarum, & circumforaneorum confugit, etiam tonsores imperitos in curatione admittens; ita vt tandem altero oculo eodem vitio correpto misera mulier multos dolores cum perpessa esset, tota facies morphea infecta fuerit, ac demum cæcitatem vtriusque oculi incurrerit. Et ita pessime tractata, neque peritos medicos in consilium adhibens, post tres annos (*cum ad lepram disposita esset*) in elephantiasim; postremo & lepram Græcorum immedicabilem lapsa est.

3

Scholia.

4 Lib. 4 c. 51. Svffusio, *vt annotauit Aëtius ex Demosthene*, est influxio humidi in pupilla concreti, ita vt completa visum prohibeat. Hic autem affectus præter naturam, qui etiam iuxta pupillam oritur, à Græcis ὑπόχυμα ἢ ὕπωχυσις? à Latinis *Suffusio* dicitur; Arabes aquam, medicorum vulgus cataractam appellant: ab Aëtio etiam præterfusio seu affusio quoque dicitur: sub diuersis tamen verbis idem sentire videtur Paulus *cap.* 22. *libr.* 3. dũ dixit ὑπόχυμα *humidorum esse affusionem, qui inter tunicam corniformem & crystalloidem concrescentem, visum impediunt.* Verum idemmet Paulus *libr.* 6. *cap.* 21. *vt etiam Donatus annotauit*, suffusionem retulit esse lenti humoris in coniformi membrana iuxta pupillam consistentiam, quæ visum impedit, aut certe ne perspicue oculus cernat, efficit. Quibus verbis, si quis exacte ea perpendat, videbitur Paulum diuersimode in prædictis locis de suffusione locutum esse: nam 3. *libro* ὑπόχυμα dixit esse *affusionem*, visus verbo Græco παρέχυσις: in sexto vero dixit, esse *consistentiam*, visus verbo σύστασις. Verum idemmet auctor his satisfecisse videtur prædicto *capite duodecimo libro* 6. cum diceret de iis suffusionibus, quæ nullam manus administrationem requirunt, quæque confirmatæ non erant, *tertio libro* se pertractasse: de iis autem, quæ confirmatæ sunt, & ex toto concreuerunt, *in sexto libro* verba facere. Non mirum itaque si in tertio libro suffusionem per affusionem descripsit, cum ipsam in via ac in fieri consideraret; in sexto per consistentiam, seu concretionem, cum de iam confirmatis confusionibus differere proposuisset. Et ideo, vt *recte Bacchiellus dixit*, decipiuntur, qui cum glaucomate idem malum esse putarunt, cum hypochyma sit humoris aquosi concretio: ita Glaucoma est naturalium humorum in cæsium colorem mutatio. Propterea omnes suffusione laborantes (*vt inquit Paulus*) lucem vident, aut multam aut paucam, nisi totum foramen rhagoidis crasso corpore sit obtenebratum: de quibus ad longum vide Galenum 1. *De causs. symptom.* & apud Donatum qui latius hæc explicat: eoque discrimine ab hebetudine & glaucomate affectis separantur, cum ipsi lucem nullam cernant. Græci autem ὑπόχυμα dixere à χέω, quod est fundo, deducto nomine. Et sic etiam Latinis nomen à verbo *suffundi* acceptum, de omni humore dici potest, qui per spacium aliquod funditur. Cataracta vero præcipitem decubitum humoris significat: hocque nomen positum à practicis, quia suffusionem existimarent fieri defluxu aquæ in oculis, vnde & aquam descendentem in oculum appellant. Vnde quidam practici, *vt Iacchinus*, cum ad lachrymas diuturnas sæpe suffusio sequatur, de hoc malo tractant. Quoniam enim pupilla velut inane quoddam spacium intuentibus apparet, propterea quod superducta est pellucida tunica, & subest illi secundum naturam aqueus humor, qui pellucidus est maxime vt aqua. Hinc si quid crassius ea parte, qua perforata est vuea, fundatur, & obducat meatum illum, suffusio nominatur. Aliquandò inter corneam & vueæ foramen collectum, aliquando penitus. Est igitur sedes affecta oculus; sed priuatiue humor eius aqueus, qui vniuersum spacium à crystallino humore ad corneam vsque tunicam replet, vt *Iacchinus volebat*. Verum, *iuxta Donatum*, cum suffusio ipsam visionem impediat, (*Aëtio & Paulo testibus*) verendum non erit oculum in ea affectum esse; & proprie iuxta pupillam, vt liquet ex traditis ab eisdem descriptionibus, inter crystallinum videlicet humorem & corniformem tunicam. Et ideò Tharantanus, *Mihi*, inquit, *videtur, saluo honore aliorum, quod non sit ægritudo vueæ, quia subiectiue in ea non est; nam foramen nihil dicit nisi priuatiue: sed ratione propinquitatis cum vueæ passionibus ponitur*: Dico ergo quod cataracta, *secundum Auicennam*, sit humiditas extranea inter corneam & humorem albugineũ, in loco existens vbi vuea deficit. Qui affectus cum per se primo functionem lædat, hoc est, ipsum videre, morbus inquam est in compositione, & propric in numero; non in defectu, sed in excessu: connumeraturque inter eos morbos, qui toto genere præter naturam sunt; *velut libr. De diff. morb. & 14. method. med. liquido constat.* Alij obstructionem esse dicunt morbum, ab eo quod præter naturam meatum obstruit pupillæ, quo minus spectra permeare possint: nam opacitate detinentur, cum in solo perspicuo corpore lux & colores multiplicentur. Alij vero, quod ad principium & augmentum eius, pertinere volunt ad symptoma actionis corruptæ visiuæ: videntur enim præ oculis versari, quæ naturaliter non debent. In eius vero statu ex toto perit visus: & sic pertinet ad actionem ablatam visus. Vtrumque tamen symptoma sequitur morbum officialem in via, obstructionem scilicet à materia vaporosa, aut humorali cadente inter vueam & corneam, quæ generatur interdum in oculo, & in eo inspissatur: aliquando eadem materia venit aliunde, puta à cerebro vel à stomacho vel ab alia parte corporis, vt in suffusione non vera, cum plures eius sint differentiæ. Verum quomodo dignoscenda sint symptomata similia suffusioni, & distinguenda ab his quæ propria suffusorum sunt, abunde docuit *Galen.* 1. *De causs. symp.* & 4. *de loc. affect.* de quibus postea agemus, cum & exemplis subsequentibus omnia clariora euadent.

Cataracta. Aqua. Suffusio. ὑπόχυμα ὕπωχυσις

Conciliatur Pauli verba ex Donato ab Altomari.

5

OBSER-

OBSERVATIO XXXI.

De tribus ægris laborantibus suffusione.

IVuenis quidam, qui ad me deflectebat, muscas & lucentia quædam corpora præ oculis sibi obuersari dicebat, literasque cum legeret, virides aut alterius coloris esse iudicabat. Quæ signa cum animaduerterem, initium incipientis esse suffusionis oculorum, dicebam. Fiunt autem primum imaginum apparitiones, quod crassi quidem vapores, vel etiam humoris minime pellucidi portio aliqua, per aqueum humorem funditur: vnde variarum rerum speciem præbet; plurimum vero nigriorum vel fuscorum animalium: Ob opacitatem enim nigra omnia visuntur, quasi extra oculum sit, quod tenebricosa quædam simulachra offendunt se crystallino humori. Vnde Aëtio quoque visum est, quod ita affectis veluti culices quidam parui, ac caliginosa quædam oculis sæpe obuersari videntur: & quidam ex ipsis piliformia vident, alij velut lanarum filamenta, aut aranearum texturas: quibusdam circa lucernas circuli apparent. Hæc vero vitij incipientis signa sunt: quæ vbi in hoc iuuene adesse animaduerti, ne malum incrementum acciperet, ideo cum suffusio nondum consistentiam adepta esset, iuueni consului, cum in vere hoc tentaretur malo, vt secta vena media in cubito, quæ magis apparebat, sanguinem sibi detrahi iuberet, deinde pilulis ex hiera primo assumptis, postea etiam adhibitis decoctis attenuantibus, *oxymelite scillino, syrup. de hyssopo ac similibus immixtis, deinde pilulis arabicis, cochijs, aureis assumptis, per tres quatuorue dies postea omni mane acceptis duobus cochlearibus syrup. ex infus. ros.* Similiter à purgatione cucurbitulis etiam scapulis & occipitio affixis, cute incisa; & ex interuallis apophlegmatismis & errhinis vtens, & postremo pilulis rursus sine quibus & lucis deuoratis, hic curatus est, vt topicis remediis non opus fuerit: tantum optima victus ratione attenuatoria vniuersali vtens, *ex Pauli, Aëtij & Cornelij Celsi decreto*, pituitam extenuante, sanitatem consequutus est, aëre ad calidum & siccum inclinato, & adhibito somno breuiore quam consueuerat, vtensque exercitio moderato, potissimum partium inferiorum, vel eius loco earundem frictione. Alui quoque excrementis quotidie arte vel natura depositis; immodicisque animi affectibus longe remotis; præsertim tristitia; vinoque per totam curationem interdicto, & eius loco ceruisiam vel mulsam vel cinamomi decoctum bibens, & ab omnibus caput replentibus abstinens, à balneo quoque, piscibus, fructibusque, ac reliquis quæ corpora aut caput humectare poterant. Verum alteri adolescenti quoque supradicta symptomata augebantur ita, (*cum diuturnæ præfectum esset malum per quatuor plusue menses antequam nos consuleret*) vt euidentius si legeret tandem pupilla conturbari cœperit; & talis mihi obnoxie intuenti apparebat, qualis aliquando purus aër apparet nebulis sparsis repletus, aut virum aliquod maculis quibusdam respersum, aut obnubilatum fumo. Hæc autem vbi apparuerint (*teste Aëtio*) pura pupilla apparet his, qui negligentius considerant; aliquando vero colorem maris refert. Cum hæc signa in adolescente isto conspicerem, principium suffusionis præteriisse cognoui, atque augmentum incepisse. Quare & iisdem remediis supradictis vsus sum, tum victus ratione quoque attenuante, & ad topica remedia, vniuersalibus iam dictis, transire cogebar; à mitioribus incipiendo, & ab his quæ impense siccarent abstinendo: nam licet valenter vacuent; quod reliquum est ita cogunt, vt ægre aut numquam resolui possint: ideò vtebar in principio fœniculi succo, & decoctum fœniculi superfundebam; quod & Paulus laudat. Postea felle perdicis cum melle & succo fœniculi illinitionem faciendam præcepi: modo felle galli & loco fœniculi succi, rutæ succo vel euphragiæ, chelidoniæ seu verbenæ vtebar: ita vt etiam hic, cum nondum concreta nec confirmata esset materia, tandem sanitatem quoque adeptus fuerit. Verum altera puella viginti annos vel plures nata, etiam consilij causa nos accedens, quæ per plures menses vnius oculi suffusionem cum habuisset, & mulierculatum ac tonsorum curationes frustra experta fuisset, animaduerti iam perfectam fuisse suffusionem, cum ægra non videret, & pupillæ color ad albedinem omnino mutatus esset, & non transluceret, perfectam & confirmatam esse suffusionem intellexi: quamquam plures sint coloris species. Nam quædam suffusiones aërem assimilant, aliquæ vitrum referunt, aliæ albicantes sunt, aliæ ad cæruleum colorem magis mutantur, aliæ vero glauescunt. Cum itaque hic accidentia ad summum peruenissent, & ægra nihil prorsus videret (*etenim cum iam fixa est materia, hebes fit visus: & tandem vel ad cæcitatem producit malum, vel saltem notabilem visus læsionem: vnde & tempora morbi numerantur, atque in statu tunc esse dicitur, cum maximum nocumentum infert,*) ideo vt adhuc altero die ad me rediret iussi, circa meridiem, modo tempus serenum esset, vt diligentius inspicerem: eaque ad me reuersa, & in loco luminoso posita, color aquæ in pupilla erat instar grandinis, & totam pupillam impleuerat; & quia diu durauerat malum, insanabile esse pronunciaui. Vbi enim color aquæ sit sicut color fungi aut calcis aut grandinis, aut niger, *teste Gordonio*, tunc præstat curationem relinquere & nihil in tali cutatione laborare: imo, vt ab oculario medico experto accepi, si suffusionis color sit niger, nullo modo neque acu, multo minus medicamentis, curatur. Ideo ne ipsa ægra magis deciperetur ab imperitis medicis, consului vt sumptibus parceret, neque amplius remediis frustra vteretur: quamquam medici plurimum promittunt; quod &, vt Flaccus ait, medicorum est; scilicet imperitorum magis & impostorum, sed aut nihil eorum, quæ promittunt, efficiunt, vel parum iuuant. Intellige si confirmata sit (*vt Iacchinus medicus egregie doctus dicebat,*) id est, multum adaucta: adeo vt & noxam nota dignam inferat, & diu durauerit.

Scholia.

Svffusio cum alia sit vera & à proprietate; alia non vera, sed per consensum ventriculi facta; & sic quædam est ab ipso oculo vel partibus vicinis propinquis pupillæ. Vapores enim aliquando aquosi ascendunt à stomacho ad oculos, & perturbant humiditates claras luminosas; quando enim fit effumatio quædam quæ spiritus disgregat & obtenebrat, tunc etiam dicitur suffusionis principium esse; sit ob ventriculi affectum vel ob cerebri plenitudinem. Si à stomacho, vt postea dicemus, ante cibum peius se habent quam post. Aliquando autem descendunt à cerebro: cuius signum *quia æqualiter ante cibum & post afficiuntur.* Et ita Neoterici cataractæ causas primitiuas esse volunt casum, ictum, febrem, dolorem capitis, frigus, cibos fumosos, flatulentos, quæque vapo-

6

7

8 Causæ.

res

res ad caput & oculos emittunt. Antecedentes vapores esse dicunt ab humoribus cibisque crassis, fumosis, imperfecte concoctis, resolutis: vel à vino, vt ebriis accidit. Et sic causam coniunctam cataractæ non confirmatæ volunt esse vaporem non incrassatum: confirmatæ vero, vaporem conuersum in aquam. De his quidem causis videas Benedictum Fauentinum, præceptorem meum, qui ad longum easdem explicat. At qui Galenum & Aëtium ac Paulum sequuntur, suffusionis veræ causas ad frigidos, crassos seu lentos succos referunt. Hinc Iacchinus existimat in ea minime conuenire sanguinis missionem contra Paulum & Aëtium, & sequaces: quia morbus tardus & longus est, & prorsus frigidus, & ex causis omnibus frigidis euenit: & damnum magna debilitate & euacuatione spirituum potest inferre: ideo purgatione vtitur, per cochias & fœtidas pilulas, apparando humores oxymelite, & decocto siccante & extenuante, & electuariis variis. Postea etiam propria reuulsione, vt per posteriora ex vesicatoriis inustionibus: demum caput exsiccat pulueribus & ablutionibus: deinde adhibet oculis ea quæ diximus. Alij tamen omnes vel ex media aut externa vel humerali in cubito sanguinem demunt: deinde clysteribus acrioribus vtuntur; demum purgatione. Rondeletius etiam ex cephalica sanguinem mittit, si signa plenitudinis sanguinis adsint. Cæterum quum sæpe inter initia suffusionem curandam suscipiamus, quando alteri affectui assimilatur; ideo probe illam distinguere est necessarium, tum ob prognosticum (*quoniam altera est deterior affectio altera, & plus periculi inuehit,*) tum ob curationem, quæ multum est diuersa. Est autem affectus suffusioni similis, de quo sæpe Galenus meminit: quando non in ipso oculo est mali radix, sed aliunde fumi elati per arteries, atque humorem oculi afficientes, speciem faciunt imaginum, ac si in ipso oculo malum foret, & humor noxius. *De hac 4. de locis affectis.* Debet enim humor ille esse quam purissimus & maxime diaphanus: ideo siue diuulsa corpuscula, siue etiam tenuis quasi fumus obducatur, hæc visa facit. In hac igitur falsa suffusione, potius fumosa corpora; in vera potius corpuscula crassiora innatare putandum est. Prouenit autem falsa hæc suffusio ex cruditate, quæcunque sit: præsertim vero nidorosa. Prouenit & cum bilis in ventrem confluit, vnde euaporat ad caput. Rondeletius tam à pituita quam bile fieri scribit. Rhases igitur non accipit, ex repletione deterius habere; tempore vero famis melius. Galenus enim velle videtur, accidentia hæc potius ex mordenti humore fieri, vt qui magis effumet; ideo in cruditate nidor est: Ideo potius negatiue argumentatur: Non est par læsio igitur suffusionis initium, sed non affirmatiue: Est par; ergo non suffusio: soli enim conuenit, non omni. Sic enim falsam à vera distingues, 4. *De loc. affect.* Nam vbi à ventriculo ambo oculi similiter afficiuntur, & affectio in ambobus est similis, (*quod in vera suffusione non accidit,*) neque simul in vtroque incipiunt, neque similiter apparent, dicit Galenus; vel secundum Iacchinum, raro accidit. Nec enim dici potest euenire non posse simul: sed hoc admodum contingens est rarum, vt simul prehendantur, & eodem modo: multo vero euidentior est nota, quod vera continua est, vtpote perpetuo manente eadem causa: at altera intermittit aliquando: modo maior est, modo minor; prout causa maior vel minor: etenim in vitiosa concoctione augetur; cessat, ea optima existente. Si & contemplanti tibi pupillam, nihil tenebrosum habere videatur, ab ore ventriculi affectum procedere inuenies, deinde tum talia apparuerint visa, mordicus in ore ventriculi doluit: maximè vero, si post hæc vomendo iecta re mordente, mitigata fuerint symptomata. Euidentius quoque deterget, *vt dictum est prius*, cum in vero diutius protrahatur & pupilla conturbetur. Vbi enim altera pupilla tenebrosior, aut turbidior, aut nõexacte pura videtur, suffusionis esse initium censendum est: & certius id iudicare valeas, tum ciborum minus tamen quam consueuerat assumptorum, & nihil mali succi habentium; tum etiam ex aloë medicamenti, quod quidam picram, alij hieram picram appellant, assumptionis experientia, *Galeni auctoritate, eodem 4. De loco affect.* dignoscere tentabis. Cerebri quoque cognatione similia suffusis symptomata accidere solent in quibusdam phrenitidis speciebus, primario scilicet affecto cerebro; quod eiusdem phrenitidis indiciis percipi poterit. Sed quoniam tam si dicta symptomata ex ventriculi, quam si ex cerebri consensu oriantur, veram suffusionem non indicant; curabitur affectio partibus primario affectis diligenter curatis, vt paulo post exemplo suffusionis non veræ à ventriculo ortæ ostendetur: quæ etiam facilius curatur quam vera suffusio, licet vera quoque suffusio, *teste Galen. 14. method.* iam incipiens digeritur; vbi vero diu constitit, digeri nullo pacto potest. Suffusiones si incrementa susceperint, difficilius curantur, & si ad vigorem contingunt: quare curatio non est proroganda, donec ad tempus consistentiæ peruenerit: & licet per initia curari malum possit; vbi tamen inueterauerit, *teste Celso*, non nisi manu curandum. Ita & Paulus curari quidem posse affirmat; non tamen omnes. Propterea vult Galenus, priusquam eius curam incipiamus, distingui oportere num sanabilis sit an secus. Hoc fiet, inquit 1. *de caus. sympt.* si quidem altero oculo clauso, iusserit vt altero tenente aspiciat: statim enim ægrum oculum videbis clariorem reddi: quod sane significat, plurimum lucidum spiritum eo fieri atque oculum illustrare, & caliginem illam obductam nonnihil euincere posse. Nam si contra turbida permanet, signum est non ferri visui spiritus copiam in oculum, aut ob nerui obstructionem, aut ob oculi debilitatem; vel eum turbidum crassumque esse. Iam etsi suffusio tolleretur, adhuc visus clarus non recuperaretur. Et ita cognoscitur ex Paulo *lib. 6. c. 21.* quæ ex Galeni doctrina etiam accepit: pariter & ex eis quæ confirmatæ sint, quæ ad eductionem manus idoneæ reddantur, quæue non; quo pacto cognoscantur, suffusi, si compuncta suffusione visum recepturi sint, an non. Nam quibus altero oculo conniuentibus, alterius pupillam dilatari contingit iis, si compunctio administretur, recipiendi visus fiducia est: quibus non dilatatur, horum nemo vnquam reuidit: neque si minimo cum dolore, ac commodissime iis est administrata compunctio. Arabes quoque addunt (*quod & Benedictus Fauentinus præceptor meus non præterijt,*) si digitis, aqua pupillæ suffusa ab eius loco separetur insigni quadam frictione, & postea modico interuallo ad eundem effluxerit locum, punctione exacte administrata curatum iri: quod si id non contingat, vana erit ac inutilis compunctio. Plura videas de his apud eundem Benedictum Fauentinum. Neque à causis primitiuis, vulnere, percussione recipit curationem; neque gutta serena dicta, in qua oculi videntur clari, in neruo optico apostemate, humore, duritie existente: vt in nauta illo Mœderio, *de quo alias diximus.* Quod ad colorem attinet, Tharantanus albas tendentes ad colorem perlæ, viriditatem ac cinereitatem scribit curationem suscipere. Illud tamen, vt mihi videtur intelligendum, modo non fuerint congelatæ & inueteratæ: nam increbrescente ægritudine (*inquit Aëtius*) accidentia quoque increbrescunt; quæ vbi ad summum peruenerit, æger excæcatur, & pupilla ad candidum colorem (*vt prius dictum est*) sine vllo penitus splendore mutatur. Gypsea autem, iuxta eundem Tharantanum, & nigra & plumbea, & multum citrina, non recipiunt aliquam curationem, neque cum medicamentis neque cum acu. Inter eas vero quæ omnino incurabiles sunt, ab Aëtio connumerantur, quæ glaucescunt suffusiones: cum eæ fiant ab humore iuxta pupillam vehementissime congelato, vt ipse testatur. Quomodo vero Glaucoma differat à suffusione, dictum est: quæ etiam apud Aëtium & Galenum 10. de vsu partium inuenies. Quomodo autem suffusi curentur, maxime in principio, nunc dictum est; scilicet *iuxta Aëtium*, venæ cubiti sectione, acribus clysteribus purgationibusque, etiam cucurbitulis occipitio cum scarificatione affixis, apophlegmatismis, & iis quæ per nares repurgant, optima victus ratione obseruata. Et quibus topicis, etiam dictum est: quorum medicamentorum campum inueniet apud *Galenum, Trallianum, Aëtium, Paulum, & Neotericos, Rondeletium, & præceptorem meum Benedictum Fauentinum.* Donatus valde commendat aquam quandam socialem dictam, quam Neapoli Pharmacopæi paratam habent, ex descriptione libri, qui *Rosa Anglicana* nuncupatur.

OBSERVATIO XXXII.

De suffusione non vera ex ventriculi vitio.

IVuenis debiles oculos habens, per interualla suffusionem in vtroque oculo experiebatur, tamquam muscas, culices & alia spectra videret, & eo potissimum tempore cum largius potasset, vel cibaria cruda sine ordine deuorasset: nam concoctione peracta ructibus emissis, aut leni subsequente vomitione, simulachra dicta non spectabat. Iisque animaduersis, falsam esse suffusionem intellexi: quamobrem me ad curationem accingens, quæ inter initia nihil distat, quod ad apparentiam, à curatione veræ incipientis, cum omnis cura consistat in vacuatione: & ideo in non vera suffusione causam abscindere oportet, concoctione procurata, & per aloëm aut hieram picram purgare: nam ea sola iactitat Galenus multos in Asia per literas Roma missas se curasse. Quare & nos semel in hebdomada ʒ j. pilul. hieræ simplicis exhibuimus; & iuxta consultationem Montani 45. de oculorum debilitate & suffusione ex consensu ventriculi, victu frugali vt vteretur mandauimus, abstinendo à vino nigro crassiore, cibisque fumosis omnibus & crassis, lacticiniis, piscibus, fructibus, & frictis, quibus & hic optime conualuit. Sed quia oculos debiles habebat, præcepi vt collyrio ex succo fœniculi, aqua rof. & vino vteretur subinde, & vt à lectione niinia, cum studiosus esset, abstineret, præcipue post prandium & cœnam: & vt sibi duo ocularia parari iuberet, vnum ex crystallo, quo in legendo vteretur; alterum ex vitro viridi, quo non vteretur in legendo continue, sed per certa interualla, quo spiritus recrentur. Tertio vt sibi iuberet componi pyramidem rotundam in acumine, non perforatam ex vitro densiori viridi, cuius basis tam lata sit, vt vtrumque oculum recipiat; intus vero concauam: in quam intuens colligeret spiritus, & radios ad inuicem adiuuaret.

SCHOLIA.

ARculanus suo tempore medicus insignis suffusionum principia & quæ per communitatem à toto, aut à ventriculo, aut à capite vel neruis opticis fiunt, quinque intentionibus curatiuis absoluit, euacuando, diuertendo, membrum mittens corroborando; deinde membrum suscipiens, nempe oculum, confortando, ne aliunde suscipiat materiam: postea receptam resoluendo & euacuando; adhibita quoque victus ratione commoda. Si à toto suffusio sit, videndum num sit repletio totius: tunc vena incidenda, hæmorrhoides aperiendæ, menses educendi si constricti sint. Si alius humor sit, vt plerumque esse solet; is repurgandus: & si à capite, eius ratio quoque habenda: si in ventriculo, & fluctuat, vomitus imperandus: tamen cum cautione, ne materia ad neruos opticos vel oculos præcipitetur: alioqui procuranda in ventriculo præcoctio, & recrementa in eo collecta repurganda: quam curationem cum is ac Rondeletius describant, non opus est his diu inhærere; cum non vera ex ventriculo, facile curetur vomitu in facile vomentibus, & frequenti purgatione cum hiera, pilulis aromaticis, mastichinis ex myrobalanis. Et si morbus per proprietatem fiat, habes ibidem egregia remedia: & nunc diximus antea quibus præsidiis curetur propria & vera suffusio, vt non opus sit eadem repetere.

Curatio suffusionis non veræ.

OBSERVATIO XXXIII.

De suffusione vera & confirmata.

MVlier generosa vetula de Grænesteyn, in campo regio religioni dicata, cum in vtroque oculo (*quod rarius euenire diximus*) cataractam confirmatam haberet, & cum per multos menses cæca esset, & nos consuleret, ad ocularium medicum expertum eam relegauimus; & ita cataractam deponi fecit in vno oculo, & quasi visum recepit. At non diu post rediit malum, neque vllis modis curari potuit cataracta iam indurata.

SCHOLIA.

SVffusio quæ confirmata est (*si curari possit*) magnus administrationem requirit: quæ quomodo perficienda sit, consule Paulum & Celsum, nam hæc ad chirurgiam pertinent. Sed diligenter animadvertendum, vt Tharantanus consuluit, vt quis de probo & iuuene chirurgo huius artificij gnaro & experto sibi prospiciat: sunt enim multi oculistæ qui per vrbes vagantur & fraudulenter agunt, pecuniam extorquentes ab ægrotantibus, multaque promittentes quæ tenere non valent; cum probi quidem recta via incedentes eas tantum aggrediantur, quas ex Galeno, tum aliis præcedente scholio, sciunt curabiles esse: & acu cataractam non deponunt, nisi corpore prius per medicum repurgato, & victu commodo præscripto die sereno sine vento & nubibus, tempore vernali vel autumnali, luna plena non existente; nec in coniunctione, neque arietem aut geminos peragrante, Tharantano consulente.

Lib. 6. c. 21.
Lib. 7. c. 7.

OBSERVATIO XXXIV.

De visus debilitate.

DEbiles & imbecilli appellantur oculi, vt Aëtius ex Demosthene annotauit *libro septimo capite quadragesimo quarto*, qui neque splendidum neque igneum colorem spectare possunt, sed à quauis leui causa superata videndi acie lachrymas præcipue inter legendum effundunt: differuntque hi à Rhyadicis, id est, à fluentibus & emanantibus oculis, quod fluentes absque causa extrinseca assidue lachrymant: imbecilli vero causam quampiam requirunt. Ita Iodoca Teylingia, matrona prudentissima valde prolifica (nam ex marito suo Augustino Teylingio viginti proles susceperat,) vetula septuagenaria, mater vxoris meæ, cum in senectute oculos debiliores haberet, & leui rubedine cum affecti essent, atq; dolerent, lachrymas leuissima ex causa profundebat: aqua rosacea oculos vt aspergeret frequenter, iussi; &, quod nuper pro puero eodem malo correpto præscripsi vtilissime, sumach parum contuso & in nodulo ligato & cum aqua ros. expresso, & in oculum stillata aqua, & aluo repurgata cum decocto foliorum senæ & herbarum quarundam ocularium, lachrymæ & rubedines cessarunt: mox collyrio ex aqua ros. euphragiæ & fœniculi, postea aqua fœniculi sola vtens in balneo maris per me destillata, omnis rubedo ablata est, & melius videre potuit, & legere ocularibus vtens. Aëtius vero tales curat, deambulationibus, cursionibus & superiorum partium exercitationibus, cum frictione, spiritus detentione, capitis abrasione, leui oculorum frictione post exercitia & aquæ frigidæ aspersione in caput. Aquæ etiam potio, & mediocris victus ratio, & sonora lectio adhibenda est: nec astringentia, refrigerantia, emplasticaque medicamenta recusabimus, si fuerint necessaria.

Scholia.

3 DE debilitate visus videas Arculanum, & Matthæum de Gradi, qui de hac re longiorem sermonem habent supra Rhasem: quamquam debilitas largo modo sumpta à medicis non tantum ad diminutam visionem se extendat; verum etiam ad alterationem, ablationem & corruptionem eiusdem. Strictius vero sumpta pro diminuta tantum operatione visiua, proprie debilitas dicitur. Quocumque modo sumatur, semper est symptoma actionis læsæ, diminutæ vel quasi ablatæ. Et ita distinctio varia erit à generatione contracta, vel postea adueniente: & per causas suas, per communitatem, vt à toto, particulari membro, ventriculo, vel cerebro; vel per proprietatem; vel à causa primitiua, vel à corporea, vel diuturna vel breuiter contracta, alia tantum in oculo, nullo præcedente morbo; vel in sene debili per naturam: vel in forti ac iuuenili corpore.

Distinctio varia.

4 Atque rursus hæ causæ esse possunt ratione spirituum vel tunicarum, vel humorum, vel neruorum opticorum, & harum omnium signa & differentias & curationes apud eundem Arculanum inuenies longiori sermone, vt non opus sit hæc reiterare. Hinc recte Rondeletius inquit, *Debilitas visus à multis causis fit, & pro varietate causarum varia sunt remedia.* Si sit debilitas visus post aliquam insignem euacuationem vel sanguinis vel aliam quamlibet, tunc curare oportet per restaurantia humiditatem natiuam. Cum enim prouenit ab inanitione, id accidit ob penuriam spirituum; ideo reficiendi optimis alimentis, optimo vino. Si ex nimia siccitate, vnde cornea corrugatur, humectetur totum corpus & oculus cum lacte mulieris, & aliis de siccitate dictis: Si ab humiditate, vturi nedia, & fugiat humida, & siccantia adhibeat: si humores, purgentur: adhibeantur relihibeat: si humores, purgentur: adhibeantur relihibeat: si humores, purgentur: adhibeantur relih

tergentibus descriptis ab auctoribus *capit. De suffus. & oculi macula.* Si à crassis vaporibus, tantum pilulis vtemur de aromatibus, de hiera cum agarico sine croco, *vt Rondeletius consulit*: etiam clysteribus; nam vidit puellam repente factam cæcam, cui iniectione clysteris visum statim restituit præter expectationem. Vnde credit etiam meatus visorios posse obstrui à crassis vaporibus, sicut ab humoribus crassis; præsertim iis qui alui diutius excrementa retinent, vel qui male concoquunt. Si autem ob vulnus illatum & descendens in partes profundas oculi & neruum opticum, nullo pacto curantur. Et si diutius durauit visus obscuritas ob aliquam obstructionem, non curatur, propterea quod partes concidunt, cum spiritus amplius non recipiunt; quæ cauitates, postea difficilime dilatantur: à crassis humoribus crassi, pauci & turbulentiores fiunt spiritus: hic humor purgandus est. Si sine obstructione id fiat, vt post morbos qui fuerunt cum magno fluore sanguinis, aut alui aut sudoris, vel in senibus ob paucitatem spirituum & instrumentorum siccitatem, quæ ea corrugat. In tali casu oportet sanguinem resumere optima victus ratione, assumendo ea alimenta, quæ bene & probe nutriunt, neque corpus multitudine recrementorum replent. Hos vinum aqua dilutum plurimum iuuat, album, & tenue, & quod caput non tentet: optimum quoque erit cinnamomum vel semen fœniculi, alimentis admiscere, *vt ptisanæ vel iusculis.* Gradus refert *se puerum 13. annorum in curatione habuisse, qui post ægritudinem sex mensium cæcus euasit, licet in oculi substantia nulla læsio appareret, ita vt cæcitas euenerit ex diminutione spirituum: nam post duos menses facta restauratione puer visum recepit.* Si autem à spirituum crassitie, tunc victu attenuante vtendum erit, & alimentis attenuantibus, nec moliemur euacuationes magnas, quæ substantiam spirituum dissipant. Si ob tenebrationem humorum fiat obscuritas, collyria tunc detergentia & quæ sunt præscripta ad dilatationem pupillæ à flatibus, hic erunt ex vsu. Vide pulueres & aquam egregiam apud Rondeletium; & apud Holerium, aquam, quam scribunt restituisse visum cæco 9. annorum, *cap.* 18. *De debilitate visus.*

13 *De crassis vaporibus.*

14 *De paucitate spirituum sine obstructione quomodo curetur.*

A crassitie spirituum curatio.

OBSERVATIO XXXVI.

De quodam qui longinqua optime videbat, propius vero admota hebetius.

1 GEnerosus vir & Dominus de Benthuysen anno 1567. Mense Maio cum ad eum accitus essem, conquerebatur se propius admota hebetius videre, longinqua vero optime. Hic cum longo tempore victu crassiore & lautiore vsus esset, & vino rubro Gallico, atque in otio viueret, ego existimaui, humores crassiorem & turbulentum spiritum induxisse; cui & oculi paulo humidiores spectarentur. Huic autem vinum rubrum interdixi, & vt à vino omnino ad tempus abstineret, vel tenui & aquoso admodum parce vteretur; & victum tenuiorem eidem præscripsi. Cui cum libenter sanguinem ex cubito detrahere voluissem, noluit omnino admittere; quare vt pilulas has singulis septimanis sumeret iussi: ℞. *pilul. næstichinarum pilul. lucis, pulueris rhab. optimi ana* ℈j. *cum succo fœniculi, fiant pilulæ* vij. *dentur vnica vice.* Deinde fœniculum viride vino immergebat; quo sæpe oculos detergebat: quibus præsidiis tandem hoc vitium cessauit, cum paulo frugalius viueret, & à vino abstineret, & exercitiis matutinis deambulationibus vteretur.

2

Scholia.

OB superfluam crassitiem & turbulentiam spirituum, visus debilis erat, vt propinqua non videret; remota magis: ideo victum attenuantem & exiccantem præscripsi, ventriculo quoque repurgato, & sanguine depurato cum decocto fœniculi, fumariæ & senæ & myrobalanis, quibus etiã vsus est, ante pilulas sumptas & post. Vnde recte hic nobilis & generosus vir se habuit. Quamquam alium nouerim qui oculos vtcumque eminentes haberet & valde humidos, (vti etiam M. Iacobo Musio Prætori Dordraceno contigit, *vt antea dictum est,*) qui propinqua magis videret, vt Myopes solent, huic consului ad visum debilem restaurandum, vt vino euphragiato vteretur, quo se valde iuuari professus est.

3

OBSERVATIO XXXVII.

De Myopia.

MYopes appellantur, *vt Aëtius testatur lib. 7. cap.* 45. qui à natiuitate, pusilla quidem prope conspiciunt; procul vero magna aspicere nequeunt, legendisque literis oculos admouent: quod cuidam expansis oculis fiebat, (*vti Domicellæ Heermans Brielensi comigis;*) cuidam moderate apertis (*vt Florentio Teylingio sororio meo*) fieri solebat. Hunc morbum Aëtius & Paulus tamquam immedicabilem derelinquunt. Verum in his nihil præstantius est, quam ocularibus cauis ad oculi formam, vti; *vt in Scholio subsequenti latius ostendemus*: & ideo eiusmodi ocularia vt sororio meo confice; rentur consuluimus.

1

2

3

Scholia.

MYopiam Hollerius *lib. 1. De internis morbis cap.* 18. ad debilitatem visus refert, dicitq; hoc cõtingere ex raritate tunicarum oculi; velex humoris tenuitate & subtilitate spiritus visorij, qui priusquam angulum faciat, dissoluitur atque euanescit. Sunt qui eo nomine vespertinam *Myopiam* etiam aciem appellant: cum interdiu obscure, noctu & sine lucerna, acutius videant. Rara affectio hominibus ab eadem causa: nisi quod illis infirmitas maior est; his luce quidem diffluit spiritus, nocte cogitur atque temperatur. Contra *quæ* in Nyctalope, de quo postea. Summatim in his, quæ natura ad legitimam videndi facultatem instituit, spiritus neque crassior neque tenuior esse debet, sed aëria tum natura, tum substantia, tum qualitate moderata, iusta etiam quantitate, quæ omnia pendent à natura sanguinis & pituitæ, in quibus substantia est spiritus. Temperatus enim sanguis eundem spiritum gignit; intemperatus vero vitiosum reddit. Subtilior spiritus obscuro loco melius habet, vt in vespertina acie. Tenebris enim colligitur, crassescit & frigidior redditur. Idem efficit, vt & minima cernamus & pingamus calamo: sed tantum ea quæ in proximo sunt. Contra vero crassior spiritus, vt in senibus, remotius posita intueri potest, tantum cernit maiuscula, eademque calamo pingit. Ex quo inuenta est ratio Opticorum in specularibus, vt conuexa, minores: concaua maiores: plana æquales formas & literas repræsentent. Vt enim oculares radij maiorem minoremue angulum describunt,

Myopiam differt à strabismo.

Lib. XI. Obseruat. XXXVIII. 39

scribunt, ita formæ oculis proponuntur. Ob hoc Myopia affecti ocularibus cauis ad oculi formam vti debent. Nullum enim, si ab ortu contractum sit malum, præstantius remedium adferri possit quam ocularibus ad oculi formam cauis vti, & circumferentia densioribus, quo spiritus in centrum, tamquam pupillam cogantur, & confertim prodeant. Quod in multis medici excellentiores & nos experti sumus. Ex his enim causis oculorum varij affectus sunt: Quidam propinquiora non cernunt, alioqui longinquiora difficulter: nam quanto magis irradiatas literas perlegunt, eo deterius oculis subiectas literas cernunt: propterea niger oculus ea natura existimatur. Qui vero sine multo lumine legunt, ij acrius propinquiora concernunt: propterea qui oculos glaucos habent, propinqua melius respiciunt, quoniam exiguum luminis appetunt: ob eam rationem seniores, quibus spiritus tenebrosior redditus est, plurimum luminis exquirunt: literas ob id ab oculis submouent, quum legunt, & specillis euidentius cernunt, quoniam species visibiles ex literarum singulis elementis crassiores reduntur, nec spiritus facile resoluuntur. At acie oculorum prævalentes, huius specillis læduntur. At oculi emissitij hebetiores sunt: nec remotiora contueri possunt, quoniam eorum acies superciliorum vmbra dumtaxat fouetur: è diuerso caui oculi remotiora acrius cernunt: quoniam vis circumsepta in vnum redigitur, *ex Aristotele.* Interea Platonis sententiam & Galeni subtexemus, qui ex oculis spiritus radiantes eiaculari asseruere, & ad obiecta pertinere; ita visibilia concerni: nam equi ob eam causam, capræ, & cati refulgent, noctu cernunt: ita quod ex oculis egressus spirituum radiantium quum peruenit ad obiectum longinquum, attenuat spiritus radiantis crassitudinem, & eo motu suppetentibus radiis, ad longinquiora protenditur. Eadem ratione in breui spatio spiritus crassus attenuari nequit, neque radij nisi iusta distantia diffundi possunt, ob id oculis admota non cernimus, sed ad longinqua paulo remittimus obiecta. E contrario subtilior spiritus, ac exiguus quoniam modicus est, protendi non potest ad remotiora, subtilitasque plurimum resolubilis atque euanibilis nequit extendi. A Platone vero Peripateticorum schola imagines rerum visibilium à crystalloide suscipi, & aëre puro, ac limpido ciusmodi species repræsentari asserit. Quæ cum à longinquo in aciem defertur, vehementiori motu regitur in spiritum in instrumento contentum, vnde acies laborare videtur, si spiritus exiguus fuerit: verum idem multus facilius ferre videtur: si vero crassus fuerit, difficili motione extenuari, & nihilominus longinquiora benè contueri: quemadmodum diximus euenisse Benthusio, quin longinqua optime videbat, propius vero admota hebetius. E diuerso, si tenuis & exiguus fuerit spiritus, dum vehementiori motu longinqua contueri conatur, dissipatur, resoluitur prius, tenuis spiritus: contra oculis admota, sicut nyctalopibus contingit, clarius cernit. Aristoteles vero libr. *De generatione animalium*, non in spiritibus, sed in humoribus id discrimen constituit, in eo præsertim qui ooides dicitur. *Siquidem visus* (inquit) *non igni, sed aquæ tribuendus est: itaque qui multum humoris continent, nigri sunt, quoniam humoris copia transpici satis non potest; cæsiis qui parum humoris habent, satis transpicitur: vt in mari etiam cernitur; quantum enim eius transpicitur, cæsium apparet, quantum minus aquarum; & quantum*

De gene. animal. Aristoteles.

Pet. Foresi. Tom. 2.

præ gurgite alto non præsmitur, id opacat; & nigrum aut cæruleum semitur magis minusue ita constiterit. Eandem causam esse putandum est, vt cæsij acute interdiu cernere nequeant: nigri noctu. Cæsij enim præ sui humoris exiguitate mouentur magis à luce & rebus visibilibus: quoniam cæsietas imbecillitas est; nigri vero ob humoris copiam minus mouentur, lux enim nocturna exilis est, nec humor per noctem facile moueri potest. Visus autem optimus, qui inter multum & parum humoris medium possidet, quoniam neque per exiguitatem vincitur, vt colorum motiones impediat, neque per nimietatem præbet mouendi difficultatem. Myopes à nostris dicuntur luscios, tales enim à natali die propinqua vident, remota non item. Budæus quoque luscioſos & luscitioſos & nuſcitioſos vocat; quales fere cum paulo diutius legerint, aut oculos aliquo coniectos habuerint, exhausto spiritu tenuiore cæcutiunt, aut limis semiclusisque oculis volitantia quædam in aëre corpuscula sese intueri putant. In myopia vel myopiasi visus est diminutus, non sublatus aut hebes, ita vt propius admota tales tantum videant: ita noui luscioſos, quod eos non videant, qui eosdem prætereunt, nisi admodum propinqui sint: noui tamen rursus aliquos myopia laborantes qui vix luscioſi viderentur. Differt tamen myopia à strabismo, videlicet conuulsoria (*resic Paulo lib. 3. cap. 22.*) musculorum, qui bulbum mouent, dispositione: quamquam vt idem refert, oculi infantium ab origine distorti faneſcunt rebus faciei circumpositis, vt in rectum videant. Et sic lucerna in conspectu ponitur, quæ non ex obliquo appareat.

Visus optimus.

Myopia Myopiasis.

Myopia differt à strabismo.

OBSERVATIO XXXVIII.

De Nictalopia seu nocturna cæcitudine.

1 ALiud quidem vitium (*quod Græci* Νυκταλωπίαν, *Latini* nocturnam cæcitudinem *vocant*,) in oculis oboritur, in quo videndi functio læditur, ita vt oculus hic sit pars affecta: cum enim fieri non possit, vt cernendi functio oblæsa sit, ipso oculo nequaquam affecto, cum actionis noxa qualiscunque sit, cuiuslibet partis proprium sit symptoma, *vt patet 2. De locis affect.* Hic vero affectus præter naturam ad symptoma noxæ functionis animalis sensibilis, nempe visiuæ, non ablatæ nec deprauatæ, sed debilis pertinet. In quo vitio, *teste Paulo & Aëtio*, per diem homo cernit, sole deinde occiduo obscurius, noctu omnino nihil. Videturque id, *vt Aëtius sentit libr. 7. cap.* 46. ob capitis imbecillitatem confingere, præsertim ob visorij spiritus, reliquorumque humorum ac tunicarum oculi crassitudinem. Quod equidem malum istis diebus cum viro circiter quadraginta octo annos nato contigisset, ab humorum crassitie spiritibus quoque incrassatis euenisse verisimile fuit: nam grauitatem in capite & similiter circa radicem oculorum sentiebat: qui cum boni habitus esset, à sanguinis detractione in cubito è cephalica curationem instituimus, fœcibus prius ab aluo expurgatis (*Aëtius & Paulus etiam ab angulis oculorum idem præstant*) mox purgatione, vel per clysterem inanitione adhibita, egregie profuit. Deinde post communem euacuationem apophlegmatismos & sternutationes quinque diebus aut septem adhibuimus, & hyssopi decoctum: id quoque, vel rutæ aut origani, ante cibum auctores prædicti exhibent; victu attenuatorio etiam præ-

scripto: & si non succedat his curatio, rursus catharcticum propinant; & postremo ad collyria & linimenta procedunt, oculos melle despumato illinendo: deinde iubent vt claudantur oculi premendo humores, continendoque: *aluminis scissilis part. 2. salis fossilis part. 1. trita cum melle sublinunt.* Verum ego huic viro sanguine detracto etiam hoc decoctum propinaui: ℞. *fœniculi, betonicæ, origani, hyssopi, rutæ, euphragiæ ana* m. j. *fiat decoctio in aqua communi pro* lb j. *colaturæ adde syrup. de betonica, mellis vos. colati ana* ʒ i ß. *misc.* & cum pauco cinnamomi aromatisetur, pro ʒ. dos. deinde ita illum purgaui: ℞. *pilul. cochiar. de hiera simplici, lucis ana* ϑ j. *cum succo fœniculi, fiant pilulæ* v. rursus reiterato decocto, paulo vehementius illum purgaui: ℞. *pilul. cochiar.* ϑ ij. *pilul. lucis* ϑ j. *trochisc. alhandal.* ℈ ij. *diag.* ℈ j. *cum aqua fœnicul. fiant pilulæ* v. dentur longè à cœna. Postea etiam, cucurbitulis scapulis cum scarificatione impositis; masticatorium quoque ex pipere, pyrethro, cubebe, & semine fœniculi præscripsimus. Postremo, ad hoc collyrium deuenimus, ex succo fœniculi & anagallidis: nam anagallidis succus tertio quoque die oculis iniectus egregie prodest; cum & pannum in oculo consumat: sequens etiam egregie huic, tum aliis, vtile fuit: ℞. *mellis depurati* ʒ ij. *succi fœniculi* ʒ j. *fellis accipitris* ʒ ß. *misce.*

SCHOLIA.

4 Causæ. HVius causa eadem est cum his qui parum acute vident ob crassos spiritus vel humores vel crassitiem instrumentorum & tunicarum. Fit autem quia pauca illa spirituum quantitas, non sufficit ad illuminandum oculum, alioqui crassum, aut nimia humiditate obtenebratum, quæ maior esse solet noctu quam interdiu, ob lunæ influxum, quæ sub calore moderato humores liquefacit: oculus enim (*vt prius dictum est*) ex Aristotelis sententia aqueus est. Id etiam experimur in hominibus eiusmodi, quod in nouilunio melius vident & minus acute in plenilunio. Signa huius mali per se nota sunt, cum per diem cernant; sole occiduo deinde obscurius; nec tu nihil. Signa quoque causarum facile ex iis quæ de debilitate oculorum dicta sunt à nobis tum ab aliis auctoribus, etiam habentur. Habitus enim corporis indicat, si ex multitudine humorum, si ex spirituum sola confusione corpus habile est. Si ex crassitie tunicarum, signa iam prius dicta sunt: si cerebri vitio contingat, vel capitis dolor & grauedo aderit: ita in meningibus dolor ad radices oculorum pertingit: si impetu, ex humore in nervum opticum, facilius excæcantur, *vt Holerius vidit in pistore iuxta furnum ignitum repente cæco facto*: sed illa potius ad amblyopiam & amaurosim pertinent, cum in hoc affectu tantum visio debilitatur, ob aliquam capitis imbecillitatem & maxime visiui spiritus crassitudinem, itemque reliquorum oculi humorum ac tunicarum. Celsus refert in feminam bene respondentibus menstruis non cadere. Curationem ex Paulo & Aëtio iam diximus, & si illa, quibus nos vsi sumus, non satisfaciant. Vide reliqua apud præceptorem meum Benedictum Fauentinum, quæ de Nyctalopis curatione scripserit. His autem, vt Paulus & veteres commendarunt, iecur hircinum assatum, aquosus inde humor collectus inungitur. Quin & ipsum iecur comedendum exhibetur, coctique vapor oculis excipi apertis præcipitur. Antiqui licet fere omnes commendarint iecur hircinum multis modis præparatum, primo assum & cum sale comestum, vel saniem, quæ excidit, dum assatur in veru, appositam oculis, vel nidorem oculis apertis exceptum: hoc tamen remedium Rondeletius imbecillius inuenit, nisi cum felle torreatur. Tunc enim illius sanies est efficacissima. Vel si fœniculi folia vel rutæ vel chelidoniæ affigantur. Qui vero Auicennam sequuntur, secant, & piper longum infigunt, aut sal indunt, reponuntque ad furnum in vase lapideo, vt distillet sine vstione liquor: vel exsiccatum in puluerem redigunt & in oculum coniiciunt, quod valde exsiccat & deterget. Alij sanguine columbino illinunt, aut felle capræ; Aëtius addit agrestis, vel felle bugloßi piscis, quod præ cæteris iuuat. Similiter hepar caprinum coquito: obuelato capite & in ollam aduerso, fumum oculis excipito: ipsum vero hepar assidue edendum præbeto. Cuidam *vt refert Alexander Veronensis*, qui noctu neque stellas neque lunam cernebat, spodij exiguum violacco admiscens in naribus sæpe coniecit, lumenque restituit: succus hieraciæ herbæ prodest, ab accipitre nomen habens apud *Gal. 4. De medic. secundum locos*, & Cornelium Celsum reperitur hieracion collyrium ad obscurum virum & scabras affectiones. Inde etiam nomen herbæ, *vt interpres Hollerij annotauit*, quam rustici chorcam luteam vocant, à florum colore, in pratis frequentem. Accipitres aiunt scalpendo eam, succoque oculos tingendo obscuritati visus mederi; ob idque vocant *Hieracion*. Contingit aliquando sed rarius, vt quidam (*teste Aëtio*) noctu quidem melius cernant, interdiu peius; & lunam noctu appareat, nihil cernant: in quibus multum attenuari spiritum ac tunicas rarefieri, & propterea spiritum dissipari, ac visum obscurari fatetur; noctu vero crassefieri, colligique ac sensum mouere: alij dicunt quod igneos quasi habeant oculos, vt experientia in quibusdam animalibus obseruare liceat, in equis & felibus, *vt antea dictum est.* Cum spiritus hic in die dissipatur, soli robori reparando insistendum proponit Aëtius: & scribit Herophilum quibusdam remedium contra eos vti, iecur hircinum comedendum præbens: quæ magis congruere arbitratur iis: qui noctu non vident: sed potius ea proderunt, quæ ad spiritus dissipatos valere scripsimus; cum & Auicenna tales humectet, & in iis sanguinem incrassat, victumque probe instituat; atque nos itidem vti possimus, quæ antea ad paucitatem spirituum valere diximus.

Signa.

5

Prognostica Curatio.

Iecur hircinum.

6

OBSERVATIO XXXIX.

De milite quodam qui duo semper cernebat.

ANno 1545. mense Aprili, cum ex Italia Lutetiam venissem, & in ea ciuitate ad tempus aliquod praxim exercerem, nobilis quidam miles Flandrus stipendium agens Parisiis sub Francisco rege Gallorum, mirabili vitio oculorum correptus fuit. Apertis enim oculis amborum, quicquid videbat duo esse apparebant. Sed sinistro aperto, & dextro demum clauso bene cernebat; neque tunc duo videre se affirmabat. Hunc autem quidam medici Parisienses non imperiti variis medicamentis, vt sanguinis missione, purgatione, pilulis, aliisque præsidiis optimis frustra tentabant curare. Et inter reliquos quoque Franciscus Gandauensis medicus atque chirurgus expertissimus, magnique nominis, & multis nobilibus notus, ob insignem experientiam quam habebat in lue Gallica curanda, cum ipsemet noctu dieque destillationes ac decocta per balneum maris tam guaiacani, quam ligni Chini (*tunc temporis inuenti*) faceret. Hic cum mihi valde familiaris esset, me ob rei nouitatem ad militem deduxit. Oculis diligenter inspectis, nulla rubedine præsente aut dolore, neque capitis grauedine; cerebrum tamen eius tum caput frigidum & humidum erat naturaliter, vt ex operationibus animalibus constabat, ideo hoc vitium minime contractum ex plenitudine, cum & Veneri plus æquo indulgeret, ita vt neque plethora neque cacochymia laboraret: hinc neque venæ sectionem neque purgantia medicamenta iuuisse existimabam, & malum ab humiditate sola ortum iudicabam; dextro oculo magis humido apparente, & quasi prolapso ac madente: ita vt spiritus visorius ex tali madore impeditus ob reuerberationem limpiditatis aquei humoris, duo semper cerneret, licet vnum quid exisseret: quemadmodum iis euenit qui diutius solem inspiciunt; & oculi eorum madore corripiuntur ex nimia solis claritudine, vt duos soles videant, quamuis vnus tantum sit, denique aliam rem quampiam subito cernentes duas esse autumant: nam oculus humectatur madore quasi expresso, neque limpiditatem sustinet, vnde facile in visu hebetatur. Hæc ratio & militi & medico præsenti valde arridebat. Ideo rogabant quid remedij adhibendum, ego proposui illam humiditatem esse exsiccandam & oculo robur addendum victu magis exsiccante, & assis potius quam elixis vtendum, auiculis montanis, cuniculis, & similibus, & vt à Venere abstineret & largiori vini potu quo milites sese oblectant, & vt vitaret omnia illa, quæ proprietate quadam oculis sunt infesta: *vt est fumus, allium, sinapi, & similia.* Præterea consultum dicebam vt medicamentis exsiccantibus, resoluentibus & oculum roborantibus tam intus quam extra, vt conserua florum rorismarini, betonicæ, puluere euphragiæ exsiccatæ inspersa, adiecto syrup. de betonica ad modum conditi, vteretur: ideo & hæc subsequentia præscripsimus: ℞. *florum betonicæ exsicc. florum chamomill. florum ros. rubr. exsiccat. euphragiæ siccæ cum floribus ana* m. j. *seminis coriandri præparati, cumini præparati ana* ʒ i ß. *coquantur in aqua fœniculi, chelidoniæ, ros. rutæ, euphragiæ ana q. s.* pistentur & panno lineo intersuta & expressa sub noctem leuiter oculo magis affecto apponantur, & debita ligatione moderate stringantur, ne inter dormiendum excidat. Mane, facibus prius depositis, hic fotus sequens fiebat, pectinatione capitis commoda præcedente: ℞. *florum chamomillæ, flor. ros. rubr. florum & herbarum betonicæ, chelidoniæ ana* p. j. *coquantur in aqua ros. euphragiæ, chelidoniæ, & vino Pictauiensi ana q. s. pro foru.* Interea & hic sacculus futuræ coronali imponebatur, quem continuo sub tegmine portabat: ℞. *florum chamæmillæ, florum rorism. matricariæ, saluiæ, florum ros. rub. ana* p. j. *milij torrefact.* ℥ ß. *incidantur & conquassentur, fiatque sacculus rotundus intersutus, vt artis est, pro capite.* His præsidiis ad mêsem vsus, & ex condito suprascripto omni mane sumens, tandem, vt prius, optime videre potuit.

Cur vna res pro duabus spectetur.

Historia de sacerdote auaro.

Curatio debilitatis visus ob malum situm crystalloidis.

SCHOLIA.

QVia autem hic oculi aliquo modo erant madidi, & temperies cerebri frigida & humida, vnde hic æger, ex oculorum debilitate, si vna res ab eo videbatur, putabat duas esse. Id quoque duobus aliis modis fieri potest, vt Gradus ex Auicenna supra Rhasem annotauit, ex malo situ crystalloidis. Si equidem non opponatur crystalloides directe secundum partem planam vueæ, tunc quasi in totum aboletur visio, *auctore Auicenna cap. De visus destructione.* Aliquando fit eius declinatio ad superius vel inferius: & tunc, dicebat Azarauius, sequitur, vt vna res videatur esse duæ: sicut etiam aliquando secundo modo à turbiditate spirituum, à vaporibus crassis maxime vini hoc accidens contingit, vt vnum videatur duo: quemadmodum Aggregator Brixiensis historiam ponit de sacerdote auaro, *qui cum haberet vnum lumen in manibus, credens esse duo lumina, propter auaritiam extinxit vnum existimans remanere aliud, & ita remansit in tenebris.* Hic autem miles, vti intelleximus, vinum largius, vt milites solent, frequenter ingurgitauerat; vnde spiritus turbidiores redditi ex crassis vaporibus: antea ab aliis medicis purgatus, & nunc à nobis cerebrum magis exsiccatum, roboratum, & oculis similiter corroboratis, & tanta molestia liberatus est. At Gradus ponens curationem læsionis visus propter malum situm crystalloidis ex mente Azarauij Arabis medici præstantissimi, dicit: *Si fuerit antiquus, non curatur, sed in pueris aliquoties, ex parte oppositæ ægritudinis candela accensa posita, quam puer continuo intueatur.* Eodem modo strabismus seu oculi conuulsio, vt *diximus scholio obser. 37. huius libri*, curatur, Pauli quoque auctoritate.

OBSERVATIO XL.

De oculi exitu.

CVi ex ictu oculus nonnihil eminebat, tamquam exiturus videretur, licet nondum omnino ex sede sua prodiret, appositis aqua rosacea cum albumine oui lana molli excepto & leuiter ligata, intro redibat. At mulieri cui ex nimia humiditate oculi quasi exprimerentur, corpore & cerebro repurgato, & cucurbitulis cum scarificatione occipitio appositis, deinde oculum fouimus fotu ros. rubear. myrto & nuce cupressi; topicis iisdem astringentibus exsiccantibusque ac roborantibus supra oculum positis & leuiter alligatis.

2

Exitus oculi.

Lib. 7 c. 55.

SCHOLIA.

EKπτωμὸς Græcis, Latinis expressio oculi dicitur: estque malum, in quo oculi (*teste Aëtio*) exprimi solent; ita vt eminentes persistant. Recentiores exitum oculi appellant. Accidit autem iis, eodem Aëtio auctore, qui in athleticis certaminibus suffocantur, aut mulieribus nimio pariendi dolore afflictis: fitque propter vehementissimum conatum, aëris q; suppressionem; vt cum mulieres difficulter pariunt, vel cum reddimus vrinam cum magna difficultate, excremẽta alui admodum dura, vel cum vomitione difficili. Vidimus tibicinem militem, qui tuba canit, hoc malo affectum; quamuis in principio optimis remediis curatum: de quo antea quoque mentio facta est. Tunc enim expressione illa facta in cerebro, ob retentionem spiritus attracti, ad extra expellunt; potissimum iis, qui molles & laxas partes habẽt circa oculum. Fit etiam, *secundum eundem Aëtium*, ob plurimum defluxum confertim à capite irruentem. Alij exitum oculi duplicem esse volunt: hunc quem diximus; deinde alium, quando ob vulnus illatum (*vt Rondeletius sentit*) adnatæ tunicæ, quæ oculum intra retinet, excidit, & ob vulnus septimi musculi, qui vtcunque transuersus est, in inferiori parte situs,

Causæ.

Curatio. situs, ossi alligatus in minore canth. illa curatur, sanato vulnere: prior autem, *iuxta Aëtium*, si, vt inquit, ob suffocationem euenerit, cubiti venam incidito; & si crassi quoque humores oculum inuaserint, purgato Aëtius id facit cum elleboro aut scammonia, sed vehemens est purgatio: nos aliis iam sæpe dictis vti possumus. Quæ vero ob pariendi laborem expressiones oculorum contigerint, muliebrium locorum purgationes sanant, iis igitur succurrendum erit. Quod si in viris post sanguinis missionem aut purgationem affectus perstiterit, cucurbitulam occipitio affigito, potionemque aquæ & ciborum contractionem adhibeto, oculo autem lana melle illita cum modico croci apponenda est; linteolumque complicatum supra suauiter alligandum. Confert iis etiam transacto principio faciem marina aqua foueri ac locum illini feridis, aut polygoni, aut psyllij succo, cum opio & quæcunque cogendi contrahendique vires habent. Rondeletius primo leuiter comprimit oculos, vt ad intra reponantur, mox astringentibus resiccantibusque medicamentis vtitur, vt partes relaxatas intendat, cũ fotu aquæ frigidæ, vel myrti, vel aqua peculi ros. Iis addi potest exigua quantitas aceti, & clausis oculis supra palpebras: & super superciliia pannos intinctos apponere licebit, vel linimẽta conficere ex astringentibus, quibus retinetur sanguis. Posset etiam apponi super illas partes alumen dissolutum in aqua & sale: quæ citra morsum adnatam exsiccare possunt, & constringere: quia à pericranio fit: vnde & fronte & aliis partibus continuis contractis adnata contrahitur. Linimentum sequens id efficacissime præstare poterit: *Recipe acaciæ balaust. myrtill. mali granati, rad. bistortæ, gallarum immaturarum ana* ʒ ij. *boli arm.* ℥ ß. *corticis thuris, croci an.* ʒ ß. *ol. ros. & myrt. an.* ℥ ij. *succi cotoneorum, & aceti ros. an.* ℥ j. *incorpora simul, & reduc ad formam nutriti; applicetur supra frontem & genas.* Frigida omnia applicantur supra oculum, nisi ab humiditate aut flatibus fiat: tum multum calida, quantum ferre possunt, applicanda, non tepide, quia tepidus calor partes relaxat & affectum augere potest. Si cum humiditate flatus simul adsint, vel ab iis fiat, erunt aliqua calida, his quæ ad exitum ab humiditate in Obser. valere diximus, adstringẽtia admiscenda, vt *piper longum garyoph. ciperum, & similia, qua calefaciunt, & astringunt.* Contingit aliquando ob œdemata, tam in superciliis & genis quam oculo, oculos eminere. Fiunt etiam quædam œdemata, vt oculi videantur: tum palpebræ intumescere, tamquam exprimerentur: *de quibus antea dictum est ex Aëtio*, & si in hyposacra vel hydrope contingit, curato hydrope topica etiam adhibeantur. Si autem oculus ex percussione, membranis vasisque fractis vel relaxatis, quibus oculus insitus est; refertur etiam ad oculi procidentiam, *de qua prius dictum est*: idque ob casum è sublimi loco, vel ob violentas capitis percussiones fiat, & oculus totus prolabitur, periculosa sane affectio est, de qua vide Aëtium, & quomodo curetur, & ex neotericis quomodo exitus oculi persanetur, vide Tharantanum *lib. 2. cap. 33. De exitu oculi.* Gordonius vero ad omnium oculorum passionum complementum, addit vnum huic præcedenti contrarium, nempe profundationem, quam fieri posse ait, ob malitiam febrium, vigilias immodicas, angustiã, mœrorem, tristitiam, quæque exsiccant, inaniunt, & excauare possunt, curatur humectantibus, restaurantibus, fotu aquæ calidæ dulcis, & similium. Et ita absoluimus omnia vitia, & symptomata, ac morbos oculorum, & partium eorundem. Verum cum etiam visus impediri possit ob vitia genarum, ciliorum, palpebrarum: nunc ad palpebrarum mala ab auctoribus enumerata, & quibus modis ea curentur, descendamus & enucleemus, ne quid huic libro desit.

OBSERVATIO XLI.

De inuersione palpebrarum vel euersione, seu Ectropio.

EVersiones genarum seu palpebrarum seu inuersiones (*Græcis vocantur Ectropia*) fiunt, teste Paulo & Aëtio, exulceratione præcedente, & carne ipsarum superaucta, vel ob duritiorem cicatrem. Huic vitio cum rusticus quidam, cui nomen Leonius erat in pago Schago dicto habitans laboraret, multos consuluit medicos: qui etiam ad nos venit: habebat autem palpebras inuersas supra se ipsas & extra, vt carnis frusta ruberent: ego ex materia salsa malum contractum existimabam: facta sectione venæ & per pilulas bis aut ter purgatus hoc modo: *Recipe pilul. sine quibus lucis maior, an* ʒ ß. *diagridij* g̃ ij. *fiant pilulæ* vij. deinde vt oculum lauaret præcepi vino albo, cui alumen de roccha, in exigua quantitate semel bullitũ erat. Deinde palpebram linimento subsequenti inungeret iussi: *Recipe axungiæ porcinæ colatæ* ℥ j. *tutiæ præparatæ* ʒ ii. *camphoræ* ϑ ß. *misce simul & lanetur nonies in aqua ros. somni tempore inungatur.* Hoc modo Gisbertus Horstius præceptor meus Romæ Hospitalis Mariæ consolationis medicus, nobilem matronam Romanam curauit, cum multis annis ex catarrho calido salso & inuersione palpebrarum laborasset, neque lumen solis aut candelæ ferre posset. Aliqui & hoc vt vteretur præcepi, quod sæpe experti sumus ad oculorum rubedinem: *Recipe bntyri recentis nonies loti in aqua communi, postea nonies loti in succo plantaginis: deinde ter in aqua ros.* ℥ ii ß. *tutiæ præparatæ lotæ semel in aqua ros. & aloes lotæ in aqua plantaginis aut solatri, fiet albi cum opio an.* ʒ i ß. *camphoræ lotæ* ϑ j. *misce. fiat vnguentum*; vesperi inungatur, & aqua calida abluatur, quibus & hic plurimum adiuuabitur: alioqui ad remedia illa confugissem, apud Tharantanum descripta *lib. 2. cap. 6.* de inuersatione palpebrarum cum rubore & tuberositate oculorum.

SCHOLIA.

IN quibus Ectropiis excrescentia inueteranerit, ærugine rasam ex Pauli decreto torrefactam conterito, & admoueto; vel plumbo vsto cum sulphure viuo & loto vtitor; vel vtrisque paribus, ærugine & plumbo. Nam ex cicatrice proficiscens Ectropion, si in totum curare studueris, id manu faciendum est, quibus etiam id fiat, docet Aëtius ex Antylo *c. 71. lib. 7.* Verum si adsit carnositas in palpebris, antequam ad chirurgiam accedamus, tentandum nunquid hoc Gordonij medicamento absumi possit: *Recipe aloes, mumiæ, sarcocollæ tritæ, lithargyri an.* ϑ ij. *floris æris* ϑ ß. *conficiantur cum succo chelidoniæ.* At quibusdam callosæ & duræ fiũt palpebræ & asperæ. Asperitudo apud Paulum palpebrarum interiorum dicitur *trachoma*. Harum intensio, vt veluti incisuras habeat, sycosis à fici similitudine appelleturcũ inueteratur vitium callosque contraxit, Tylosis, vel, *vt postea idem Paulus dicit*; ptilosis, palpebrarũ crassities est callosa, rubicunda: quibus accidit pilorum defluuium. In *ptilosi*, inquit Aëtius, *palpebræ crassescunt callumq; obducunt vt affectus sit ex glabritie & oculorum aridiate compositus*, glabritiem vocat *tantum* defluxum pilorum *ob acrem destillationem contingentem*; de qua postea. In aspritudine collyrio vtitur Paulus, quod ex vino constat & hæmatitide lapide; calos duros inueteratæ pumice radit, aut sepiæ testa aut foliis fici, vel instrumento quod à palpebrarum rasura *blepharoxistion* Græci appellant. Vide Aëtium quæ ad ptiloses palpebrarum scripserit.

5 Huc spectat crassities palpebrarum, quam Arabes & barbarã medicinam facientes appellant silach. Causa eius est materia crassa, nitrosa, inæqualitatis ruborem, vlcerationem, & casum pilorum inducens, qui non renascuntur, antequam passio curetur, eo quod pori eorum ab vlceribus sint corrupti. Hæc passio, Tharantano referente, toti oculo nocet; inde & visus debilitatur, & si ista materia sit subtilis euaporans, solum generat pruritum: si maior & crassior, scabiem & ruborem: si multa, crassa, nitrosa, vlcerationem & casum pilorum, succedit ophthalmiæ perperam curatæ. Recens & exigui temporis facilius curatur; inueterata difficilius. Si adsit repletio, vena cephalica incidatur: materia digeratur cum syr. de fumo terræ & aliis aptis: & purgetur iis, quæ ad salsam pituitam faciunt, & quæ ad scabiem conferunt; balneo vtatur aquæ dulcis. Fomententur oculi aqua rosa, in qua ferrum ignitum extinctum est: fiat fotus ex rosa, lapathij acuti rad. vel acetosa, fumach & similibus; victu adhibito de ophthalmia dicto, & pruritus ac scabies remoueantur, sarcocolla nutrita cum lacte asinæ & cum succo chelidoniæ linito supra palpebras, vel immisso. Si durities sit inueterata, post venæ sectionem & purgationem adhibeatur collyrium viride: *Recipe flores æris* ʒ j. *calcanthi vsti* ʒ ij. *arsenici rub. nitri spumæ mayis an.* ϑ j. *salis ammoniaci* ϑ ij. *dissoluantur in succo rub. & Gibus simul incorporatis liniantur palpebræ.* Hoc remedio Tornamira consequutus est magnum honorem in antiqua scabie, duritie cum rubore in ipsis palpebris. Plura & egregia præsidia vide apud Tharantanum *lib. 2. cap. 35.* Eadem fere curatio est, eodem auctore, inuersionis palpebrarum cum rubore & tuberositate oculorum, *libro eodem capit. 36. vt apud eundem ad longum legere poteris.* Hac etiam spectat nodus, lupia, petrificatio palpebrarum pro quo vitio Gordonius vtitur hoc emplastro emolliente & resoluente: *Recipe ammoniaci, opoponacis, galbani ana* ʒ j. *temperentur in aceto fortissimo per diem & noctem, & fiat emplastrum.* Si eo non curetur, ad chirurgiam recurrendum; vt istis diebus consului Bredenrodio cuidam consiliario, adolescenti nondum nupto, qui eiusmodi lupiam supra palpebram habebat, quæ paulatim augebatur, quam Guilhelmus de Dalen familiaris noster lithotomus manu curauit, facta incisione, & lupiam extrahendo, & deinde vulnus decenter curando.

OBSERVATIO XLII.

De pruriginosa scabie, cum rubedine palpebrarum.

MVlier quædam ingentem pruritum palpebrarum & scabiem habebat cum rubedine: præmissa purgatione ex pilulis de fumo terræ & lucis, & cucurbitulis cum scarificatione scapulis admotis; huic iussi vt aqua ros. aloe exigua immixta, collyrij instar palpebras sæpius oblineret, si neque iuuaret, vt myrrham cum lacte muliebri misceret, quo palpebras inungeret, & exiguum in angulum oculorum qui etiam pruritu inficiebatur, stillaret. Sed & hoc linimento ad pruritum palpebrarum & ruborem commode sæpe vti sumus: *Recipe cadmiæ lotæ in aquæ ros.* ʒ ß. *sang. draç.* ʒ ij. *viridis æris* ϑ j. *aloes epaticæ* ℥ iij. *fiat pul. vt alkohol. adde olei communis* ℥ iij. *lardi sine sale* ℥ ij. *incorporentur omnia, postea adendo caphuræ subtilissi. pul.* ʒ j. *fiat vnguentum.* Ita & alia mulier palpebras inflammatas cum defluxione, rubore & scabie, vnguento vtens *ex caphura, cerussa, cum mucilagine gummi tragac. confecto, præmissis vniuersalibus*, felicissime curata fuit, etiam hoc quod sequitur adhibito: *Recipe pomatæ* ℥ ß. *tuciæ, trochisc. albor. Rhasis ana* ʒ ß. *vitriol. Romani* ϑ ß. *fiat vnguentum pro palpebris.* licet oculi non sustineant olea nec pinguia, hæc tamen vnguenta commendantur à Rondeletio, quæ non solum ad curationem corneæ scribit conuenire, sed potissimum ad palpebras affectas, ad genarum scabiem & vlcera. Magister Iacobus Rosa, amicus noster, cum palpebras inferiores rubras exulceratas haberet, vniuersalibus remediis, tum aliis multis præscriptis, cum curari non posset, linimentum sequens paraui ex vng. rosaceo, pauca adiecta tutia præparata, apponendo cum pertis lineis ad hoc aptatis. Vnica nocte tantum apposita (*quod mirabile fuit*) ab illa molestia mense Aug. anno 1590. liberatus fuit.

SCHOLIA.

INter vitia palpebrarum, quæ multa recensentur, est illa quæ à Paulo *pseroophthalmia*, prurigino sa eiusdem scabies ex salso nitroso humore contracta, cui prodest posca, lenticulæ decoctum, ex rosaque fomentum. Quando materia salsa, inquit Gordonius, nitrosa, aut adusta, ad palpebras defluit, primo generat pruritum; deinde si continuetur, scabiem; postea asperitatem; mox ruborem; vltimo vlcerationem. Materia prius è corpore educta, repurgata iuxta humoris peccantis naturam, deinde ad opposita retracta, palpebræ hoc linimento illinantur: *Recipe æris vsti, cadmiæ lotæ cerussæ lotæ an.* ʒ j. *aloes, myrrhæ ana* ʒ ß. *salis ammoniaci floris æris an.* ϑ ß. *pulverisentur, & conficiantur cum melle.* Ita & Valescus: Materia salsa nitrosa acris in exigua quantitate efficit pruritum, ad quem sequitur frictio; & ex illa maioris materiæ attractio, ad quam scabies & asperitas; ad hanc rursus sycosis, & ad illam grana duriora & vlcerationes cum pruritu sempiterno, *vt dicit Auicenna*, deinde crassities palpebrarum seu silach, quæ Auicenna à Paulo accepit, *de quibus prius dictum est.* Hoc à Tharantano commendatur ad pruritum, scabiem, vlcerationem, & casum capillorum, si malũ leuioribus non cedat: *Recipe æris vsti* ʒ iiij. *piperis* ʒ j. *cadmiæ* ʒ i ß. *myrrhæ, croci ana* ʒ ß. *floris æris* ʒ j. *gummi arab.* ʒ v. *pulverisentur subtilissime, cribrentur*, & cum aqua pluuiali reddatur mediocriter liquidum, cum radio in clausula palpebrarum administretur. Si hæc sint exigua fiat fotus cum aqua ros. tepida mixta cum aceto exiguo, vel cum decoct. rad. lapathij acuti, acetosæ & maluæ. Si pruritus fiat ob pediculos latos sub pilis palpebrarum assixos, curentur, vt postea de pediculis palpebrarum dicemus.

OBSERVATIO XLIII.

De vlceribus palpebrarum.

PVella cum vlceratas palpebras haberet, & à me consilium peteret, humoribus calidis acribus & salsis prius è corpore eductis, & scapulis cucurbitulis cum scarificatione admotis, iussi, vt vlcera leniter liniret vel ablueret cum psidiis, & balaustiis pulverisatis, & decoctis in aceto per

aliquot dies, deinde vt crocum pulueriſatum oui vitello mixtum apponeret, hæc enim *ſecundum Auicennam*, vt Tharantanus refert, conſolidat dicta vlcera. Si hæc non iuuarent, imperaui vt collyrio ex thure, cap. *De vlcere & ſanie* in coniunctiua apud Valeſcum deſcripto, vteretur.

Scholia.

Ad vlceræ & fiſſuras palpebrarũ.

VLcera & fiſſuræ aliquando in palpebris oriuntur & ophthalmia aliiſque oculorum vitiis male curatis, vel ex defluxione humorum acrium & ſalſorum. Imprimis decoquantur lentes, & cortex malorum granatorum, in vino albo debili, & abluatur vlcus; deinde apponatur collyrium, *iuxta Gordonium de vitello oui*, croco & olibano, & ſi ibi eſt ſanies, abluatur cum aqua ſalſa.

Chalazion otioſi humoris in palpebra colluuies.

Eſt & aliud vitium à Paulo Chalazion dictum, ſcilicet otioſi humoris in palpebra colluuies: in qua ammoniacum aceto detritum, ſimul cum galbano inungitur. Facit etiam Terebinthina pariter cum cerato excepta: ſi ita non curetur, docet *libro 6. capite 16.* quomodo chirurgia curentur. Idem videtur eſſe malum, vel huic proximum, quod Barbari azarnac vel arnaſac Arabes inſequentes vocant, (*teſte Tharantano*,) eſtque materia pinguis vel pinguedo quædam grauans palpebras, atque impediens ne perfecte aperiantur claudanturue, eaſque molles reddens. His

3 quidem adeſt tumor palpebræ expanſus ſine dolore, nec in vna parte palpebræ, *vt grando aut hordeolum, de quibus poſtea.* palpebra quoque ſi ſtringatur inter duos digitos, & ſubito remoueantur; remanet veſtigium compreſſionis, & eminentia in medio compreſſionis exiſtit, *auctore Auicenna*, eſtque ſecundum eundem coniuncta, non mota ſicut nodus. Et plurimum quidem accidit infantibus & humectatis, in quibus multiplicantur lacrymæ & ophthalmiæ. Curatur fotu decoct. abſinthij, chamomillæ, fœniculi & aniſi: deinde apponatur emplaſtrum de ammoniaco ſoluto in aceto vel diachylo, adiecto ſale ammo. & rad. ireos. Si palpebræ non detumeſcant, pinguedo eſt in cauſa, & viſcoſitas, & non ventoſitas aut aquoſitas. Gordonius pinguedinem palpebræ cu-

4 rat illinitione aloes, acaciæ, croci, & aceti ſimul commixti. Quibus ſi non curetur, palpebram modice incidit, vt pinguedo effluat: ſimiliter paulatim hinc inde comprimendo, donec pinguedo exeat, deſuper deinde apponit pannum aceto intinctum & aqua ſalſa. Si totum extrahi non poſſit; Tharantanus vt reſiduum conſumatur, apponit puluerem affodillorum, vel vnguentum apoſtolorum; & poſtea cum triapharmaco vel diapalma conſolidat. Quo modo manu vel compreſſione curetur, vide Auic. *lib. 3. ſen. 3. tract. 3. cap. 19.* Huc ſpectant ganglia, atheromata, ſteatomata, & faui genarum, extra genas ſeu palpe-

Lib. 7. c. 81. De ganglijs, atheromatibus & fauis genarum.

bras, *teſte Aetio*, Ganglium enim nerui contritio eſt: curatur ceratis & malagmatis, & fomento aquæ calidæ. Faui vero paruaque ſteatomata, & atheromata, nonnunquam curantur, ſi faſtigiis corum adurens medicamentum applicent, donec adiacens cutis vſque ad profundum incruſtetur: deinde poſt cruſtæ caſum ſpicillo cyathiſci tunicula humorem continens excidatur: quæ ſi nequeat, ſubſcripto medicamento putrefiat: *Recipe ſandarachæ* ʒ ij. *auri pigmenti* ʒ j. *ſquamæ æris, elaterij ana* ʒ ij. *ellebori nigri* ʒ j. *chartæ veſtæ quantum ad colorandum ſufficerit; conficе & vtere cum roſaceo.* Quæ vero ſuper exceſſerint, curabuntur chirurgia; quemadmodum in reliquo fieri conſueuit, ad baſim excidendo ſimul cum tunica humorem continente, poſtea labiis ſutura coniunctis medebimur, ſicuti cæteris vlceribus quæ ſuuntur: obſeruandumque in chirurgia, ne faſciola cutis incidenda late incidatur, alioqui leporini oculi effi- *Lib. 6. c. 16.* ciuntur. Lagophthalmi ſecundum eundem dicuntur, & Paulum; qui reuulſa ſuperiori gena oculo aperto ſicuti lepores dormiunt: generaturque effectus is quandoque ob futuram, qua gena plus æquo retrahitur, ita vt oculus contegi nequeat: quandoque ob vlcus ſpontaneum, quod præceſſerit veluti carbones. Et iuxta Paulum ori- *Lib. 6. c. 16.* tur hoc vitium, aut naturaliter, aut ex cicatrice vulneris, & vel ſua ſponte fit, vel ex futura vel

2 Palpebra ſutura inuſta.

vſtione. Quo modo per chirurgiam curetur, vide eoſdem. Præterea quomodo futura palpebrarum fit adminiſtranda, docet Aëtius ex Leonita *libr. 7. cap. 69.* Iubet idem ne varices genarum curemus, *Varices* ſunt enim maleficæ, inquit *lib. 7. c. 83.* neque cura- *narum.* bimus earundem appendices tumidas, dolentes, *malefi-* ſubrubras, & in ſe ipſas preſſu digitorum redeun- *cæ.* tes, quoniam hæ quoque maleficæ ſunt & inſanabiles. Huc forte etiam ſpectat ſeparatio palpebrarum, quæ aliquando à natiuitate (*vt Gordonius refert*) modo poſtea oboritur, ob vulnera male curata, vt iam dictum eſt; vel ob exceſcentiam carnis; & ſimilia; aut inanitionem, ſpaſmum, vel reſolutionem muſculorũ mouentium palpebras, *Spaſmus* à natiuitate non curatur. Si ob vlcera, vulnera, *palpebræ ob* aut ob exceſcentiam carnis, curentur illa prius: *vlcera.* ſi ob ſpaſmum ex inanitione vel aliter, humectetur totum corpus cibis, balneis; & fomentetur caput, oculus cum humectantibus. Si ob repletionem ex ſpaſmo, curetur, vt de ſpaſmo ex repletione dictum eſt, corpore prius repurgato. Si ex mollificatione muſculorum, purgetur caput, vt de paralyſi dictum, & deſuper ponantur exſiccantia, & roborantia. Palpebræ etiam contrahuntur, vt oculum non rectè cooperire poſſint; Auicenna vocat palpebræ inuerſationem, cuius *Contractio palpebrarum.* praua ſpecies eſt, *vt non cooperiat album oculi inferius. palpebra* Secunda, *vt partem eius aliquam vel medietatem.* Ter- *ex paralyſi.* tia, *vt ſuperior non cooperiat inferiorem*: Et hæc adlagophthalmiam pertinet à natiuitate non curantur, niſi forte in infantia, eaſdem cauſas, tum curationes Tharantanus refert; quas de ſeparatione iam diximus.

OBSERVATIO XLIV.

De difficultate aperiendi & claudendi oculum cum inflatione palpebrarum.

IVuenis cum ophthalmia afficeretur, & oculos aperire non poſſet, palpebraſque inflatas & nonnihil inflammatas haberet; huic ſecta venæ & aliis vniuerſalibus remediis adhibitis fotus præſcriptus eſt, ex decocto folior. maluæ & hordei mundati, quo frequenter ſpongia immerſa tepide oculos, tum palpebras fouebat, donec aperirentur. Alter quoque cum præ ſiccitate & craſſis humoribus viſcoſis palpebras aperire non poſſet, aqua tepida ſpongia imbuta cum frequenter oculos fomentaſſet, rectè deinde palpebras aperire potuit.

Scholia.

OCuli difficulter aperiuntur ob multas cauſas, vel ob ſiccitatem, vel ob humores craſſos, viſcoſos, vel ob inflationem atque tumorem palpebrarum vel ob conglutinationem, quamuis & *Difficultas aperiendi oculos.*

Tharantanus

Palpebr. inflatio ob conglutinat. humor.

Tharantanus ſeorſim tractat de difficultate aperiendi & claudendi oculum, quod vitium geſſe appellat. De inflatione quoque palpebrarũ ſeorſim ſcribit: ita & de conglutinatione. Si vero materia ſit craſſa, viſcoſa, digeratur & purgetur. Si calida, ſubtilis, bilioſa, ea purgetur cum myrob. citrinis vel aliis: fiatque venæ ſectio, ſi adſit repletio, vt de ophthalmia dictum eſt, & ſpongia aqua infuſa frequenter ſuper oculum ponatur: vel albumen oui cum aqua roſ. Si ſit materia multa & craſſa, fiat fotus ex decocto ſeminis lini, fœnugræci, cum lacte muliebri, vel muccilago ab iis extracta apponatur, vel adiecta & oleo roſ. fiat linimentum pro palpebris: dolorem remouet, etiam adipe gallinæ adiecta vel ſola. Si palpebræ inflantur vel tument, quod multis modis fieri poteſt, ob materiam ſubtilem vel vaporem in iis contentum, vt ex cauſis internis, aliquando ex debilitate coctionis, vt in Hydrope vel cachexia, quod malum pertinere poſſet ad illud, quod *Lib. 3. c. 1.* *Emphyſema* appellat Paulus, & palpebræ tumor eſt, œdemati ſimilis, & plerumque ex abundantia pituitæ fit. Fit etiam ob apoſtemata phlegmatica, vel humida, vel ob lethargum; vel alia calidiora, ob ophthalmiam: contingit etiam aliquando in conualeſcentibus, in quibus recidiua exſpectatur, vel hydrops ob debilitatem coctionis. Fit quoque inflatio à cauſis externis primitiuis, ex percuſſione, pugno, baculo & ſimilibus, ex punctura aranеæ, apis, vel veſpæ, vel nimia frictione cum herbis, vrtica, ruta, laureola, tithymallo, perſicaria & ſimilibus oculis admotis; ſimiliter ob ſuperfluas vigilias, aut ſomnum proliziorem: & ideo curatio varia exiſtit, pro cauſarum varietate. Si itaque propter cauſas intrinſecas, ob vigiliam, nimium ſomnum, lethargum, ſubeth, hydropem, cachexiam; curentur illa vt in propriis locis habetur, adhibeantur fotus reſolu- entes, præterquam in vigilia; in qua & ſomnus pronocetur, in ſomno vero vigiliæ inducantur: & ita propter cauſas internas corpus euacuetur. Si ab apoſtematibus, eadem curentur & remoueantur. Si abſceſſus palpebrarum aut genarum in cauſa ſint, vel etiam veniant ſine inflatione vt palpebræ oculos non claudant, curentur vt reliqui abſceſſus: & ſi interiores quidem genarum partes inuertendæ, ſecandæque ſunt, humor exprimendus, deinde muria infundenda lanaque ouo madefacta ſuperliganda. Poſtridie foueri oportet, & melle illini ac reliquam mordicationem aſtringenti collyrij infuſione perficere. Exterioribus vero partibus ſi eueniant, poſt ſectionem humidique expreſſionem linimenta melle illita imponemus, lanamque alligabimus. Abſceſſus autem qui genarum cartilaginem ſimul corruperint, ſi exterius quidem contigerint, fieri poteſt vt ouo & melle purgentur; deinde cum medicamento incarnentur, quod atridum cephalicon vocant. Sin locum intrinſecum occupauerint, partem cartilaginis denudatam circumrademus, atque contritiſſimo ære inſpergemus: in tertia mel illinemus, poſtea aſtringentibus collyriis vtemur. Si vero inflatio palpebrarum fiat ob cauſas externas, propter percuſſionem, & adſit rubor in oculo & palpebræ inflatio, curetur vt ophthalmia ex percuſſione, albumen oui cum aqua roſacea in oculum ponatur: & poſt triduum fiat reſolutio cum ſacculis chamomillæ in vino bullitis, vel decocto chamomillæ, meliloti, aniſi, cumini, vel aliis, modo etiam frigidioribus, ſi adſit ſimul inflammatio. Si à veſpa, ape; aculeo remoto lamina ferrea deſuper ponatur, donec dolor, & punctura euaneſcat: deinde reſolutiua ad tumorem dicta apponantur. Si ex aranеæ punctura aut alterius animalis venenoſi; theriaca vel mithridatum cum ſale gemmæ: ſi ob contactum rutæ vel aliarum herbarum ſeu rerum calidarum, apponatur oleum roſ. cum albumine oui; vel ſuccus ſemperuiuæ, plantaginis, & oui albumen concuſſum; vel panno inculcato apponantur, & facies tum palpebræ populeo inungantur. Si palpebræ vero conglutinantur & inuiſcantur, abluatur oculus inprimis aqua decoctionis fœniculi, cumini & ſalis, & imponatur medicamen de fœnugræco, ſemine lini, aloë & ſarcocolla, & ſi ex his non ſeparentur ad manum chirurgicam, vt poſtea dicemus, recurrendum. Conglutinantur (*inquit Tharantanus*) interdum vna palpebra cum alia, & ſubinde cum vno oculo incarnatur, & aliquando contingit poſt vngulæ inciſionem ſeu pannieuli ſebel dicti, vel additæ carnis in lachrymali; quando intus medicinæ ibidem dictæ non ponuntur, Genæ (*inquit Aetius*) albo oculi vel nigro, vel ſibi inuicem conglutinantur vel vlcere præcedente. Quando vero albo agglutinantur, hunc affectum ancyloſin vocant. Quæ igitur agglutinationes vtriuſque genæ in angulo factæ fuerint, eas volſella extendi diſſecarique oportet, ac linimento ſeparari, deinde vt reliqua vlcera curari. Si vero genarum extrema cum tunicis oculi glutinentur, hamulo quem cœcum vocant gena extenſa, glutinationem ſcalpello incidemus, deinde carnis exceſcentias arido quopiam contrahemus, atque æs contritiſſimum genis ipſis ſublinemus vſque ad exactam curationem, obſeruando ne oculis illigetur. Habes etiam apud Paulum; *Lib. 6. c. 15.* quibus palpebræ commiſſæ manu curentur. Et apud Valeſcum cap. *de conglutinatione palpebrarum*, Gordonius poſt inciſionem iubet lauari aqua ſalis & cumini panno lineo in medio impoſito, & emplaſtro de vitellis oui cum oleo roſ. deſuper appoſito & ligato. Tharantanus aquam decoct. fœnic. & cumini inſtillat, vel pannum lineum mollem albumine oui madefactum poſt debitam inciſionem vel penna ſeparatam interponit, ne de nouo conglutinentur; & omni die hos inuiſit: poſt quartum ſi carnoſitas aliqua ibidem remaneat, intus aliquid cap. *de panno ex dictis collyriis ponit*: vel viride dictum, donec in totum euaneſcat ſuperfluum.

Palpebræ inflationes quomodo curentur & cauſis externis obortæ. 6

Gordonius de conglutinatione & inuiſcatione palpebrarũ.

Lib. 7. c. 76. de genarum agglutinatione quam prophyſin ancyloſin vocant. 7

OBSERVATIO XLV.

De hordeolo palpebrarum.

CRithe, paruulum, inquit Paulus, abſceſſus tuberculum, oblongum palpebræ cilio obuenit: κριθὴ enim Græcis hordeum dicitur: item tuberculum in palpebra naſcens ad eius ſimilitudinem, hordeolum vulgo appellatur, vulgares etiam ſuo idiomate *een ſtyge* vocant. Id quidem cera alba foueri oportet, vel hordeo diluto perfundi. Matrona quædam in palpebra dextri oculi verſus lachrymale hordeolum habebat: de quo abigendo cum me conſuleret; purgatione præmiſſa cum pilulis cochiis, aureis & lucis, à ſectione venæ abſtinuimus ob hyemem: conſuluimus vt adipe gallinæ calida liniret, & oculum ſæpe foueret aqua calida decoctionis hordei & camomillæ: poſtea cum ſanguine columbi, vel perdicis aut turturis etiam liniret. Verum cum axungiam gallinæ nec caponis ferret, cum quandam ſalſedinem in oculis ſe ſentire diceret, ſub noctem hordeolum cerotaſia collucbat, & mane ſalina ie-

jun-

iæna inungebat: quo remedio ceſſabat ſalſedo, quam ex adipe caponis contractam exiſtimabat: exiſtimo axungiam prius lotam aqua roſac. ſalſedine amota melius hordeolum curare. At noſtra matrona continuando lotionem ceruiſiæ, & mane inungendo cum propria ſaliua, ab hac moleſtia ſanata fuit.

SCHOLIA.

Lib. 7. c. 81. de Hordeolo genarum.

HOrdeolum appellamus (*inquit Aetius*) quando in gena prope palpebras, potiſſime exterius, contingit ſuppuratum quoddam tuberculum figura hordei grano ſimile: quod facilè curabis ſi fomento ceræ candidæ ſuper nucleo ſpecilli calefacto materiam diſcuties; aut abſciſſo capite muſcæ reliquo corpore hordeolum fricabis. Vel galbanum cum modico nitri ſubactum, vel ſagapenum ex aceto tritum appones; quod etiam ad grandines facit. Locus quoque ſpongia & calido pane fouendus eſt, ac poſt humidi excretionem melle inungendus eſt: deinde ad collyria vlcerum accedendum. Hinc Fernelius inquit, *Tuberculum calidum eſt in abſceſſum fere deſinens, quod è palpebræ margine atque cilio prorumpit.* Quo cum ego aliquando laborarem, ſed paulo duriore grandinis inſtar, tamen ſimilitudinem habente cum hordeo; ſimul aderat rubedo quædam in ciliis, quæ & hoc tandem collyrio ceſſauit: *Recipe tutiæ præparatæ, ſarcocollæ ana* ℈ j. *vitrioli Romani, ſumach ana* ℈ ß. *puluerisata ligentur in nodulo panni linei rari, & ponantur in aqua euphragiæ roſ. fœnic. ana* ℥ j. *nodulo expreſſo vtebar pro collyrio.* egregie facit ad rubedinem & pruritum palpebrarum: quibus ceſſantibus, puſtula tamen illa dura quatuor fere menſibus mihi adhæſit: & cum poſtea ad abſceſſum tendere videretur, hoc collyrio vſus ſum: ℞. *aquæ roſ.* ℥ ij. *vitrioli* ℈ j. cum pruritus rurſus adeſſet, guttula vna aut altera per diem vnum in oculum inſtillata, dolor vbi grando vel hordeolum erat, ingens ſubſequutus eſt, puſtulamque corroſit, & dirupta eſt ſanie exeunte; qua expreſſa per ſe conſolidabatur: attamen ob calorem quem adhuc ſentiebã, aqua roſacea tantum oculo inſtillata & palpebris ac ciliis præſertim lotis, paulatim ceſſauit rubedo & calor: quamquam ſæpe idem malum reuertitur, ſi qui eo prius laborauerint, *vt experientia quotidiana vidimus*; quod & mihi poſt tres menſes rurſus contigit, facta defluxione grandinem ſeu hordeolum rurſus in ciliis cum rubedine & inflammatione paſſus ſum: & cum remedia iam dicta quibus multos curaueram, me ipſum non iuuarent, collyrio vſus ſum ex ſola aqua roſ. & pauca aloë: quo quidem ceſſauit rubedo, inflammatio & pruritus: quamuis plurimi hoc remedio ab hordeolo curati, mihi tamen durities permanſit, licet liquore albi oui cum aqua roſ. dolor & calor leuarentur: atque hoc modo fluxio ceſſauit. Tandem, ad exſiccationem & deterſionem, etiam aqua roſac. & vino partibus æqualibus pro collyrio vtebar, at cum durior euaſiſſet grandinis inſtar vel lithiaſis, axungia caponis vtebar ad maturationem: ſed cum oculus ſalſedinem ex ea contractam ferre non poſſet, & calor ac pruritus accederet; rurſus ab eo remedio abſtinui, & ſola ſaliua ieiuna mane cilia abluebam: ſub noctem dormiturus hordeum maſticabam cum ſaliua miſcens, & oculo ac ciliis per totam noctem applicabam: qua maſticatione tandem hordeolo maturato, perruptum eſt, deinde curatum: & quia poſtea adhuc rubedo & calor permanebant, vſus ſum collyrio deſcripto prius de ophthalmia non vera (quod incipit: *Recipe ceruſæ lotæ* ℥ j. *&c.*) cum aqua roſacea ſoluto & inſtillato: per interualla tamen opij doſi minorata, eo quod catarrho obnoxius eſſem. Anno 1566. cum vitia oculorum & palpebrarum paſſim multos apprehendebant, hoc modo ab eiuſmodi moleſtiis curati ſunt. Interea cum Grandines magnam ſimilitudinem habeant cum hordeolo; tamen quia parum aut nihil differunt (*quamuis hordeolum eſſe volunt tumorem vel apoſtema exiguum magis molle & tractabile, ſaltem ante eius durationem, & grandinem in ſe complecti magis materiam induratam, petroſam & quaſi in lapidem conuerſam,*) ideo ſeorſim de vna quaque hac paſſione tractant, *vt apud Tharantanum videre licet*: quamuis eadem fere ſit curatio, quod ad emollientia & reſoluentia; licet grandinem ſi non emolliatur & reſoluatur, chirurgi etiam ſanent. Vt Aëtius quoque teſtatur; ſic inquiens: *Quandoque ſi palpebræ inuertantur, ſupereminent rotunda & translucida quædam tubercula ſpeciem grandinis imitantia.* Quod ſi medicamentis ad grandines vti volueris, iſta eligito: ℞. *pollinis tritici* ℥ ij. *ſulph. viui* ℥ j. *cum aqua ſubigito, ac paſtillos confice & vtere.* conferunt & quæ ad hordeolum ſcripta ſunt. Si neque hoc modo curantur, diſſectis effluit humor albumini oui ſimilis: quomodo ſectio fieri debeat, idem docet, & quid poſt ſectionem faciendum. Huic vitio haud diſſimile eſt, ab eodem lithiaſis genarum appellata, quando inuerſis genis exiſtunt quædam tophis ſimilliina in ſpeciem varorum candida & aſpera. Idem lithiaſim manu curat; vt apud eundem videre licet *lib. 7. c. 79. De lithiaſi genarum*: quam operationem nunc præterimus, cum ea ipſis chirurgis ſit committenda. Præterea quoque adhuc quædam vitia oboriuntur, *teſte Celſo*, quæ veſicæ appellantur, pingues & admodum graues, maxime in palpebris puerorum, de quo malo neoterici videntur tractaſſe ſub nomine pinguedinis palpebrarum; quod malum etiam diximus vocari ex Tharantano Aſarnac vel arnalac apud Arabes: cuius ſigna & curationem etiam ponit Auicenna *libr. 3. fen. 3. tract. 3. cap. 17. 18. & 19.* Huc etiam ſpectat apoſtema durum in palpebra, cuius meminit Gordonius particula *rettida rubrica* 10. inquiens. *Aliquando apoſtema durum, nodoſum in palpebra: poſtea denigratur & aſpectu turpe eſſe.* Repurgetur corpus ſectione venæ & pharmaco, & repercutiatur materia cum acacia & bolo armen. & ſucco plantaginis, deinde abluatur cum aqua & aceto: Poſtea malaxetur cera cum oleo chamomill. & deſuper apponatur. Iam & verrucæ palpebris innaſcuntur duræ & ſiccæ ex melancholia; purgetur melancholia: aliæ ſine duritie rubræ & mori inſtar ex ſanguine; quos & venæ ſectio iuuat. Remouendæ, cum lacte ficus, cum farina tritici piſto, vel lacte tithimalli mixto cum farina hordei. Vel conſtringatur cum pilo equino, vel abſcindatur, deinde locus cauteriſetur. Palpebrarum verrucis, & in maiori angulo eucanthidibus appellatis, palpebras parum deducti patientibus, inquit Paulus, *lib. 6. c. 17.* vulſella prehenſis, ſcalpelloque amputatis chalcitidem leuigatam imponemus.

OBSERVATIO XLVI.

De Phthiraſi & Madaroſi palpebrarum.

PEdicularis morbus, qui à Græcis φθειρίασις dicitur, ab aliis pediculario, non ſolum in capite, verum etiam in toto corpore fieri poteſt, *vt ſcholio obſ. 14. lib. 8. diximus.* Verum hæc ipſa affectio ſimiliter in palpebris & ciliis fieri poteſt; quemadmodum & lendes, vt conſtat apud Aëtium *lib. 7. c. 65. De pediculis palpebrarum & lendibus. Pediculi* (inquit) *in palpebris generantur, lati, puſilli, mulii, ab inguine, ſpondibus, & prano victu trahentes originem.* Ita iuuenis quidam non ſolum pediculos communes & lendes habebat in palpebris, ſed latos cum longis pedibus, quales etiam nos diximus antea circa pectinem aut barbam generari, pilorum radicibus palpebræ inhærebant (*vt etiam quibuſdam militibus euenire ſolet, qui cum à corporis non habent, neque balneis vtuntur aut ſudorem abſtergunt:*) Vt autem palpebras lauaret iuſſimus, cum aqua marina ſalſa, vel muria, & aqua decoctionis betæ, ſtaphidis agriæ: & linimento ex alumine, ſtaphidis agriæ, & melle, palpebræ illinantur, aloës, myrrhæ æqualib. partibus tritis cum lardo mixtis fiat inunctio. Ouum durum coctum abiecto vitello, albumen in aceto optimi vini albi per ſex horas dimittatur, demum ab eo extrahatur: ſub noctem ſupra oculos ponatur, ac tota nocte dimittatur, mane remouendo etiam pediculi eidem inhærentes remouebantur. Verum alteri, qui madaroſi, hoc eſt, defluuio pilorum in ciliis atque ſuperciliis laborabat, repurgato corpore, vt hoc vnguento palpebras liniret, præcepi: *Recipe ſtercoris lepori, & ſtercoris hircini, an.* ℥ j. *corticum auellan. aduſtarum* ℥ iij. *pinguedinis vrſi, vel ſi deſit) caprinæ q. ſ. fiat vnguentum.* Auellana enim aduſta, & cum adipe vrſina vel caprina incorporata naſci facit pilos, & eos denigrat, quibus remediis etiam puellas hoc malo affectas curauimus.

SCHOLIA.

ad palpebrarum pediculos.

DE pediculorum ortu, cauſis ſatis luculenter diximus *libro octauo* & de eorundem curatione egimus: verum cum etiam generentur in palpebris & ciliis, auctores de iiſdem ſeorſim ſcribunt: ita Paulus, expurgatis prius pediculis, marina egelida palpebras colluit, deinde medicamento ſubſcripto cilium attingit: aluminis ſciſſi partibus duabus, herbæ pediculariæ parte vna, tritis vtitur. Pediculis primo diligenter exterſis, idem præſcribit fere Aëtius ad pediculos & lendes, adhibita quoque bona victus ratione, quæ bonum ſuccum adferat. Neoterici & qui Auicennam ſequuntur, *vt Gordonius & Tharantanus*; putrem materiam & antecedentem digerunt: purgant totum corpus, & præcipue caput: deinde lotiones, linimenta præſcribunt ad pediculos: quale hoc eſt Aetij, quod habet *aluminis ſciſſilis* ℥ ij. *vuæ tamineæ obolum vnum piperis duos, æris vſti* ℥ j. *myrrhæ, duos obolos lapidis ſciſſilis triobolum, misces aſſi* ℥ j. *tere, & arido vtere.* Vel aliqua ex his confice, cum aceto ſcyllino: poteſt etiam puella bonæ viſionis eos ſubtiliter à loco cui inhærent extrahere. Ad madaroſin vero, nempe pilorum palpebræ defluuium, cura prius vniuerſi corporis habita: Paulus vtitur ſmegmatis, quibus ab honeſtandis palpebris nomen eſt *Calliblephara.* Terræ ſampelitidis, croci gallarum ladani ana pari portione contrita vtitur. Vel *ſtimmeos toſti lotique* ℥ j. *plumbi combuſti & eloti* ℥ iiij. *croci totidem, nardi indicæ* ℥ iij. *in puluerem redactis vtitur. Vel palmarum oſſium combuſtorum* ℥ iij. *nardi gallicæ* ℥ ij. *leuigatis vtitur*: hoc etiam ſcabioſis oculis medetur. Aliud Neapolitæ ad palpebrarum defluuia (μαδάρωσις appellant) longoſque palpebrarum affectus: *Stimmeos cadmiæ, chalcitidis, miſyos, ana pares portiones, minutim contundantur, & melle veſperſa torrefiant: leuigata vſui ſunt.* Quamuis pluſquam ſatis de profluuiis & caſu pilorum diximus *libro 7.* quæ in barba & capite, tum aliis corporis partibus eueniunt; ſciendum, *quod etiam caſus pilorum fit in palpebris & ciliis ob materiam acuam nitroſam in palpebris contentam*, modo truncantur, etiam cadunt ob materiæ priuationem; etiam ob corruptionem, *vt in lue gallica*, vt ſæpe etiam in nobilibus matronis conſpeximus, quæ ſupercilia glabra omnino haberent: & ita cauſa defluuij pilorum in ſuperciliis, palpebris, vel ciliis poteſt eſſe craſſities palpebrarum ab Arabibus *filach* dicta, & propter glabritiem, *vt antea ex Aetio retulimus*, ob acrem deſtillationem contingentem; vel ob ptiloſim cum palpebræ craſſeſcunt callumque obducunt: ſimul ex duritie & ariditate, vel ex ſcabie aut vlceribus palpebrarum. De quibus omnibus ſatis dictum eſt: & ad horum curationes recurrendum. Si itaque contingat ob materiam acutam rodentem & nitroſam, ea ipſa prius euacuetur, vt de pruritu tum ſcabie dictum eſt. Si propter alias iam dictas ægritudines, vt craſſitiem, pruritum & rubórem, ob glabritiem, ptiloſim, curentur illæ prius; & bonam victus rationem teneat. Habes egregia veterum remedia ad glabritiem & ptiloſim apud Aëtium loco citato, ad ptiloſim & palpebras eroſas, & ad milphoſes affectuſque diuturnos. Si eſt ex craſſitie palpebrarum aut humoris, materia prius expurgata hoc medicamine locus inungatur: *Recipe nardi, ſtercoris muris, ladani, oſſium dactylorum veſtorum, ſtercoris hirundinis ana* ℈ j. *confice cum melle.* Si abſit rubedo, Gordonius illinit cum malo granato integro cocto, vel apponit: Auicen. coquit in aceto, & liquore expreſſo illinit palpebras: quod præcipue valet ſi vna cum defluuio pilorum palpebrarum adſit rubedo, pruritus, & corroſio palpebrarum. Si fiat ex defectu materiæ pilorum, humectetur corpus, caput & oculus, & calida attractiua imponatur, & reficiantur: ſi ex lue gallica, curetur eo modo vt de alopecia ex lue gallica diximus *lib. 8.* Iam & pilis palpebrarum, ciliorum, multa alia vitia oboriri poſſunt: quale illud eſt, vt pili inuerſi oculum irritantes moleſtia hominem afficiant, & viſum impediant: cum enim inuertuntur verſus oculi ſubſtantiam, oculum ipſum pungunt & lachrymari faciunt; & in eo rubedinem inducunt ratione frictionis. Nam aliquando extra aciem ciliorum vel ordinem verſus interius, aliquando ab acie in longum non protenduntur, ſed verſus oculum reuerſantur; aliquando multiplicantur & fiunt plures quam ſit neceſſe. Quando pili palpebrarum inuertuntur, & oculum irritant & pungunt, hæc paſſio à Paulo & Græcis vocatur τριχίασις. Pilis qui oculum pungunt prius euulſis, locus ſtatim ſanguine ranæ inungitur, iuxta Paulum; vel cum cinere chamæleontis albi: vel ſanguis cimicum, vel fumariæ quæ in hordeo naſcitur ſuccus cum gummi; vel muſcæ caninæ ſanguis admodum ad id efficax eſt. Plus itaque qui inuerſatione ſua oculo nocet, euellatur; & ſi iterum enaſcitur, denuo euellatur, & ſanguine pediculi vel veſpertilionis inungatur, aut ouis formicarum contritis. Vel locus euulſus acu ardente cauteriſetur; deinde inungatur locus oleo roſ. & oui albumine, vel pilus circa radicem per acum, ſiue eius foramen deductus, in rectum ordinem deducatur, alij id faciunt per inciſionem eius ſecundum rugas in longum. Sed omnibus leuior eſt euulſio pili, magiſque ſecura. Solet præterea & hiſpiditas in genis euenire, & pili deprauato ordine innaſci; *vt Aetius libr. 7. cap. 66.* meminit, ſic ſcribens: *Hiſpiditatem dicimus, quando ſub ipſis naturalibus*

Hiſpiditas genarum & pili ordine deprauato.

Aetius li. 7. c. 66. De hispiditate genarum & depravato pilorum ordine, phalangosi & districhiasi.

ralibus genarum pilis noui suboriuntur, qui interius vergentes pungunt tunicas, & oculorum defluxus prouocant: idem cum superiori malum esse videtur. Dicitur etiam iuxta eundem Hospiditas, quando genæ relaxantur; vel quando palpebræ ita introrsum declinant, vt pili haud facile appareant, nisi extensis diductis genis. Medici vero ipsarum genarum relaxationem phalangosim seu casum appellant; pilorum vero suborientem propaginem distæchiasin, id est, ordinis prauitatem. Euenium hi morbi, ac præcipue ordinis prauitas, ob humoris redundantiam; sicui etiam tellus aquarum copia plurimas herbas producit, quod quidem facilius fiet, si defluens humor sine erosione fuerit: si enim illi salsedo inerit, pilos etiam naturales eradicabit: perfecta ergo asperitatis curatio est genarum consutio. Quoniam vero nonnulli ob molitiem animi se chirurgico præstare non tolerant, his succurrendum est eo modo quo possumus. Talia itaque præsidia ad hunc morbum antiqui tradiderunt. Hactenus Aëtius quibus deinde addit medicamenta nẽ pili ẽuulsi rẽ nascantur cap. subsequenti *nempe* 77. *lib.* 7. quæ perlegere poteritis. Fractos interius præter naturam palpebrarum pilos, mastiche calido spicillo illita glutinat, in pristinumque ordinem redigit. Idem præstat, *iuxta eundem & Paulum*, bitumen, mastiche, color honia, gummi, cochleæ pars glutinosa. Et ita absoluimus omnes affectus oculorum & palpebrarum: in quibus curandis, *vt patet per Aetium*, veteres multo diligentiores fuere, quam nostri neoterici, tam ex variis compositionibus collyriorum, quam aliorum præsidiorum, quorum latissimum campum *lib.* 7. apud eundem inuenies: quæ à veteribus desumpsit, & libro suo inseruit ad omnia vitia oculorum & palpebrarum, genarum ac ciliorum pertinentia. Quamobrem hoc libro absoluto, nunc ad aurium mala transeamus.

Libri vndecimi finis.

OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM

Liber duodecimus.

DE AVRIVM MORBIS.

OBSERVATIO I.

De auris dolore intensissimo.

QVAM ingens malum sit auris dolor, experientia quotidiana constat, adeo enim aliquando excedit vt hominem illico è medio tollat, aut lipothymiam, conuulsionem, deinde subitaneam mortem inferat, quod equidem famulo ceruisiarij cuiusdam Delfensis contigit; qui cum tribus mensibus dolore auris conficeretur, ac in lipothymiam incidisset, deinde in phrenitidem & conuulsionem (*cum antea variis empyricorum remedijs vsus esset, & me prius in mortis agone vocaret*,) antequam remedia parata applicari possent, post phrenitidem illico conuulsus periit. At mulier illa Maria nomine, patris Diuæ Barbaræ soror, duabus integris septimanis dolorem insignem in aure sinistra cum perpessa esset, vna cum dentium dolore eiusdem lateris totam maxillam occupante, ita vt neque dormire neque comedere ob dolorem acutissimum & intolerabilem posset; variis mulierc ularum & empiricorum medicamentis cum vsa esset, postremo (*vt apud nos fere fieri solet*) me vocauit: pilulis cochiis & aureis cum illam purgassem, & cucurbitulas scapulis cum scarificatione, & ventosam in nucha appositis miraculi instar ab omni dolore liberata est: ℞. *cæpe vnum sub cineribus fernentibus decoctum, olei chamæmellini* ʒi ß. *butyri recentis, olei anethini an.* ʒ ß. *croci* ϑ j. *contusa emplastri modo auri sinistræ appositæ sunt.*

SCHOLIA.

HActenus de oculorum morbis dictum est; at nunc non minor aurium subit cura: quarum vsum proximum à luminibus naturæ humanæ Deus elargitus est: quo fern onis gratia ac intelligendi vis omnis constat. Vitia enim, quæ diximus oculorum, ipsos tantummodo lædunt: At surdi, ab infantia præsertim, rationem & loquendi vsum non admittunt, sed pecorum more bleterant: vnde animi explanatio, quæ nos à ferisdistinguit, magno naturæ incommodo tollitur: & quod deterius est, in earum vitiis maius periculum est, ex quarum inflammatione, ac dolore dementes sæpe periclitantur multi; alij intereunt, vt huic famulo euenit: nam & animi deliquia, deliria, febresque acutas, & mortem, *teste Hippocrate*, ob consensum, quem cum cerebro habent, inferunt. Afficitur auditus membranis læsis, quæ de facili læduntur, frigore, vento, aqua, bestiolarum ingressu; argento viuo periclitari hominem certum est: ea intrinsecus eueniunt. Ex humoribus aurium inflammationes, doloresque oriuntur: vlcera sordida, fistulæ, purulentiaque innascuntur, & graueolentia sentitur, sonitus incerti, tinnitus, murmuraque, auditus grauis, tarditas, surditasque percipiuntur: verminosæ & aures fiunt; sub ipsisque auribus p rotides oriuntur. Habent autem aurium affectus minus promptam & facilem curationem, tum ob ipsius situm & figuram organi, quæ partes præcipuas habet admodum absconditas, vt ægre illis remedia adhibeantur. Præterea quo ingenio, qua dexteritate, quam blande tractari debeant, hi sciunt, qui nouerunt, quam acri sensu particula prædita sit, & quam mollis lædique facilis. Quare præ cæteris in hac cura laborandum nobis est, vt feliciter procedat. Primum itaque de dolore auris agemus, & de dolorosis affectibus, qui dolorem inferunt. Dicitur autem Græcis ὠταλγία; Latinis *aurium dolor*: estque ὀδύνη triſtis ac molesta auris sensatio à contraria dere-pente ac violenter simul, & vehementer impri-mente

mente facta. Cuius species enumerantur potissimum quinque: *dolor punctorius, stimulans tensiuus, grauis, & pulsatilis*; quamuis & aliæ species dolorum recenseantur, de quibus videas *Galen.* 2. *de loc. affect.* & 3. *ca.* 7. De quibus & vide Aculanum, 9. *ad Almanzorem*; & de speciebus dolorum fusius tractauit Montanus Lectione 2. *supra* 1. *caput de Cephalea in Ischasem.* Meatus vero audiendi vbi neruo dilatato coniungitur, proprium ac primum est audiendi instrumentum; cæteræ autem earum partes eidem vsum præstant, *vt* 1. *de caus. sympt. liquet.* Et licet hæc affectio nomen sumpserit cum ab affectu ipso, tum à parte affecta, (cum dolor hic in euidentibus auriculis infestare possit, nec minus in profundo auditorij meatus non longe à cerebro existentis; qui proprie à veteribus aurium dolor appellari solet, *teste Galen.* 3. *progn.*) aurium tamen dolorem dicimus in quacunque parte iam dicta ex quauis causa oriatur: quamquam potissimum de eo, qui in profundo sit. At nunquid sola circa meatum cutis, seu euidentes auriculæ affectæ sint, vel ipse auditorius meatus in profundo; ex ipso doloris sensu, tum etiam ex eiusdem vehementia discere licebit; vehementior namque erit si in profundo fiat, *vt eodem* 3. *progn. patet.* Quis sit affectus dolor, de capitis dolore satis dictum est. Hic dolor insuper insequitur non aliter, quam cæteri ad eandem aurium inæqualem intemperiem, interdum ad solutionem continui earundem; aut vtroque modo affectæ sint pro diuersitate causarum, quæ eandem aurium dolores excitare solent: quas omnes *Galen.* 3. *De compos. medicament.* secundum locos conscripsit, docuitque simul modum dignoscendi eas, à quo cæteri auctores Græci, Paulus Ægineta, Aëtius, Alexander cœperunt. Auribus itaque acris sensus à natura datus, descendente neruo à quinta coniugatione, cùm dura meninge, finsoque atque dispersо in meatum auditorium; ideo leui quoque de causa afficitur. Et causæ dolorum in genere sunt intemperies, morbus instrumentalis, solutio continui: particulatim refrigeratio, calefactio, densatio, obstructio, spiritus flatulentus, humor crudus, frigidus & viscidus illic inclusus, humor mordax, sanies actis, inflammatio, tum propaginis membranæ, tum nerui auditorij vlcus. Intemperies itaque tam calida quam frigida, cum materiæ aduentu & sinẽ ea dolorem inferunt: Soluta vero continuitas fit aut à flatu extendente, aut ab humore corrodente, siue putrefaciente, aut ab aliquo tumore, abscessu vel inflammatione. Rursus hic dolor aut fit primario affectu, vel in auris cartilagine, aut in meatu, aut in auditorio nerno. Per consensum aut à toto, vt per crisim, per febres, aut à parte, vt à capite, cerebro per defluxionẽ vel vt alij addunt, à stomacho vel vtero. Sed hæc exemplis lucidiora euadent.

OBSERVATIO II.

De aurium dolore ex frigore contracto.

VIr senex cum tempore frigido, niuoso, ventoso, in hyeme curru ab Hagha-Comitis Alcmariam in litore circa Oceanum veheretur, in aure sinistra, cum ea parte magis ad mare sederet, insigni dolore correptus est. Ad quem accitus, cum dolor fixus esset citra grauitatem vel distentionem, & alte ægrum infestaret; etiam ex præcessis causis facile intellexi simplex malum esse, & dolorem ex nuda intemperie frigida à vento & frigore circa mare contractum, cum neque capitis dolor adesset, neque grauitas. Primum itaque causam externam, si adest, tollere oportet, vt in frigida, ventos & externum aërem cauere. Verum cum iam se in domum propriam recepisset, vt in cubili calido permaneret præcepi, & si domo ob alias causas egredi necesse esset, imperaui, vt meatus aurium præmuniret bombice occlusa. Deinde cum intemperies frigida concalfacienda esset (*dolores enim à frigiditate obortos calfacienda medicamenta quam celeberrime curant, Galeno auctore* 3. *De compos. medicam. secundum locos*:) oleo itaque rutaceo & amygd. amar. lanæ molliori imbutis, atque tepide per auremgutta vna atque altera infusa, deinde vt doleus auris cotone clauderetur, vt vocant, muscato, iussi, & vt pileolis consuetis omnino via ad aures frigori præcluderetur. Cæpam quoque rubram sub cineribus moderate calefactam excauatam & oleo irino impletam accipiebam, eiusque mixtura expressa leuiter in aurem stillabam, quibus tandem præsidiis dolor sedatus est.

SCHOLIA.

CVm variæ causæ sint quæ auribus dolorem inferunt, diligenter indagandæ sunt; cum sine harum cognitione rectè curare non possumus: nam sicuti intemperies frigida sine materia facilè ex præcessis causis, nempe peregrinationibus susceptis, tempore frigido, ventoso, balneis frigidis præcedentibus, cognoscitur etiam ex ægri sermonibus & astantium; ita & calida intemperies, quamuis ab externis causis frequentius frigida aduenit quam in calida. Etenim non facile intensus solis ardor aures potest afficere, vt frigus externi aëris: cum sæpe à frigidissimis ventis iter facientes percutiamur; ita vt sua tenuitate ad ima vsque penetrent. At non æque vt reliquum caput, solis ardore premitur: ideo dolores capitis ab ardore eueniunt: dolores aurium hic euenire rarius vidi; à frigore autem vidi sæpissime læsos. Idem sentit Iacchinus doctissimus. Quod si quid forte calidum actu, vel potestate excedens, in aurem incidat, nihil obstat dolores hinc quoque excitari: *Hos*, inquit, *esse putarim, qui per aquas medicamentosas natantibus eueniunt; si quando in aurium meatum intimum quippiam earum inciderit*, breui enim excitata earum facultate ex ardore dolor excitatur: quamquam & alia ratione ab eis excitari possit; cum erodunt membranam internam, vel sua acritudine naturali; vel quum ex mora acquisiuerunt putrescentes; & ita continuum soluunt. Igitur vtraque harum intemperierum dignotio facilis est, tum ex iis quæ præcesserunt, tum ex ægri sensu, statim enim procatarctica causa manifestata. Ex frigida itaq; causa prægressa ex ægri aut astantium sermone intelliges: præsentia quoque ex teipso, quoniam dolor alte infestabit, fixus quidem citra grauitatem, vel distensionem, vel ardorem. Si ex calida intemperie dolor oriatur, vt insolatione seu æstuatione aut ventis calidis; seu aquis medicatis, in quibus aliqui ob delicias se lauant, id ab astantibus quoque perdisces: nam & dolorem feruidum sine grauitate seu tensione sentient ægri, *vt sequens exemplum docebit.*

Signa cæterum.

Quare à frigore aures magis lædantur quam à calore.

Ex frigore.

Ex calore.

OBSERVATIO III.

De aurium dolore ex calore contracto.

IVuenis cum in sole capite nudato diu ambularet ventis calidis perflatibus, dolore auris cum

tentaretur, consultum eidem fuit vt oleum amygdalarum amararū calidum instillaret, quo dolor magis auctus est: qui cum me accessisset, & huius mali originem intellexissem, quoque calorem in aure sine grauitate & tensione sentiret, lac tepidū muliebre cum oui candido instillari iussi: quo remedio dolor consopiebatur. At Melchior quidam nomine, subsecretarius (*vt ita dicam*) apud Delfenses, cum ex dente insigniter doleret, mulierculæ consilio auri è regione dentis dolentis particulam allij imposuit: hoc quidem modo dolor dentiū sedatus, sed particula allij auri inhæsit, vt extrahi non posset. Accito chirurgo qui ebrius erat, cum allium auriscalpio eximere tētaret, allij particulam seu globulum allij non recentis, magis ad intimum intrusit, adeo vt sanguis etiam ex aure emanaret, dolore ingenti auris, tum calore subsequente. Dicebant autem allij odorem nocte dieq; se in ore ac naribus sentire, non sine magna molestia, vt illi & somnū impediret, qui odor ab astantibus similiter percipiebatur. Cum autem ad me accederet, quæ circa illum gesta essent narrabat, & inter alia signa referebat se caliditatem igneam quandam in aure persentire, ac in toto capite, sed in aure multo magis. Vt autem hominem ab illa molestia & dolore leuarem, aurem frequenter tepide foueri iussi cum lacte muliebri & oleo ros. iisdem sæpe instillatis, præterea & hoc sequens instillatum, cataplasmate quoq; impositō: ℞. *olei amygd. dulc.* ʒ ß. *olei ros.* ʒ iij. *olei amygd. amar.* ʒ ij. *mucilaginis seminis maluæ extractæ cum aqua maluæ* ʒ vj. in aurem tepide imponatur, & cum bombyce huic liquori intincta occludatur, ℞. *radic. althææ mundatæ* ʒ iß. *fol. maluæ, viol. meliloti an. m. j. se. maluæ, althææ an.* ʒ ij. *coquantur in aqua communi pro fotu*; quo tepide spongia immersa & leniter expressa auris fomentetur, & reliqua cum fœcibus suis pistentur, addendo *farinæ hordei, farinæ seminis lini an.* ʒ ß. *pulu. flor. chamæmill.* ʒ ij. *vel p. ß. butyri recentis, olei amygd. dulc. an. q. s.* fiat cataplasma molle: quibus remediis emollita est pars allij: atque ea amota, cum auris tepide supradictis foueretur, atque iam dictis remediis instillatis, ab illa molestia, tum dolore, curatus est.

Scholia.

3 PRocatharctica causa in vtroque ægro facile manifestabant dolorem à calore originem habuisse. Cum autem recens malum esset in secundo etiam ægro, nihil periculi erat affixam esse materiam. Nam si protractum fuisset, non modo humoris aliquid affluxisset, quod ex dolore coniecissemus, sed etiam ex eo quod aliquando species morbi mutetur, in vtraque intemperie: nam hic cum calida esset affectio, affluente ex dolore sanguine, cum etiam chirurgus ita intrusisset allij particulam, vt sanguis ab aure emanarit, mista potuisset fieri affectio quod aliquando euenire vidimus: imo non intemperiem solum, sed apostema phlegmonode, quemadmodum & in frigida affectione, quæ vel mista fiat ex intemperie & solutione continui, quæ fit ex flatibus partis calore refrigerato. Cæterum dum simplex malum est, facilis curatio erit. Primum enim causam externam, si adest tollere oportet: vt in frigida ventos & externum frigidum aërem cauere, *vt ostensum est Obserū. 2. præcedente*; & calefacientia applicare, modo per vaporatoria, per spongiā lanamue adhibere si leuior sit affectus, ita & lanam oleo de spica madentem vel rutaceo, aut de castoreo supra aurem applicabimus. Paulus *lib. 3. cap. 23.* vtitur & laurino oleo calido, vel amaracino, vel spicato, vel liquore balsami, aut oleo in quo allium aut cæpa incocta est. Idem facit & Aëtius *libro 6. capit. 75.* qui & exiguam euphorbij portiunculam plurimo oleo immixtam vel piper cum oleo subactum infundit: quæ & à Galeno mutuarunt. Si malum magis contumax; aliquid ex oleis prædictis infundemus, & tepide instillabimus. Materia vero varia est (*vti apud Holerium videre licet in libro 3. Galen. περὶ ἀκράτων quæ refrigeratæ auri conferant*) iuxta affectus magnitudinem, quam coniicimus, tum ex causæ quæ præcessit magnitudine, tum ex doloris modo. Vaporatoria quoque seu fumi per infundibulum aure excipiuntur. Si ex calida intemperie, ouum crudum rosaceo subactum Galenus infundit. Arabes liquore oui tenuis subacto ex aqua ros. nenupharis, viol. lacte muliebri, succo parietariæ, vel cum rosaceo vtuntur. Possemus etiā vti, in intemperie calida & in dolore ex aquis medicatis, oui cādido in aurem demisso: egregie dolorem mitigat; magisque si tepidum paulatim (*vt nos fecimus*) cum lacte muliebri infundatur. Interea si calida affectio sit, ex iis quæ inciderunt, primum tentare oportet, vel id quam primum educatur, ea ratione, qua omnia liquida, quæ in aurem incidunt, educi solent. Nihil autem præstantius, *Aëtio teste*, quam oris exsuctio ad aquam euocandam, quæ etiam per arundinem veluti per tubulum quendam exfugi potest; deinde succum cæpæ cum adipe instillari. Si quis etiam alteri pedi innixus eiusdem lateris cum aure affecto, capite parumper decliui saliat, aquam facile excutiet. Alij per fistulam quam penitissime iniectam ore aquam attrahunt. Galenus, tum Aëtius quoque, si ex aqua medicata excitatus fuerit dolor circa auditorium meatum, assidue oleum infundunt, & aurem irrigant, mollique lana fouenti deinde lana molli extergunt, rursusque instillant idem sæpius repetendo: inuabit & siccam spongiam, quam mollissimam immittere, & paulo extractam siccare, & rursus immittere. Similiter, *vt etiam Paulus iubet*, oui aquatum immittunt, & lac muliebre, cum quodam collyrio, quod dolorem lenit, & quæcumque ad oculorum phlegmonas vsui erant, molliter refrigerantia & vim medicamenti retundentia, vel succo perdicij herbæ cum modico rosaceo. Hic etiam, eodem Paulo teste, iuuabit olei vsus, quod ex asellis hydryarum (*Græci ὄνος ὑδρηλίδας appellant*) confectum; quo ad dolores sedandos, præsertim à calida causa ortos, nullum est efficacius. Oportet autem eos vigentes capere, & ex oleo cum aqua coquere, quousque aqua absumatur. Paulus simpliciter in oleo videlicet dulci coquit. Galenus etiam, vti dictum est prius; oleum dulce per se ingiter infundebat. Paulus etiam oleum amygdalinum per se: vel buccina viua numero tria, in eo decocta, mirifice proficiunt. Solet etiam in aurem incidere, non modo calculus, sed etiam vt in nostrum, faba, *teste Paulo & Aëtio*; etiam festuca, semen siliquæ, ceraforum. Hoc quidem memini duobus pueris colludentibus factum esse, cum vnus lapillum cerasi in alterius aurem intruserit, qui difficulter deinde extrahi potuerit. Nam & alius puer 10. annorum cum non bene per chirurgum tractaretur, referente Matthæo de Gradi, non solum insignem dolorem perpessus est; sed & mortem incurrit. Ad calculos & similia quæ in aurem inciderunt, Paulus specillum lana involutum in resinam aut gummi aut aliud quoddam glutinans medicamentum demittendum esse scribit: idque in aurem iniiciendum, ibique vertendum est;

Dolor si ex nuda intemperie, facile tollitur. 1

Ex frigore. 2

est: verūque enim sic protrahes. Si hoc modo nihil efficitur, oleum feruens meatui continuo instillato, ac si ne sic quidem inciderit aut comprehensum fuerit aliis quoque vtitor modis: vt in parte chirurgica apud Paulum docetur; & apud Aëtium, Adhibent sternutamenta naribus imposita, ore ac naribus denique clausis: ita enim ob vehementem spiritus intensionem exsufflatur quod inciderat. Neque id prius desistat facere quam liberetur: si enim perstiterit, auris inflammatio orietur: reliqua vide apud eosdem auctores. Pulex si in aurem caute inciderit, lanæ compressæ pessulo in specilli modum sæpe extrahatur, vel resina inuoluto liquida vel terebinthina, *vt prius dictum est*, lapillum aut semen auriculario specillo, aut hamulo retuso paulum recuruato; nam & sternutamenta eadem commouent. oriculario clystere (*vt tradit Celsus*) aqua vehementius intus compulsa extrahimus. Si lapillus aut semen non egreditur, abscessus, inquit Galen. vel neruorum distentiones imminent: tum auris tota nocte amygdalino perfundenda, demum mane insequenti balneum ingredi debet æger; & laxato auris meatu, sternutamenta elleboro concitanda sunt, ore & naribus compressis, vt Galenus & Archigenes tradunt; atque ita per se quicquid inest elidit. Aquam etiam aurem ingressam, si suctu auriculariæ non eximatur, putrefieri tradidere; vnde dolores & abscessus oriuntur: si exciderit (*eo modo quo iam dictum est, apud Paulum & Aëtium, ac Galenum*) auditorius sensus oleo amygdalamaro injecto foueatur ac recreetur. Contingit aliquando puero decem annos nato, filio Nicolai Mentij Delfensis, quod concha exigua in littore maris reperta aurem subintrauerit. Pueris enim colludentibus & eiusmodi exiguas conchas auribus admouentibus propter sonitum quem ex iis percipiebant, puer hic ita intrusit conchām in aurem, vt eam extrahere non posset; & accedens sororem natu paulo maiorem, sed iuuenculam; quæ cum spinthere eximere tentaret, magis ad interiora detrusit, vt nullis instrumentis à chirurgis concha extrahi potuerit, neque medicamentis relaxantibus à me præscriptis, aut fotu: ita vt per semiannum in aure remanserit, tandem humore aliquo per se ex aure emanante, cum puer ex schola domum venisset, ac de maximo auris dolore conquereretur, & concha conspici posset, eandem mater spinthere recuruo extraxit. Tamen post male loquebatur etiam per nares, vt vix puerum intelligerent; at sæpe infuso oleo amygd. amar. meo consilio in aurem humore cum sordicie, exeunte, post quatuordecim pluresue dies optime loquebatur, & sanitati restitutus, nullo dolore in aure permanente: qui & nunc optime audit, & nihil mali sentit.

Observatio IV.

De aurium dolore à materia frigida, per modum catarrhi, cum insigni dentium dolore.

AVrium dolores non solum à nuda intemperie fiunt, *vt iam ostendimus*; verum magna ex parte etiam materiam coniunctam habent, frigidam præcipue: quod sæpe ex defluxu à cerebro euenire solet, vbi post meridionales ventos caput replentes, repente aquilo flauerit; duplici enim ratione nocet ac dolorem excitat. Primum enim intemperie; qua afficit; sed multo magis, cum propria sua substantia distendit sensibiles partes, & rursus maxime, quando elatus ab ea flatuosus spiritus membranam, & neruosas partes ipsius internas extendit, atque conuellit; facile enim hoc iuxta Galenum artificij coniectura, causas prægressas considerando, discernemus. Ita mulier quædam Maria Adriani nomine, Delphica, annos circiter quadraginta complens, albi coloris, pituitosa, in Autumno, frigido aëre & ventis meridionalibus flantibus, pluuiis deinde subsequentibus, capitis fluxionem incidit, atque in partes subiectas catarrhus fluxit, & caput pituita repletum est: victu quoque humido & pituitoso cum ad tempus vsa esset; adeo vt per duas integras septimanas intentissimo auris sinistræ dolore detineretur, facta fluxione ad dentes eiusdem lateris, totam maxillam sinistram quoque occupante cum leui inflatione & duritie quadam sine rubedine, cum tanto dentium dolore ac auris sinistræ intus in meatu auditorio inhærente, vt neque per totum illud tempus dormire neque edere posset: malo semper, cum mulierc̄larum & empiricorum experimentis sine ratione vteretur, augescente. Tandem cum per duas integras septimanas ita dolore conficeretur, me ad curationem vocauit. Cum autem præter causas prægressas, animaduertem frigoris sensum adesse, & simul grauitatem quandam tensioni adiunctam esse, & quod calidis magis gauderet & iuuaretur: ex fluxione frigida cum materia frigida, & ex catarrho totum hoc malum inductum esse cognoui. Quamobrem vtile duximus vniuersum corpus prius purgare, & omnem redundantiam prohibere tum totius tum capitis. Quare post syrupum de betonica & oxymel exhibitum, illam purgaui cum pilulis sequentibus. *Recipe pilular. cochiarum, assaieret, & de hiera an.* ϑ j. *cum aquæ betonicæ, fiant pilulæ v. dentur sub noctem*; ter quaterue aluum deinde deposuit; interea victum attenuantem præscripsi; vt etiam vino abstineret & à crassiore ceruisia & eius loco vt sumeret hydromel in quo cinamomum incoctum esset. Postea rursus pilulas cochias exhibui, & cucurbitulas scapulis imponi iussi cum scarificatione, & ventosam vnam ceruici: purgato corpore, etiam capite, per pilulas dictas, ad errhina & masticatoria deuenissem, quæ proprie caput vacuant, sed non audebam iis vti quæ multum commouerent (*eiusmodi sunt quæ per naves traiiciuntur*,) ne materia maior attraheretur, ideo potionibus potius vtebar quæ pituitam absumerent & extenuarent; quales in doloribus capitis à succo frigido viscoso conuenire scripsimus: & post pilulas sumptas, & cucurbitulas appositas ad topica deuenimus, nempe olea & cataplasmata dolorem sedantia, quæ cum non satis iuuarent, emplastrum quod sequitur auri appositi, & miraculose ab omni dolore liberata est: *Recipe cæpam vnam rubeam satis magnam sub cineribus feruentibus coctam*; *adde olei chamæmill.* ʒ j. *olei anethini butyri recentis an.* ʒ ß. *croci* ϑ j. *ducatur in mortario ad emplastri formam, & calide auri apponatur die noctuque.* Illud enim auris dolorem tollit, apostema soluit; & si ad suppurationem tendit, hoc ipso iuuatur. Sed dolor his cessauit, abscessu non subsequente.

Scholia.

SI ex frigidis glutinosis crassisque succis protinus tetur dolor, qui obstructione potius eum concitant, eodem modo vt supra coniectura deprehendemus, prægressa, & præsentia percontanti: cū cibi pituitosi & mali succi, ac potus frigidiores, humidioresque præcesserint: temperamentum ac ætas frigida, similiterque anni tempus, & regio, ac aëris

6 *Signa doloris ex materia pituitosa vel succo frigido glutinoso.* 2

aëris cõstitutio: capitisque ac aurium grauitatem ægri sentiunt. Toto itaque corpore repurgato, *Curatio.* materia prius præparata, deinde & capite repurgato à succis frigidis glutinosis, factisque diuersionibus & reuulsionibus, & cucurbitulis in ceruice & scapulis adhibitis, vitæ ratio præscribenda, vt de dolore capitis à pituita dictum est, & remedia topica eadem quæ in dolore aurium frigore præscripta sunt, his adhibenda: nisi quod debent seligi quæ detergent & attenuant, & dolorem proprie sedãt, quamuis primum leuioribus vtendum, ne calore materia plus fluat. Verum vbi succus glutinosus in causa est, plerumque etiam adest 7 *Signa doloris auris à spiritu flatuoso.* spiritus flatuosus; quamuis & is propia signa sua habeat: vti euenit cuidam mihi admodum familiarj, qui cum supra tectũ domus tempore admodum ventoso cum tegulæ perruptæ essent, nouas apponeret, insigni dolore aurium correptus est. 8 Cum autẽ huic distensio adesset, grauitatem vero in capite, vel aure neutiquã perciperet, antegressa frigiditate, & ventis admodũ spirantib. spiritum flatuosum & crassum transitum nõ habentem doloris causam esse ratus sum, qui haud aliter quam inflammatio partes distendens dolorem excitat. Cum a. febris nulla adesset, iussi fieri euaporarium, quod nonnihil materiæ & flatus crassitudinem discuteret, & ipsi exitus viam aperiret; toto corpore tum capite prius repurgato: ℞. *rutæ, betonicæ, folior. lauri, meliloti, chamæmill. summitatum anethi an.* m. j. *cumini, sem. fœnugræci ana* ʒ ij. *coquantur in aqua communi, & fiat euaporatio.* Sacculi quoque ex *Curatio.* milio calefacto auri apponebantur. Aliqui etiam 9 torrent in testa, & sal adiungunt; siccat enim sine morsu & discutit. Apponi quoque mandauimus emplastrum ex fœnugræco coctũ in lixiuio. Nonnulli apponunt radicem agrestis cucumeris. Refert n. Paulus quod strenue conferat cucumis ex aqua calida fota, aurique demissa. Deinde imperaui, si iis non cederet malũ, vt fortioribus vteretur, & liquore aliquo macerata in aurem iniicerentur, & cæpam excauaret, & oleo repleret cauitatem, & super carbones excoqueret; & mox eo oleo vteretur. Extrinsecus quoque ad affectam partem (*quod eandem vim haberet*) deligaret, lanam scilicet nardino oleo vel spicato imbutam, & eam sordidam. Quibus remedijs hic benè habuit. Vtuntur *Curatio ex flatuoso spiritu aut frigidis succis.* itaq; auctores in doloribus qui ex flatuoso spiritu aut crasso, lentoque humore fiunt; medicamentis 10 quæ obturatione liberant, abstergunt, atque incidunt, citra tamen vehementem rosionem; præsertim in quibus dolor magnus & copiæ suspicio subest. Ita Paulus in ambobus vitiis, capit aphronitrum cum aceto & melle. Item fel ouillum cum oleo communi, vel amygdalino. Præterea porri & cæpæ succum tepidum cum melle, aut origanum cum melle & lacte muliebri instillat. Ad vehemẽtiores aurium obstructiones, fel caprillum cum succo porri indit. Verum quos amplius labor vrget, & grauis simul auditus existit, hæc quoque commode vsurpat, cuiusmodi dracunculi succus est, ari, bryoniæ. & similia infundit, quæ strenue auxiliantur. Eadem fere habet Trall. *lib. 3. c. 1.* & Aëtius *lib. 6. c. 77.* qui & amara commendant: vt *etiam Gal. 3. De compos. medicamentorum* facit, quæ mordacitatem & absq; molestia expurgant meatus, disjiciunt & dissecant obturata. Oportet autem hæc sæpius injicere calentia, eo vsque, vt æger voluptatem capiat. Deinde & de sensu medica- *Cautio.* mentorum sæpe est rogandus æger, ac calore in- 11 tendendo. Sæpius vero hoc facere oportet, vt vna si quid pituitæ deterſum est & extenuatum, effundatur. Conducit etiam vaporatio ex ruta, sampsucho, castoreo & milio. Verum si in toto corpore, aut saltem in capite prædictorum crassorum humorum adsit redundantia, priusquam modo dictis medicamentis vtaris, corpus totum aut saltem caput purgante medicamento exonerabis, præcedente tamen eorum coctione ac præparatione; vt de doloribus capitis à succo crasso ostensum est: alias maioris fluxionis causam præbebunt, & dolor amplius irritabitur. Plura & egregia remedia videas apud Rondeletium *cap. propter.*

OBSERVATIO V.

De auris dolore ex materia calida & inflammatione.

IVuenis robustus intensissimo auris dolore afficiebatur, non sine febre, adeo vehementi vt delirium ferè incurrerit. Ad hunc accitus, ex phlegmone etiam partis interioris auris eum laborare intellexi, ex humore sanguineo, cui tamẽ plurimũ bilis esset adiunctum, cum non in densas partes crassior sãguinis pars penetrare possit. Cuius quidem causa est repletio aut solius capitis, aut vna & corporis totius: porro cum phlegmone, aut partes quæ auditorij instrumenti compositionem ingrediuntur, occupat; aut eas quæ iuxta sunt positæ. Rursus, vbi instrumento vel extimas solum partes malum afficit, vel intimiores: adeo vt inflammatio ad neruum vsq; auditorium pertingat. Etenim hæc omnia distinguere oportet, quod & multum periculi magnitudine distant & curatione. Cæterum quod hic inflammatio esset, grauitas dissensioque simul ac color & dolor pulsatilis & febris ostendebam; cum & inflammatio causa efficiens sit doloris, qui sanguinis calfacti influxu intendebatur, & originem suam habebat: quod & bona ratione æstimare licet; quemadmodum Paulo & Alexandro quoque visum est. Excitantur a. interdũ ex ichoribus, seu sanioſis humoribus in aurium corpore genitis, consimiles dolores; quemadmodum ex mordacium humorum illapsu forinsecus facto contingunt, *Gal. teste 3. De compos. medicamen. secundum locos.* Verum quod hic phlegmone erat, id signa communia, quæ cæteris phlegmonis adesse solent, sensu indicabant. Etenim rubere eius proprium est: protenditur vero rubor magna ex parte ad malas & tempora, quod ad partes vicinas fluxio quoq; communicat; vt & calor, & aliqualis inflammatio, quemadmodum huic iuueni euenie- bat. Quod autem interna pars magis affecta esset, id grauitas doloris demonstrabat, & pulsus magnitudo. Quanto enim ad intima magis perueniat inflammatio, eo maior pulsatio; quoniam arterias maiores: sed & dolor quoque maior, & febris vehementior, ob primi principij nobilitatem; hinc & paraphrenesis. Omnia enim hæc aderant in hoc iuuene annorum 28. tempore verno: deinde interna pars aliquo modo rubere & tumere videbatur, maximè ad lumen (*vt fieri plerumque solet; nisi valde penetrans & abscondita sit phlegmone.*) Hæc cum adesse spectarem, simul & febrem, caputque calidum simul & inflammatum; ne vniuersim fluxio in cerebrum raperetur, ac magnitudine sua malum & ob prauitatem partis delirium magis perficeret consensum accederet (*cum & delirium ac mortem minetur ex febre continua & acuta teste Hippoc. 3. Prognost.*) statim hic sanguinem esse detrahendum astantibus proposui; præmisso tamen clysteri & emolliente & refrigerante, ob febrem, ad reuulsionem & fæcum expulsionem: cum aluum strictã haberet. Quamobrem, iis expulsis, hora vna atque altera intermissa statim ex vena cephalica eiusdem lateris, è regione auris dolentis pro reuulsione & simul eũacuationẽ, sanguinem in cubito detrahere mandauimus. Cum n. methodus curandi generalem phlegmonarum curationem habeat, atque eadem auri sit accommodanda, sumptis indicationibus à partis præstantia, figura, situ & sensu: igitur phlegmone dũ in generatione est, monstrat nobis, vt primum eius augmentum inhibeamus, postmodum quod ipsius factum est, tollamus. Inhibetur autem maximè, si fluxionem, quæ in partem fertur, sistamus. Sistitur fluxio, partem robo- rantibus, ne prompte suscipiat; dolorem sedantib. cuius gratia fluxio excitatur; reuellentib. ad alias partes humorem fluentem. Quoniam vero fluxio sæpius ex aliarum partium plenitudine excitatur, siue vna sit, vt caput, siue plures, siue vniuersum corpus: ideo præcedere abundantiæ vacuationem oportet; quamquam & iisdem præsidiis etiam reuellendo nonnihil fluxionem inhibeamus. Quod a. hic sanguinem mittere oportuerit, nemo est qui dubitat, qui eorum quæ sæpius diximus, satis meminerit. Etenim acutissimus & maximus morbus cum sit, maximam & celerem opem exigit. Hæc autem est venæ sectio: quæ etiam aliquando, *vt dictum est à Galeno*, ad animi deliquium fieri debet; cum & Hipp. dixerit, extremis morbis extrema remedia esse adhibenda. Verum cum hic tanta nõ esset plenitudo, & quæ caput magis tentabat, & plethora quidem adesset, non sine bile in iuuene etiam bilioso, ideo ex cephalica sanguinem mediocriter vel satis copiosè extraximus. Iubet n. & Paulus in tali fluxione calida cum inflammatione & febre, vt statim sanguis emittatur. Et quamuis non meminerit, quæ vena sit secanda; media incidi possit, si totum corpus sanguine abundet; vel cephalica, si caput: *de qua latius in Scholio.* Rondeletius cephalicam iubet incidi eiusdem lateris. Inerea & aliis reuulsionibus vsi sumus: frictionibus inquam, vinculis & cucurbitulis, ac aliis clysteriis si ventrem quotidie non deponeret. Postea, cum & bilioſus sanguis inter emittendum appareret, & postea magis iam refrigeratus; à venæ sectione vno altero die intermisso, etiam purgatione vsi sumus, quæ vim haberet leniter bilem educendi: videlicet ex infuso rhab. & diapruno simplici. Statim igitur à reuulsorio hoc præsidio & vna vacuatorio, nempe sanguinis detractione, præscripta prius optima victus ratione, vt victu tenui vteretur refrigerante & humectante, etiam hordeato: cui & semen papaueris incoctum esset ad somnum inducẽdum, ne delirium augeretur, tum ob febrem; à vino & aliis calidis abstinendo (*vt in omni phlegmone ab auctoribus declaratur.*) Alia quoque ratione fluxionem inhibuimus, tum partem roborando, tum dolorem sedando: & cui magis intenderemus, id ex doloris magnitudine coniecimus. Cum enim hic vehemens esset, & pulsatio valida, huic sedando magis incubuimus. Verum cum dolor bifariã sedetur, tum sensum hebetando his, quæ stuporem inducunt, tum iis quæ relaxant nonnihil, & ita causam tollunt; elegimus potius illa omnium primo quæ nonnihil relaxarent dolorem q; sedarent & simul causam tollerent. Quare ex præscripto Aëtij cum feruens inflammatio esset, oui candidum tenue cum lacte muliebri tepidum infundebam; etiam asellos in oleo violaceo infusos & expressos subinde & ros. leuiter stillabam. Modo etiam rosaceo solo vtebar: modo lacte admisto, aut oui albo: similiter & rosaceo, motrinsecus iam dictis lanam imbutã imponebam; cauendo tamen ne calefierent. Vnde & super aure vt iaceret iubebam, nisi cum mens esset expurgan-

di. Imperaui quoquẽ vt & hic maximè illisum aut duri corporis contactum caueret: sed vt potius ex lana madida, specillo appenso guttatim aliquis ex astantib. instillaret & rite administraret, quod & ipse cum inuiserem faciebam. Pars quoque dolens fouebatur hoc fotu: ℞. *maluæ, bismaluæ, violæ, lactucæ, salicis an. m. j. sem. cydon. maluæ an.* ʒ iß. *florum chamæmill. meliloti an. p. j. florum ros. sub. p. ß. fiat decoctio*, qua pars leuiter & tepide cum spongia madefacta & expressa foueatur. Talis fotus optime conueniebat, vt materia digeratur. Postea cum dolor etiam reuulsoriis præsidiis iam dictis, & purgatione leui, remitteretur, ac febris paulatim cessaret; ad opium non deuenimus, tum alia quæ stupefaciendo dolorem consopiunt: de quibus postea suo loco. Ideo remediis iam dictis contenti fuimus: & postea ad magis digerentia deueniendo, fomentis supraſcriptis adiecimus semen fœnugræci, & lini. Et materia fuit paulatim resoluta sine abscessu; vt non opus fuerit ad suppurantia deuenire: sed cataplasmate appositio ex foliis *maluæ, viol. & radice liliorum, adiectis floribus chamæmill. & meliloti, cum farina hordei, oleo amyg. dulc. & pinguedine anseris farina seminis lini immisti fiebat cataplasma exiguo puluere flor. ros. & nenupharis iniecto.* Quibus remedijs hic sanus factus est.

SCHOLIA.

CVm dolores auriũ ex variis causis contingant 10
(*quas nunc ex parte enucleauimus, tum earundem causarum signa, in prægressis Obseruationibus, tum scholiis*) si ij contingant ex inflammatione, satis etiam eundem percipies ex hac iuuenis curatione. Si de his iisdem pleniorem explicationem desideres, perlegas ea, quæ Benedictus Fauent. præceptor meus cap. proprio. *De causis doloris aurium & signis demonstrationis scripserit.* Restat tantum vt signa pro- *Prognostica.* gnostica hic addamus. Quod a. maius periculum in aurium affectionibus immineat, quam in oculorum vitiis; id testatur Celsus: nam vitia oculorum intra ipsos nocent; aurium inflammationes doloresque etiam interdum ad dementiam mortemque præcipiant, *vt in libris Obseruationum nostrarum de febrib. ostendimus.* Propterea inter initia protinus magis succurrendum est, ne maiori periculo locus sit, vt ipse inquit. Non absque ratione Hipp. 3. Progn. refert, quod aurium dolor in febre continua (*vt & antea diximus*) ac vehementi, difficilis est: periculum n. delirij mortisque imminet: nam natu minores, septimo die, aut citius, ab hoc morbo interimuntur; natu vero maiores, multo tardius. Febris n. ac delirium minus eos infestat; & aures eis ob id antea suppurantur: sed per has ætates recidiuæ euenientes morborum, plurimos interimunt: minores vero natu priusquam suppurentur aures, interimuntur. At si dolor in euidentibus partib. infestat, minus periculi existit, *vt ex Gal. commento 3. Prog. 15. constat.* Si vehemens sit & in profundo hæreat, necis periculum imminet: tunc enim neruus auditorius oblæditur. Hinc magnitudo periculi distinguitur primum natura. Hæc aucta tum magnitudinem morbi significat, tum prauitatem, quæ est altera magnitudo sibi partis ratione euẽniens, si in profundo ad auditorium meatum phlegmone fiat, non vbi in externis quæ apparent partibus. Gal. n. quosdam ait per cõsensum deliros fieri ex dolore cum feb. acuta; quosdam vero attonitos mori, cum vniuersim fluxio in cerebrum permutatur. Alex. autem, siue meatus auris (*dicebat*) siue alia quæpiam interna particula frequenter inflammatione laboret, acutissima

particula vicinia regionis, & genere substantiæ inducit, redditque ipse rationem: nam neruus qui internam auris superficiem sublinit; cum sit sensibilis, validos dolores acutosque excitat, vt etiá cerebrum in consensum perducat, ita vt febres & deliria sic affectus oboriantur: interim vero moriantur citius iuuenes, quam senes ex eodem affectu intereant. Quod & ante ipsum non Hipp. 12 modo, verum etiam & Galen. eodem 3. *Prog.* scriptum reliquerant. Cum igitur, *vt diximus*, non ex vna duntaxat causa aurium dolor excitetur, ita nec vna est eiusdem curandi & victus ratio, sed iuxta diuersitatem diuersimode quoque instituenda, prout ex causa frigida vel calida sine materia vel cum materia oriatur. *De quibus in præcedentibus obseruationib. tum scholijs dictum est.* Ita quoque si ab inflammatione oriatur; statim vt diximus vena secanda est media vel humeralis, & alia quæ ad reuulsionem faciunt peragenda, *vt in obseru. præcedente nunc satis ostendimus*: deinde dolorem topicis remediis sedabimus per fomentationes, cataplasmata, inunctiones, quorum medicamentorum copiam *apud Rondeletium, tum apud Donatum, tum etiam apud Paulum, Aetium, Trallianum & Gal. inuenies.* Sed non nisi extremis dolorib. ad stupefacientia deueniendum, nec opium medicamentis immiscendum, nisi vetus fuerit. Ego enim (*inquit Galen. & citatur à Tralliano*) noui quendam solo vsum opio, & vocem & sensum ægro ademisse; vt ne opobalsamo quidem, aut aliis quibusdam calidis iniectis, homo amplius restitui 13 potuerit. Vide apud eundem de adipe anserino & phasianorum: cuius verba Gal. ab eodem Alexandro ad longum recitantur. Interea tamen ipse Alexander in iuuenib. & calidis temperamento, in febri, tempore æstatis, & regione calida, vrgente summo dolore, aliquid opij admiscet in muliebri lacte & oui candido. Alij potius hyoscyami folia in fomentis vel cataplasmate miscent: *vt videre licet apud Rondeletium.* Habes medicamentum ex castoreo & pap. succo, non solum ad aurium dolores, sed & oculorum 12. meth. med. sed eo vtendum cum cautione, *vt idem admonet: & alia plurima apud Gal. 3. De compos. medicamen.* quomodo eadem sint miscenda. Et ideo cum nihil amplius influit, & morbus consistere videtur, & dolor adhuc vrget, Galen. medicamentum ex opio cum sapa dissoluit atque instillat; plusque mitigat eodem auctore quam dulcia vina: quoniam vinum dum ferueret, necessario acritudinem quandam asciuit. At sapa, quoniam aquosum omne fere absumptum habet, ideo non feruet, nec acris est, si quidem probe sit excocta. Quod si non maximus dolor vrgeat, causæ attendere oportebit, ac relaxantibus vti, quale est oleum amyg. dulc. vel liliaceum intra aurem instillatum, vel extra adhibitum. Hoc tempore & anserinum seuum, vel anatis, vel gallinacei instillatur. Laxant n. partem, & leui calore euaporare faciunt quod est impactum: sic & fœnugræci liquor. Extrinsecus etiam oleo calido omni ex parte aut nardino, quod anserinum habeat, locus fouendus erit, aut rosaceo seu amyg. & si doloris vehementia exigat, per spongias calente aqua imbutas, in qua chamæmeli flores, fœnigræcum & melilotum fuerint decocta, fomentum adhibere conuenit. Quod si imponi cataplasma aliquando suadebit, papauerum capitib. in aqua coctis, ac fœnugræci, vel hordei, vel lini seminis farina aquæ immista cataplasma conficies, *ex eiusdem Galeni sententia eodem 12. medendi.* Et si externa videantur auris inflammatione tentari, non alienum erit, farinam hordeaceam, aut triticeam sapæ, aut vino dulci adstrictionis experti incoctam cataplasmatis modo inducere. Quod si interim morbus remittitur, etiá resoluentibus vtemur; vt vulpino adipe: atque omnino studebimus morbi reliquias resoluere. Si vero morbus persistat, & pulsatio & dolor sentiatur multum, vbi fluxio ante resistit, & febris máuehementior prehendit; signum est ad suppurationem tuberculum conuerti. Nam circa generationem puris, dolores eueniunt & febres, magis quam facto pure. Etenim postea quiescunt. Hæc ergo est aduuanda. Rhases oleum sesaminum, cum adipe anatis, vel gallinaceo instillat. Eliguntur hi adipes & à Galen. 12. *meth.* & 3. *De med. secundum locos*, ob tenuitatem partium & mollitiem quam habent in calore, sine acrimonia: vt possint concoctionem iuuare. Iuuat autem & adhibere crocum in puluerem redactum. Sed hæc exemplo subsequenti clarius elucescent.

Si ex inflammatione fiat curatio.

OBSERVATIO VI.

De aurium dolore ex inflammatione ad suppurationem tendente.

MVlier cum per tres dies in aure dextra ingentem dolorem ex phlegmone pateretur & febris magis intenderetur; ad suppurationem malum tendebat. Cui cum ab initio vena secta esset, tum alia remedia, præter euacuationem & reuulsoria præsidia, peracta essent, quæ dolorem mitigarent, qualia in principio & augmento adhiberi solent; cumque ea nullo modo iuuarent; ex signis præsentibus intelleximus phlegmonem ad suppurationem conuerti: quæ proculdubio iuuanda erat. Ideo Rhases opportune dicebat: *Si per tres dies duret dolor, nec sedetur, tunc phlegmone ad concoctionem tendit*: iisdem verbis significans accidentia vigoris morbi adesse. Quare cum ex vsu resoluentium, aurium tumor non resolueretur; operæpretium mihi videbatur, vt maturantia seu suppurantia apponerem. Et ita emplastrum sequens apposui: ℞. *foliorum maluæ, bismaluæ, violæ an.* m. j. *florum chamæmeli* p. j. *rad. althææ mundat.* ℥ iiij. *Caput vnum lilij albi, caryocarum pinguium num.* vi. *bulliant in aqua q. s. donec aquæ mediet as absumatur; deinde adde farinæ triticeæ* ℥ j. *farinæ seminis lini, fœnugræci an.* ℥ ij. *pingued. porcinæ, gallinæ an.* ℥ j. *butyri* ℥ ß. *olei amyg. dulc. q. s. fiat emplastrum.* quo rupturn est apostema, & pure effluente sanata est, quemadmodum & alius quidam ex pulte auenæ contritæ & in aqua coctæ apposita. Ita & altera quæque mulier Alcmariana, cum insigni dolore torqueretur, tandem axungia porcina vna cum ficubus mista, emplastri modo per diem apposita; abscessus qui intus in aure latitabat, diruptus est, & sana euasit. Aliud quoque exemplum posuimus in Obs. nostris de febribus, *de apostemate curato in quartana*, & aliud de aurium inflammatione cum febre; vtrisque tandem suppuratis & curatis.

Scholia.

FArina triticea cum butyro extra applicata facit ad suppurationem promouendam. Præceptor meus Benedictus Fauentinus hoc sequenti cataplasmate commode vtebatur: ℞. *lactis mulieb. lib. 1. succi althææ, succi caulium an.* ℥ j. *butyri recentis* ℥ j. *farinæ triticeæ* ℥ i ß. *pingued. porci, pingued. gallinæ an.* ℥ j. *croci* ∋ ß. *olei amyg. q. s. ad essentiam emplastrum, & eo vtitur.* Vbi igitur iam suppurarit, dolorque cessat, cum iisdem remediis expectanda

pectanda eruptio est: præcipue in intimis partibus, in quibus tenuior adhuc est cutis; quanquam & extenuata est emollientibus, quæ etiam suppurabant. Cum vero in summo prope meatum est, pinguedinis frustulum cum croco adhibitum proderit, alioqui in intimis partibus oleum sesaminum, vt dictum est, cum adipe anserino infundendum & imponendum. Si neque tunc natura iis remediis abscessum ruperit, apertioni studendum, ne mora puris in loco abscessus aliquid incommodi in instrumento auditorio & forte cerebro inducat. Ad hoc præstandum: ℞. *succi cyclaminis* ℥ j. *pul. stercoris columbini* ℥ ij. *cum* ℥ ij. *lactis mulieb. misceto & sæpe guttas duas vel tres instilla lanæ succidæ appositæ, lacte simplici madida tepide vel mediocriter calide.* Abscessu vero aurium perrupto, sanie effluente, his erit repurganda, quæ abluunt; melle ros. instillato aut mulsa: quæ etiam sæpius renouanda: multum enim interest si sanies probe expurgetur, & vt summatim dicamus, abscessu perpetuo occurrendum intentionibus curatiuis quæ abstergant, mundificent, repurgent & consolident, quod exemplo interposito de vlcere aurium curando dicemus.

Quæ insequentia remedia.

OBSERVATIO VII.

De vlcere auris dextræ: & de aliis quibusdam, quibus sanies ex aure profluebat: & de alio viro suppurationem in aure sinistra habente.

IVuenis boni habitus, cum abscessum intus in aure dextra habuisset, eo perrupto pus emanabat. Ad quem curandum cum vocatus essem, cum illud excrementum quod ab auribus effluit duorum generum sit, vnum tenuius, quod à medicis sanies dicitur; alterum vero crassius, & id sordes nuncupatur: erat autem in hoc iuuene crassius, quod facilè vlcus sordicum facit, *vt Galenus etiam docet 3. meth. med. cap. 3.* Quomodo autem eiusmodi excrementa generentur, tum in auribus, tum in aliis corporis partibus, videre poteris apud eundem *libro 3. method. medend. cap. 3. & 1. prædict. comment. 46.* Cum itaque crassum pus efflueret, medicamentis absterseriis & purgantibus opus est. Verum cum teste Galeno 4. *De compos. medicament. secundum locos*, topica adhibere alicui membro non possimus, nisi prius toto corpore, & capite hic etiam repurgato, huic iuueni has pilulas (*prius præsumpto oxymelite ad materiæ præparationem*) dedimus: ℞. *pilul. aureorum cochiarum ana* ℥ ß. *cum aqua beronic. fiant pilulæ* vij. Deinde vino albo antiquo & melle part. æqu. ebullitis; eoque liquore lanam specillo inuolutã in aurem immittebam, & lanam infusam & resiccatam imponebam. Etiam succum marrubij cum melle aut apij leuiter coctum: postea & cyclamis succum cum melle. Atque hæc bis terue in aurem instillabam. Postea in fine ad maiorem exsiccationem & consolidationem, etiam illud quod sequitur immittebam ex thure & aloë ac melle confectum. Et cum medicamentum emitteretur, cum hydromelite abluebam: postea rursum instillabam. Quibus hic iuuenis curatus est. At Eduardo iuueni annos viginti nato cum aliquot annis sanies humida ex vna aure flueret, oleum amygd. amar. cum lana infusa & expressa sine guttis in aurem infusis, auri imponebam. Postea bombicem (*vel cotonem, vt vocant*) in qua moschus reseruatus erat, meatum aurium claudebam, quo remedio hic iuuenis recte habuit: & dolorem leuem, tum auditum grauem, quem subinde habebat, eo modo curauimus.

Alius autem puer 10. annorum surdus ex variolis permansit: atque ex vna aure sanies per tres continuos annos effluebat. Datis purgationibus, aure repurgata, cum laciniis impositũ fuit *oleum amygd. amarar. & rhodomeli ad* ℥ ß. *myrrhæ* ℥ ß. non curabatur. Tandem succus cæpæ cum rhodomelite instillatus est, & cito fuit liberatus. Franciscus Hubertus (*ita enim huic viro macilento & bilioso nomen erat*) mense Decembri anno 1556. Alcmariæ ingenti dolore capitis detinebatur, ita vt per aurem sinistram (*quæ etiam dolebat*) ruptus sit abscessus: & post eruptionem ad eundem prius accitus fui. Vrina quæ reseruata erat, admodum tincta spectabatur: sitiebat; febre tamen, quæ præcesserat minus vel nihil affligente. Decocto hordei mundati, *viol. betonicæ, vuar. passul. sacch. dulcorato vtebatur: & pro siti oxyzaccharæ ad libitum aliquando cochlear vnum sumebat.* Circa aurem, vbi dolor intensus erat, inungebat vnguento alabastrino & dialthæa simul mixtis: qua linitione (*dictu mirum*) dolor illico sedabatur. Auri vero imponebam oleum amygdal. amararum cum muccagine seminis lini simul mixtum: quo copiose pus in magna copia affluxit: & istis tantum remediis sanitati restitutus est.

Signa.

Scholia.

VLcus in aurib. multis modis contingere potest: vel ob disruptum tumorem in auribus; vel ob abscessum, aut solutam continuitatem, aut ob acutos & mordentes humores acrimonia intus aurium partes & meatum auditorium exulcerantes: præter ea quæ extrinsecus auribus aduenium, intus partes disrumpentia: *vt casus, percussio, contusio, vulnera & similia*; quæ omnia ex sermone ægri vel astantium cognoscentur, tum ex humore acri bilioso, cum & auris apostema incurrat (*vt diximus*) à materia biliosa & biloso sanguine, vel à materia pituitosa, quæ modo citius vt ex sanguine & bile, modo tardius ex fluxu pituitæ ad maturationem & suppurationem veniant & rumpantur. Eiusmodi vlcera statim in principio facilius post eruptionem curantur, quam ea quæ diuturna sunt, vel ex acri humore corrodant. Et sicuti causæ variæ sunt, ita & variæ sunt quoque indicationes curandi, *quemadmodum de aurium dolore diximus.* Nam si veniat à contusione dolor sanguis mittendus est, ad inhibendam inflammationem. Applicentur supra partem quæ aliquo modo constringant, nisi fuerit dolor intensus: tunc mollibus est mitigandus; nempe oleo rosaceo cum aceto vel albumine oui fortiter agitato; idque in principio. Vbi dolor fortissimus est, cataplasma imponatur ex oui albumine & vitello fortiter agitatis, addendo *olei chamomill. viol. an.* ℥ ij. *farinæ hordei florum chamæmillæ an.* ℥ j. *fiat cataplasma*: ponatur supra partem affectam. Quib. si non sedetur, adde folia pap. vel hyoscyami. Quidam aurem dolentem ex percussione ita curauit. Medullam panis albam calide tritam cum melle apponebat, quæ frequenter superposita dolorem sedabat. Particula vero thuris infundatur in lacte, donec dissoluatur & guttatim in aurem mittatur; hoc enim illico dolorem tollit, vt expertum est. Si frãgitur auris, ita vt os elidatur, raro sanatur, quoniam ingens dolor ex Hipp. ac abscessus exitialis insequitur. At si leuior fuerit ictus, myrrha & thure acaciaque ex aceto & oui candido; aut intrita ex melle, panis à furno statim exempti & melle imposita, dolorem leuat & discutit humores. Cæterum si ex vulnere solutio vnitatis fiat, vel per-

Causæ.

Dolor à contusione.

Auris dolẽs ex percussione curata.

Quæ symptomata sequãtur aures fractas.

Ad vulnera contusiones.

cussione, casu, contusione, sanguinis missio vel iterata iuuat; & reliqua quæ materiam confluentem auertant adhibenda; & deinde quæ ad vulneris curationem necessaria sunt ex propriis indicationib. sumenda, quæ ad chirurgiam pertinent. At si auris concussa fuerit, nec os collisum, iuuant myrrha, thus, aloë, ceruſa cum rosaceo, aut myrrha cũ cochlearum carne contrita, aut aloë cum sapa & rosaceo. Ab ictu dolorem sedat lac mulieris cum anserino adipe tepefacto; aut fel taurinum cum eodem lacte vel caprino si ibi aliqua sint rupta. Contusis auribus, blattæ tritæ imponũtur cochleæ cum melle. Si adsit phlegmone, cataplasma ex halica cum aceto. Verum si hæc omnia (*vti & inflammationes apostemata*) male curentur, in abscessum transeunt, ac suppurationem, deinde in vlcus: aliquando quoque etiam si nacti fuerint peritum medicum. Et sic vlcera quæ in auribus fiunt, alia quidem recentia, alia inueterata, nonnulla saniosa, alia vero sordida: quædam ita profunda, vt in fistulam transeant; alia a. sensui manifesta. Quædam etiam, in humido corpore & puerili; quædam in sicco, vt senili aut melancholico, nam & hæc curationem variant. Præter causas iam dictas euenit sæpè à materia ad aurem delapsa ob debilitatem digestiuæ ipsius auris, aut humiditatem aliunde ad aurem confluentem; vel à materia ex cerebro ad aurem delapsa: quæ cum non possit ab aure digeri, fit sanies, & exulcerat. Vel effluit sanies ob tres causas: vel quod apostema vel abscessus in aure recens perruptus sit; vel ob vlcerationem in eis factam ex humore acuto, pungente, mordicante pelliculam vel loca interiora; aut quantitate vel corrumpente & alterante vlcus inducente. Aut fit per pustulas in iisdem generatas atque ruptas: aut ob mundificationem non factam à multis humoribus malignis ibidem coaceruatis, aut congregatis. Humor n. interdum è capite in aures defluit molestus primum & plurimus; qui deinde putrescit, ac consuetudinem facit, vt iam nihil molestiæ inferat. Vlceris vero & pustularum causæ sunt, *vt iam paulo ante diximus*, humores acuti, pungentes, mordicantes, vel quantitate vel qualitate corrumpentes, alterantes: postquam enim locus vlceratus est, concurrunt perpetuo humores vel ob dolorem, vel ob loci debilitatem: & ideo facilè recipit humorem, qui facilè in saniem conuertatur. Quamuis, *vt alii volũt*, sanies euenire possit sine vlcere, à cerebro & partibus circumuicinis: quia natura purgando cerebrum ab humiditate superflua & excrementosa per aurium meatus, conuertit ipsam in cœnosam vel virulentam saniem; eo quod via sit longa ac tortuosa, & non possit tum cito à natura expelli, & ibidem moram contrahendo, talis humiditas saniem quandam acquirit. Et talis aliquando sanies, inquam virulenta, à natura expellitur post antiquum capitis dolorem: vel post ictum in capite sine vulnere; & hoc per viam mundificationis. Medici doctiores saniem tamen seu ichora à pure concocto differre volunt: quamquam sæpè nonnulli illa confundant. Sanies autem de sanguine dicitur (*quod & nostri quoque pus appellant*) eo quod à massa sanguinea generatur. Et sanies à vulgaribus medicis in apostemate vel vlcere aut pustula generata, dicitur innaturalis; digesta quidem à calore, imperfecta digestione. Humor enim veniens ad membrum vt ipsum nutriat, si sit in se acutus, mordax salsusue, aut alio modo ineptus nutritioni, vel si membrum in se sit intemperatum; non fit vera nutritio aut assimulatio: sed potius calor volens ipsum assimulare seu digerere, non potest: & dat ei colorem albũm, sicut est color membri: sed non formam, quia calor facilius datur quam forma. Et per illum modum fit sanies vel pus in membris vlceratis vel vlcerantib. Sed in apostemate ante vulnerationem seu eruptionem pus aut sanies generatur, quia humores concreti & congregati in vno loco per modum suppuradictum à calore corporis ad saniem vel potius pus conuertuntur. Sanies tamen proprie dicta à medicis eruditis, dicitur *ichor*, vt alias diximus. Hic a. saniem communi modo cum practicis pro pure accipimus, vel pro materia illa virulenta. Præceptor meus Benedict. Fauentin. cap. proprio *De aurium vlceribus & de sanie & sorde ex iis exeuntib.* saniem dicit esse excrementum tenuius quod ab vlcere profluit; aliud vero paulo crassius, quod & sordem appellat, & vlcus sordidum reddit, *in Obser. præcedente diximus*. Interea tamen (*vt docet Aetius*) etiam ad aures humentes absque vlcere, seorsum saniem veluti exundantem fluere compertum est. Ad quod malum ipse mysi panno inuolutum & sub prunis crematum simul cum panno terit atque per arundinem insufflat: vel gallas in linteo vstas ac tritas simili modo applicat, vel alumen in fictili combustum terit, oleoque prius infuso insufflat. At neoterici quidam hanc saniem à cerebro ad aurem absque vlcere auris defluentẽ, curant euacuatione propria, phlebotomia si opus est; vel pilulis caput expurgantibus, humorib. cum syrupis prius digestis, & per caputpurgia & gargarismos deinde cerebro corroborato, ne humorem ad aures transmittat: intus etiam assumptis odoratis, vel prout causa calida, nempe *saccharo ros. vel frigida, diambra*, & extra admotis calidis vel frig. corroborantib. Quibus si non curetur, ad cauteria deueniunt. Interim & aurem repurgant à sanie, & roborant; non tamen stipticis: sed prohibendo aurem ab vlceratione; lotione cum vino, decoct. mellis & ros. rub. & si timeant vlcerationem, instillant duas vel tres guttas siefmithæ cum pauco aceto, & similib. Et si timeatur obturatio, mundificetur cum specillo bombace inuoluto, & oleum amyg. quandoque in aurem stilletur. Verum aurium vlcera proprie dicta quomodo curentur, ex Obseruatione præcedente satis constat: & exemplis sequentibus curatio adhuc clarior fiet.

Ad concussionem.

Ad dolorem ex ictu.

Vlcerum in aurib. differentiæ.

Aliæ causæ.

Differentiæ inter saniẽ, quæ ab aliis ichor dicitur, & pus explicatum.

OBSERVATIO VIII.

De quibusdam aurium vlceribus curatis.

VIr quidam supra an. 30. natus, vlcus saniosum habebat in aure sinistra, cum dolore ex mordaci humore. Ad quem curandum cum accitus essem cum altero medico, quæstio suborta est, nunquid venæ sectio hic conueniret. Cui respondi, quod Benedict. Fauentin. præceptor meus hanc quæstionem cap. proprio *De aurium curatione* soluit; sic inquiens: *Quod si vlcus nondum saniem vel purulentiam emiserit, sanguinis missionem nequaquam fore debes: ea enim tunc temporis vlcus magnificari cohibet. At vbi quicquam saniei aut purulentiæ effluxerit, sanguinis detractionem nequaquam admittes; quoniam tunc temporis peracta, concoctioni vlceris & eius maturationi impedimento est: nisi dolor fortissimus vlceri etiam saniem mittenti adimicus foret. Tunc admodum idonea sanguinis detractio existit*, iuxta Galenum *primo aph.* commento 23. sic dicentem: *In fortissimo dolore nullum remedium magis aptum inueniri potest quam sanguinis missio.* Et paulo post: *In curatione vlceris prope membrum principale, ab initio materia calida existente, ego vtrouer* (inquit) *sanguinis missione; deinde vero, si expediret, euacuatione: sanguinis enim missione materia vlceris tollitur, & eius nimia caliditas remittetur; auctore Gal. in lib. De curatione per sanguinis missionem. Nulla enim*, inquit, *euacuatio magis infrigidat, quam sanguinis missio.* Quare conclusum est, ob dolorem in viro optimi habitus, cum etiam in vere essemus, & hoc malo non diu correptus esset, vt post alui deiectionẽ cum syr. ros. solut. die subsequenti ex vena cephalica in cubito sinistro auri sinistræ respondenti sanguis extraheretur: non tamen multus, ob materiam acrem & biliosam; sed tantum ob dolorem. Postea etiam ventrem largius deiecimus cum pilulis sequentibus: ℞ *pilul. aureatum* ʒ ij. *rhab. optimi* ʒ j. *diag.* ʒ. ij *fiant pilulæ* vij. deinde & scapulis cucurbitulas affigere iussimus, & masticatoria imperauimus ad reuulsionem. Propter acrimoniam primum infundere iussimus per vnũ aut alterum diem lac mulicbre cum oui candido. Et acrimonia nonnihil ablata, cum hordei decocto (*pauco iniecto syr. ex infuso rosar. rubrarum*) ad detersionem saniei abluimus. Deinde vt plus detergeretur, sanie magis glutinosa apparente, vt mulsa abluerctur vlcus, mandauimus. Post ablutum vlcus succum parietariæ, *anagallidis, buglæ sanículæ centinodiæ, plantaginis, bursæ pastoris millefolii cum melle coximus*: atque eo commode vsi sumus. Primo enim (vt præstat) vsi sumus collutionibus in hunc modum: ℞ *vini Rhenani albi & antiqui vel Pictauiensis, mellis despumati ana* ʒ ij. *aquæ dulc. limpidæ lib. ij.* hæc simul bulliant, & vlcus ea aqua eluatur. Secundo id quod sequitur instillauimus: ℞ mellis ros. cremoris hordei, lactis muliebris propter calorem *an.* ʒ j. ß. *vini albi* ʒ j. *bulliant leni ebull. & vrere.* Postea ad succos iam dictos cum melle deuenimus. Et vltimo, vt magis siccaret, alumen vstum ex vino egregie contulit; alioqui ad fortius venissemus ex aceto tritũ. Quibus remediis benè se habuit. Auenzoar vero cum absterſiuis apponit exsiccantia: nam postquam in filio suo Haly patiente apostema & dolorem auris cum vlcere, ita vt mortem appeteret, & ab aure sanies exiret, ex oleo infusionis de vitellis ouorum infudit: postea aquam mellis, in qua decocta erat herba cauda equina; deinde iussit lauari cum eadem aqua, in qua decocta erat ærugo ferri. Et cum his sanatus est. Hoc modo & alius quidam curatus est ab aurium surditate cum vlceribus antiquis. Decem diebus materia digesta fuit cum syrup. è stœchade, oxymel. & syr. de rad. cum aqua calida infusionis nucis muscatæ contritæ. Deinde purgatus est cum pilul. cochiis Almazoris. Postea omni mane exhibita est ʒ j. pilul. sequentium: ℞ *cinnamomi, zinziberis, xylobalsami, carpobalsami ana* ʒ. ß. *spicæ, croci ana* ʒ j. *ros. rub.* ʒ ß. *ebebul. turbith. an.* ʒ j. ß. *aloes succotrini & epatici ana* ʒ ij. *confice cum succo fœniculi, & sumantur in introitu lecti, parca cœna præcedente.* Et aliis temporibus, quando non sumebat pilulas, hanc mixturam capiebat: ℞. *specier. plirisarc. diamarg. calid. fortunatæ in tabul. pro* ʒ ij. *dosis* ʒ ij. *pro aure hoc abstergente vtebatur*: ℞ *viri albi subtilis dulcis, vrinæ pueri an.* ʒ j. *ebulliant leniter cum* ʒ ß *mellis.* Postmodum cum non sufficeret, adiectum est parum vnguenti Ægyptiaci descr. Mesuæ. Et post mundificationem vlceris, hoc medicamento sequenti vtebatur: ℞ *olibani, sarcocollæ nutritæ an. p.* dissoluantur cum vino rubeo, & cum licinio mittantur in aurem. Quibus & hic quoque curatus est.

Scholia.

CVm de causis & differentiis vlcerum in auribus satis dictum sit, à quibus indicationes curandi sumuntur; operæpretium est vt vniuscuiusque differentiam notis suis distinguamus, antequam curationem ineamus. Quamobrem diligenter prius consideranda sunt signa vlcera præsagientia, vt iisdem quam citissime succurrere possimus. Apostemata calida in aure, vel inflammationes, magna ex parte ad auris vlcus terminantur: frigida quoque longo tempore perdurantia, si non resoluantur, vel non fuerint nacti peritum medicum, etiam permutantur in vlcus, vt frequenter vidimus in iis, qui mulierc ularum & empiricorum diuersis consiliis, vel nullis, vtuntur. Præterea & illi qui cerebrum debile habent & magnum; & quibus sordes in auribus retinentur, quæ consuetæ erant exire: quibus quoque adest repletio fastidiosa, & frequenter dormiunt post repletionem, vlcera auris incurrunt. Verum, quod ad signa vlcerum demonstratiua & præsentia attinet, per se manifesta sunt, ex saniei vel puris apparentia, vel sanguinis sanios. Hoc tamen signum non est sufficiens, cum etiam antea diximus saniem quoque posse ad aurem sanam deriuari, siue in cerebro sano genita sit, siue ab apostemate seu abscessu rupto in cerebro ad aurem profluat. Frequentius tamen deciditur ab vlcere auris, siue vlcus istud sit factum ab apostemate aut sine eodem, aut nullo præcedente abscessu. Id equidem hoc modo cognoscetur: si enim fuerit sanies ab apostemate rupto in ipso cerebro aut in aure, primo sanies in magna quantitate effunditur; deinde paulatim, donec consumpta sit. Præterea præcesserunt signa inflammationis, apostematis cerebri: quod etiam ex cerebri præcedente grauitate & dolore cerebri & alleuiatione eorum cum apparet sanies, & cum priuatione doloris auris, etiam habetur. Si vero ex apostemate auris, dolor fuit in aure & minus in capite præcedens. Si autem sanies genita sit in cerebro sano, adest cerebri incolumitas, & auris; & illa sanies fluit in primis diebus atque pluribus in magna quantitate: postea vero paulatine, donec consumpta etiam sit. Et postea aliquando iterum coaceruatur & denuo fluit. Imo ipsius violenta retentio facit vertiginem aut alia cerebri symptomata inducit ac morbos. Si vero sanies sit ex vlcere facto in aure, ex vulnere, aut humore, aut ex aliis eiusmodi paulatim corrodentibus aut putrefacientibus, sanies illa paulatim fluere incipit; & deinde sicut vlcus excrescit & augetur. Sanies quoque illa augetur quousque vlcus sit proximum consolidationi: tunc enim incipit diminui. Sed vera signa vlceris auris sunt, dolor, ardor, punctio cum sanie: & proprie ad tactum & immissionem alicuius rei duræ & acutæ magis dolet, & irritatur, & aliquando sanguis simul cum sanie exit. Si a. vlceratio auris inceperit per se; tunc nulla signa apostematis præcesserunt, neque dolor excedens aut febris; sed tantum pruritus aurium præcessit: vt quotidiana experientia sæpè edocti sumus. Causæ interea vlcerum ex ipsarum præcessione declarantur. Iam quoque (*vt antea docuimus*) externa vlcera sensui subiacent: interna vero si in neruo fuerint, absconditа sunt; & simul adest dolor intensissimus, vel præcessit. Si vero in osse, cognoscitur ex sanie quæ subtilis est, & tendens ad citrinum colorem, & ex morbi antiquitate cognoscitur. Quod si stylus posset immitti, certius

Signa vlcera aurium præsagientia.

Signa demonstratiua.

ob duritiem ossis id perciperemus. Verum hoc minime tutum est, ne dolor inde augeatur & nervus comprimatur aut lædatur, & eiusdem temperies corrumpatur. Quæ vero profunda sunt instar cauernæ, ex multitudine eius, quod egreditur, declarantur. Sordida (*vt prius quoque dictum est*) ex crassitie & multitudine eius, quod effunditur. Virulenta ex sublimitate saniei putrida, & ex pure ac sanie fœtente. Corrosiura, quia aliquando post saniem egreditur sanguis. Fistulæ cognoscuntur ex vlceris diuturnitate, sanie virulenta, carne callosa & magis solito indurata, percipiuntur. Signa prognostica. Circa signa prognostica hic & pus & saniem animaduertere oportet; quæ & vlceris fraudulentiam demonstrat: pus enim album vel sanies alba malitiosum vlcus minime designat; alterius vero coloris, eiusdem malignitatem decernit. Vlcera quoque munda & superficiaria facilè curantur: profunda & ad neruum deuenientia, difficulter; & consolidata relinquunt post se nocumentum auditus. Et quæ os attingunt, raro aut numquam curantur, non obstante, quod quibus sanies per septem aut octo annos ex auribus fluxerit, cum maxima diligentia curati fuerint, *vt Tharantinus testatur se plurimos in vita curasse*. Sunt a. inueterata & diuturna peiora quam recentia, cum facilè in fistulam abeant. Fistulæ quoque non curantur; quemadmodum & ea vlcera, quæ profunda, corrodentia & putrida fuerint: nam & hæc ipsa magna ex parte sunt pernicioſa, cum frequenter sese insinuent ad cerebrum vsque. Sanie vero iam recens effluente ab vlcere, prius astante dolore capitis & sensuum perturbatione, & iisdem symptomatis statim ab exeunte pure vel sanie, remissis; bonum signum est, & quod vlcus cito curabitur. Iam etiam in parte externa existens, & sanies laudabilis coloris & substantiæ & odoris fuerit, etiã præsentibus bonis signis, pro optimo signo habetur. Et contra sanies mali coloris, & fœtidi odoris, ab apostemate profundo & diuturno procedens, malum portendit: quoniam eiusmodi vlcera, *teste Auicenna*, ad ossium detectionem perueneruntur: Hæc diligenter prius scrutanda; deinde pro vlcerum varietate curationem instituere oportet. Si itaque sit sanies à cerebro absque vlcere auris, quomodo curetur, prius dictum est. Si vero ab apostemate cerebri rupto effluat pus, doloribus statim sedatis, aliquando per se curatur: si non, opus erit detersione; & vlcus eluendum, & pus repurgandum, cum melle rosac aut mulsa instillata, vt diximus: quæ etiam sæpius innouanda; multum enim interest, si probe expurgetur. Et sic ad vlcera recentia mulsa infusa prodest, aut oxymel simplex, vel scillinum, vel mulsum. Si igitur vlcera auris munda sint, & in corpore puro; præter victus rationem, duas tantum intentiones curandi auctores ponunt; primo vlceris mundificationem; secundo consolidationem. Si vero vlcus auris fuerit cum mala intemperie, apostemate, dolore vehementi, prius intemperies auferenda: & inflammatio seu apostema si adsit, similiter propria curatione tollenda: & omnium primo dolorem auferemus si is vrgeat; deinde vlcus curabimus. Quod si post saniem emanantem ab apostemate, vlcus non statim probe repurgetur, & inde vlcus diuturnum fiat, communi vlcerum curatione erit vtendum; ac primum si rupturam tumoris sequatur, & sine dolore consistat, iam vt sordidum vlcus curandum erit, & vna cauum. Duplicem igitur hunc affectum, ad hoc vt glutinetur; ac iuxta methodum supra positam & traditam, ad hoc vt carne vlcus repleatur, necesse est prius sordes abstergi. Mitius erit marrubij succus cum melle aut apij succus cum melle leniter coctus. Similiter & cyclaminis succus cum melle & ari. Et ita detergenda sanies, & siccandum vlcus. Sed primum, vt & Holerius admonet, lenioribus vtendum est. Veteres remediis vtebantur, quæ *ratione* iam exoleta sunt; quorum hic ordo est: primum *hæmatites* glaucio ex aceto; deinde pastillo Polydæ; post *cadmia* Androneo, tum Bithyno, vel è charta; postremo *ulcera*. è scoria ferri, de quibus vide ad longum Gal. 6. *κατὰ γένη*, & *Paulum* & *Aëtium*; qui copiosè de his tractant. Verum neoterici istis succis cum melle ad detergendum prius nunc vtuntur: & hæc ipsa medicamenta quotidie bis ad minus in aurem instillant; & vbi medicamentum emittitur (*vt & nos antea fecimus*) ex hydromelite vlcus abluunt, & rursus instillant. Hic quoque facit Rhasis medicamentum, postea ad vlcus ex siccandum & detergendum. Sed vix fieri potest, vt vnquam ad tantas sordes deueniat, cum ad phlegmonem vlcus succedit: sed potius statim ex prauis fluxionibus vlcera diuturna fiunt: quæ multos affectus comitantes habent. Aliquando enim crustæ accidunt; & ni tollantur, in tantam molem excrescunt, vt obstruant, & auditum auferant: nonnunquam vero & fœtida, acris, tenuisque sanies emanat: nonnumquam & vermes ex putredine innascuntur, vt suo loco referemus. Itaque his calamitatibus quamprimum succurrere oportet. Si igitur primum sordidum & putrilagine obsessum vlcus, aut fœtida sanie madens; certum est detergentibus egere, idque validis: quale est medicamentum à Rhase descriptum: in quod ærugo æris ingreditur, cuius vis est etiam sanam carnem eliquare. Similiter & ferri squama, quæ ab incude decidit; quæ validissimam habet vim siccandi: vt & sanguis draconis, & sarcocolla & aloe. Omnia siccandi admodum sunt: ita vt affectum maxime his melius corrigere possint, indicatione à morbo sumpta, & partem natura maxime siccam superfluæ humiditate exsiccare. Hæ igitur indicationes quæ à parte læsa, & quæ ab affectu conueniunt: sed astringunt, vt fluxionem prohibere possint. Vbi iam minus sordis adest, succedit laudatissimum medicamentum ex squama ferri & aceto: cuius præparatio est ad solem. Acetum vim ei siccandi addit & reprimendi, roborando partem: leuigatur postmodum, & cum melle componitur ad sordium crassitudinem. Vbi vero crusta adsit, quæ & difficili sanatu vlcus reddat; primum conari oportet, vt ea decidat: mox hoc medicamento vti. Attamen scorium ferri varie præpararunt: Galenus *primum* terit ex aceto acerrimo 9. *De simpl. medic.* deinde ex eodem coquit, Arabes melius præparant, vt Holerius sentit: Terunt scoriam, ex aceto lauant, & deinde siccant in latere calido, vel feruente sole: siccam rursus ex aceto terunt: imbutam aceto siccant. vt prius; idque septies repetūt. Post hæc in tenuissimum pollinem resoluunt, coquuntque longa coctione ex aceto acerrimo, dum fit mellis crassitudo; atque ita siccant. Remedium hoc maximam vim siccandi habet: epuloticum est, quod non nisi puris vlceribus, iisque inueteratis, & duris corporibus vsurpandum est. Sunt qui frigant octies in sartagine ex aceto; deinde cum aceto coquunt, miscentque rosaceum: alij, more Galeni, tantum terunt, & aceto quadruplo coquunt. Clementius est remedium hoc modo: scoria ferri in fusula diuisa fictili crudo coquitur, dum vas percoctum sit: deinde extinguitur lacte. Idque bis & ter repetunt, crebrumque ad formam granorum pini expulsos, paulo

aqua vel fontana, vel ros. vel plantaginis, vel simili; vbi diu versant, purgant, siccant: tum repetunt in mortarium, volutantque affusa pluuia: postremo siccant. Singulare auxilium, vbi citra morsum siccandum. Recentiores, *vt dictum est*, quod & nos fecimus, abluunt mulsa; deinde cum succo absinthij, vel syrupo aut melle rosato. Vel apij succo detergunt, vbi metus est putredinis. Tunc adduntpuluisculum aloes & myrrhæ, centaurei minoris, gentianæ, sarcocollæ. Ægyptiacum quoque solutum vino vel œnomelite, remedium est veterum & recentiorum. In siccantibus vlceribus aurium, alumen vstum ex vino, vel vt sit fortius, ex aceto tritum. Alij vrina pueri impubis vtuntur, cum œnomelite. Forte est ærugo trita cum œnomelite scillitico. Sordida autem vlcera mulso sæpius abluunt. Cæterum curatio vlcerum auris maligno rum, putridorum, fistularum, cum ossis corruptione, iuxta aliquos (*vt Arculanum*) octo intentionibus absoluitur. *Euacuant*, *vel sanguinem detrahunt*, *purgant*: *sub quibus comprehendunt minorationem materiæ*, *digestionem*, *eradicationem*. Secundo, *diuertunt per clysteres*, *per sectionem venarum post aures*, *cucurbitulas*, *frictiones*, *vincula*, *cauteria*. Tertio *fluxum intercipiendo*, *si opus est*, *à locis vicinis*, *cum oleo ros. bolo armen. & similibus*. Quarto, *substantiam corruptam amouendo cum vigu. Aegyptiaco*, *puridam carnem & corrosam induratam*, *aut aliter infectam*, *remouendo*, *habita ratione loci*. Quinto, *vlcus mundificando*, *detergendo*. Sexto, *incarnando*, *cicatrisando*. Septimo, *accidentia corrigendo*. Octauo, *regimen vitæ præscribendo*. De quibus ad lõgum videas Arculanum. In fistula autem sanie perpetua fluente, fel tauri cum vrina impubis pueri iniicitur per fistulã aut auricularii clysterem, aut vinum in quo coctum sit thus: *aut elleb. albi* ʒ j. *ex vino nigro ac melle*: *sicubi herba in vino decocta*, & ad graueolentiam aurium, succus oliuæ cum melle aut betonica decocta cum vino; aut dracontij succus cum melle; vrina pueri impubis, pecudis fel cum melle. Reliqua vide apud Aëtium, quæ *lib.* 6. c. 83. ad vlcera aurium quæ in meatu aurium consistunt, scripserit; tam ad noua vlcera ab Apollonio, & Erasistrato, quam fœtida aut inueterata; & quæ ad putredines aurium & fœtores *cap.* 84. colluit & instillat. Habes & apud eundem, quæ ad excrescentias carnis in auribus, ex Heraclide Tarentino, valent, *cap.* 85. Paulus vero vlceribus quæ simul cum inflammatione affligũt, lycium & meconium æquali pondere trita cum melle iniicit. Recentia vlcera glaucio solo personat, aceto subacto. Ad suppurationes citra dolorem, ferri stercus cum aceto diutius contritum valere scribit. Ad diuturna vlcera, cedria melle admista illinitur: & ad eos quibus pus profluit, misy vstum, & in puluerem redactum inspiratur. Per clysterem vero auricularium eluuntur aures posca, vel oxymelite, vel mulso, vel decocto quorundam repellentium (*verbi gratia*) lenticulæ, vel rosarum. Ad sordium duritiem, nigro aceto diluto cum aqua auris illinitur, cumque sordes detersæ sunt, nitrum aceto solutum cum rosaceo instillatur. Plura apud eundem & Aëtium habes ad sordes. Aëtius vnguentum nardinum tepefactum instillat, ac postridie auriscalpio commode expurgat, cum rursus nardinum infundit. Si sordes plus æquo inaruerint, nitrum torrefacit & contritissimum imponit, calidumque acetum instillat, lanaque applicata sinit pernoctare; postridie infundit aquam & oleum calefactum. Tarantinus vermes in aure aliquando generari scribit: & ipse vidi in iuuene febrem habente acutam, duos vermes ab auribus expulsos, paulo crassiores; & iuuenem sanatum fuisse. Idque refert *lib.* 4. *cap.* 30. Verum illud minime nouum est, cum illud non solum ex Galeno, Paulo & Aëtio constet, sed etiam in Dioscoride de calaminthæ facultatibus; sed tunc præcipue quando diuturnis vlceribus laborant; *vt in Euporistis Dioscoridis plane ostenditur*, his verbis; *Vermes in diuturnis vlceribus generatos interimunt hæc: oleum amygd. calaminthæ succus*, *&c.* Idem non minus apertis verbis 7. *de simpl. med. facul.* Apud Galenum etiam habetur. Aëtius *lib.* 6. c. 86. *Vermes aurium* (inquit) *vel innatos vel aduenas*, *vt summatim dicatur*, *omnia amara & acria interficiunt*, *vt foliorum capparum succus*, *lotium humanum antiquum vtrunque cum melle mixtum*, *succus calaminthæ*, *& aristolochiæ paluis insufflatus*, *succus centaurij albi*, *absinthij*, *vel earundem herbarum decocto*: quo & aures iuxta Paulum eluuntur. Oleum quoque meatui inditum sursum versus remeare ipsos compellit.

OBSERVATIO IX.

De dolore auris cum sanie post suppurationem & abscessum permanente, per modum consultationis, pro Christophoro Boetho.

CAsum, mi cognate Christophore, quem Machthilda Zuzia socrus tua istis diebus mihi cum in Hagha-Comitis ageret, narrauit: & quantum ex dictis eiusdem intelligere potui, cum sanies longo tempore ex aure fluat ex vlcere post suppurationem & abscessum perruptum, procul dubio vlcus ibidem relictum fuit. Sed quod ad dolorem (quem dicit te adhuc habere intensissimum; contra quem dolorem tollendum & mitigandum, eadem prote petiit consilium: quod quidem libentissime feci, vt hac in re tibi cum amicis gratificarer) attinet; admiror eundem post abscessum ruptum, pure per aurem excreto non fuisse solutum, iuxta illud dictum Hippocratis libro sexto, aph. 10. *Caput dolenti & circumdolenti, pus vel aqua, vel sanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum soluit.* Vereor itaque materiam aliquam ibidem relictam esse: qua dolorem capitis & auris augeat: quam ferme medicus non satis purgauit, vel vlcere in aure existente in meatu auditorio satis profunde, non satis à sanie repurgato, dolor circa aurem maneat, vel diuturnitate malam qualitatem sanies acquisierit, vt rotundo dolorem in auro adferat: vel capite multum debili existente adhuc materia cruda indigesta excrementosa à capite in aurem defluat. Sed quia dolorem inferri, potius mordacem saniem in aure diutius persistendam dolorem inferre puto. Vel sanies ipsa posset esse crassior, quo minus effluat: vel sordes nimia caliditate indurata, aut alia de causa auri inhærent, vel trombi aut sanguis conglobatus, Græci Θρόμβος vocant. De quibus omnibus potius mihi coniectandum est, quam certi quid scribendum, cum à medico præsente non sim edoctus. Vnde forte & difficilius in commune consulere possim, cum parum medice omnia mihi à matre fuerint enarrata. Hinc quoque à medico diligenter inquirendum existimo, nunquid horum quicquam, de quibus diximus, aut humor biliosus acris vel sanies mordax vel crassa viscida obstruens dolorem inferat, necne. Si sordes, auris repurganda oleo amygdal. amararum infuso, vel mulso, & felle tauri adiecto. Si trombi sanguinis, ex Apollonio acetum tepefactum cum melle Attico aut oleo laureo & succo porri cum muliebri lacte & rosaceo. Si materia ex capite in aurem fluat, & capitis ratio habenda & auris: si mordax, biliosa; contemperanda post euacuationes & topica adhibenda, si crassa, viscida; incidenda, detergenda, siue sit sanies seu aliud quippiam. Si pus minus effluat, tale vel simile cataplasma apponerem, cum non dubitem vniuersalia remedia iam dudum fuisse adhibita: ℞. rad. althææ mundæ ʒ ij. flor. chamæmillæ, meliloti, maluæ ana m. j. coquantur in

aqua

aqua communi, pistentur, adde cumini pulueriſati ʒ ij ß. cum butyro recenti, fiat cataplaſma. Sed audio per chirurgos & cataplaſmata, & alia eſſe adminiſtrata, ſed qualia, ignoro. Interea aduertendum, ne diu humidis inſiſtatur; nam facile in neruo auditorio corruptio ſequeretur; deinde vlcera maligna ac fiſtula. Ideo & ſanies contemplanda quæ effluit; & ſi non commode, olei amyg. dulc. in quo porcelliones incocti ſunt & expreſſi, aliquot guttulæ cum muccagine fœnugræci ad dolorem quoque ſedandum infundendæ; & ſi ſit acrimonia, lac muliebre cum oleo dulci: & euaporatoriis quoque vtendum.

Pure autem iam effluente, detergendum cum mulſo, ſucco apij & centaurei, ſi opus eſt, & ſimilibus, medico præſenti notiſſimis. Et ſi fortiori opus erit, cum cautione hoc vel ſimile inijci poterit: ℞. ſucci cyclaminis vel (eius loco, ſi deſit) abſinthij aut centaurei ana ʒ ij. myrrhæ ʒ j. croci ϑ ß. thuris ϑ j. viridis æris ʒ ß. vini antiqui quæ. ß. ebulliant leuiter ad vini conſumpt. gutta vna atque altera inſtillata, & poſt duas horas bombace ſtilo circumuoluto auris mundificetur & detergatur. Guainerius vtebatur vrina pueri impubis cum vnguento Ægyptiaco ſoluta: idque valet in vlceratione antiqua. Vti & licinium melle oblinitum & ſarcocolla inuolutum, ac in aurem immiſſum; à qua virus egreditur. Hoc modo vſus eſt M. Iohannes Viergius Amſtelrodamenſis medicus, vt in eius arcanis ſcriptum inueni in quodam Petro Milcardo dicto. Poſtea vlcus ſolidandum eſt, cum medicamento ex thure ſanguin. draco. aloe, ſarcocolla & plumbo vſto cum oleo roſaceo parato, quæ omnia diligenti examini medici & chirurgi præſentis periti ſubijcio, & pro hoc tempore diſcutienda relinquo. Reliqua quoque quæ lingua Germanica ad te ſcripſimus in Nouembri obſeruanda de victu & vitæ inſtituto, exequantur. Vale, raptim. Delphis ex noſtro Muſæo, ſeptimo die Decembr. anno 1567.

Petrus Foreſtus medicus, & tuus Aumculus.

Scholia.

CVratio vlceris aurium quomodo inſtituenda iuxta varietatem cauſarum & accidentium, iam ſatis ex ſcholiis, tum exemplis obſeruationum præcedentibus, lector cognoſcet. Licet adhuc vnum accidens erat declarandum, quod aliquando exulceratis auribus, vel non exulceratis, ſanguis ab iiſdem profluat: & hoc poteſt euenire multis de cauſis, ſeu à cauſis primitiuis, ex caſu, concuſſione, capitis contuſione, vulnere, fractura, quales plurimos in praxi quotidiana habuimus: aliquando etiam à ſola repletione ſanguinis, dum venæ rumpuntur, ſcinduntur: nonnumquam ex ſanguine ſubtili, aut venis corroſis, vel multo ſanguine venis etiam apertis, vel reſeratis ex ſanguinis ſubtilitate. Contingit etiam aliquando per viam criſis. Si autem euenerit à cauſis externis, id ex relatione infirmi facilè habebitur; vtrum ex arbore, equo, vel ſcalis ceciderit, vel vulnera & contuſiones præceſſerint. Si autem à cauſis antecedentibus fuerit, vt ſanguinis copia, id per ruborem, repletionem faciei & habitū corporis intelligetur. Et ſi adſit corroſio ex dolore, ex pure cum ſanguine, vel ſanguine ſubtiliori ſi ſit diapedeſis, vel a priori vna cum roſione. Si per criſim, tunc præceſſit febris aut capitis dolor, vel vtrumque, & venit cū alleuiatione ægri Prognoſtica ſigna hæc ſunt. Si ſanguis decretorie ab auribus exierit, bonum. In dolore capitis quoq; bonum, cum dolorē ſoluat, *teſte Hipp.* Si ſuperfluè exierit, malum; cum ſanguis ſit amicus naturæ, *teſte Gal.* 5. *aph. com.* 64. eſtque ſymptoma ſuſpectum. Si poſt ſangu. eruptum ab auribus, capitis dolor & aurium ſucceſſerit, malum eſt: quoniam cerebri nocumentum, quod euacuatione indigebat, haudquaquam tolli poteſt. Curatur autem ſanguinis fluxus ab auribus à cauſis primitiuis, venæ ſectione ex cephalica, quæ & ægrum à dolore liberat & ab inflammatione, & diuertit materiam diſtrahendo. Deinde apponimus anodynæ roborantia & reſoluētia, vt eſt oleum chamæmelinum circa aurem & ſuccum abſinthij. Gordonius apponit emplaſtrum ex pane calido contrito in ſucco abſinthij & vino albo inculcato. Si vero ex criſi ſit, ſubito non reſtringemus, neque ex repletione. Vbi n. tempore criſis ſanguis ex aure erumpit, non eſt ſiſtendus niſi vrium ſubſequatur imbecillitas. Vbi a. ſiſtendus eſt, ſiſtitur iiſdem remediis, quibus ſanguinis narium profluuium: vt per refrigerantia, aſtringentia, adurentia. Quemadmodum hippuris ſuccus, folia oliuarum & plantag. burſæ paſtoris & polygonum, decoctum cort. granat. aut rubi aut gallarum ex aqua & aceto, *vt Gal. facit*: alij leporis coagulum ex aceto imponunt. Aëtius vero, erumpente ab auribus ſanguine, ne grumus fiat, porri ſuccum cum aceto inſtillat; idn. ſanguinem ſiſtit, & grumum ſoluit: vel decocto mali punici in aceto, vel polygonij ſucco cum modico aceti, aurem colluit: aut acaciam aut amurcam; ſed præcipue lycium cum aceto diluit & infundit. Idem facit & Paulus, qui & iunci rotūdi decocto aurem illinit. Ex vulnere ſanguinis profluuium galla ſiſtit; & coagulum leporis valet ad trumbos, vti & ſuccus porri cum aceto; liquefacit enim & extrahit, antequam cruor intus exſiccetur & ſurditatem afferat. Infantibus ſi ſanguis ab auribus eruperit, noctu vbera nutrix non admoueat ori; quoniam ſponte ſiſtitur. Ad aurium verò humiditates in pueris, Paulus lana ex alumine impoſita, aut muſſum, aut vinum vetus inſtillatum, aut crocum ex vino detritum, infundit; & ſic aures humentes ſiccat. Atque hæc ſatis dicta ſint de cruore ab vlceribus emanante, vt ſine vlceribus effluente, tum de aurium vlceribus curandis. Interea obſeruationes quæ dam ſecundum Holerium in doloribus aurium obſeruandæ ſunt, ne quid durius, aſperius, ſi rigidius, calidius, grauius ex alto cadens, dolorem exaſperet. Liquidum ſit medicamentum, tepidum, quod molliter inſtilletur, vel corniculo vel craſſiore penna ſecundum longitudinem diuiſa in duas partes, extremo molli vel lana obuoluto, vt per cauitatem alueoli molliter influat medicamentum. Aliter hapſo cottonis, lanæ ſerici imbuto prius medicamento, & molliter expreſſo effricies, vt medicamentum leuiter influat. Vapores inferūtur auribus, ſacculis tepidis expreſſis, ſpongiis complicatis, linteis in conueniente medicamento inculcatis, expreſſis, admotis. Aliter veteres lenticulas implebant decocto conuenienti, claudebant orificium vel lana pauca, vel raro linteo, per quæ exhalaret vapor. Orificium admouebant auri. Aliter quoque corniculum auriculare fingi poteſt; altero extremo latiore, quodque ſit ſatis comprehendendo orificio lenticulæ: altero anguſtiore, quod auri inditur: vocant *per Embotum*. Sed corniculum cum ſit inflexum, commodius eſt; alioqui emboto vocato vtendum erit. Quod ſi inflexo collo iiſdem corniculo auri inditis, & ab alio exactis flatus & alia corpuſcula extrahuntur auribus, vel inſtrumentis, quæ ſimilia ſunt vulgaribus ſiryngib. exſufflatio ab ore & naribus efficiet vt vapor melius attrahatur, & excidant quæ reſtiterunt in auribus. Sed de his corpuſculis quomodo extrahantur, dictum eſt. Reliqua vide de iiſdem apud Holerium. Nunc tempus eſt, vt ad aliud aurium vitium accedamus nempe tinnitum & ſonitum earundem.

Sanguis ab auribus defluens.

Cauſæ.

Signa.

OBSER-

OBSERVATIO X.

De auris tinnitu atque ſonitu.

ZYthepſa Delphius (*alij cereuiſiarium vocant*) vertigini obnoxius cum inter bellica inſtrumenta verſaretur, ex tormentorum bellicorum eiaculatione cum prope aurem fieret, tinnitu aurium correptus eſt: nam vapor ſiccior, inquit Alex. Benedict. Veronenſis *lib. 3. cap 26.* ſonos ingentes, fragores, veluti tonitrua ingentia, quæ propinquo audiri videntur, efficit. Hinc nihil admiratu dignum quod ſonus ille tormentorum, eiuſmodi tinnitum in auribus produxerit: ſicuti enim ex tonitruis cœli, ita & tormentorum ſonitu, auditorius ſenſus grauiter interdum afficitur; præcipue vbi animalis cerebri vis imbecilla eſt: vti huic cereuiſiario vertiginoſo erat. Hic autem auctores adhibent, quæ cerebrum roborant & auditum recreant. Verum huic, cum ſonitus diu illum infeſtaret, ac pituitoſus eſſet & vertigine antea, & etiam nunc obnoxius, cum humorib. frigidis ſimul videretur abundare, poſt pilulas de hiera, dedimus cochias. Et cum maximam ſenſationem in aure ſentiret, inprimis cum ſtatim ad me veniret poſt tormentum eiaculatum, vt hoc remedio vteretur (*quo Aëtius ex Apollonij auctoritate vtebatur ad tinnitus, boatus, & ſibilos qui repente ingruebant*) nempe aceto acerrimo calefacto vel priuatim vel cum roſaceo inſtillato, conſului: & vt illud medicamentum inſtillaret, imperaui: quod ſi parum proficeret, cuminum & rutam decoqueret in aceto, & roſaceum adiiceret. Attamen cum ſtatim non ſedaretur, præcepi, vt purgationes acciperet, & deinde ad amara, acria & attenuantia (*iuxta eundem Aetium lib. 6. cap. 79. De tinnitu aurium*) & diſcutientia perueniret, quæ paulo ante ad dolores aurium ob craſſos humores euenientes connumerauimus, in aceto decocta, & melle adiecto. Quod ſi neque iis remediis cederet; & iam diuturnus fieret affectus; vt tunc caſtoreum & ſpicam nardi ex æquis portionibus ex aceto & roſaceo infuſa & expreſſa caperet, & guttam vnam atque alteram in aurem infunderet: corpore tamen & capite prius repurgatis. Quibus remediis & hic benè ſe habuit.

Scholia.

ALiud vitium auriū eſt, vbi aures intra ſe ipſas ſonant: atque hoc quoque fit, ne externū ſonum excipiant (*vt Donatus ab Alto mari ex lib. 6. ca. 7 Celſi annotauit*. Quod vitium Græci ἦχον vocāt; Latini (*vt idem Celſus ait*) aurium intra ſe ipſas ſonitum; Medicorum vulgus, aurium tum ſonitum, tum tinnitum, ſeu ſibilum appellat. Eſt autem ſenſus ſonitus cuiuſdam intra ipſas aures, externum ſonum impediens, ne ab ipſis accipiatur; quemadmodum ex eiuſdem Cornelij Celſi verbis percipi poteſt. In qua affectione meatum auditorium (*poſtremum ſecundum eius extremitatem, vbi delatum verum attingit*) oblæſum eſſe conſtat: cum & ipſe ſenſus audiendi, qui iam in dicta parte afficitur, affectus ſit. Affectio vero ipſa eſt ſymptoma in genere noxæ functionis ſenſibilis deprauatæ: Sentit enim audiendi facultas id quod ſentire non deberet; & propterea eius actio deprauata dici debet. Cum igitur tinnitus ad deprauatam auditus actionem pertineat, in hoc quidem affectu, quod ad ipſum diſtinguendum attinet, vel ſedem affectam, parum laborandum videtur, quandoquidē per ſe nota ſunt: illud potius diligenter perſcrutandum, quæ ſit horum cauſa, & quis curandi modus. Quidam volunt hanc cauſam abſconditam eſſe: quamuis Gal. 2. *De vſit. rat.* 43. vbi Hipp. de eiuſmodi ſonitu egit, dicit, *fieri ob ſpiritum flatulentum in capitis partib. aggenitum: vel ob vaporum multitudinem ſuſ ſum latam.* Addit & tertium cauſæ genus, *ſenſus acritudinem.* Verum Gal. tum philoſophi, in his cauſis enumerandis Iacchino viro doctiſſimo non ſatisfaciunt, quamuis omnes, qui poſt Galen. has cauſas aſſerunt tinnitus: ſed quæ ſit generationis rationem exponunt. Neque illud facilè admittit quod Arabes dicunt ex debilitate ſibilos in cōualeſcentibus fieri, vt apud eundem videre poteris, qui generationem tinnitus tum ſoni paulo copioſius explicat in commentario ſuo in nonū lib. Rhaſ. c. 23. *De tinnitu aurium*, quem legere poteritis. Præter has tres cauſas præcipuas (*nempe vel ex flatuoſo ſpiritu, vel ab exquiſita ſentiendi facultate, vel à vaporib. à ventriculo ſurſum elatis, ſicuti ſuffuſio comingit*;) præceptor meus Bened. Fauēt. diſtinguit alias externas eſſe ſeu procatarcticas cauſas, vt ab externo frigore, vel calore vel ab aëre aut vento. Quemadmodum & ab ictu, contuſione, vulnere, etiam fieri poſſe autumat. Alias vero præcedentes cauſas fieri à morbo ſonitum in auribus excitante, vel à cruditate humorum à plenitudine totius vel capitis, ex largo vini potu, crapula, violento & multo vomitu, aut ex vſu medicamentorum auricularium. Auditorum inſtrumentum violātium. Contentiua vero cauſa ſonitus in aurib. eſt aëris commotio, quem naturaliter in cauitate oſſis petroſi quieſcere opus erat, vt probe & rectè auditiua facultas ſonum & abſque errore iudicaret. Adueniens enim ei ſpiritus ventoſus ſub forma præcedentis cauſæ, cui tranſitus intercluſus eſt, nequiens cauitatem oſſis lapidoſi exire, illic detentus, cum quieſcente aëre permiſcetur, & ipſum vehementer commouet, & ſonitum efficit. Alij autem omnem cauſam ſonitus vel occultam, vel manifeſtam eſſe volunt. Occulta autem fit ſecundum eoſdem à ſenſus audiendi imbecillitate, aut ab eius ſubtilitate: Imbecillitas vero fit à mala quapiā intemperie. Manifeſtam vero fieri volunt, primo *ex aëre externo, internum mouente*: ſecundo *ex ſanie ſonitum in aure efficiente*: tertio *ex motu ab humorum ebullitione excitato; vt in febribus*: quarto *ex repletione ſuperflua*: quinto, *humorum agitatione & vapore*: ſexto, *caſu vel percuſſione*: ſeptimo, *ex humorum magnæ exundatione*: octauo, *ex fame humores commouente & aërem*: nono, *ex medicinis ſoluentibus quæ mouent & non educunt.* Priuſquam autem curationem aggrediamur, neceſſe nobis eſt cauſas ipſas diſtinguere, vt vnicuiq; propriam curationē afferamus: etenim non conuenit citra artem aut cognitionē, aut curationē auſpicari. Quamuis certa cognitio dictarum cauſarum in principio haberi non poſſit; artificialem tamen quandam coniecturam ex cauſis forinſecis (*ſi quis ipſarum vires norit*) facere licebit: vt ſi ex prægreſſa capitis plaga, aut tali vel tali morbo, vel ex cruditate, ſeu largo vini potu, *vt diximus*, & multo vomitu, vel ob pharmacorū auricularium vſum ſonitus fiat: ægri quoq; temperaturæ, & habitus dignotio, ad inueniendam cauſam conducunt, vniuerſaque præcedens victus ratio: quin etiam ſi vel paulatim congregetur, vel coaceruatim irruat ſonitus, idipſum quoque ad inuentionem affectioni confert, inſuperq; ſi per interualla repetat, vel continenter hoc ſymptoma perſeueret, *vt teſtatur Galen.* Num igitur à flatuoſo ſpiritu fiant, monſtrabunt in primis quæ præceſſerunt, vt victus ratio, quæ in vniuerſo corpore pituitam aceruarit, præcipuè vero in capite. Hæc enim

Signa effectus.

Signa cauſarum.

A ſpiritu flatuoſo.

enim est flatuum propria materia. Sunt autem causæ omnes quæ caput refrigerant & humectãt: & ita cum per se caput repletum, ex accidenti constipant meatus, & transpirare prohibent: & quia concoctionem vitiant, ex quo vitio crudi succi gignuntur. Siue igitur quis nocturno aëri caput exponat, seu aliter frigido, aut humido, simul hoc eueniet. Præcipue si discoopertæ aures: & iis sæpe, qui palustria & frigida loca incolunt, & minimè insolata. Quod si frigidos à natura morbos capitis perpessus sit, non exilis erit coniectura de causa: vt *lethargum, hemicraniam, vertigines*: si dolores auris à frigido humore itidem. Ita huic ceruisiario vertiginoso, quamuis subito ex sonitu tormentorum hoc malum contingebat, licet videbatur ab acritudine sensus peruenire: quæ ét leuissimas causas persentiscit; deinde cum continuus esset, & non expectaret externæ causæ motionem, videbatur ab acri sensu prima fronte esse. Verum cum medicamentis statim non cederet; licet etiam ex sensus acrimonia, vt postea de signis prognosticis dicemus, non benè recipiat curam, præsertim si antiquus sit affectus; tamen in homine pituitoso, licet prius subito euenerit & in vertiginoso, existimabam & spiritum vaporosum adesse simul & humorem crassum ac viscidũ: & ideo post euacuationes & purgationes, desiccantia & attenuatoria ac discussoria pharmaca admota iuuerunt. Et cum postea sonitus nunc excitaretur, & nunc cessaret, & spacio interposito reuerteretur; intelleximus spiritum flatuosum quoq; adesse, cui non facile patebat exitus: deinde cum pituitosus esset & vertiginosus, *vt diximus*, atq; cibi præcessissent, qui flatus generare soliti sunt, & multæ cruditates; coniectura certa cognouimus, *ex Alex. Trall.* ventosum spiritum intercluſum esse: & etiam in homine vertiginoso humores crassos quoq; adesse & viscidos qui sonitum ederent, licet repente videbatur obortus: quod tamen in humore repente non fit, sed paulatim increscit; nam & hic postea paulatim augebatur. Et cruditatibus præcedentibus & quæ humores crudos generant, maiorem suspicionem mihi præbebant, cum & grauitatem perciperet. Et cum præcipua cognitio habeatur ex iis, quæ iuuant & lædunt, cum adhiberemus ea remedia, quæ ad spiritum flatuosum, & crassum lentumque humorem pertinent; tandem melius habere cœpit. Cum enim huius vitij curandi ratio pro diuersitate causarum variatur, proba victus ratione attenuatoria instituta, totius corporis & capitis saltem purgatione præmissa (*præsertim si ex crasso flatuoso spiritu aut lento humore & crasso aurium sonitus fiat, maxime vbi lenti & crassi redundarint succi*) catapotiis arabicis aut cochiis cum agarico vtendum, vel similibus: errhinis quoque & apophlegmatismis, deficcantia ac attenuatoria & discussoria pharmaca, vt nos fecimus, auribus ipsis admouere oportet, vt oleum amyg. amararum, aut oleum, in quo castoreum, cuminum seu ruta, anethum seu nardus incocta fuerint, adiecto aceto & melle. Hoc præstantissimum est: ℞. *colocynth.* ʒ ß. *succi rutæ, & amaraci an.* ʒ j. *cumini, carui an.* ʒ ij. *fiat decoctio in vino & oleo amygd. amar. ad consumptionem vini & exprimantur omnia & colentur.* Vtantur hoc oleo frequenter in aurem iniiciendo: & semper habeant aures obturatas bombace muscatelino. Aliud Rondeletij præstantissimum maximè, si cum surditate sit aurium tinnitus; ℞. *rad. ellebori albi* ʒ iij. *foliorum lauri & rutæ an.* m. ß. *foliorum fraxini* m. j. *fiat decoctio in ol. amyg. amar. vel de kerua, vel nucum*; sed hoc erit efficacius, & cum vino albo vel maluatico, decoque ad consumptionem vini; exprimantur fortiter & colentur. Iniice de colatura vt supra, in aurem. Maximè conferunt sternutamenta ad tinnitus aurium curandos, si frequenter excitentur: nam status cerebri non minus per aures quam per nares discutiuntur. Cum a hunc zythepsam præ manib. haberem, mihi in mentem venit de simili casu *consult.* 28. de vertigine & tinnitu aurium antiquo, pro viro integerrimo domino Matthia Zelz Bohemo apud Montanum. Et ita quoque in fine, nostro ægro proposui eadem remedia, post purgationem vniuersalem; licet Bohemus etiam aquam thermarum potasset, præscribebat Montanus hoc quod sequitur. ℞. *olei de piscibus, olei amyg. amar. an.* ʒ j. *misc. & frequenter auri gutta instilletur.* Prodest enim ad surditatem & autinnitum antiquum & inueteratum; & cerebrum confortat. Pro capitis autem & stomachi confortatione, semel in septimana consuluit, vt his pilulis vteretur infrascriptis, aut ter in mense, prout necessitas exigeret: ℞. *mucis muscatæ, garyophyll. an.* ʒ ß. *zedoariæ* ϑ ij. *gentianæ* ϑ j. *ros. rub. santal. citrinor. an.* ʒ i ß. *aloes opt. succotr.* ʒ vj. *rhab. electi* ʒ iij. *pulueriſentur omnia per se; deinde miscentur*: postea aspergantur aqua ros. & permittantur exiccari, & ita iteretur septies. Postea cum *syr. viol. fermentum magdaleon. de quo singulis vicibus fiant pilulæ* iij. *ex* ϑj. *cum eodem syr. viol. & sumantur hora ante cœnam.* Lotio pedum fiat ad prouocandum somnum: ℞. *foliorum salicis, anethi, corticis papau. albi q. s.* Hæc præscripta sunt à Montano. Aures semper habeant occlusas, donec perfectè curati fuerint: maximè quando ventus australis vel borealis flat; quod maxime obseruandum est in scotomaticis: nam si aures flatibus oppleantur, paroxysmum excitant. Idem fit in epilepticis. Vtantur puluere post pastum carminante ventositates, qualis hic est. ℞. *cymini, carui, macerat. in aceto, & leniter coctorum an.* ʒ iij. *silueris montani, fœniculi an.* ʒ j. *cinamomi macis an.* ʒ ij. *anisi* ʒ iij. *coriand.* ʒ i ß. *sacch. ad duplum vel plus, fiat pulvis*: qui si ori ingratus sit, dolus cinamomi augeatur. Capiat à pastu cochlear exiguum.

Signa ex humoribus crassis & viscidis.

Curatio ex spiritu flatuoso & crasso lentoque humore.

Oleum præstantissimũ pro tinnitu vna cum surditate.

OBSERVATIO XI.

De quibusdam ex diuersis causis sonitu aurium laborantibus.

CVm plerumque aurium sonitus via sit (*vt præceptor meus Benedictus Fauentinus dicebat*) ad surditatem excitandam) *nam causæ sonitus aurium habitu quodam ad causas surditatis transeunt*) ideo in curationem eadem victus ratio obseruari debet, quæ ad surditatem facit; respectu causarũ, si à flatu vel crassis vaporib. aut humoribus tinnitus fiat, vt victu attenuatorio vtamur. Cuius exemplum habes apud Montanum consult. 15. *De dolore capitis periodico, grauitate eius & sibilo aurium, pro Venero, & 26. De dolore capitis cum tinnitu aurium*, pro illustrissima quadam matrona: quæ exempla egregie faciunt ad curationem. Quibus etiam & hæc subsequentia addamus. Hesther famula Secretarij Delphensis, tinnitu ac surditate cum correpta esset; non ex flatu per se, cum eius potissimum signum exsistat, quod aurium sonitus per interualla plerumque ægrum infestet (*quoniam paulatim congregatus vento-tas, & modo sonitum efficit, modo vero quiescit; sicut flante vento arborum rumor in ternallis efficitur*:) verum in hac puella sonitus satis continuus ex humore aceruatim in organum auditorium irruebat, & simul surditatem efficiebat: & sic signa abundantium humorũ in toto corpore vel ventriculo, vel in capite idem arguunt: sed magis in capite; aurem quoque obstruendo, vt simul surditatem & sibilum cõtinuum, non autem à ventriculo aut vaporibus sursum elatis significabat. Quare victu attenuante præscripto, & corpore repurgato, tum capite in hunc modum: ℞. *pilul. sine quibus aures. agarici trochisc. an.* ϑ j. *cum syrup. è stœchade, fiant pilulæ* v. deinde, capite etiam proprie euacuato per gargarismos errhina, oleum anethinum, chamæmillum, rutaceum amygd. amararum, in quibus cymini parum infusum erat & expressum, guttatim in aurem imponi mandabam; postea etiam grano vno atque altero castorei adiecto. Quibus optime hæc famula curata fuit, cum malum non ita inueteratum esset. Alius hectica febre cum laboraret, ac per integrum fere annum ægrotasset ex debilitate cerebri, ita vt spiritus animalis conturbaretur ac mõueretur, tinnitu aurium capiebatur; potissimum vero post semihoram à cibo sumpto illud accidens eueniebat: sed rursus decumbente in lecto, cum spiritus animalis conquiesceret, sonitus ex se cessabat. Medici qui tunc etiam nobiscum erant in curatione, vna mecum sentiebant hunc tinnitum aurium, qui ægroto valde molestus erat, originem suam habere ex vaporibus ex stomacho sumpto cibo ad cerebrum elatis, & ex cerebri debilitate, cum non posset eosdem resoluere. Imposuimus autem auribus guttas tres pluresue olei amyg. amararum. Et vinum, quo vtebatur ob debilitatem, ne vapores ad cerebrum tenderent, lymphari iussimus cum aqua decoctionis seminis coriandri præparati. Quibus remediis & hic tinnitus tandem cessauit.

Signa.

Causæ.

Præseruatio & exitus.

Ex locorum imbecillitate.

Per accidens.

Per essentiã aures affectas esse.

Ex consensu alia repetat.

In crisibus.

Per essentiã febribus sonitus fiant.

Per accidens.

Per consensum.

SCHOLIA.

VT autem huius affectus curationem recte instituamus, prius causas prope distinguere oportet, *vt paulo antea dicere cœpimus*. Si ex flatuoso spiritus fiat tinnitus, vel ex succis frigidis crassioribus, id iam etiam scholio præcedente declarauimus, & ex obseruationibus præcedentibus satis quoque constat. Nam si dolor auris à frigido humore fiat, vnde etiam capitis sentietur frigidus, & affectæ partis; & à contrariis auxiliis, vt dictum est, iuuabitur. Rursus aliæ procatarcticæ causæ monstrabunt, affectum vaporem esse ab infernis elatum caput replentem; vt meri potus & crapula; præcipue si postea exercitatus intempestiue sit, aut in sole permanserit, aut statim à cibo somnum ceperit. Iam quoque ex causis externis si excitetur, quæ sane ea fuerit ex ægri, seu astantium sermone patebit. Verum ob locorum imbecillitatem si ortus fuerit sonitus, ex his quæ præcesserunt, etiam colligere poteris, vtpote præcedentibus morbis quibusdam (*vt huic vltimo ægrotanti euenerat*) à quib. conuales cunt ægri: iis namque accidere consueuit. Perpetuo autem permanẽte sonitu, per essentiam aures affectas esse, indicium erit: velut si per interualla repetat, per sympathiam, hoc est, per consensum, vt interim quiescat, deinde excitetur, post videlicet repletionem, aut inanitionem, vel motum, aut vehementem calorẽ, seu frigus. Si vero in febribus sonitus fiant, aut harum crisibus, promptè ex sensus acrimonia sit, sic distingues. Primum quoniam omnis causa procatarctica abest: tum de iis, quæ immediate agitare possunt: tum de iis quæ causas internas possunt gignere, aut mouere, statim enim de acritudine suspicaberis, quæ etiam leuissimas causas persentiscit, præcipue, si alias acuto audiendi sensu æger sit præditus. Mox num continuus sit, an per interualla repetat: qui enim continuus est, cum non exspectet externæ causæ motionem, ab acri sensu esse videtur. Sed præcipua cognitio, vt antea dictum est, erit ex iis qui iuuant & lædunt. Diximus enim alias medicinam hac parte maxime coniecturalem esse; & esse aliquando affectus agnitionem coniectura adeo certa habitam, vt proxima sit exactæ certitudini: aliquando (*vt & Galenus & post illum Iacchinus doctissimus dixerunt*) solum artifice digna coniectura dicatur, id est, vltra quam non possit coniectari. Tunc sane ob auditus subtilitatem, sonitum fieri coniectandum erit: præsertim si acuto audiendi sensu æger præditus appareat, vt nunc diximus, & propterea certa cognitio post vnum pharmacorum artificiali coniectura exhibitorum, huius præsertim causæ tempore, contingit. Quod ad prognostica signa attinet, hæc duplicia esse, sæpe iam dictum est: alia quæ tinnitum futurum præsagiunt, quæ habentur ex præcessione causarum ad sibilum vel tinnitum facientium: quæ sensibilitatem auditus habeant vel caput debile, & mala vtantur victus ratione, satietatem nauseatiuam inducente (*vt Arabes vocant*) vel repletionem cerebralem, neque aures debite cooperiant vel repurgent; tales facile tinnitum aurium incurrunt. Sed quod ad mera prognostica pertinet: Leuissimum quidem hoc vitium est, vbi ex grauedine fit: peius, vbi ex morbis, capitisue longis dolorib. incidit: pessimum, vbi magnis morbis venientibus, maximeque comitiali, prouenit; *vt auctor est Celsus*. Hippoc. vero *lib. 1. Prædict.* dicebat: *In febre ardente sonitib. aurium accedentibus cum visus hebetudine, & grauitate in naribus accedente, melancholico modo mente mouentur.* Et quanquam aurium sonitus ex febre sit malum, quia cerebro nocet; tamen (*vt præceptor noster Benedictus Fauentin. dicebat*) si id non fiat ex maleficentia causa febris, sed ex spiritu ventoso, vel ex humoribus crassis & viscidis, non est malum, quod facile per febrem solui possit, *vt etiam habetur apud Gal. 3. decompos. medic. localium*. Sed sonitus ille qui ex sensus acrimonia, non bene recipit curam; præsertim si antiquus sit: quod si ex auris siccitate nunc parta, & puritate inde maxima in organo facta, contingat, curari poterit: & Galenus curat. Si medicus causas non recte distinguat, vel negligens sit in curando, & non acceleret omnium curationem, hæ affectiones admodum suspectæ fient, & temporis processu (si non statim occurratur) in surditatem vertentur. Propterea idem præceptor meus dicebat. Diuturnum aurium sonitum, ita & surditatem duobus annis infestantem, curationem non admittere, cum in habitum confirmentur. Vbi vero breui tempore excitatus fuerit, artis beneficio curabilis existit. Si autem sonitus aurium sit cum dolore capitis & fortibus percussionibus in temporibus, signum est sonitum verti in surditatem: quoniam præ nimio illic dolore, ad auditus instrumentum abunde humores defluunt, vias transitus spiritus auditorij cohibentes, & ex toto auditum tollentes: & etiam præ nimio dolore, membrum facultas multo imbecillior fit, vt facile eius functio perdatur. Vbi vero breui tempore sonitus aurium inuaserit, in surditatem haud quaquam contineri potest: nisi aurium sonitus à soluta aurium continuitate prodierit; à qua, instrumento auditorio perrupto, surditas repente oboriri poterit. Signa itaque terminationis ad salutem vel perdurationis, ex iam dictis facile colliguntur; scilicet ex causarum efficientium dispositione: Sibilus enim, qui fit ex ventositate externa, aut ex fame, in conualescentibus

Prognostica.

tibus, aut ex vento meridionali, quem sequitur Boreas, facile remoueri potest: quod & breuitatem mali argnit. Ex debilitate contracta si fuerit,
8 vel ægritudine diuturna, vel duorum aut trium annorum, ex nimia resolutione, vt fluxu hæmorrhoidum diuturno, aut similium; tunc diuturniorem & curatu difficilem vel incurabilem pronunciabimus: si causa perpetuo duret & inueterata fuerit, nunquam curationem recipiet. Pro varietate autem causarū (*vt diximus*) versatur curatio. Si enim à procatarctica causa fiat, ea ipsa amouenda erit; vel si ab interna, quæ & à causa procatarctica mota sit, vt ebrietate; tunc eam remouebimus primum vomitu, mox ea adhibemus quæ ebrietatem arcent & caput roborant, vt de crapulæ curatione dictum est. Si vero ex flatibus, &
9 recens sit malum, post corporis & capitis repurgationem, ita etiamsi ab humoribus fiat, dissecantia adhibebimus, & vtriusque curationem iam satis explicabimus. Si sensus acrimonia in causa sit, quamuis vna alia sæpe causa adsit, sed leuis, de ea nihil curandum, sed sensus obtundendus. Hic vero aliqui incipiunt ab oleo ros. in quo lumbrici incocti vel infusi fuerint; quod leuiter retundit. Alij ad stupefacientia veniunt tandem: velut est mandragoræ aut papaueris succus, iuxta Galeni sententiam: aut rosaceum cum pauco aceto, aut pauciſſimo opio vtendum: sed cum magna prouidentia & cautione, minima quantitate, & à leuioribus semper inchoando. At si in febribus sonitus fiant, minime inter turbādi sunt: vt plurimum enim statim sedantur, *Galeno auctore*, *ac Paulo*. Sin autem post morbum perseuerarint, absinthij decocto foueri aures debent, vt eidem Paulo atq; Alexandro visum est, & acetum rosaceumque infundi: vel radiculæ succum cum ros. aut veratrum nigrū cum aceto iniicito: vel aloem optimam cum vino
10 mulso, ex Aëtij decreto. Et ita si ex crisis apparatu eueniat (quod dignosces ex actionibus præcedentibus, & diei natura: mox quia vna & alia signa sanguinis fluxuri aderunt, vt malarum rubor & venarum tensio in facie, *vti docuimus in lib. Obs. nostrarum de febribus*: & *cætera, de quibus 3. de crisi*; tunc nihil moliri oportet, sponte enim sua cessabunt à crisi. At si quid post supersit, discussoriis pharmacis vtitor leuib. nempe absinthij decocto ex aceto, vt paulo ante diximus. Si vero propter imbecillitatem accidat aurium sonitus, vt in conualescentibus euenit, temperatum aliquod oleum non nimis calidum aut frigidum (*prout necessitas vrgeat*) infundendum erit, chamæmelinum videlicet anethinum vel rosaceum. Quod si exsiccato capite
11 fiat, etiam cum acrimonia sensus, tunc cum victu humectabimus & balneis. Per consensum vero si fiat, præsertim ab ore ventriculi, vel ex aliis locis, eidem parti, quæ primo afficitur, prospiciendum erit. Ex quauis autem causa ortus fuerit aurium sonitus, vbi inueterauerit, confert hoc medicamentū ex Donato: quod accipit semin. porrorum & caryoph. an ℈ j. mosci ℊ v. cum sampsuci & rutæ decocto (interim pauco vino dulci addito) auribus instilletur. Solent & aliquando in auribus pruritus fieri, non sine molestia & dolore aurium homines afficientes. His valet absinthij succus ex oleo rosaceo tepefacto, vel decoctum eiusdem cum oleo. Si vna adsit sibilus quidam, ficum siccam cum synapi in aqua decoctam laudant, & succum percolatum infundunt ad pruritus & sibilos. Alij ouillum fel in mali granati cortice calefactum, atque infusum adhibent.

Curatio. A causa externa.

Si ob sensus subtilitatem fiat, curatio.

Si in febribus fiant.

Si ex crisi.

Ex imbecillitate.

Ex resiccato capite.

Per consensum fiat.

Ad aurium pruritus.

OBSERVATIO XII.

De difficili, tardo, seu graui auditu, & surditate, per mēdum consultationis, ad Quirinum Dordracenum medicum.

SOrorius meus Iob de Teylingen, Quirine doctiſſime, qui apud vos habitat Dordraci, plurimum instat, vt aliqua remedia ad surditatem conferentia illi transcriberem. Id quidem ante annum cum adhuc Alcmariæ agerem, diligenti examine causam inuestigando, & visitationem tum curationem præscribendo, lingua vulgari, eidem transcripsi: quamuis timeam quod cura erat difficilis, vel omnino inutilis ac incurabilis; cum surditas antiqua (quam Gordonius appellat duorum annorum) sit desperata. Montanus quoque in suis consultationibus, post sex menses curari non posse affirmat: interim sæpe se vidisse curatos dicit, qui tribus aut quatuor annis surdi fuerint. At surditas illa, qua ex solutione continuitatis nerui rump auditui inseruientium fit, incurabilis est: rursum qui modo crescit, & modo minuitur, mederi potest. Si ab apostemate duro, insanabilis quoque existit. Ob hoc distinguendum est: Si intemperies est in tympano, & neruo confirmata, curam non recipit. Si tantum est obstructio in partibus extrinsecis, tollitur quidem surditas, licet duarit per decem annos. Sed non qualibet obstructio; solum ea quæ obtinet extimam partem illius meatus extrinseci, & etiam cum non est crassa, & si est crassa, modo sit per congelationem, & non per calfactionem. Et quamquam hic frater meus cum Alcmariæ studeret à plagoso quodā Frisio præceptore manu percussus fuerit circa aurem, vnde illi semper auditus grauis fuit: non tamen plane surdus est: nam vno tempore magis quam altero audit: sed semper auditus grauis est. Laborat etiam subinde catarrho, & caput frigidum habet, & asthmate afficitur: vnde fit obstructio in meatu auditorio; non tamen in neruo auditorio aut tympano. Nam si neruus & tympanum illud ita essent insrigidata, vel læsa & obstructa, vt nullo modo possit transmitti, virtus, nihil omnino audiret, nec intus nec extra. Verum cum non omnino, priuetur omni actu audiendi: quia intrinsecus audit (peropere enim se dicit tinnitus, & facultas indicat de illo tinnitu: quod non fieret, nisi illa repercussio fieret in tympano, & neruus auditorius haberet aliquam vim, qua posset deferre speciem illius flatus ad sensum communem:) ab extrinseco, nec sirepitum etiam magnum percipit: & sic obstructio videtur in meatu auditorio tortuoso; ex materia potius frigida, quia malum diu duranit: quamquam ex illa percussione, licet omnino non fuerit ruptus vel læsus neruus auditorius vel tympanum; fuit tamen pars illa debilitata, vt magis fluxionem tempore austrino experiatur. Verum ne hic sus Mineruam doceat, vt dici solet, Dominatio tua præsens melius causam distinguet: de qua, tum etiam de curatione, lingua Germanica eidem scripsi; ex qua intelliges quid ego de hac surditate censeam, & qua medicamenta eidem tum visa. Ctus rationem proposuerim: quibus num vsus sit, ignoro. Tu interim ea, quemadmodum & hæc, imitari poteris cum præsens es: prout tibi videbitur necessarium. Si aliquando ad vos, vel fratrem, aut præxeos aut alterius causa accessero: (nam iam vicini sumus, cum à Delphensi magistratu honorifice acceptus fim in medicum) latius de hoc symptomate inter nos colloquemur.

Sed quod ad præsens negotium attinet, tali medicamento præparatorio aut simili vtendum suaderem, modo determinationi tuæ arrideret: ℞. corticum rad. fœniculi ℥j. rad. acori veri seu galangæ maioris ℥ ß. sampsuci, saluiæ, betonicæ, hyssopi, melissæ an. m. j. florum stœchados, rorismarini an. p. j. foliorum lauri m. ß. cicerum rub. ℥ß. fiat omnium secundum ordinem decoctio in aqua betonicæ, saluiæ an. quantum sufficit ad ℔ i ß. colentur, & col. ad. de syr. de byzantiis, de calamintha, oxysacch. compositæ, syr. stœchadæ an. ℥ j. aromat. cum puluere cinamomi selecti ad ʒ iß. specierum diambræ ʒ ß. fiat syr. longus clarificatus pro quinque dosibus. Postea his pilulis purgarem (nam pituitosus est, & caput repletum habet) ℞. pilul. sine quibus, pilul. cochiæ. pilul. de hiera cum agarico (quæ & asthmaticis conuenit) an. ℈ j. cum syrup. è stœchade, fiant pilulæ v. dentur longe à cœna sub noctem. ℞. theriacæ veteris ℈ ij. vel confectionis mithridaticæ ʒ j. conser. florum salniæ, rorismarini an. ʒ iß. misceantur, & postridie sumantur sex horis ante pastum.

Postea rursus reiterarem apozema vel syr. longum præparatorium: & deinde iterum purgarem cum pilulis dictis. Tempore deinde intermedio vterer errhinis humidis, apophlegmatismis & gargarismis; & abstinerem à sternutamentis, ne fieret commotio subitanea effluente materia ad pectus ob asthma: ideo errhina humida magis laudarem, quam gargarismos aut apophlegmatismos, nisi leniores; ne materia ad guttur & pectus repat. Deinde pluuerem aliquem capitalem anteriori capitis parti lectum ingressuro insp ergerem. Formulas ipse nosti; nec opus est addere. Interea singulis mensib. capiat pilulas sequentes. ℞. pilul. assiuer. ʒ garici trochiſ. an. ʒ ij. cum oxymell. scyllino, fiant ℥ iij. pil. vj. è quibus tres sumat cum opus est, cum lectum ingredi volet, horis à cœna tribus aut quatuor. His peractis præsidiis, topicis remediis vterer, & primo hæc euaporatione. ℞. foliorum lauri, origani, calaminthæ, marioranæ, serpilli, maluæ, rad. althææ, florum stœchadis, ana m. j. capam vnam incisam; fiat decoctio in aqua & vino Rhenensi in poculo stricti orificij in duplici vase. Et per embotum ex poculo eodem tepide vapor in aurem recipiatur. Postea ℞. olei amygd. amarar. olei nigellæ an. ʒ ß. succi cæpæ ʒ j. duæ ex his commistis guttæ tepide in aurem affectam immittantur mane ac vesperi. Vel oleum ex nucleis persicorum, pinguedo anguillæ. Vel hoc vtare, quod fortius est: ℞. succi cæpæ ʒ j. aceti fortiſ. ʒ ß. olei amygd. amarar. migellæ an. ʒ j. ebulliant, & bombace auri imbuatur tepide. Vel illud, quod maioris energiæ est. ℞ elleb. albi instar ossis dactyli, pulueris misceatur cum melle, gutta vna tepida in aurem mane, aut altera (vt dictum est) mittatur. Hæc autem valent ad surditatem à succo frigido. Non minus vtile existimo post vniuersalia remedia ad cerebri roborationem & auditus, vt ex infrascripto condito omni mane ad magnitudinem nucis iugiandis sumat: ℞. conserua flor. rorif. ʒij. rad. acori veri seu galangæ maioris pul. ʒi ß. nucis myristicæ conditæ ʒ iij. ſiat. pluriſarcomici ʒ j. diamosc. dulcis, specierum diarod. abb. an. ʒß. cum syr. è stœchade quantum sufficit, fiat confectum. Hæc sufficere puto. Interim tu curam sororij mei habeas. Hisce valere. Raptim Delphis ex nostro museo anno 1588. mense Martio.

Petrus Forestus medicus reipubl. Delphensis.

SCHOLIA.

AVctores sub vno capite tractant, & de graui auditu & surditate. Primum hunc affectum, cum quispiam difficilius seu grauius audiat, Græci appellant δυσκοΐαν, ἢ βαρυκοΐαν, ἢ ὑποκώφωσιν: Latini vero (*vt Celsus*) auditum grauem: interim difficilem vocant: eos vero qui hac affectione laborant, subsurdos, aut etiam surdastros, siue grauiter & difficulter audientes. Tales vero Græci ὑποκώφους, δυσκόους, & βαρυκόους nuncupant, *vt testis est Gal. 3. De compos. medic. secundum locos*, vtpote qui exiguas voces penitus non audiunt; magnas autem vix percipiunt. Secundum vero vitium à Græcis κώφωσις: à Latinis surditas dicitur; vbi auditus in totum offensus fuerit: adeo vt neq; magnas, neque exiguas voces ægri percipiant. Secundum enim Galenum 2. *De sympt. causis*, auditus læsio trifariam continget: vel est ablata, vt nihil prorsus æger audiat, quam surditatem esse diximus: vel diminuta, cum difficilius & grauius audiant, quæ subsurditas ab aliis dicitur; tertio facultas audiendi læditur corrupte, vt de tinnitu & sibilo nunc diximus. Sed, quod ad grauedinem auditus & surditatem, de quib. nunc agimus, ipsæ aures perpetuo læduntur, modo per se, vt si earum audiendi primum instrumentum, aut aliqua alia pars eidem vsum præstās afficiatur: per accidens vero, si earum facultas affecta sit; neruo videlicet, per quem facultatem susciptunt; aut cerebro, à quo eisdem facultas transmittitur; (potissimum ea parte, vnde neruus oritur) perpetietibus. De quibus plura videas, cum 1. tum. 3. *de loc. affectis*. Verum quoquo modo orta sit affectio hæc, Symptoma existit in genere noxæ functionum animalium sensibilium; & proprie sensus auditus: quæ functio non deprauata, sed diminuta in primo affectu; in secundo vero ablata est. Insequitur autem vtraque (vt testatur Galenus 1. De diff. symp.) aut morbum in intemperie, aut in compositione, aut in soluta vnitate. Grauis autem auditus, primum fit ob interni illius aëris crassitiem, & turbiditatem, cum soni tanquā per medium crassius exaudiri debent; itaque exigui non audiuntur, magni vix audiuntur, multa enim impressione est opus. At species sensilis multo efficacius ex proximo, quam ex remoto imprimit: ideo quod primas illas qualitates necesse sæpe erat in aliquantum spatium diffundi: itaque aures admouent vt audiant. Porro hæc turbiditas prouenit ex elato sursum vapore crassum redden-
10 te, non secus ac nubes: de qua causa Hipp. memi-nit, cum inquit, Austros hebetare auditum; non alia ratione, quam quia vt externum aërem, ita & internum (dum caput crassa humiditate replent) turbidum & crassum efficiunt. Prouenit & ex innata cerebri temperie, vel acquisita: qua male concoquit, & crudos humores crassosq; gignit, à quibus talis quidam vapor exhalat. Altera causa est ex spiritibus: hi enim crassiores & hebetiores facti, facultati auditoriæ idoneum instrumentū non sunt ad sensationem: & huiusmodi spiritus transmutatio ex iisdem causis prouenit. Siue enim ex errore victus tales gignantur, siue ex ambiente nos aëre, nihil refert. Cum enim crassus & turbi-
11 dus sit sanguis, aut frigidus, cum generatio spiritū partim ex sanguine fiat, necesse est tales esse, qualis gignitur sanguis. Hinc veteres philosophi, etiam ad disciplinas: exactissimam victus rationem conferre putabant. Vnde Pythagoras legu-minibus abstinuit. Similiter & ex aëre: tales n. sunt spiritus nostri corporis, inquit Gal. 1. *Epid.* 1. qualis est, qui nos ambit aër. Etenim & spiritus generatio ex aëre est. Ideo in aquilonari constitutione corpora nostra bene colorata sunt, mobilia sunt, clarissime vident: contra in Austrina; quod in nostra hac plaga est intelligendum. Tertia causa est
12 ex instrumēto, quoties obstruitur humore aliquo, vel prorsus corpore quopiam crasso obturante. Cum triplex hæc sit causa, *iuxta Iacchinum*, primum distinguere oportet vnamquamque. Quæ n. in instrumēto est, id est obstructio, facilè distinguemus ex præcecentibus dictis de dolore auris: vt morbi qui antea euenerint circa caput, præcipue frigidi, vt etiam de tinnitu diximus, vt lethargus, dolores capitis diuturni, à causa frigida. Sibili, flatuosi, comitiales, apoplexiæ monstrant & obstructionem esse, & à quo humore obstructio sit. Quod si præcessit crisis aliqua capiti attinens, hæc etiam obstructionem demonstrat. Vidimus n. surditates prauas ex his crisibus absceſſu facto ad aures, derelinqui. Quod si vlcus præcesserit, vel adhuc adest,
13 facilè obstructionem esse, & quo ab humore fit,

Quæ parti eis affectis.

Qui affectus præter naturam sint.

Grauis auditus ex aëris crassitie.

Vnde aeris turbiditas proueniat.

Ab innatâ cerebri intemperie.

Ex spiritib.

Ex instrumento.

Causa quō modo distinguatur.

coniicimus: nempe ex sorde & sanie, vel crusta, vel calloso & duro. Coniectura quoq; hæc fiet ex præcedente victu quo coniicimus caput esse repletum, & quo humiditatum genere repletum sit. Scimus vero vniuersum potius crassos & viscidos humores obstruere. Si vero obnubilatio interni aëris, percipies, quoniam victu pleniore est vsus: quo sæpius cruditates incidit, & meracius bibit, & in aëre nebulo est versatus, à quo etiam spiritus alterantur, nempe ab iisdem causis: defectus vero ipsorum alimenti defectus est; ideo aut longus morbus, aut siccantes nimirum causæ præcesserūt.

13 Curatio. Sed & in præsens iū gitur his macies faciei, & pallor. Curatio vero eius, quæ ex obstructione fit, est remouendo obstructionis causam, & fouentem & conseruantem; quam prius tollere oportet: si crisim morbus sequatur aut vlcus, non necessario prospicere alteri affectui debebimus; sed nec toti nec capiti: sat est localia deobstruentia adhibere, *vt supra diximus*; nisi post crisin, vbi natura corpus vacuauit. Si sanies sit, detersoriis vtendum, iis, quæ antea in vlcerum curatione descripsimus. Si crusta adsit, ea tollenda; mox vlcus sanandum, vt prius præcepimus. Si à crassis succis, eadē erit curatio de dolore auris ex crassis succis, vacuando corpus, & caput; mox localib. vtendum extenuantib. vt prius mandauimus de tinnitu aurium quoq; ex vaporibus crassis seu succis frigidis glutinosis. Quod si ex mala intemperie frigida & humida, cuius notas habemus 2. techni, tunc ea est

14 propriis remediis corrigenda. Verū, vt summatim dicamus, cum quidam prædictorum morborum ex propriis eorum indiciis prompte dignoscātur, vt in præcedentibus ostendimus; seorsim propriamq; curationem requirunt: nam non auditus duntaxat læsionem, sed aliam quoque cum ea offensam præstare solent: veluti est vlcus, abscessus, quiuis præter naturam tumor, obortus in aure callus, surdities, tuberculum. Illa prius curanda erūt; de quibus satis superque dictum est. Si spiritus oblæsio sit, aut aëris obnubilatio, remotis externis causis, siccantibus vtemur, tum ad caput tum ad aures. Prosunt & aromatum suffitus. Si defectus &

& siccitas, iubet Rhases & somnum conciliari, &

15 victu humectante vti, & aquam tepidam capiti superfundi: & id optime; sic enim siccitas temperatur, & spiritus regenerātur. Et sic si surditas aut grauis auditus à debili facultate auditoria, vel spirituum inopia fit, diæta resumptiua opus erit; *vt ad longum egregie docet præceptor meus Benedictus Fauentinus c. proprio. De graui auditu & surditate.* Aliter enim curatur à plenitudine: aliter vero ab inanitione, vt apud eundem perlegere poteris. Et quia frequentius duo hæc vitia fiunt ex frigidis succis & crassioribus, aut calidis biliosis; ideo de iisdem præcipuè agunt auctores: de quibus & nunc alia exempla proferemus, ad maiorem huius affectus declarationem & curationem absoluendam.

OBSERVATIO XIII.

De surditate ex materia calida & biliosa.

1 QVamquam surditas à causa calida & potissimum à biliosis humorib. sursum ascendentib. oriri soleat, quæ & facilè aboleri possit, præsertim si post febres contingat; ita vt nonnunquam hoc malū sua sponte soluatur, bile inferius descendente, quemadmodum Hipp. testatur, aut sanguine ex naribus fluente; vt sæpe in communi praxi obseruauimus. Quidam vero per medicamenta bilem ducentia eis exhibita facilem curationem recipiunt, Alexandro & Paulo testibus. Fit tamēt etiam citra febrem: vt euenit in iuuene quodam satis macilento; ad quem nos cum acciti essemus, & biliosō sanguine abundaret, qui sursum ascendens auditus meatus obstruxerat, & surditatem quandam induxerat; quamobrem cum vna auris magis altera affecta esset (nempe dextra) aluo soluta prius per cassiam, die sequēti venæ sectionem in cubito lateris eiusdem ex vena humerali instituimus, cum in vere essemus, sanguine ad vncias fere sex extracto. Postea materiam paratā prius, cum syrupo infrascripto, quem per triduum bibebat, eundem purgauimus hunc in modum: ℞. *syr. ex infus. ros. rub. viol. nymphææ an.* ℥ i ß. *aquæ cichorij, acetosæ, end. an.* ℥ iij. misceantur, & à ieiuno bibatur in diluculo per triduum: ℞. *electr. trium santal. tabul.* ℥ j. *capiat* ℥ ij. *vel* iij. *post syrupum.* Propotionem purgante: ℞. *syrup. ex infus. ros. pallid. cum vhab.* ℥ i ß. *electuarij de succo ros.* ℥ ij. *aquæ cichorij* ℥ ii ß. *fiat haustus brevis*: & egregie ventrē deposuit. Deinde fumus ex hoc decocto per infundibulum in aurem recipiatur: ℞. *folior. malu. viol. fol. salicis, alth ææ, lactucæ an.* m. j. *decoquantur in aqua*: in aurē vero lactis muliebris cum oui albo permisto, duæ tresue guttæ tepide mane & vesperi instillentur. Et egregie curatus fuit.

Scholia.

OMnis causa grauis auditus vel surditatis vel est essentialis secundū alios, vel per compatiēdi rationem. Si essentialis, aut auris pars aliqua læsa est, aut cerebrū: si pars, vel instrumentalis est, vel similaris: si similaris, tunc est vel ab intēperie, vel à soluta continuitate. Si instrumentalis, tunc est ab obstructione aliqua, aut tumore aliquo præter naturam innato, aut ab aliquo aduentitio; vt puta, callo, tuberculo, carne, aut sorde in auribus genita, vermibus, calculo aurem obstruente, vel ab humorib. crassis, vel à flatuoso spiritu. De quibus omnibus prius dictum est. Si per consensum tunc est vel à toto, sicut in febrib. ex quib. vapores ad aures deferuntur: vel à crisi iam facta, vel à membro particulari, propinquo & remoto sicut à cerebro & à stomacho: ita quoq; fit ex paucitate & crassitie spirituum, vel à consumptione corporis, vt dictum est. Quorum signa & curationes iamsatis quoq; constant ex iis quæ paulo ante diximus. *De quibus omnib. fusius perlege Arculanum supra 9. Almans. c. De surditate.* Signa eius sunt quoq; manifesta per se neq; aliis indiciis indigent, cum palam sit quod diminute vel nihil audiāt. Per essentiam si nulla adsit dispositio totius, aut alterius membri, sed in aure in neruo eius aut foramine. Si per consensum, ex totius & partis prægressa ægritudine: qua aucta, surditas augetur, & remota, remouetur. Obstructio vero tantum ex intuitu sub radiis solaribus: A materia frigida crassa, ex grauitate & loci frigiditate, & quia frigidis læduntur, à flatu ex sonitu & tinnitu. Ex crisi, per præcedentē morbum ad aures terminantem, & quod crisi finita remoueatur. Si ex causis primitiuis vel externis, ex relatione ægri. At quis sit humor replens, quibus putant affectum semper esse pituitæ sobolem: cum Galen. videatur perpetuo curam statuere ex dissecantib. & extenuantibus, & exsiccantib. Hippoc. tamen de bile meminit, cum ait lib. 4. aph. surdis biliosas deiectiones conferre. Et rursus de sanguine vna meminit: *Solui* dicens surditatem, vbi sanguis è naribus fluxerit, aut aluus large deiecerit. Respondet Iacchinus, has surditates esse eas, quæ crisim antecedūt: & sunt critica symptomata: quæ sæpe vidimus; ideo excretione facta soluuntur. Fiunt

Fiunt a. rēpleto vāpore, & humore in capite: ideo contingit obstrui meatum, aut potius obfuscari aërem congenitum in auditorio. Sed si sine alio morbo, cuius impetu caput repleatur, malum accidat, & sit passio diuturna, procul dubio ex frigido & crasso succo erit. Huius curam quidam ponunt solum; quoniam alia curam non exigit; nam sponte sua cessat. Etiam dicendum secundum quosdam, ex sola bile non fieri obstructionem:

6 Bilis biliosis sed vna à sanguine, qui simul per venas fertur. Si tamen à biliosis humoribus surditas vel subsurditas accideriat sursum vergentibus; derepente potissimumque in febribus infestare solent; natura, ætas, ac habitus biliosi quoque erunt: similisque præcessit victus ratio, tempus anni, regio ac aëris constitutio. Si à crassis humoribus, cum aurium tum capitis grauitas aderit, vt dictum est: ac reliqua, quæ pituitosos humores indicant. Eadem signa quæ sonitum aurium præsagiunt, surditatem futuram prænuntiant, vt omnes causæ primitiuæ & præparantes: & qui aures debiles habent, aut valde sensibiles, vtentes malo victu, & quibus præcedunt cerebri morbi diuturni: & hi magis grauitatem auditus incurrunt, ventis austriis flantib. Quamobrem, nisi quis tempestiue & probe subsurditati occurrat, cum illud symptoma valde suspectum sit, paulatim augescens, cum & temporis progressus surditatem inferat, *auctore Gal. 3. de compos. med. localium.* Quæcunque autem ab origine, vel paulo post, sed longissimæ & absolutæ surditates constituuntur; nullo remedio (*teste Paulo*) eliduntur. Quæ vero non absolutæ, sed diuturnæ, curationem non recipiunt, vel admodum difficillime. Surditas quoque *libr. 1. Prædict. teste Hipp.* in morbis acutis & turbulentis consequens, mala est. Sed à bile ad superiora tendente, vacuationibus bilem ad inferiora ducentib. facilè aboletur, vel sua sponte bile inferius descendente, *iuxta aph. 28. lib. 4.* Quibus biliosæ deiectiones, superueniente surditate cessant: & quibus surditas, superuenientibus deiectionibus cessat, & *eodem lib. aph. 60.* Quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata, soluit morbum, *1. Prorrh. 31.* Surditas in morbis acutis, vrina rub. absque residentia existente, & in iis crassiora quædam sublime petentia, mentis aberrationem portendunt. Nam surditas, inquit Gal. cerebrum affectum indicat & vrinæ rubræ inflammationem & jecur excalfactum. Et crassiora in vrinis superiora petentia, materiam acutorum ad superiora conuerti præsagiunt. Et surditas ex audiendi facultate extincta difficile curatur, *teste Gal. & Hipp. 1. Prorrh. comment. 31.* Quæ vero repente fit, repente soluitur: & quæ primario affectu orta est, difficilius, quam quæ per consensum. Inueteratis surditatib. nulla est spes salutis: scribunt auctores de duobus annis. Ego vetulam mulierem quandam habui in curatione, apud templum Alcmariæ habitantem, quæ septem annis non poterat audire campanas sonantes: hæc frequenter post purgationes vtens localibus incidentib. tandem post septimum annum me accedens, lætabunda dixit se campanas audiuisse: & fuit aliquo modo curata; quamuis semper grauem auditum retinuerit. Quibus in febribus continuis cum virium imbecillitate surditas superuenerit, lethalis *vt 4. aph. 49. ex Hipp. & Galen. constat.* Si à spiritu ventoso, facilè sanitatem æger consequetur; cum intermittat & causam fi- vt iam Obs. præcedente annotauimus; solummodo per medicamenta bilem ducentia, *Alexandro & Paulo testib.* quorum materiam cum studiosi ex præcedentibus facile requirent, non opus est his diu inhærere; cum & victu is humor contemplandus sit, vt iam sæpe demonstratum est. Quomodo vero ex succis frigidis & pituitosis curetur, satis liquet ex Obs. 12. præcedente: attamen ad maiorem explicationem, addemus aliud etiam exemplum.

OBSERVATIO XIV.

De surditate contracta ex crassis crudisque humoribus.

PVella Delphia, circiter 22. annos nata, pituitosa, crassa & obesa, an. 1567. cum in hyeme, aëre nebuloso, ventoso, humido ac frigido extra vrbem more solito, vt famulæ solent, linteamina exposuisset, & deinde lauasset; dolorem capitis cum grauedine incurrebat: cui cum non tempestiue occurreret, neque medico vteretur, in vehementem surditatem deuenit, vt neque campanas sonantes audiret. Hæc misera famula me accessit, vt ab hac molestia liberari posset. Cum autem adhuc capitis grauitas simul adesset, ab humorum concoctione; & simul euacuatione humorum crudorum & crassorum à quib. hæc surditas orta erat, curationem auspicati sumus in hunc modum, cum tempus hybernum esset & decoctis vti non possemus: ℞. *oxymellis scillini, syr. è ſtœchade, mellis ros. colati an.* ℥ i ß. *aquæ betonicæ, sampsuci, hyssopi an.* ℥ iij. *mis. fiat syr. pro* iij. *dosibus, & triduo bibantur in diluculo.* Deinde purgationem hanc sumpsit: ℞. *electuarij indi, maioris, diaphœnici, catholici an.* ℥ ij. *aquæ salviæ* ℥ iij. *syr. è ſtœchade* ℥ ß. fiat potio hora matutina sumenda. Postea die vno atque altero intermisso has pilulas sumpsit: ℞. *pil. assaieret, cochiar. sine quibus an.* ϑ j. *trochisc. alhandal.* ℈ iij. *fiant pilulæ* v. quæ circa dimidium sumantur: quibus egregie aluus soluebatur. Postea ℞. *theriacæ veteris* ϑ ij. *confer. florum saluiæ* ʒ i ß. *misceantur.* & postridie sumantur sex horis ante pastum. Postea fiat apophlegmatismus: ℞. *masticis* ʒ j. *piperis, pyrethri an.* ʒ ß. *sinapi* ϑ j. *fiat pul. & includatur nodulo ex lino raro, & fiat masticatio mane, idque ante pastum per horæ fere dimidium; semper spuendo.* Postea die vno atque altero intermisso, irritabatur sternutatio ex *pul. ellebori albi, pyrethri, & ziniz.* idque etiam longe ante pastum. Deinde vt singulis hebdomadibus etiam vteretur præcepi pilulis infrascriptis: ℞. *pil. ex hiera simplici, agarici, trochisc. assaieret an.* ʒ j. *cum oxymelite, scillino, fiant pilulæ* xviij. *dentur tres in introitu lecti.* Deinde ad topica deuenimus, & primo ad auris fomentum & euaporationem: ℞. *foliorum lauri, origani, hyssopi, maioranæ an. m.* j. *rad. althææ* ℥ ß. *baccar. lauri num.* vij. *absinthij m.* ß. *florum ſtœchados p.* j. *coquantur in aquæ ad tertias q. s. in fine adde aceti parum, &* fomentetur auris cum spongia, & vapor per embotum recipiatur. Postea illud quod sequitur, in aurem stilletur: ℞. *olei rutacei, nigellæ, amyg. amar. an.* ℥ ß. *misce*, duæ vel tres ex istis commistis guttæ mane & vesperi in aurem stillentur. Et medicamento immisso tepide quidem, quiescat per horam vnam aut alteram supra aurem sanam, vt ad interiora virtus medicamenti traducatur: postea per totidem horas supra ægrā quiescat, vt excrementa commodius effluant. Deinde post sex vel septem horas ægram in loco lucido collocabam, vt auris melius à sordibus inibi collectis repurgaretur. Postea iisdem oleis adieci succi cæpæ ʒ ij. *castorei* ϑ j. quibus & hæc tandem à graui auditu & surditate liberata est.

SCHOLIA.

4 Curatio ex frigida ac exsiccantibus fit.

PAulus surditatem & grauem auditum ex crudis crassisque humoribus, venæ incisione curat, aut purgatione; tum medicamentis quæ per os & nares pituitam eliciunt, Græci *apophlegmatismos & errhina* dicunt. Id quidem si recens malum sit; & vna si sanguis cum pituita abundet, tunc venæ sectio conuenit ex media vel externa vena cubiti; alioqui purgatione vtendum, humoribus tamen prius concoctis. A purgatione Alexander quoque & Paulus sternutamenta adhibent, & balneis sua sponte scaturientibus vel aqua marina vtuntur, caputque *vti & Gal. 3. De compos. medic. secundum locos*, exsiccant & roborant. Eaque Paulus instillat in aures quæ ad sonitus prius tradita sunt. Priuatim vero & hæc conferunt: vrina & fel caprinum, aut seorsim fel; aut rutæ succus cum melle, aut castoreum cum oleo anethino, vel caprillum fel cum galbano. Ita & Aëtius *lib. 6. c. 80. de audiendi difficultate & surditate*. Primo hiera vtitur; postea pilulis ex aloe & coloc. Deinde apophlegmatismis, & caput radit & illinit, firmat, & victum attenuatorium adhibet. Apollonius ad difficultates auditus repente obortas ob capitis dolorem, absinthij decoctum per embotum in aurem euaporare facit: marrubij succum, deinde cum vnguento irino tepidum vna mixtum in aures infundit: *Vide apud eundem & alia remedia; & apud Holerium de grauib. auditu, in lib. 3. Galeni* περὶ παθῶν. Primum itaque leuiter purgabimus corpus, & frequenter; vt bis in hebdomada capiendo pilulas sine custodia, *vt de hiera simpl. vel compos. & de assaierer*. Deinde humorem concoquemus, mox pilulis fortioribus vtemur, & post easdem theriaca, methridato; & intra aurem ponemus olea iam dicta, vel raphaninum, de scorpionibus, nucum, oleum vetus, in quo decocta sit colocynthis, vel cucum. agrestis, vel laurinum, vel balsamum, petroleum & omnia quæ sunt tenuium partium. Sed duo vltima sunt ponenda cum maxima aduersione, cum facile penetrent, inflamment, & dolorem excitent. Miscenda est igitur pauca eorum quantitas cum oleo imbecilliore, vt amygd. amar.

OBSERVATIO XV.

De graui auditu ab apostemate relicto: & de aliis à surditate curatis.

1 FAmula Bartholomæi Simonis Alcmariani, annos sexdecim nata, anno 1547. in autumno post abscessum ruptum in aure dextra, sanie non amplius fluente, diuturna surditate detinebatur; ita, vt quasi de auditus restauratione recuperanda desperaret; me consilij causa adibat. Assumpta cassia pro alui solutione, cum & capite doleret, ad humores pituitosos concoquendos, hoc sequenti decocto vsa est: ℞. *decoct. herbarum capital. seu decoct. capitalis lib. ij. oxymell. simplicis, mellis ros. colati an.* ℥ ij. *syr. è stœchade* ℥ j. *misce*, hoc decocto ebibito has pilulas sumpsit: ℞. *pilul. aurear. cochiarum, aggregat. an.* ʒ ß. *diag. gran. iij. cum syr. è stœchade fiant pilulæ* v. quibus copiose sexies aluum deposuit, cum facilis solutionis esset. Postea & cucurbitulas cum scarificatione scapulis admouimus. Deinde adhuc semel deuoratis pilulis, vt circa aurem inungeret vnguento alabastrino, imperauimus: atque oleum sequens cum aliquo tempore bis terue in die in aurem tepide instillassemus, ab omni surditate liberata, sana euasit ℞. *olei amygd. amar.* ℥ j. *olei rutacei* ℥ ß. *misc.* At altera mulier Delphensis vidua, cum ex diuturno morbo conualuisset, incidit in surditatem, anno 1559. in fine hyemis, satis diuturnam: quæ cum satis purgata esset, & deinde à medicamentis abstineret, & longo tempore adhuc surditate laboraret; vetula quædam eidem consuluit, vt granum vnum vel alterum mosci optimi in bombace misceret, & auri perpetuo imponeret. Hoc remedio, præter omnem spem ab omni surditate liberata est. Ego multos quidem, quibus auris sanie longo tempore madaret, curaui sola imposita bombice vel cottone, in quo moschus reseruatur: quod & aurem exsiccaret, & simul surditatem tolleret. Vide de puero surdo post variolas Obseru. 7. huius libri. Mulier quædam oleo murino (mures enim recenter natos sine pilis macerabat oleo) vtebatur cum miraculo ad aurium surditatem. Gisibertus Horstius præceptor meus Romæ, aquam ex illis destillabat, & eam in aures immittebat.

SCHOLIA.

ARculanus, medicus suo tempore insignis, ca. 39. in nonum Almans. scribit moschum in causa frigida cotto inuolutum, & in aure retentum vel positum, egregiam prærogatiuam habere in curando surditatem. Sed in mulieribus inuerculis suffocationi vteri obnoxiis, nequaquam conuenit: & si graui auditui vel surditati conferret, aliud vitium non minus malum (*nempe veteris præfocationem*) induceret: alioqui viris tum mulieribus minime huic malo obnoxiis, vtilissimum remedium est. Interea si surditas à sanie, vel vlcere proueniat, sanies abstergenda erit, & vlcus exsiccandum, & corpus euacuandum. Ideo inijcienda sunt quæ vim habent abstergendi; *vt est succus capæ, porri, cucum. agrest. cum melle*; vel ex fellibus mitioribus quale est porcinum vel agninum. Postea tuto adhibentur, quæ vim habent exsiccandi, vt vlcus ducatur ad cicatricem, vt de vlceribus dictum est. Ita trochis. albi Rhas. sine opio, & alia quæ ex ceruſa, pompholyge seu tutia parantur, dissoluantur in succo vel decoct. aliqua medicamentorum abstergentium, vel exsiccantium. Vel hoc remedium quod præstantissimum est, adhibeatur: ℞. *scoriæ ferri* ℥ j. *decoque in vino: quod postea injiciatur in aurem*. Fit etiam decoctio in aceto: sed cauendum est, ne acetum nimium acre fit; nam sua acrimonia irritat vlcus. Alia quoque quæ fortiter exsiccant, plurimum valent, siue in forma vnguenti, siue iniectionis. Sed non sunt probandæ (*inquit Rondeletius*) iniectiones ex oleis in hac specie. Nam oleum est vlceribus inimicum, & maxime aurium vlceribus. Quod si ponatur oleum, id fit, vt obtundatur acrimonia aliquorum exsiccantium cum vehementi morsu: alioqui numquam ponendum est. Quod nos in fauula vsi sumus oleis, nihil sanies, cum nos ad illam veniremus, emanabat; alioqui detergentibus vsi fuissemus, & deinde vlcus exsiccassemus. Surditas quæ post ictum prouenit, si post aliquot menses perseueret, incurabilis est: quoniam cum fractura vel distensione nerui & tympani est. Quæ autem à catarrho fit, curatur auertendo in aliam partem fluxionem; & consumendo quod parti impactum est, vt de catarrho dictum est. Plinius secundus (*vt etiam citatur à Donato lib. De medic. cap. pir. 12.*) inquit, *quod succus hederæ nundiſsimus cum ſiſſimi vino inſtillatus pluuiam facit: item allium & capitula cum adipe anſeris; ſi coles & infundas. Ova quoque fa-*

rinicarum (vt idem refert) *contrita surditatem aurium, quamuis veterissima sit, sanabunt. Caprillum item fel instillatum graviter audientibus; & prodest: ac bubulum lac cum felle caprino mixtum, & infusum auriculis grauiter audientibus, restituit auditum*; eodem auctore.

6 Libro autem De medicamentis quæ ad manum sunt, Galeno asscripto, legitur, *quod leporis fel recens cum pari mellis portione mixtum, & in cæpæ corio tepefactum, in aurem immissum, ei qui nihil audiat, auditum restituit*. Ad cõpressa aurium foramina, quæ apud Paulum θλάσεις dicitur, Hippoc. quidem nihil ipsis adhibendum præcipit: cum vero sæpe (*inquit Paulus*) ab ægrotis cogamur; vtendum est hic myrrhæ, aloes, thuris, acaciæ pari singulorum modo: aceto vel oui candido illinuntur, vel panis calidi mica cum melle in pila tusa admouetur. Attritiones auricularum in infantibus inflammatas, oleo quod in æneo vase æruginem ab ipso ære contraxerit, iugiter Aëtius inungit, & sanat. Plura vide apud ipsum *lib. 6. c. 89. De affectibus extra meatum aurium contingentibus*. Si fissuræ in auribus fiant, siccantia vnguenta magis conferent; quæ ex malacticis componuntur, pompholyge, lithargyrio, axungia addita vel seuo arietis, vel hirci. Nunc ad eos affectus accedamus, qui in adenibus iuxta aures adiacentibus oriri consueuerunt; nempe parotides.

OBSERVATIO XVI.

De parotidibus.

1 ANno 1567. tempore verno, Delphis febres quædam pestilentes vna cum parotidib. apparebant, sed & in aliis locis quibuldam & bubones & anthraces cum peste suppullulabant. Sunt autem parotides abscessus glandularum, sed auribus sæpenumero pestilentes, & omnino pestiferi; nonnunquam maligni. Quales nonnulli scribunt (cuius & meminit Holerius) viguisse anno 1510. multosque rapuisse. Nonnunquam vero clementes fiunt, quales viguerunt anno 1545. & præcipue vere. Nonnunquam sunt critici: qui si intro redeunt, sunt lethales, nisi alui profluuium vel insignis excretio subsequatur. Nam si in altum (*inquit Paul. lib. 3. c. 33.*) recurrat colluuies, periculum haud mediocre subsecuturum est. Parotis enim (inquit) grandularum sub ipsis auribus affectus est; materia morbi illic emanante: modo à capite, humoribus videl. in eo obstructis; modo à relisquo corpore, in febrib. crisim expertis, oritur. Alij tardius erumpunt, alij celerius: quidam cum odore & inflammatione: quidam sine his; de quibus postea suo loco. Verum de iis nunc loquentes, quæ anno 1567. apparebant, aliquid malignitatis præ se ferebant; & pestilentes erant. Qualis illa erat parotis, quam vetula mulier Maria Dama nomine habebat. Ad hanc cum sexto die prius accitus essem, valde febricitabat, supra modum capite dolebat, & circa cor angebatur; & parotides non tantum aurium glandulas occupauerant, sed & fere totum guttur ac collum. Cum autem ibidem inflammatio cum rubedine esset, chirurgus qui ante me vocatus erat, & nunc quoque præsens est: locum affectum inunxerat cum vnguento nutritio ex litargyro, aceto & oleo ros. confecto: & tenuale quidem: cum hic non deberet materiam vetustam repercutere, sed potius foras euocare. *Si enim alte* (inquit Paulus) *adhuc delitescens parotis in tumorem non tollitur, naturæ debet adiutari præsidijs quæ coactas sordes extrahant, vel etiam cucurbitula aggluinata, vel crebro fotuum vsu.* Atque hæc in principia facienda; etiam venæ sectione præcedente (*cum hic inflammatio adesset*) ex cephalica; quæ prætermissa erat: & quia iam sextus dies, & in vetula; id iam tentare non fuimus ausi; sed eius loco, aluo prius soluta, cucurbitul. cum scarificatione scapulis admouimus. Et cum parotis inflammatione tentata in tumorem erumpebat, non repulsoriis aut eiusmodi frigidis exsiccantibus, sed è contrario, iis quæ leniunt & concoquunt, vtendum erat; cataplasmatis, ex farina hordeacea aut triticea, aut semine lini cum mulsa; aut fœnugræci, aut althææ, aut chamæmelorum diluto incoctum. Nos autem imperauimus, vt cataplasma imponeretur ex foliis malvæ, radice althææ, butyro & farina hordeacea confectum. Et ventrem purgauimus cum infuso rhab. & senæ; addito syr. ros. solutiuo. Interim ad roborationem & malignitatem febris frequenter capiebat ex syr. de limonibus, & de acetositate citri. Et non diu post febris cessauit: & tumore ex cataplasmate maturato, abscessus ruptus est, materia multum putri, non tantum circa aures, verum etiam circa collum effluente. Aperta itaque parotide, *teste Gal.* vlcus fit: cuius curatio perficitur medicamentis mundificantibus & abstergentibus; vt est mel ros. succus apij, terebinthi lachryma, & similia. Quare chirurgo qui vna nobiscum erat, iussi vt sordes hoc vel simili modo ab vlcere repurgaret; eoque absterso vt consolidaret. Quæ equidem intentio consolidandi cum perficiatur medicamentis facultate generandi carnem & vlcera implendi, præditis; qualia sunt diapompholygos, aloe, & myrrha ac thus & ros. Atque vlcere consolidato, succedebat vltima intentio, nempe cicatricem pulchram inducendi: quam chirurgus in fine absoluebat. Præceptor meus ad cicatrizandum in hoc casu capiebat *pompholygis, cadmiæ, lapid. hæmatit. cerussæ omnium dilutorum an.* ʒ j. *myrrhæ, aloes, thuris an.* ʒ ß. *olei luteorum oui* ℥ ij. puluerisentur omnia in tenuissimum puluerem, & inserta concauato citri pomo, succo citri adiecto, omnia apponantur: & pomum iis plenum, ignitis cineribus appositum lenta ebullitione ebulliant; continuo agitata baculo, donec linimentum perficiatur: & vtitor. Et ita hæc vetula præter multorum spem fuit curata.

SCHOLIA.

NOminant autem hunc affectum Græci παρωτίδα: à Latinis quoque *parotis* nuncupatur. Sunt autem parotides ex inflammationum genere: quæ glandulis circa aures affectis fiunt, *Galen. teste 3. de compos. medic. secundum locos*. Ex quarum descriptione liquet quæ partes in eis afficiantur; quia adenes iuxta aures: quod absque alio indicio sola inspectione patebit. Affectus vero (*cum è genere inflammationum sint*) erit morbus in quantitate; proprie in excessu primo sicut reliquæ inflammationes, *vt Donatus annotauit*, secundario vero in intemperie & soluta continuitate; id quod dignoscere ad sensum licebit; absque alia signorum inuestigatione. Prouenit autem bifariam: Vno equidem modo per viam crisis: & illud fit per motum naturæ, præsertim in febribus: Altero modo per rationem symptomatis seu accidentis; vt in pestilentia ex malefica materia sursum: mota ad molles & laxas partes aurium glandulosas. Et ex natura mala febris pestilentis & veneno cordi communicato, ægrum perimit: vel ob vicinitatem, quam habet ad cerebrum, sua venenositate ægrum necans. Sed de eiusmodi tuberculis venenosis

5 Parotides qui sint.

Parotidis affectus.

Affectus.

Parotis bifariam fit.

6

nosis locuti sumus de peste. Nunc loquemur de parotide minus maligna; quæ etiam potest fieri per rationem accidentis, vt in febribus acutis: & hæ non promittunt ægroto mortem, sed periculum ob accidentium sæuitatem, quæ comitantur febrem acutam, *vt ait Gal. 2. aph. comment. 23.* Vel quandoque fiunt parotides ex diuturnis febribus: quarum indicationes plerumque per absessus fiunt; *vt Hipp. 3. progn. 25. & Gal. 4. aph. comment. 36.* inquiens, *absessus indicare morbos longos vltra quadragesimum.* Eiusmodi parotides in febribus longis ex humoribus crassis, frigidis & multis, tarde terminantur, & periculo tamen vacant. Et sic earum exitus est per crisim integram & salubrem; vel per rationem symptomatis mortem promittens; vt in peste (*tamen aliquos, vt de peste diximus, vidimus curatos*:) vel periculum imminens per rationem symptomatis in morbis acutis non pestilentibus: vel vt plurimum salubritatem futuram promittens, vt in morbis longis. Sed antequam ad alias causas veniamus, cum ab omnibus humoribus fieri possint, vel à copioso sanguine calido; aut à bilioso; aut à pituitoso; aut à melancholico: quod exempla infra dicenda declarabunt.

OBSERVATIO XVII.

De parotide ex sanguine redundante.

MVlier quædam facie rubicundiore, temperamento ac habitu sanguinea, ætate triginta annorum, victuque lautiore vtens, multumque sanguinem gignente, in glandulis circa aurem dextram in tumorem incidit, satis magnum rubrumque. Ad quam accitus, cum etiam febricitaret, & dolor continuus in loco affecto esset, facilè intellexi parotidem ex plenitudine sanguinis originem habuisse. Quæ n. à feruentis sanguinis copia existunt parotides, phlegmonas referunt, vehementissimosque pariunt dolores. Cum autem statim inuaderet hoc malum, & non à crisi: à sanguinis missione (*cum etiam in vere essemus*) curationem instituendam esse proposui, fæcibus prius hoc cœnemate iniecto eductis: ℞. *rad. althææ, mund.* ℥ j. *foliorum malu. althææ, betæ, mercurialis, parietariæ an. m. j. prun. num.* xiij. *4. sem. frigid. an.* ℥ j. *florum nenuph. p.* j. *fiat decoct. in aqua communi pro* lb j. *adde cassiæ recens extractæ* ℥ j. *sacch. semel duntaxat cocti* ℥ j. *olei viol.* ℥ iij. *salis* ʒ j. *misc. fiat cœnema*; quod ante pastum iniiciebatur: eoque iecto, & fæcibus eductis, externa cubiti vena eiusdem lateris incisa, eductus fuit sanguis ad vncias sex plurefue. Deinde, cum hæc non adeo dines esset, ita eandem purgauimus: ℞. *syrup. ex infus. ros. pallid. cum foliis sennæ, & cum rhab.* (*nam vtrumque syrupum pharmacopœus paratum habebat*) *ana* ℥ j. *electr. de succo ros.* ʒ ij. *cum aqua cichorij* ℥ ij ß. *fiat haustus breuis*: quo septies aluum deposuit. Cucurbitulas quoque scapulis cum scarificatione apposuimus. Corpore vacuato cum dolor adhuc satis vehemens maneret, hæc infrascripta loco dolenti admouimus: ℞. *muccag. sem. cydon. sem. lini. an.* ℥ j. *muccag. sem. fœnug. extractæ cum aqua malu.* ℥ ß. *olei viol. amyg. dul. an.* ℥ j. *butyri recentis* ℥ i ß. *vitellos ouorum* ij. *misc.* Sicut enim materia quæ facit inflammationem in aure, pauca est, & per vasa valde angusta refluit (*quæ magis qualitate peccat, quam quantitate ita vt frigida, medicamento aliquo castigata non ita noceant*) tamen materia parotidum, quæ multa est, & per latiores venas & arterias retunderetur in cerebrum, magno totius corporis incommodo. Ob eam rem, si incipiant, corpus diligenter purgamus, & aliquando sanguinem mittimus, si magna sit totius corporis plenitudo, vt hic erat, & si sit circa partem calor, rubedo & magna pulsatio sentiatur. Ideo in istis tumoribus nunquam repellentibus medicamentis vtimur; quamuis in inflammationibus auris aliquibus vtamur. Verum supra partem relaxantia & anodyna adhibemus. Anodyna statim adhibenda sunt; etiam si per crisim, impetu morbi illuc conuerso, dolor sit vehemens, siue multus sit humor, siue paucus, siue calidus, siue venenosus. Mitigato dolore, humoreque non cum impetu irruente, sed pauco, & eo maligno existente, naturaque manente pigra, attrahentia apponenda: quibus si non satis pareat, cucurbitulæ affigendæ. Sed hic materia non erat venenosa, ideo supradicta anodyna tantum apposuimus. Postea ad discutientia & suppurantia deuenimus: quibus medicamentis aut discutitur, aut ad suppurationem perducitur: ℞. *farinæ hordei* ℥ ij. *farinæ seminis lini* ℥ j. *farinæ sem. fœnugr.* ʒ ß. *caricarum pinguium incisarum* ℥ ß. *misce cum decoct. maluæ, viol. althææ florum chamæmill. adiectis tribus vncijs axungiæ recentis porcinæ fiat cataplasma*, & loco dolenti apponatur. Et adhuc semel sumpta purgatione, febris cessauit, & dolor mitigatus est: & adhibito fotu ex decoct. earundem herbarum, & cataplasmate appositio, facta discussione, hæc mulier curata est. Sicuti & alia, absessu discusso sine suppuratione.

SCHOLIA.

PRæter causas iam enumeratas, parotis etiam fit à causa procatarctica; *vt etiam Amatus meminit, centur. 1. curat. 88. de vxore Proxenetæ*, quæ hunc morbum contraxerat ex vento frigido caput percutiente, quod ad fenestram se pectinaret: quo audito, morbum non adeo solutu difficilem Amatus pronunciauit. Multum sane ad morborum cognitionem causæ procatarcticæ faciunt: & consequenter ad eorum præsagia: licet ab illis, *vt Galenus quoque vult*, indicatio curatiua non desumatur: quod intelligendum est, *vt idem Amatus sensit* primarie: secus autem secundarie. Quomodo autem illa vxor proxenetæ, etiam post clysterem facta venæ sectione curata fuerit, apud eundem loco citato reperies. Ideo cum tria inueniantur causarum genera, *iuxta præceptorem meum Benedictum Fauentinum*, ex ipsis tribus parotides euenire possunt: primo à causis externis corpus alterantibus; quales sunt capitis quassatio, contusio, verberatio: vnde sequitur in glandulosis carnibus circa aures mala intemperies & soluta continuitas, ob dolorem materia affluente, *vt constat 3. meth. med. c. 4. & 5. aph. Con. 53.* Secundo causæ præcedentes, ex dolore, labore, vel imbecillitate loci, cum superfluitates attractas resoluere non possint: vel ex plenitudine corporis aut aliis humoribus, vel ex laboriosis febribus vel longis, vt dictum est. Causæ continentes parotidum, sunt ipsarum causæ, quæ iam præcedentes fuerunt, cum in effectu parotidas efficiant: hæ enim totam parotidum essentiam decernunt, atque ut positis, parotides ipsæ ponuntur; & abolitis, auferuntur, *vt est Gal. doctrina 3. artis medicinalis.* Signa autem per se sunt nota, *vt diximus*; cum oculis patent. At futuræ parotidis signa multiplicia esse possunt, vt febris laboriosa, acuta, capitis dolor, & partium circa aures rubedo, & grauedo, vel febres diuturnæ materiam ad aurium glandulas deponentes. Sigua causarum satis liquent; *si enim à sanguine, vt iam Obs. præcedente constat, adest*

dolor, loci grauitas, pulsatio, rubedo, & febris. Si ex sanguine biliosori ac tenaori, vel à bile, tumor erit rubicundior sine grauitate, igneus, erysipelati persimilis: ægerque videbitur tanquam ardere, & tangentes manifestam caliditatem percipiunt, vt Alexan. testis est. Quæ præcesserunt ac concomitantur, pariter bilem redundantem arguent: vt habitus, ætas, temperamentum, ratio victus, ac reliqua. Adest enim & dolor punctorius mordicans, erysipelas, febris succedens, calor pallidus ob bilem. Si à pituita, in compressione aderit immutatio, color albus, vel rubedo ad albedinem declinans, dolor minime intensus, nec ita sequitur febris vel lenta, & nisi cum pus sit, & adest grauitas. Si à sanguine melancholico, neque ruborem habebunt neque dolorem adeo ipsæ inferunt, sed tumorem quendam scirrhosum: adest enim duricies, nullaque fere dolor, & color sæpe liuidus: ita & in pituitoso, magis laxus est tumor, qui Oedema dicitur. Nec minus & quæ præcesserunt, melancholicum sanguinem apta fuerunt procreare. Si à febribus per modum crisis fiant, signa critica præcedent & febris; dolorque circa aurem: quæ suppurationem tardam vel magis etiam indicabunt. Igitur accurate inspici debet, tum qualitas, tum quantitas materiæ influentis, & parotidas excitantis, *vt Alex. refert*: nam quædam ipsarum ratione crisis concoctione apparente fiunt, quæ neque prauæ, sed curatu faciles existunt; multosque magnis periculis liberarunt: aliæ vero ex copia cruda contiogunt, quæ naturam grauant, simul & nonnihil irritant: quare etiam procedente tempore periclitantur, & medicis multa tentantibus, vix ad suppurationem aut concoctionem perueniunt *Hipp. in 3. dictione primi Prorrh. 18. prognosticatur*: Quibus ægrotis syncerè purgationes, vel exacerbationes desistunt, si pluribus perseuerent diebus, & non crumpant, iis ex talibus parotides exsurgunt. Non tamen semper id accidit necessario, vt in eodem commentat. Galen. perleges. Et *62. in fastidiosis quibusdam vigilantiis parotides fiunt*, dicit Galenus: *Ex meltorum ciborum plenitudine, caput imbecillius fit, & deponit ad glandulosas partes aurium. Malum & in his, cum ex ijs dementia significatur.* Si materia calida sursum repat, & ceruicis ac capitis grauitas adfuerit, parotis exspectanda. Vbi quispiam in partibus corporis deorsum calido infestabitur morbo; eo desistente, rubor calorque circa faciem & aures apparebunt; rapta materia sursum, parotides exsurgent. Parotides exactæ concoctæ, & per rationem crisis euenientes, salutem promittunt, & celerem: crudæ vero *1. epid.* spem salutis auferunt, ad malos absessus conuertæ, indicationis carentiam, vel dolores, vel longitudinem, vel mortes, vel malorum reditus indicant. Ex calida materia citius terminantur; maiori tamen cum periculo infestant: à frigida & crassa tarde, minori tamen cum periculo. In iuuenibus quoque periculosiores, & ocyus finientes: in senibus contra. Quibus parotides fiunt sudor decretorius superueniens, eas soluit; *teste Gal. 3. Decris. c. 3.* finiunt autem, (videlicet sudores) parotidas, lethargos & reliquos omnes capitis affectus. Quibus in febre acuta voluulus male olens fiat, diutius hypochondrio sublimi perseuerante, parotidesque exsurgunt; exitiosum est. Vide rationes apud Hippoc. & Gal. *3. Prorrh. comment. 63.* Victu itaque congruo maxime, & subiecto affectui, causæ effectrici accommodato inprimis constituto, si sanguis redundare videatur, per venæ sectionem curabimus: *vt iam Obs. præcedente ostendimus, de curatione ex sanguine abundante.* Deinde purgabimus: &, si bilis abundat, dabimus infusum rhab. cum oxyphœnico, & bilem contemperabimus. Deinde ad topica deueniemus, dolorem mitigantia & influentes humores concoquentia: aliter tamen in corporibus mollioribus, eunuchis, mulieribus, pueris, quam in robustis, *vt Gal. docuit*, butyro locum inungemus; & in vehementi dolore addito adipe suillo, & cera adiecta cerati instar: quale & Actius imponit. Vel cataplasma ex farina hordeacea cocta hydrelæo, adiecta muccilag. psyllij, si calor coniunctus est. At Auicen. si fuerit initium eius cum dolore vehementi; sola vaporatione contentus est. Pacato dolore, digerentibus (nec ita calefacientibus) vtendum est, vt, si fieri potest, materia resoluatur. Quod si resolui non possit, & ad suppurationem vergat, suppurantib. vtendum, farina tritici, hydrelæo cocta, & butyro vel axungia mixta: aut acetosa sub cineribus cocta & appositа: Paulus addit axungiam insulsam. Addi possunt & rad. liliorum alborum cocta. Et in calore, hyoscyamo & butyro vti licet. Vbi iam pus factum est, vomica aperienda, vel ferro decliui parte, vel ruptorio. Deinde vlcus purgandum à sordibus incarnandum, & cicatrice ducendum, vt dictum est. In mitibus parotidibus hoc medicamentum sufficiet: ℞. *olei chamæmill. lilior. bwyri recentis an.* ℥ vj. *croci* ℈ vj. *fiat linimentum*, superponatur laha sordida. Quod si paulo durior videatur absessus, admiscebis & tetrapharmacum, vel dialthæam, vel diachylon paruum de muccillaginibus, resumptiuum; vel aliquod id genus: qualia multa apud Holerium inuenies, *c. de malaffectis*. Et si duricies relicta fuerit veteris iisdem remediis contra scirrhos descriptis.

OBSERVATIO XVIII.

De parotide ex causa frigida & materia pituitosa.

MVlier quædam ex plebe, tumorem quendam laxum & quasi œdematosum in glandulis circa aurem dextram patiebatur, ex materia crassa & viscida, ac lenta, sine dolore effatu digno, etiam sine febre. Quamobrem cum ad eam accessissemus, nec vlla sanguinis plenitudo in ea appareret, à sanguinis missione hic abstinuimus, cum in eiusmodi casu, *vt recte nos docuit præceptor meus Benedict. Fauent. cap. proprio*, haud quaquam opportuna fit missio sanguinis, cum ex ea magis humores crudi euaderent & concoctioni rebelles. Quamobrem ad minorationem materiæ pituitosæ, dedi pil. v. ex ʒ j. hieræ simpl. Et diebus sequentibus ad materiam concoquendam, id quod sequitur: ℞. *mellis ros. colati, syr. è sæchade, oxymel. scillini an.* ℥ i ß. *decoct. betonicæ, saluiæ, maioranæ, rorismarin.* ℥ ix. *misceantur, & per triduum à cœnato diluculo bibantur.* Cum autem morbo vterino non esset obnoxia, capiebat *diamosci dulc. in tabul. post syrup.* ʒ iij. Postea eandem purgaui (cum pilul. cochias diglutire non posset: nam prius difficulter acceperat pilulas de hiera) cum potione sequenti: ℞. *diaphœnicí* ℥ ß. *catholici* ʒ iij. *syrup. ex infus. ros. pallid. cum agarico* ℥ ß. *aquæ saluiæ*, ℥ iij. *fiat potio.* sumat in aurora: ℞. *theriacæ veteris* ʒ j. *conseru. flor. rorismarin.* ʒ ij. misceantur, & postridie mane sex horis ante pastum sumantur. Supra partem vero cum lana succida oleum chamæmill. liliaceum, irinum, amygdalar. amararum, anethinum simul commixta apposui. Postea & hoc emplastrum. ℞. *bismaluæ cum rad. liliorum an. quar.* ß. *parietariæ, absinthij an. m. j. furfur. flor. chamæmill. meliloti an. p. j. coquantur & pistentur & per colum transmittantur adde axungiæ antiquæ, anseris & gallinæ an.* ℥ j. *butyri* ℥ i ß. *olei liliorum, chamæmelini, irini an.* ℥ j. *mellis* ℥ i ß. *misc.* & fiat cataplasmata; loco tamen affecto

affecto prius inuncto hoc linimento: ℞. *axungiæ porcinæ, anseris gallinæ an.* ℥ ß. *olei liliorum* ℥ j. *misce.* Deinde magis digerentia appoſui, in hunc vel ſimilem modum. ℞. *farinæ fabarum, farinæ hordei an. quar.* j. *mellis communis quar.* ß. *leuiter coquantur simul, & fiat cataplasma.* Poſtea cum materia reſolueretur, & remaneret aliquid indigeſtum, dolorem tamen non faciens, diachylon appoſui mag. ireatum ad modum cerati: quod egregie iuuabat; & ſine ſuppuratione tandem delituit tumor. Alioqui ad ſuppurantia deueniſſemus: vti in altera fecimus, cum non digeri poſſet, ob materiæ multitudinem & craſſitiem, & in pus verteretur. Tũc maturantia & ſuppurantia appoſuimus, in hunc modum: ℞. *maluæ m.* j. *rad. althææ* ℥ iiij. *caput liliorum alborum, ficuum num.* xv. *coquantur & piſtentur diligenter, & per colum tranſmittantur:* quibus adde *axungiæ porcinæ* ℥ iiij. *farinæ frumenti ſeminis lini an.* ℥ i ß. *olei communis vel liliacei q. ſuf. reducantur ad formam cataplaſmatis.* Poſtremo, vt fortius eſſet, adiecimus ℥ ß. *mucilaginis ſeminis fœnugraci*: deinde, vbi incipiebat materia ſuppurari, vt magis traheretur ad circumferentiam, fermentum acre poſuimus in cataplaſmate dicto. Quod ſi hoc non ſufficeret, *ad vnguentum baſiliconis cum pice,* deueniſſemus. Et cum iam ſatis maturum eſſet, & non rumperetur ob cutem duriorem, accito chirurgo, ferro id aperuimus. Qui & vlcus deinde detergebat, implebat, cicatrizabat, vt in aliis partibus fieri conſueuit.

3

4

Scholia.

5 EOdem fere modo curantur parotides ex materia melancholica, adiectis iis quæ melancholicum ſuccum reſpiciunt, vt eſt ſyr. de ℈pithymo, de fumaria, bugl. & fiat purgatio cum elect. lenitiua, confectione hamech, & ſimilibus, & quod ad topica attinet, ſicut magis emollientia ob duritiem, cum facile in ſchirrum mutentur. Et ſi ipſæ parotides inueteratæ ac induratæ fuerint, citra omnem moleſtiam diſcuties & emollies, ſic buccinas vſtas &, oſtrea omnia adipi veteri porcino liquato admiſceas, ac ſupra affectum locum adhibeas, Aëtio teſte. Hoc idem efficit, ſi prædictorum cinerem cum melle admiſceas, aut ſi ficus marina aqua incoctas, vel marrubium cum ſale imponas, ex Pauli ſententia; ſeu melius, Archigenis: quoniam eius eſſe hæc medicamenta fatetur Galen. 3. *de compoſ. medic. ſecundum locos.* Ego aliquando noui viduam cuiuſdam cereuiſiarij, cui nomen Aleyda Iodoci erat, mulierem ſatis annoſam, perpetuo fere defluxioni, modo ad maxillas, modo ad dentes vel circa adenes aurium obnoxiam, ita vt parotidem incurreret ex materia frigida; quæ cum reſolui non poſſet, & durior euaderet, tandem per longam appoſitionem cerati de muccilaginibus emollita, reſoluta fuit, cum duobus fere menſibus hoc malo detinebatur. Iam quoque ſi fortaſſe materia parotidum dura, efficiatur (*vt ſæpe euenire poteſt, tenuiore exhalato humore*;) remaneantque circa aures, pro parotidibus quædam chæradum ſpecies; has ſic curabimus: ℞. *ſem. ſinapi, ſeminis vrticæ, ſulphuris ſtummæ mattis, ariſtolochiæ rotundæ, bdellij, ammoniaci an.* ℥ ß. *olei antiqui, ceræ quantum ſufficit, fiat emplaſtrũ: diachylo* (cui iris adiecta ſit) ℥ iij. *additis.* De quo ſupra alutam pro magnitudine loci, vbi materia illa induruit, emplaſtrum fingendum, admouendumque; & decimo quinto quoque die mutandum. Hoc autem emplaſtrum incredibilis eſt efficaciæ, ad chæoradas, nodos & ſcirrhos. Cum vero ex parotide inueterata, ſtruma huic malo cognata ſæpe circa aures fiat, hinc Benedictus Veronenſis *lib. 3. c. 32.* ſtatim de ſtrumis poſt parotides agit: quem perlegere poteritis. Verum cum hæc ad tumores præter naturam pertineant, ad chirurgiam de iis ſuo loco dicemus, ſi Deus nos ſuperſtites faciat. Cæterum nunc, aurium affectibus abſolutis, tunc librum finiamus, & deinceps ad morbos ac ſymptomata narium progrediamur.

Ad inueteratas.

Libri duodecimi finis.

OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM

Liber decimus tertius.

DE NASI AFFECTIONE.

OBSERVATIO I.

De læſione olfactus.

1 DORATOR ſenſus, cum in prioribus cerebri ventriculis, ſeu ſinibus perficiatur, teſte Galeno, elatis ad ipſos per coli foramina (ὀθμοειδῆς Græci appellant) vaporibus, cum natura in fabricandis cuiuſque ſenſus inſtrumentis, ſimilitudinem ſenſibilium ſecuta ſit, & propterea vaporis quodam modo ſimile proprium odoratus inſtrumentum eſſe oportebat, *vt lib. de inſtrumento odoratus liquet.* Sic Magiſter Petrus Baſſius presbyter Alcmarianus, vir admodum doctus & valde ſenex, nobis familiaris, narrauit mihi
2 aliquando nullum ſe odorem perſentire. Et quia vox oblæſa non eſſet, intellexi vitium in prioribus cerebri ventriculis hærere, cum foramina narium minime obſtruſa erant. Pars itaque hic affecta ad cerebri ventriculos pertinebat: alioqui ſi vox quoque mali contagium ſenſerit, laboriosior quodammodo reddita, colatoriis oſſibus oblæſis affectio tribuenda erit, *quemadmodum Paulus teſtatur.* Et cum hic cerebri ventriculi priores affecti erant, id ex intemperie ſola contingebat, quanquam etiam ex humorum copia oriri poſſet. Sed erat hic nuda cerebri intemperies frigida & humida, cum neque capitis grauitas vlla hic adeſſet, neque materia è capite ad nares aut os per modum catarrhi defluere. Conſului igitur, vt frequenter globulum ſindone obuolutum pulueremaioranæ & origani ac ſeminis nigellæ repletum olfaceret, & vt odoramentum fieret ex cumino

mino & aceto. Hic tamen cum ſenex eſſet ſedens in veſtibulo poſt aliquot annos, cecidit; ac illico & repente mortuus eſt. Verum ex apoplexia, ignoro: nam antequam ad illum ſubito accitus peruenirem, animam exſpirauerat.

Scholia.

3 ABſolutis aurium affectibus, ad eos qui olfaciendi facultati ac naribus contingunt, tranſeundum eſſe cenſui. Solent autem hic auctores naſi anatomen proponere. Verum cum hoc præceptus meus Benedictus Fauentinus fecerit in ſua praxi magna, ad eum locum lectorem relegamus. Hoc tantum addentes, quod aër exterius attractus intra nares, qua ad palatum foramen patet, diſtribuitur: atque eius plurimum in pulmonem trahitur, reliquum in cerebrum abit, & hinc naſi quidem cauitas iter quoddam eſt, qua itur ad cerebrum, ac diſceditur: neque alia rectior via ac decliuior, præter naſi foramina inueniri potuiſſet, quæ cerebri purgamenta educeret, & olfactu ſimiles odores admitteret: nam cerebri ſordes non fluidæ modo ſunt, & exiles, ſed etiam craſſæ & purulentæ, vt in deſtillationibus, & grauedinibus videre licet: eas mucos appellamus. Et ita nocumentum olfactus modo eſt in ventriculis priotibus cerebri, modo in carunculis mamillaribus, modo in foraminibus naſi obſtructis. *De quibus latius videas Alex. Fauentinum Veronenſem lib. 4. c. 1. & 3.* Ex iis quoque quæ diximus patet, quæ pars ſit affecta: ſi priores cerebri ventriculi, vox non eſt oblæſa, ſed incolumis manet; quod in oſſibus colatoriis oblæſis non contingit, nam ibi vox lædetur. Nares enim olfactui, & ſpirationi officium ſubminiſtrans; propterea & voci nonnihil conferunt. Admittitur olfactus cum anguſtiæ narium ſupremæ, quæ iſthmoides vocantur, polypo aut carcinomate tentantur, aut carunculis, aut continuante rheumatiſmo; iis enim viæ ad cerebri ventriculos oppilantur: qui cum male habent, olfaciendi vim adimunt; nihilominus vox canora eſt & liquida. Ex ictu quoque aut vulnere intus coaleſcente callo vitiatur olfaciendi poteſtas: ea vitia à natiuitate, vel ſi diuturna fuerint, nunquam ſanantur. *Olfactus igitur læſus* (inquit Paulus) *ſi vox ſeruetur incolumis, ad cerebri ventriculos morbus referetur, ex intemperie, aut mali humoris exſuperantia. Si vero colatorij meatus affecti ſint, obſtructio fit, duntaxat eorum, & non intemperies ſola, cauſa eſſe poterit.* Et proinde licet odoratus oblæſio perpetuo ſymptoma ſit in genere noxæ functionis ſenſibilis proprie olfaciendi, ſiue ea functio diminuta ſit, ablata ſeu deprauata, non ad vnum tamen morborum genus ſequitur: ſed ſi colatorij meatus affecti ſint, vtpote obſtructi, morbum in compoſitione & proprie in via comitabitur. Quod ſi anteriores ventriculi oblæſi ſint ob intemperiem aliquam, eadem via innoteſcet, & ex notis, quas de dolore capitis diximus. Si odoratus offenſio ob colatorios meatus contigerit ex detentis ob conſuetudinem narium excrementis, muco ac deſtillatione aliiſque cauſis prægreſſis, vel ex ſuccis obſtruentibus qui & propriis indiciis haud difficulter comprehenduntur. Grauis hæc affectio eſt, minimeque deſpicienda, vbi anteriores cerebri ventriculi nedum intemperie affecti, ſed humore oppleti ſint; ob ſpiritus animales in ventriculis contentos ac læſos, facile in carum, apoplexiam, comitialem morbum, humoribus diu detentis auctiſque vt pleni ventriculi ſint, commutatur hic affectus, præſertim iis, qui tota nocte

Vet. Foreſt. Tom. 2.

ſupini cubant, *Gal. teſte lib. de inſtrumento odoratus.* Ita hic Petrus Baſſius cum hoc malum non magni faceret, & remedia deinde rideret noſtra, poſt tres quatuorue annos, vti metuebamus, ſubito (vt diximus) extinctus eſt. Vbi functio odorandi plane ablata eſt, ſanitati (*vt præceptor meus Bened. Fauen. ſentiebat*) reſtitui non poteſt: & quibus deprauata eſt, magna ex parte periculoſa exiſtit, præſertim ſi in acutis morbis accidat, & dolor quiſpiã putridus ac fœtidus ſentiatur. Si ab ineunte ætate & natalis ſit, curari nequit. Si à catarrho, eo curato curari poteſt, & ab obſtructione, meatibus reſetatis. Verum ſi ex ſola cerebri intemperie olfaciendi facultas oblæſa ſit, contrariis dumtaxat remediis curabitur: calidis, ſi frigida fuerit intemperies, & frigidis, ſi calida; ſi ſicca, humidis, vt in cura doloris capitis oſtendimus. Summatim, curatio conſiſtit in cauſarum remotione. Si ex oppilatione iſthmoidum, aut ex humore, à catarrho defluente, catarrhus prius curabitur. Si caro addita eſt in naribus, vel verrucæ, vel hæmorrhois, incidente cultello, vel ferro vrente, vel ſecante, laqueo manuum opere per chirurgos curabitur. Si ex humorum copia, cerebri ventriculos opplente, vel colatorios meatus obſtruente ſanguinis miſſione aut purgatione vacuanda erit, iuxta Paul. prout ipſa humorum copia exigit, deinde ad topica veniendum. Sed plerunque ex ſuccis frigidis læditur, iuxta eundem, ideo & pituitam (*vt in deſtillationibus fieri aſſolet*) quoque modo è capite deduci tradit & ſternutamentis & odoramentis, vniuerſo tamen corpore prius repurgato. Eadem & Aëtius ferè præſcribit, auctoritate Archigenis, victu attenuante præſcripto, infirmis in ſiccioribus locis degentibus & gymnaſio pro viribus vtentibus ſomnoque moderato & nocturno, nam diuturnus & diurnius, incommodus eis exiſtit: iubetque inter dormiendum, vt ceruicalia ſublimia habeant, & in latus reclinentur, non tamen ſecundum affectam partem, præſertim ſi contingat vnum ex colatoriis meatibus eſſe obturatum: per interualla etiam aerium rerum eſum adhibent. Nigellam tuſam cribratamque & oleo vetuſtiſſimo addito probe tritam per nares infunde & pharmacum per inſpirationem vehementius attrahere iube: aquam a. in ore, ægro continendam exhibe. Hoc modo Gal. adoleſcentem curauit à diuturna tum grauedine, tum deſtillatione odorandi ſenſum lædente, *vt patet lib. de inſtrumento odoratus.* Vide plurima remedia apud Aëtium & præceptorem meum: quibus ſi malum non cedat, caput radunt, ſinapiſmum adhibent vſque ad frontem, faciem & naſum, poſtea lauant, & theriacam ex Pauli conſilio ſæpè aſſumunt. Præceptor meus etiam adhibet cauteria in futura coronali, vel in prima aut ſecunda vertebra colli, candenti ferro, alioqui ſi non fert, ad loca maritima vel balnea mittit, & cadentem aquam ſupra futuram per menſem ſuſcipere iubet.

Curatio.

Hiſtoria de Adoleſcente apud Galenum.

OBSERVATIO II.

De narium grauolentia.

1 ADoleſcenti cuidam circiter 20. annos nato nõ ſolum ex narib. ſpiritus olidus prodibat, verum etiam ex ore, ita vt vix aliquis illi aſſidere poſſet. Hic conſilij cauſa cum ad me veniſſet, animaduerti huic gingiuas corruptas eſſe, & ſcurbutto malo (*de quo alias dicemus*) laborare, exhibui ſyrupum meum ſcelethyrbicum, tum ea quæ ad

scurbuttum valere scribentur, quib. & hic iuuenis probe curatus fuit. At alteri puellæ cui etiam è naribus olidus spiritus erumpebat, adeo fœtidus, vt nemo apud eam permanere posset, cum nares inspiceremus, vlcera intus latebant valde humida & male olentia. Capite itaque repurgato, nares sæpè abstergere iussimus vino albo odorato, in quo decocta erant cyperus, rosa & myrrha prius vero solo vino albo odorato diluere iussimus. Postea etiam melle incocto, postremo, vt & hoc linimento vteretur iussi, quo & Gal. vti solebat peculiariter ad ozænas. ℞. *spumæ argenti* ʒ iij. *ceruſſæ* ʒ ij. *malicorij* ʒ ij. *aluminis ſciſſi* ʒ ij. *omnia in pulueremſubtilem redigito, & vini odorati* (prius cribratis & in mortarium commissis) *cyathos duos apponito, & tantum ducito quo ad craſsitudinem ſtrigmenti deueniant*: quibus adde *olei myrtei* ʒ iiij. & iterum commode ad mellis spissitudinem ducas, & vsui reseruato: tela linea inuoluta naribus imponito, vel specilli nucleo vt artis est. Vlceribus ita curatis narium graueolentia similiter curata est.

2

Scholia.

3 *Graueolentiæ origo.*

ORigo male olentis spiritus (vt Bened. Veron. quoque annotauit) ex naribus, ex vapore quandoq; putrefacto euenit: ita in scurbutto laborantibus, ex gingiuis corruptis: sic etiam ex pectoris intimis partibus, pulmonibus aut stomacho, aut ex ethmoide osse, ex quo etiam vlcera innascuntur si acutus intus fuerit humor, ex humoribus interdum in capite vel cerebro putrefactis, aut vlceribus (*quæ ozænas vocamus*) aut caruculis intra nares putrefactis: ex quibus olfactrix omnia moleolentia esse falso dijudicat. Astantes quoque spiritum olidum exhalantem persentiũt.

Grauiter olentis spiritus remedia.

Harum causarum curatio difficillima est: aut non satis tuto sanatur: si qua tamen curari potest, vitæ tu ac potionibus sanari conuenit. Euitet inprimis paludosum aërem, & otio deambulationibus vtatur: nec statim à cibo dormiat: esca sit ex iis; quæ non facilè in ventre putrefiant. Experimento cognitum est mala persica, quæ nociua ab antiquis habita sunt, graueolentiam eam auferre, quæ stomachi vitio fuerit, & eryngion quoque radice saccharo aut melle condita, aut per se sine vllo condimento, valet. Cæterum caput & narium partes perpurgari necesse est, vel sæpius: deinde vino calefacto albo odorato nares colluere in die frequenter. Deinde myrrham, cyperum, rosam, & calamum, myrtum, & similia, in vino decocta odorato, & percolato, naribus infundito. Gal. asini vrinam præfert, qua nares colluant, deinde myrrham, amomum, acaciam iniectam laudant pessi modo alij garyophillum & ladanum admiscent: alij moscum & camphoram crocum item cum theriacæ exiguo, quæ in nares instillantur, sambuci folia ex aqua contrita & infusa, vel calaminthæ aridæ farina, graueolentiam diuturnam tollit. Succus quoque hederæ narium graueolentiam emendat, præcipuè albæ: & aristolochia cum cypero, & syriscæptum odoratum in Rhodiorum insulis nascens sanat.

4

OBSERVATIO III.

De narium erysipelate phlegmonoso, & de nasi rubedine ac pustulis.

1 NObilis mulier, vidua D. Weldamij consiliarij, cum intus in naribus ex coryza defluente inflammationem ac corrosionem paterentur, nasus exterius erysipelate phlegmonoso affectus est. At vniuersalibus remediis adhibitis, specillum lana obuolutum & vnguento rosaceo illinitum vlceribus intus admouebam, & exterius eo vnguento inungebam, & breui sanitatem consequuta est. At alteri matronæ etiam nobili cum nasus valde inflatus esset, ac erysipelate phlegmonode supra modum vexaretur, ventris saburra leniente medicamento exonerata, deinde cephalica vena secta fuit, ac cucurbitulis humeris impositis cum scarificatione, & infuso rhabarbari materia expurgata, naso vnguento nutrito inuncto, hæc quoque ab illa turpitudine conualuit. Quemadmodum & altera mulier Delphia anno 1563. quæ rubrum nasum perpetuo habebat, potissimum tempore hyemali, quæ cum me consuluisset, ventris linitione præmissa, hoc vnguento, quo Gisbertus Horstius præceptor meus Romæ olim vtebatur, commode inunxit. ℞. *sulphuris vini* ʒ iij. *zinzib. alb.* ʒ ij. *cum vino albo Rhenensi & aquæ ros.* leuiter calfiant ebulliendo ad liquoris consumptionem, deinde cum axungia porcina recenter colata fiat vnguentum, sub cœna inungebat: mane cum aqua ros. fabar. & decocto furfuris tepide abluebatur. Hoc etiam valet ad pustulas faciei & nasi rubriusculas. Quemadmodum & hoc à nobis tum aliis expertum. ℞. *litharg. auri, ceruſſæ, an.* ʒ ij. *thuris, maſticis, an.* ʒ j. *camphoræ* ʒ ß. *cum oleo vij.* & adiecto aceti modico, in mortario ducantur ad linimenti formam.

Scholia.

ADErysipelata & phlegmones nariũ, postquã uersalia remedia, egregie cõfert vnguentum nutritum dictum: quemadmodum etiam ad vlce ra narium, quæ potissimum fiunt in alis narium, quæ fortiter resiccantib. citra morsum & sarcocis sufficienter curantur, quibusdam adstringentibus additis. Mineralia diligentissime lota cum cortice mali granati & aloe lota talia vlcera curant: vnguentum quoq; paratum ex pompholyge cum balaustiis. Proderit & frequenter partem iuare decoctione hac, vel aqua destillata. ℞. *balaſtiorum & corticum malorum granatorum an.* ℔ iij. *plantag. caudæ equinæ piloſellæ: linguæ paſſerinæ, herniariæ, an. m.* ij. *rad. biſtortæ,* ℔ ß. *fol. myrti vel ſummitatum pyri ſylueſtris, an. m.* j. *contundantur & ſimul deſtillentur, & fiat aqua de qua frequenter abluat nares, exsiccando eas.* His adde aluminis quar. j. vel fiat decoctio ex supradictis. Postea vtere fumigio præscripto à Rondeletio ad ozænarum curationem, de quibus nunc exemplum addamus.

OBSERVATIO IV.

De ozænis & naribus vlceratis.

PVella, alioqui pulchra, an. 13. nata, filia cuiusdam consiliarij, nares supra modum vlceratas habebat cum insigni fœtore (*Græci ὀζαίνας vocant*) similiter labia quoque dura, nigra, inflata carcinomatis instar. Quæ cum à chirurgo Dordraceno, deinde etiam in Haga-Comitis bis ab hoc malo quasi curata videretur, semper eodem malo deinde corripiebatur. Pater consilij inops, tandem mihi, ac Hugoni Nieuenio medico Haghano, & alteri cuidam chirurgo, curam committit. Adhibita purgatione conuenienti & cephalica vena secta, cucurbitulisque scapulis affixis cum incisione, per sex septimanas victu tenui obseruato, & decoctum hagioxyli bibens, sanitati restituta fuit, neque amplius recidiuam passa. Interim

Interim linimentis descriptis, quibus chirurgus vtebatur, quæ ex lithargyrio & plumbo vsto ac similibus constabant, & iis quæ ad ozænas faciunt ab Aëtio ex Oribasio descriptis, præter mentem multorum perfecte curata fuit.

Scholia.

SImilem fere casum refert Beniuenius *de abditis morborum causis*, c. 27. quemlibet hic ascribere. *Vlcerati nares* (inquit) *intus consueuerunt, eique malo vix succurri potest, cum inueterascit*, mihi nubilis puella nobilisque ostenditur, quæ eiusmodi morbo diu tenebatur: nec inuentus est medicus, licet plurimi puellam curandam suscepissent, qui id malum tollere potuisset. Erant n. vlcera circa nares pluribus crustis fœda: è quibus etiam malus consurgebat odor, quod genus Græci ὀζαίνας (quæ etiam à Latinis ozænæ dicuntur) appellant, ex fœdo odore quem habent, sic dicta: nam & plures crustas tum odorem fœdum habent. Celso auctore cap 8 libr. 6. suntque curatu difficilia, putredinosa, grauiter olentia, vt ex Aetio & Alexandro colligitur, naresque afficiuntur: nec vllo alio indicio opus est, cum ex inspectione patere possit ac ægri narratione, cum & morbus sit in soluta continuitate, & causas habeat humores acres putridosque ex ipsorum influxu generatos. Hæc autem narium vlcera suspecta admodum sunt, non solum ob symptomata quæ inuehunt, sed ob curationis difficultatem. Symptomata vero sunt inprimis tetrus odor, qui tum ab ægro ipso, sæpe vero & ab astantibus deprehenditur. Deinde & olfactus sæpe tollitur, vitiato cerebro vapore, qui à sanie vlceris attollitur. Quod si malum conualescit, etiam ipsam narium cartilaginem, quæ septum discutit, exedit: vnde & distorquetur nasi figura, aut simus etiam fit. Vitiatur vero & respiratio, seu crusta meatus spiritus repleat, seu nasus distortus vnã mentum distorqueat, vnde & spiritus non facile permeat. Sæpe & vox vitiatur, communicato malo meatui quo nares palato communicant, etenim palatum, qui si testudo, si excesum sit, vocem non reflectit. Nonnunquam & sanguinis profluuiis leui de causa capiuntur, cum vlcus ad vasa erodenda peruenerit. Difficilis vero curatio hinc fit, quod multa excrementa à cerebro pars recipit, & quia medicamenta non apte inhærere possunt, ob loci angustiam. Quod si admodum enitaris, sternutationem mouent, & eiaculantur, & ad se fluxionem prouitant. Si ad cancrum conuertatur, præstat non attingere, vt in puero vidimus, qui misere periit, & ozænarum curatio (vt Bened. Fauent. præceptor meus docuit) si in longum tempus protrahatur, & non curetur, æger odoratu prorsus priuatur, vlcere amplato & sua putredine ad instrumentum odoratus pertingente. Ideo pessima ea æstimanda sunt, quæ diuturna, & quæ curata etiam vite, sanitatem assequuta non sunt. Deteriora quoque sunt sordida, cruenta & fœtida his, à quibus bona sanies effluit: fœtida vero iam ozæna dicuntur. Ex loco quoque affecto prauitas æstimatur: nam intima deteriora sunt his quæ in summis naribus situm habent. Deterrima, vbi crassa crusta est: & omnium pessima, vbi cartilago exesa, ex Hippoc. non regeneratur, neque coalescit. Quæ igitur in Gallico morbo affectis eueniunt, pessimi generis sunt, ob pratam humoris qualitatem, qui ea facit: etenim veneni instar, carnem & ossa corrumpit, vt sæpe fieri vidimus, imo prius magisque ossa, quam carnem. Huius causam existimamus ex acutissimo humore fieri, (vt de eroso capitis esse contigit monacho apud Beniuenium de abditis causis c. 18.) qui foraminulenta carne demissus nullam in ea vim facit: os vero, quod densius, ac propterea magis obsistens, erodat: non secus ac fulgur, quod aurum, illæsis interim loculis, nonnunquam liquare solet. Ita & ossa capitis, sicut & nasi, frequenter erodi contingit sub iis tumoribus, qui luis venereæ symptomata habentur. Ita mulieri contigit quam nos hoc tempore in manibus habemus, cum chirurgo, quæ tumorem in fronte habebat, integra cute & carne, cum tumor apertus esset in fronte paulum supra oculum os erosum & corruptum erat. Cæterum de hoc malo (seu de ozænis) scire quidem debemus (vt dicebat Celsus) quod vix ei succurri possit, nihilominus tamen quædam tentanda sunt, quanqum curatu sit difficile, ita nos aliquando curauimus puellam 13. annorum eodem malo etiam diuturno affectam. Cibo igitur modico, qui neque acer, neque valentissimus sit, veris, pariter & potu. Vt igitur recte curemus, à causa indicationem agendorum primam accipiemus, eamque, id est, fluxionem tollemus, quæ necessario ex malo temperamento cerebri fit. Siue enim in ipso ab initio mali radix constitit, seu è reliquo corpore vt venenoso genere, occasionem habuerit, necesse est tractu temporis tandem etiam caput proprie affici, longa conuersatione fluxionis. Primum igitur curam totius habebimus corpus purgando, & victum talem instituendo, à quo temperati, & boni succi gignantur: cauendo omnes causas calfacientes & siccantes, & acrem & biliosum succum, aut atram bilem generantes, seu in cibo seu in potu, seu in exercitiis, vigiliis, animi affectibus, & ambiente aere. Si itaque medicus præsens animaduertat adesse copiam humorum in toto corpore redundantium, eam prius sanguinis missione auferat vel purgatione, vt Paul. iubebat, nempe vena cephalica in cubito secta, humoresque deinde acres syrupis contemperandi, deinde purgandi cum confect. hamech & syr. ros. solutiuo cum infuso, & rhab. & similib. Deinde vtilis erit syr. de helleboro, quem Montan. descripsit in tract. de morbo Gallico, Vel vtere pilulis eiusdem in consultatione sua 48. descriptis pro germano de apo-

ſicmatibus cancroſis in narib. Demum quoniam ex cap. in nares acrium, ac vitiatorum humorum defluxus proueniſt, quamprimum caput ſiccetur, ac roboretur oportet;
6 *Gal. auctore 3. de compoſ. medic. ſecundũ locos: eoq; ſiccato ac roborato, ad naris purgationem veniendum erit, ſcopo hoc in ozænis propoſito, vt affecta pars per permiſta facultatis pharmaca, tum repellentia, tum diſcutientia reſiccetur. Caput itaque tondeatur, aſſidueque ac vehementer perfricetur: demum qua ſiccandi ac firmandi facultate prædita ſunt ſinciput ac toti capitis perraſo (vt dictum eſt) imponatur, veluti eſt oleum myrtinum, roſaceum, puluis corallor. ac ſantalorum, roſ. rubear. ſaccar. maſtiches, mannæ thuris, acetum, & alia huiuſmodi. Cucuſæ quoque ſint cotone intertextæ & conſperſæ puluiſculis, qui ſiccent & roborent: quales ſunt è ligno aloes, garyophillus, macere, moſcata nuce ſtœchade, ſaluia, maiorana, mentha, roremarino, betonica, lauendula, & aliud id genus: quorum ſyluam medicus præſens capere poteſt ea. de dolore capitis. Aetius & Alex. applicant myrrhæ, thuris, an. ℥ j. cochleas integras v. quibus ceram, & albumina ouorum ducrum adduo, commiſceto que, capitique cum linteis diebus nouem inducito. Topica vero deinde*
7 *naribus applicabis repellentia: repellunt enim auſtera tum acerba, & diſcutientia, diſcutiunt vero calida & ſicca facultate prædita. Celſus in narem infundit vel injicit mel cum exiguo reſinæ terebinthinæ, quod ſpecillo quoque lana inuoluto ſit: attrahaturque ſpiritu is ſuccus, donec in ore guſtus eius ſentiatur: ſub his enim cruſta reſoluuntur, quæ tamen per ſternutamenta elidi debent. At puris vlceribus, idem vaporem aquæ calidæ ſubijciendum tradit, deinde adhibendum lycium ex vino dilutum, aut menthæ ſeu marrubij ſuccum ſeu omphacium nulle adiecto, ſpecillo lana inuoluto & in ea medicamentis intinctis vlcera implenda. Rurſumque linamentum inuolutum & oblongum eodem medicamento illinendum, dimittendumq; in narem eſt, & ab inferiore parte leniter deligãdum: idque per hyemem & ver bis in die, per æſtatem & autumnum, ter fieri debet. Gal. auctoritate Archigenis, ſuccum calaminthæ naribus infundit, vel aridam per fiſtulam inſuſflat: ex ſucco malorum punicorum in æneo vaſe cocto medicamentum parat. Tum ex ceruſa, argenti ſpuma ſimul contritis, vinoque & oleo myrteo adiectis linimentum paratur ad mellis craſſitudinem. Sed*
8 *veteribus vlceribus (qualia hic ſunt) adijcienda myrrha, plumbum vſtum, alumen, ſutorium atramentum mel & acetum vnguento prædicto: quod ozænas tum alia vlcera narium egregie curat. quib. & tu vti poſſis. Interea & decocto bagioxyli, quo ego malum alias, adhibitis etiam topicis dictis vel ſimilibus, curaui. Hæc ego ſpero profutura, modo dextre à medico tuo præſente adhibeantur. Vale, ex noſtro Muſæo.*

Petrus Foreſtus reipubl. Delphenſ. Medicus.

Scholia.

9 *Narium vlcerum variæ differentiæ.*

NOn omne vlcus in naribus ozæna eſt: nam ſæpe à pituita ſalſa vlcera concitantur in naribus, quæ cruſtulas ducunt, & facilè curantur. Ozænis malignitate reſpondent vlcera in lue venerea ſuborta, quæ vt aliquando vt ozænæ cancrum referunt: quod vbi fit, magna deſperatio eſt neglectis eiuſmodi vlceribus. Os naſi cariem ducit, atque corrumpitur, vnde forma naturalis naſi deprimitur & deperditur. Neoterici quidam vniuerſalius de vlceribus & eſcharis narium tractant, variaſque diſtinctiones faciunt in ea quæ externa ſunt & viſui manifeſta, & interna quæ in parte inferiorum narium ſunt, quæque intus magis latent, nec ita manifeſta, eadem & praua quæ in ethmoide aut colatorio exiſtunt, praua vero & prauiſſima quæ ad caruncul as mammillares, & vſque ad cerebri ſubſtantiam peruenium t: quæ vero ſuperficialia, leuiora, caeuernoſa & abſconſa valdè difficilia, quæ differentiæ ſumuntur ex parte membri affecti, ex parte vero vlcerum, alia cruſtoſa, è quibus nihil emanat: alia ſanioſa & humida: alia munda: alia ſordida, virulenta, putrida, corroſiua, cancroſa, fiſtuloſa, recentia, diuturna. His a. & variis cauſas adiungunt, *vel quod fiant ab apoſtemate, à puſtulis corrodentibus, vel à cauſis primitus, vulnere, percuſſione, caſu, male curatis demumque exulceratis, ab humoribus acutis ſalſis, vt dictum eſt à catarrho, aut à vaporibus eleuatis & corrodentibus.* Quod ad ſigna attinet, externa viſui patent: interna occulta & profunda, ex ſanie & virulentia effluente dignoſcuntur ex cruſtis egredientibus & dolore intus percepto. In ethmoide obturantur nares: in colatorio ſanies fœtens per os egreditur, & ſi ab oſſe corrupto ſubtilis eſt, ſi ex caruncul is mammillaribus, olfactus impeditur: ſi ad cerebrum anterius perueniat, ſenſus communis læditur, & febris adeſt, profunda & ampla ex multa ſaniei egreſſione innoteſcunt: munda ex laudabili ſanie, ſordida, ex craſſiore, virulenta, ex ſubtiliore, putrida, ex fœtore puris, corrodentia, ab exitu ſanguinis cum ſanie, aut poſt ſaniem corroſione tendente ad partes ſanas: cancroſa, ex cancri ſignis propriis, ex dolore cum vehementi ardore, cum ſanie ſolida egrediente ab vlcere: fiſtuloſa à diuturnitate & ſanie ſubtili, modo pauca, modo multa profluente. Cauſæ vero ſpecierum & potiſſimum cauſarum ſe ipſas oſtendunt plerumque, & ſic ſi ab apoſtemate præceſſit apoſtematum febris: à materia catarrhali; ab ipſo ſenſu: à profluuio ſanguinis vel ruptura venarum, arteriarum, aut cauſticis medicamentis admotis, hæc tum ſimilia ex relatione infirmi habentur. Prognoſtica *propoſita* 12 diximus. Externa quidem ſuperficialia; munda recentia, facilius curantur: occulta profunda, immunda, oſſibus narium & colatorio poſtiſſimum communicata, difficillime: putrida, corrodentia, cancroſa, præcipue mammillaribus & cerebro communicata, pernicioſa exiſtunt. Diuturna quoque difficulter ſanantur, & fiſtuloſa vix ad ſanitatem perueniunt. Vniuerſalem curationem horum diximus: ſed quod ad vlceris particularem curationem attinet, præcedentibus vniuerſalibus remediis, *de curatione* 13 quibus antea dictum eſt: *Si vlcus ſit cruſtoſum, emolliendum cera & oleo ac adipe gallinacea, vapore aquæ calidæ vel decocto emolliente naribus admoto: & ex propriis remedijs eſt butyrum recens.* Sic nos anno 1563. cum pueri variolis laborarent, cruſtaſque circa nares haberent (*vt in lib. noſtrarum Obſer. de febribus diximus*) ita vt anhelitum per nares trahere non poſſent butyro recenti ſæpius loto cum aqua roſ. vſi ſumus: quo omnes cruſtæ decidebant. Illud experimentum ponitur à Gualterio *diff. 3. de peſte cap. 6. de variolis circa fin.* alij vero caliditate præſente miſcent cum oleo violaceo aut muccagine pſyllij vel ſem. cydoniorum. Alioqui, ſi non adſit caliditas, deponunt cruſtas cum oleo zizamino, amyg. dulc. pingued. gallinæ, muccag. althææ, lini, fœnug. & his ſimilib. Poſtea remota eſchara ſi ſimplex ſit vlcus conſolidant cum vnguento de ceruſa, vel vnguen. de

14 *Curatio vl. ſubquadrupli boni-*
gni.

de tutia narib. immiſſo. Si vero vlcus fuerit humidum & immundum, cum aqua mellis nempe ſubquadruplo aquæ repurgetur. Alioqui ſi adſint ſigna frigiditatis cum vino decoctionis mellis, vel ſi ſit mundum, poſt ablutionem caro regeneretur cum iam dictis, & ſigilletur tetrapharmaco ex litharg. aceto & oleo, pauco alumine immixto. Si ſit ſordidum, maiori eget abſterſione, vt oxymel. ſimplici vel ſcillino, poſtea caro generetur & cicatriſetur, vt alia vlcera. Verum in virulentis maiori egemus exſiccatione, vt ſang. drac. ſcoria ferri, tutia cum ſucco plantag. aquæ aluminoſæ, quæ puluerifata cicatricem ſimul inducunt, ac ſi tutia cum thure aut ſarcocolla & oleo roſ. & cera miſceatur, carnem quoque generabit. Si putridum exiſtat vlcus, cum carne aut oſſe corrupto, aut corrodens, aut fiſtulam vel ſinum habens, corroſio cauteriſetur, *vt Arculanus docet*, cauterio ignito ad partis figuram, ſi malitia fuerit magna, vel vng. Ægyptiaco, de his vide Arculanum: & repurgato loco caro regeneretur, & tandem cicatriſetur. Si os ſit coopertum, corruptio alumine & vitriolo corrigatur. Si vlcus ſit occultum & profundum, ad colatorium vſque mundetur attractione hydromelitis pernares, & ſi indigeat exſiccatione, oxymelite ſimpl. aut compoſito, & vbi caro putrida adſit, aliquid vnguenti Ægyptiaci per nares inſtillatum, capite ad poſteriora conuerſo, fortiter fugatur. Reliqua vide *apud Arculanum & alios*. Interea accidentia corrigenda: vt ſi adſint dolores, cum lacte naribus impoſito aut vitello oui & oleo roſ. De victu iam dictum eſt. In ozænis quoque cruſtam abiiciemus pingui aliquo vt humeſcat, neque vi extrahemus eam, ne plus vlcus augeamus diſtumpendo carnem. Si recens ſit, ſatis erit roſis, germinib, aut floribus lentiſci in aqua & vino auſtero decoctis ſæpe abluere: ſi non ſit ſatis, adde alumen. Sciendum enim in ozænis alia quidem remedia leuia eſſe, alia acria, quibus in rebelli malo, ſerpente & putrido vtendum. Leuia ſunt, roſæ ſiccæ inſperſæ, plantago ſicca, aliaque apud Hollerium *de compoſ. med. cap. proprio de narium affectibus.* Fortia ſunt, metallica acria: in leuibus ſine morſu ſiccantia, *vt recrementum plumbi, pompholyx, ceruſa.* Repurgant, *hydromel. decoctum marrubij, centaurij, guaiaci, mixto aliquando ſero lactis, vt acrimonia retundatur, veliquæ apud eundem videas.* Si in conſpectum non veniat, arida inſpergantur, vt pul. ex tutia, thuris cortice. Si exedit ac ſordet, puluerem præcipitati alij apponunt ſpecillo: quidam admiſcent ſuccum plantaginis, vt minus mordeat, reliqua ad chirurgum pertinent. Si vero vlcera narium ſint maligna ex lue gallica, vtendum remediis, quæ contra hunc morbum adhiberi ſolent: etiam illitu emplaſtris mercurialibus.

OBSERVATIO VI.

De narium carcinomate.

CArcinoma aliquando narium partes vexat: quod ex nimia aut tempeſtiua polypi ſæpè curatione fit, aliquando & per ſe oritur, ſerpit, & ſpiritum impedit & nares dilatat, nec attingi nec irritari vult, ſed ſolo mitigatorio medicamento indiget. Quod empiricus quidam imperitus non animaduertens, cum ad illum infans miniſtri Eccleſiæ in Pynacer (*ſic enim pago nomen erat*) narium vlceratione laborans & polypum, quaſi in nares habens, deferebatur Delphos, conſuluit, vt oleum aliquod calidum, neſcio quod, parentes quotidie calide in nares pueri infunderent. Quod cum aliquot diebus feciſſent, miſer infantulus anno 1581. non ſolum vlcere narium corrodente cancroſa, verum etiam totius faciei correptus eſt: ac tandem cum naſus ac tota facies quaſi depaſta & comeſta eſſent (*res truculenta & aſpectu horribilis*) ad me & chirurgum defertur, vt aliquod ſolatium infanti tum parentibus accederet. Sed viſo infante mortem prædiximus: interea adhibebantur leuia remedia & diapompholyge, & quæ ex ſucco ſolani conſtabant. Quibus vita quidem protracta eſt ad tempus quanquam tandem puer totam faciem exeſam habens (*procedente carcinomate, ad labia & mentum, quæ calloſa erant & dura: frontem quoque occupante tum oculos*) miſerrime obierit.

Scholia.

CArcinoma narium (*vt refert Benedictus Veronenſis, c. 17. lib. 4.* aliquando ad palatum repit: & quanquam tantum mitigatorio medicamento indigeat; tamen in magis adultis prodeſt ſanguinis miſſio, ventriſque deiectio, ac victus ratio inprimis iuuat, quibus atra bilis expurgetur. Interea roſaceum modico camphoræ adiecto, naribus inditum conuenit, vel ſolani ſuccus. Antiquiores tamen (*eodem teſte*) dracontij ſemen contritum ex melle vtiliſſimum putabant: addereq; hanc mixturam per ſpecillum in nares ſuadebant: quæ habent *minij ſinopici, chalciditis, ſandarachæ p.* * 5. *atramenti ſutorij p.* * 2. Verum quod hic infans carcinoma incurrerit ex oleo calido, non fuit mirum, cum vlcera narium facilè in aliud malum tranſeat, cum per ſe ſatis maligna ſint, & facilè in carcinoma mutentur, & ex carcinomate exagitato non diu poſt mors ſubſequatur, cum leniori bus tantum medicamentis huic malo blandiri oporteat. At Iudocus quidam Cornelius apud Delphenſes Carpentarius, cum naſi rubedine inſtar cancri aliquot annis vexaretur, ac fruſtra chirurgorum ope vſus eſſet, ad nos tandem venit oratum, vt ſi quo modo poſſem, huic turpitudini opem ferrem. Huic conſului, vt ſecta vena cephalica & corpore repurgato ab atrabile, à cibis atram bilem gignentibus abſtineret, & hoc linimentum præſcripſi, cum in fine vetis ad me veniſſet. ℞. *ſucci ſolani* ℥ iiij. *pulu. diapompholygos* ℈ iij. *ceruſſæ ablutæ cum aqua roſa. & iterum exſiccatæ* ℈ i ß. *diucantur pauco oleo roſaceo adiecto & cera alba liquata, in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo, donec ad ſpiſſitudinem linimenti concreſcant*, quo optime poſtea ſe habuit; & miraculi inſtar curatus eſt.

4 *Rubedo naſi inſtar carcinomatis etiã liueſcens curata.*

OBSERVATIO VII.

De muliere polypo laborante.

VElut ex vlcerum genere ozenæ; ſic quoque ex genere tumorum præter naturam, affectus quidam in naribus generantur, qui à Græcis πολύποδες, à Latinis (*veluti à Celſo*) polypi quoque nominantur. Hoc malum, nomen à ſimilitudine ad aliquid extra poſitum accepit (*teſte Gal. 2. meth. med. & 3. de compoſ. medic. ſecundum locos*) velut elephantiaſis, cancer, Thymus, Myrmecia, ficus, cum quibus ſimilitudinem habent. Proprietate ſubſtantiæ piſci ſic nominato, vt ſcribit Gal. ſimilis eſt, quam ſimilitudinem eſſe ait in colore & conſiſtentia. Paul. *lib. 6.* aliam ſimilitudinem addit: & eſt à ſcyrrhis, quos etiam pedes vocant,

quibus inniti & inhærere, ac quodammodo pẽdere videtur. Intelligit pedes non quales in cancris, sed quia tunica angusta, & corrugata, velut pediculo amplectitur nares. Rhases etiam hæmorrhoides appellat: non quod diuersum sit malum, sed quoniam duplici nomine est nominatum, quoniam ani excrescentias (*vt docte etiam Lacchinus annotauit*) imitatur, quas hæmorrhoidas dicere solent. Et sic delineatum polypum habemus.

6 Tumorem nempe præter naturam, velut ex initiis quibusdam exilibus pendentem, atque in latum sese pandentem, ac si polypum scirrhis è lapide pendentem videres: quo alligata est nasi interna tunica, quæ sensim humore repletur, & extenditur, 4. *meth.* Ex his patet, qui vere polypus dicitur, mollis substantiæ est, pendens in nare, aut etiam extra, si multum excrescat, & situs sit imis partibus quod si in summis, magis vergit aliquando ad palatum, & in os descendit, communes meatus obstruens. Vnde Celsus c. 8. *lib.* 6. rectè dixit, quod polypos est caruncula, modo alba, modo subrubra, quæ narium ossi inhæret, & modo ad labra pendens, narem implet, modo retro, per id foramen quo spiritus à naribus ad fauces descendit, adeo increscit, vti post vuam conspici possit, strangulatque hominem, maximè austro, aut euro flante, fereque mollis est, raro dura: distatque polypus, *iuxta eiusdem Celsi sententiam*, à reliquis caruculis (*quod & Donatus animaduertit*) quæ naribus nascuntur: quoniam illæ similes sunt muliebribus mammis, ac in imis partibus narium, quæ carnosissimæ sunt, inhærent, etsi eiusdem

7 naturæ sint polypi & caruculæ, quas Græci ἀρκώματα appellant, Paulo auctore. Iam quoque tumores, qui duri fuerint, & tetri colore; & omnino cancrum referentes, non proprie polypi aut hæmorrhoides dicuntur. Et de his loquitur Gal. *aph.* 6. *lib. aph.* 36. occultos cancros circa palatum euenire dicens, *scilicet in ea parte quæ naribus communicat: ibi n. apparent visui, quamuis & sedem habeam in naribus.* At polypus, *vt dictum est*, mollis est: è naribus pendens, etiam aliquando prolapsus per palatum in os descendit: vti mulieri cuidam contigit tenuioris admodum fortunæ, quæ in platea D. Petri Delphis habitabat. Hæc a. circiter 3. annos (*vt ipsamet referebat*) materiam spongiosam veluti sanguinem concretum; vel potius humidam, mollem & carneam, corruptam, in nare propendentem habebat, modo albam, modo rubram polypi instar: quæ ex defluxione materiæ crassæ visciuæ à cerebro ad nares proculdubio originem sumpserat: nam hæc mulier cum paupercula esset, supra caput portare solita erat vascula satis ampla & magna, ceruisia tenuiore repleta, quã ceruisiam aliis rursus exiguo nummulo vno atque altero vendebat, hoc modo inopem vitam cum prolibus sustentans. Auctor huius mali

8 cerebrum erat, tanto onere oppressum & debilitatum, materia crassa & viscida deinde ad nares confluxa, quam & proximam causam esse vult Gal. nempe pituitam sanguinis portioni admistã, quæ & tempore crassescit prius in cerebro debilitato coaceruata, deinde ad nares fluxa. Ideo rectè dixit Auic. *accidere plurimum post capitis defluxiones, à materia minime acri, nam si acris fuisset, exulcerasset.* Ad hanc vna cũ tribus chirurgis accitus, an. 1567. Maio mense, & ad tempus non amplius ex nare propenderet tanquam delituisset sursum quasi retractus polypus, ad maiorem magnitudinem qui columbini excrescens, & latior ac longior factus, per palatum decidit, ad vuam perueniens, gulam quasi præoccludebat, ita vt miserrima mulier neque cibũm deuorare aut deglutire posset, neque tantillum potum subinde ebibere: interim polypus aliquando ab exspiratione & exsufflatione altius ex gutture prodibat, mox intus in gulam magis delitescebat, ac pene suffocationis symptomata inferebat. Cum nihil per os sumere posset, gutture hac mole intercluso, mandani vt cassiæ mollitiem in interstitiis suis cohærentem ex canna oblatam suctu linguæ, eaque sæpius mota paulatim ac continuo exsugeret, præterea vt saccharum candi dictum in ore aliquandiu detentum donec liquesceret deglutiret ad detersionem & nutritionem similiter accommodatum. Chirurgi vero sanguinis fluxionem metuentes, incisionem adhibere non audebant, neque commode poterant: quare communi consilio hæc moles carnea sanguinolenta modo alba, modo rubra, paulatim filo serico benè cerato intercepta, ac deinde forti ligatione constricta, & liquore vitrioli sæpius inuncta, tandem miraculi instar paulatim pars consumpta excidit, & præter nostram ac omnium opinionum hominũ, qui eam videbant misere torqueri, breui euasit, & sanitatem consequuta est. Verum ne malum à nouo denuo accresceret, totum corpus decenter purgauimus, ac capite roborato optime deinde habuit. Verum post integrum an. elapsum rursus an. 1568. 9. die Maij, dum ceruisiam rursus in vasculis super caput portaret, iterum in idem malum incidit, ac in polypum denuo guttur occludentem, Theodor. chirurgus qui antea vna in curatione fuerat, amicus noster, habitans in insigni 5. annulorum Delfis, denuo ad illam curandam accitus fuit, sed cum ligatione quidem vt prius cum filo serico cerato strinxisset, pars quidem decidisset (*nam rursus ad magnitudinem oui columbini excreuerat*) & denuo augmentum paulo post cepisset, penicillo seu scopula intincta arladæ (*nempe arcano Paracelsi, cuius secretis in vlceribus & malis externis, magis quam interni fidem habemus*) semel tantum attigisset, polypus in se contrahebatur, & ita curatus est, vt amplius nunquam redierit.

Scholia.

PVtat Rondeletius doctiss. *ozænas ab aliqua specie polypi dictas esse*, & miratur illam speciem graueolentem esse, cum tamen piscis ille musci odorem referat, & ozæna ingratum & fœtidum, quamquam ab illo nomen acceperit; scribitque ozænam, nihil aliud esse quam exulceratum polypum, aut vlcus illius partis fungosæ, quæ inter partes reperitur. Tamen si propriè loqui volumus, differunt hi affectus inter se forma sua ac figura, & etiam causis, quibus fiunt, & curatione, *vt Hieronymus rectè quoque sensisse videtur*, licet vtrumque malum partem vnam affectam habeat: nam sicuti in ozæna, ita in polypo nares quoque afficiuntur, quamuis subinde polypus per palatum vsque ad guttur descendat. Interim ozæna ad vlcus pertinet, *vt dictum est*, polypus vero ex genere tumorum est præter naturam *iuxta Gal. Paul. Actium & Alex.* Et ita polypus tumor est præter naturam, similis substantia caruncularum polyporum piscium. Ozæna (*vt dictum est prius*) est vlcus malignum, quod ab acri fluxione, & aliquando putrilaginosa nascitur, atque putredinis signum est, quod grauiter olet, quamuis neque omne vlcus narium (*vt antea admonuimus*) ozæna est. Sic causa differunt, cum ozæna fiat ab humore acri, polypus vero à crassis & viscosis humoribus & quia ad sensum patet, non est multum laborandum, vt notas

notas eius repetamus. Et quamuis ozænæ & polypi quædam communia in curatione habeant, vt est totius corporis euacuatio, venæ sectio, & purgatio, & capitis reficcatio & corroboratio, in medicamentis tamen topicis differentia est: quia ozænis conueniunt, quæ repellant & discutiant, in polypo (*qui ab humore crasso & viscido nascitur*) quæ adstringant, incidant, tergeant, discutiant. Græci ob crassitiem polypum duriusculũ esse volunt: Arabes modo durum, modo mollem, modo paruum, modo magnum, vel valde elongatum, aliquando nouum, aut diuturnum, radicem fixam habentem, aut minus inhærentem, modo in parte inferiori, modo ad superiorem retractum, cum fluxu sanguinis, vel sine eo, cum dolore vel absque dolore, modo fœtentem, putridum, qui facilè ad cancrum tendat; modo habet figuram rotundam, & facilè in varios colores mutatur polypi modo, nunc albus, nunc cineritius, nunc liuidus aliquando rubeus apparet. Et quanquam polypus, vt præceptor meus Benedict. Fauent. *cap. proprio* referebat, iuxta Hipp. ex sola pituita fiat, id tamen magna ex parte fit, licet etiam ex atro humore fiat, quanquam rarissime, cum ex polypo etiam cancer aliquando generetur. Sic albi polypi materiam pituitosam arguunt: rubri etiam sanguinis portionem: citrini, si adsit dolor & punctio, bilem: fusci, melancholicum humorem, qui vero albi & aliqua rubedine præditi, & ad tactum molles, facilius & celerius curantur, ruber quoq; salubrior, & celerius curatur, cum originem habeat à sanguine: liuidus durusque difficile admodum, cum facile transeat in cancrum: absconditus etiam deterior manifesto confirmatus chirurgiam requirit: Qui totus simul pendet, præcipuè extra nares, curatu facilis est: contra difficilis, qui summo, & ad palatum communicat. Rursus qui naturam cãeri refert (*quem polypi nomine non comprehendit Gal. nec Paul.*) pessimi generis est, & incurabilis: quamuis aliquam illi prouidentiam adhibere opus sit; *vt Gal. ait aph.* 6. *lib. aph.* 38. Ideo si contingat polypus in homine melancholico, hæc intemperatura curationi resistit. In aliis vero temperaturis facilius curatur. Et qui antiquus est, potius præcautione indiget quam curatione: verum tum hic affectus ex crassis & viscosis humorib. plerumque generetur, proinde nõ absre Celsus asseruit morbum hunc fere ferro curari; quamuis interdum medicamentis quibusdam inaresc at. Verum si cancrosus fere polypus fiat (*vt dictum est prius, quod & idem Celsus testatur*) attingi non debet; quamuis magis spiritum impediat, & nares dilatet, raroq; talis polypus fiat, cum sæpius mollis sit. Considerata natura cuiusque corporis (*si nihil impediat*) auctores hic sanguinem mittunt: Rhases quoque phlebotomat. Iacchino tamen videtur non necessarium; cum corpus excrementis siccari posset & caput longiore tempore, cum celeritatem non tantum exigat malum: ideo victum extenuantem præscribit & siccantem, ne excrementa gignantur, aut materia gignens aut fouens generetur aut augeatur. Alexan. medicamentum purgans exhibet; nos catapotia cochia & fœtida dare poterimus. Caput siccabimus lotionibus, pulueribus, frictionibus, cum caput rasum siccari ac roborari debeat, medicamentis appositis: nam hæc communis cura & ozænis & polypis, *auctore Gal. de comp. med.* conuenit. Et hic quoque vtile est pituitam per os educere, apophlegmatismis videlicet. Neque ad topica propria in polypis conuenientia deueniendum, ni prius vniuersalia remedia iam dicta præcedant, caputque reficcetur ac corroboretur. Verum in polypo curando distinguendum ex facilitate, vtrum vero eligibilius sit vti chirurgia aut medicamentis. Qui enim tenui pediculo inhærent tunicæ narium, statim cum ipsa cuticula excinduntur. Postea, vt cruentum vlcus, sola posca curari potest, *vt Paul. facit.* At nos deligatura potius vsi sumus, cum per palatum dependeret, & ob sanguinis fluxum excindi non poterat. Et sic optimum erit, si id fieri possit, vti deligatura, qua vtitur Gal ad abscindendas venas. Sic etiam Iacchin. doctiss. *hæmorrhoidas ani & ortas puellæ in capite, & sæpe plurimum sanguinis fundentes, sanauit.* Nam hæc deligatura omnem excrescentiam abscindit, vbi ad radicem deligetur, & sine vulnere, aut profluuij periculo: imo prorsus sanam cutem dimittit: fit ex serico filo maxime (*vt nos fecimus*) vel ex pilis equinæ caudæ. Nam intra 7. vel ad plus 10. dies arescit tumor, & excidit, destitutus alimento. Reliqua vero chirurgiæ ratio à Paulo petatur: ab hoc enim alij auctores, vt & Auicen. omnia ad verbum mutuarunt, *id q. ex lib.* 6. *cap.* 25. Curatio vero per medicamenta, post venæ sectionem, purgationem & alia, nempe capitis roborationem & exsiccationem. Scopus curandi est, *vt diximus*, polypum extenuare, incidere, siccare, & durare vel densare: particulatim vero confert ceratum ex cera rubra cum oleo myrtillorum, adiecta sexta, octaua, decima, duodecima parte ægyptiaci vel æruginis; vel psoricum Mesue, Macerionis emplastrum, tum reliqua apud Holerium descripta, tum apud Aëtium, *lib.* 6. *c.* 93. *de curatione polyporum.* At exemplis hæc clariora erunt.

Curatio per chirurgiam.

Deligatura cur optima.

Curatio per medicamenta.

OBSERVATIO VIII.

De polypo narium, medicamentis curato.

VIr quidam an. 48. natus polypũ in nare dextra habebat admodum fœdum & aliquando ex nare propendentem. Hic viduus erat: quamobrem vt ab hoc malo liberaretur, consilij causa me accessit. Vt a. huius mali incrementum inhiberem, cum in vere essemus, imperaui præcedente medicamento leniente, vt altero die accito chirurgo venam cephalicam in cubito dextro incideret, mox toto corpore repurgato, & capite cucurbituliſque in scapulis cum scarificatione appositis, iussi, vt guaiaci decocto vteretur cum tenui victu: nam multis guaiaci vsus profuit. Partem deinde attingeret fortiter astringentib. & parum causticis; qualis est hæc aqua vtilissima in principio adhibita, auctore Rondelet. ℞. *vuar. immat.* ℔ iij. *corticum mali gran. balaustior, sumach. an.* ℔ ij. *distillentur, omnib. macerati in acet. deinde adde alum.* ℔ j. *vitrioli* ℥ iij. *distillentur iterum omnia simul, & aqua illa tangatur pars affecta.* Quidam vtuntur aqua separat. auri. Vel si nimium vehemens sit, vtere experimento seu medicamento ex punicis malis confecto, ipse enim probatissimum inuenit ad polypos & ozænas conferre. Sint a. punica (*vt etiam Actius lib.* 6. *c.* 93. *ex Gal. annotauit*) trium generum numero & magnitudine æqualia, austera, dulcia & acida; quæ adhuc recentia contundere oportet, totaque penitus infringere, vt succus exprimi possit; quem vbi lento igne decoxeris, & modice quidem, vt denseturr; in stanneo vase seruabis vel æneo. Ita enim coctus melius inhærebit. Quod vero crassum solidumque dereliqueras, vel fæcem ipsam expressam, rursus diligenter contundes; ac deinde ex eo pastillos vel collyria oblonga confices crassitie & longitudine differentia: deinde

exsiccabis, atque vsus tempore eliges ex iis, quod meatui narium ægri magis accommodabitur, in quo polypus fuerit. Temporis enim progressu absque erosione polypum auferet. Quod si tibi humidior molliorque videbitur polypus, plus austerorum punicorum iniicies: si aridior, plus acidorum. Quoniam vero collyria huiusmodi haud facilè tolerantur, poterunt quandoque intermitti, atque interim succum prius expressum in nares infundi, simulque ore hiante illini, qua parte palatum versus nasum perforatur, aut penna aut lana spicillo inuoluta. Facit hoc medicamentum tuto, quamuis longiore tempore, Quo tandem & hic, victu attenuante vtens & guaiaci decocto, conualuit. At aliter pueri ac molliores tractandi sunt; qui nec purgationes ita ferre possunt aut tenuem victum. Si puer 5. annorum in nare altera polypum habebat. Carpus ille insignis chirurgus hoc etiam remedio Galeni vsus est, & puero *rhab. electt. pulu.* ℈ j. exhibuit; & quia erat sanies alba parum nigricãs, vsus est vnguento suo ad polypum valente. ℞. *ceræ albæ* ʒ iij. *olei ros.* ʒ ij. *butyri antiqui* ʒ vj. *simul liquefiant ad ignem, deinde extrahas, & pone in aqua commun. & bene lauentur duabus vicibus: cui addantur ouæ num.* ij. *cum* ʒ ß. *sublimati, misce*: nimis forte est, fortasse ʒ ß. imposuit. Præterea tangebat aqua vitrioli; & curatus est.

3

4

Scholia.

5 *Ad polypos inueteratos.*

6

AD polypos inueteratos Alexander præcipuè commendat puluerem ex quatuor metallicis compositum, chalcantho, chalcitide, ære cremato & mysi æquali pondere seorsim tritis ex aceto; postea omnibus simul mixtis ex vino subactis, donec glutinosum fiat ad mellis spissitudinem: deinde in ollam recentem coniectis operculo imposito, lutoque oblitam in furnum demissis, vt in carbones illa redigantur: deinde furno exempta cum vino teras, atque ita iterum similiter torrefacias, redigasque in puluerem, eumque reponas, & cum necessitas postulat, vtare. Iisdem ferè rebus, quibus polypi curantur, reliqua narium sarcomata tolluntur: at si polypus in cancrum transeat, ne attingi quidem debet. At vlceratus continue abluatur succo solani densato in vase plumbeo, cum plumbeo pistello: aut ex succo foliorum salicis: demum medicamento vtendum quod siccet citra calorem. Huiusmodi est, quod ex tutia conficitur. Et sic polypus cancrosus curatur cum vnguento de ceruſa cum mineralibus propriis, vt tutia, ceruſa, cadmia, pompholyge, in mortario plumbeo pistelloque plumbeo, & succo solani, diutissime agitatis.

Ad polypos cancrosos.

OBSERVATIO IX.

De obstructione narium admodum diuturna, cum variis symptomatis.

1 ADolescens an. 20. natus, filius illius Riisvvikij, qui febre ardente obiit, de quo egimus *lib. 2. obseruat. nostrarum de febrib.* diuturna admodum & ab ineunte ætate obstructione narium laborabat, vt nulla pituita per nares exiret, neque anhelitum per nares trahere posset, nisi per os, etiã cum loquela per nares, tanquam intus in osse ethmoide corruptio latuisset, sanguinemque per nares sæpe reddebat, sanguine subinde copioso admodum fluente: frequenter etiam capite dolebat, quod & graue ac vertiginosum & valde debile erat, aderatq; totius corporis debilitas, eratq; macilentus & raræ constitutionis, frequenter catarrhis obnoxius, saliuam per os sæpe exspuebat. Hic cum Lugduni Batauorum studiis operam daret, ad me missus est, vt curari posset, cum eius auunculus essem, inuito satis suo præceptore, curam dehortante, rato illum variis medicamentis oppressum iri aut moriturum. Curationem itaq; aggressus, cum paulatim expurgandus esset, & caput roboratione indigeret, vt ad bonam intemperiem deduci posset, diætam commode obseruandam eidem proposuimus, ac in hunc modum cum 7. Iun. die ann. 1580. cum in ædib. Theodori Clutij pharmacopœi cognati sui ac nostri ageret, istis subsequentibus remediis egregie præter omnem opinionem non solum ab obstructione narium, sed ab omnibus aliis symptomatis curatus fuit: ℞. *cassiæ recens ex cannis tractæ, electt. lenit. an.* ʒ ß. *pul. sem. anis.* ℈ j. *pulu. cinna. electt.* ℈ ß. *sacch. candi dicto aspersa, fiat bolus*, quo probe aluum deiecit. Eo enim tempore satis lubricam & facilem aluum habebat. Die subsequenti sanguinem detrahere iussimus, ex media vena brachij dextri, sanguine moderate extracto, ob eius debilitatem & raram constitutionem; ad diuertendum & aliquo modo inhibendum profluuium sanguinis narium, quo frequenter etiam detinebatur. Deinde apozema infrascriptum ebibit. ℞. *fumariæ, beton. borag. bugl. summitatum lupul. agrim., scabiosæ, cinamæd. chamæpityos, an.* m. j. *flor. cord.* p. j. *sem. anisi* ʒ i ß. *folior. senæ alexand.* ʒ j. *prun. damas. nu.* xiij. *vuar passi. ab arill. vepurg.* ʒ j. *glycyr. rasæ* ʒ ij. *coquantur in aqua com. pro* ℔ j. *colat. adde syr. de betonic. de fumoterræ. de epithymo, an.* ʒ j. *misce, fiat apozema pro 4. dosibus matutinis*: quotidie ex eo quater vel quinquies aluum reddebat, neque debilitabatur. Postea omni die mane accipiebat cochlear vnum *syr. de beton.* Deinde ad decoctum sequens hagioxyli venimus. ℞. *betonicæ, fumar. acetos. borag. bugloss. summitatum lupul. agrim., chamæd. chamæp. an.* m. j. *flor. cordial.* p. j. *hagioxyli cum cort. limati* ʒ j. *folior. senæ alexand.* ʒ vj. *polypod. querc.* ʒ ß. *thymi, epithymi* (propter raram constitutionem, in iuuene & bilioso & melancholico atra bilis etiam admixta erat cũ pituita) *an.* ʒ i ß. *rhab. selecti* ʒ ß. *schœnan.* ℥ iij. *vuar. passi. enuc.* ʒ j. *glycyr. rasæ* ʒ ß. *prun. damas. num.* xiij. *coquantur in aqua com. pro* ʒ ix. *stent infusa per noctem*: *mane colata, adde syrup. de fumoterr. de epithymo, de betonica, syr. ex infus. ros. com. an.* ʒ ß. *misce, fiat apozema pro* iij. *deinde matutin.* Hoc apozemate ebibito, diætam moderatam, (*vt fieri debet*) obseruauit: sumens ex decoctis sequentib. vt moris est. ℞. *betonicæ, fumar. borag. bugloss. acetos. summitatum lupulorum, agrim. an.* m. j. *capill. ven. chamæd. chamæpit. ana* m. ß. *flor. cord.* p. j. *end. cichor. dentis leonis* (habebat enim hepar calidum, eratque valde macilentus, tanquam rabidus: vnde etiam per nares, anteqnam ad nos veniret, & nunc semel aut bis, sanguis biliosus & caliduus effluebat) *rad. fœniculi, aspq, asparag. an.* ʒ ij. *semin. anisi* ʒ ij. *hagioxyli* ʒ i ß. *zedoariæ parũ selectiss.* ʒ ij. *hordei mund.* p. j. *vuar. passi. enucl.* ʒ j. (propter maciem) *vuar. corimb.* ʒ ß. *rad. China* ʒ i ß. *glycyr. rasæ* ʒ ß. hæc omnia infundãtur in ℔ viij. aquæ comm. & puræ, per noctem integram ita macerentur, deinde coquantur in duplici vase, lento igne, vt artis est, ad ℔ iij. pro prima decoctione mane hora vij. & hora iv. pomeridiana loco syrupi bibenda: Supra residuum deinde proiiciantur aquæ ℔ viij. & coquantur ad ℔ v. *arom. cum.* ʒ ij. *cinnam. select. pauco adiecto sacchar., fiat potio clareti instar, pro secunda potione, qua vtebatur in prandio & cœna.* Et quamuis debilis esset ex natura, optime ferebat, & quotidie bis, aliquando ter aluum deponebat, & mane

mane in lecto vtrumque suadebat, viresque satis conseruabantur. Cumque aliquandiu hac vsus esset diæta, licet macilentus, cœpit paulatim crassescere, & cutis multo nitidior apparebat, vt haud exigua spes curationis sese ostentaret, ac appetitus plurimum vigere inciperet. Hæc decocta fuerunt reiterata. At 10. die Iul. cum ad eum diem peruenissemus, sensit aliquem tinnitum in auribus potissimum, quando caput puluinari inclinaret, licet quotidie loquela melior euaderet. Quare imperauimus, vt oleum amygd. amar. auri cottone intinctum & leuiter expressum imponeret: quo remedio accidens illud facile cessauit. Capite tamen adhuc aliquando dolebat: sed mirabile, quid huic iuueni accidit: cum enim ex improuiso cultro digitum ipsemet vulnerasset, tanta copia sanguinis ex eo vulnere fluxit, vt vix fluxio inhiberi posset; profuit tamen hæc sanguinis profusio spontanea, vt postea minus capite doluerit, imo paulatim cessauerit; &, quod dictu mirum etiam videtur, nares videbantur paulatim aperiri; ita vt loquela prius per nares obstructas impedita, in dies melior quoque euaderet. Interea rursus 13. Iulij hæc decocta præscripsimus. ℞. *beton. viridis* m. ij. *cap. ven. chamæd. fumar. summitatum lupul. agrimon. salviæ, bugl. borag. an.* m. j. *flor. sambuc. flor. cordial. an.* p. j. *flor. ros. is.* m. ß. *rad. cichor. dentis leonis, fœnicul. apij, asparag. an.* ʒ ij. *galangæ parillæ, selecti.* ʒ ii ß. *hagioxyli cum cortice limati* ʒ i ß. *rad. chinæ* ʒ iij. *baccar. lauri* ʒ ij. *vuar. passi. enucl.* ʒ j. *vuar. corim.* ʒ ß. *infundantur in* ℔ viij. *aquæ puriss. & in ea per noctem macerentur*, deinde coquantur in duplici vase, vt artis est ad ℔ iij. (*quia erat calor vehementior, & non poterat ita perduratæ decoctum*) & fiat prima decoctio. Supra residuum proiiciantur aquæ puræ ℔ viij. & coquantur *ad* ℔ v. *arom. cum* ʒ ij. *cinnamom. selecti. pauco adiecto sacch. albiss. pro sapore gratiori*; & fiat potio secunda. Atque hæ potiones fuerunt ter quaterque reiteratæ. Interea 19. Iul. ad nares magis deobstruendas, errhinum tale aut nasi purgium præscripsimus. ℞. *succi betæ albæ* ʒ iv. *succi maioran.* ʒ ij. *succi folior. ruæ* ʒ j. *aquæ saluiæ* ʒ ß. *deputentur leuiter, ebulliendo cum exiguo melle*: *fiat nasi purgium*. Huius a portio aliqua omni die stomacho ieiuno attrahebatur in vola manus posita suctu quodam; ore ceruisia repleto, ne per palatum regurgitaret. Fuitque hoc errhinum adhuc semel atque bis reiteratum: & nares manifeste aperiebantur; ita vt etiam odoratus ac olfactus, quibus aliquot annis caruerat, restituti fuerint. Postquam diætam aliquot diebus reliquisset, & ad consuetam victus rationem peruenisset, tum potum quibus temporibus sanitatis vtebatur, 5. Aug. die has pilulas dedimus vesperi longe à cœna. ℞. *pilul. sine quib. pil. cochiar. an.* ℈ j. *pilul. aureav.* ℈ ß. *cum syr. de beton. fiant pilulæ* v. *quibus aluum octies satis copiose exonerauit, & fuit egregie istis remediis perfecte curatus.* Verum vltimo, ad colophonem & finem huic curationi imponendum, hoc pomum odoriferum ad cerebrum quoque roborandum præscripsimus. ℞. *Styracis calamitæ, benfoi, an.* ʒ i ß. *ladani* ʒ j. *ireos, flor. ros. rub. santali citrin. veri, an.* ʒ ß. *caryoph. maioran. sem. nigellæ, xyloaloes, an.* ℈ j. *flor. lauandulæ, nenupb. an.* ℈ ß. *calami aromat. rad. cyperi longi, an.* ℈ j. *styracis liquidæ* ʒ j. *olei limonum guttas* viij. *aquæ ros. q. s.* fiat pomum odoriferum. Portetur in pomo argenteo perforato cum catena argentea ad odorandum. Valet etiam ad pestem.

Scholia.

ADolescentem hunc multo nitidiorem & crassiorem & perfecte curatum ad præceptorem, vt literis rursus imbueretur, cum admiratione remisimus: cum aliqui sinistre de lue Gallica ob loquelam infectam à narium perpetua obstructione, suspicati fuerint; quanquam nunquam eo malo adolescens laborauerat. Nam & decocta hagioxyli & zalsæ quamuis eiusmodi malis sint appropriata: non minus valent quoque ad quasuis narium obstructiones, catarrhos, vlcera, ozænas, & polypos, & ad cerebri malam intemperiem corrigendam: imo ad bonam temperiem reducendam, & ad reliqua symptomata supradicta curanda. Quod vt tyrones & assequi & sequi possent, longiores in eiusmodi decoctis describendis fuimus. Nam & huic adolescenti post curationem, non amplius etiam sanguis (*vt solebat*) à naribus fluxit. De quo profluuio & nũc deinceps agemus,

OBSERVATIO X.

De fluxu sanguinis narium.

VIdimus Pithueris anno 1545. puellam annorum 18. pauperculam, mense Octob. per quatuor integros dies sanguinis fluxum è naribus adeo enormem habuisse, viribus prostratis, mensibus ad longum tempus retentis, humi prolapsam, vt nulla spes salutis superesse videretur. Ad quam vicini cum omnia tentassent remedia, me ad eam perduxerunt. Habebat autem circa collum nescio quas herbas, quos lapides, quibus credebatur sanguis sisti, appensa. Statim arrepto vtroq; brachio circa carpum, vbi pulsus tangitur, aquam frigidissimam ex poculo stricti orificij embrochæ seu riuuli instar continuo stillabam, simumque porcinum naribus obieci, & vt ore repleto aqua frigidissima succum vrticæ per nares attraheret, mandaui. Nucham autem aqua plantaginis frigida lauari permisi; quamquam hoc remedium febricitantibus suspectum sit. Hæc autem non febricitabat. Iisque remediis fluxus cessauit, quamquam viribus paululum recreatis, vt venam saphenam secaret postea, consului ad menses reuocandos, nouilunio instante: quod cum fecisset, recte deinde habuit, mensibus statuto tempore fluentibus, neque sanguinis fluxus è naribus amplius visus est. At alteri puellæ ac famulæ in insigni trium columbarum ad forum pontium vel cespitum habitanti Delphis, cui & menstruæ purgationes ad quatuor menses restrictæ non procedebant, sanguisque è naribus per continuos tres dies cum fluxisset, neque vllis remediis mulierculari ac tonsorum restringi posset, foliis buxi tum aliis puluerib. nescio quibus, naribus iniectis, cum ex dextra nare sanguis effluxeret, saphena dextri pedis incisa nihil prodesset, neque anacolemati fronti ac naribus, quibus vti solebamus, iuuarent, neque vllis aliis medicamentis per os sumptis iuuantibus; tandem vt ventosa magna absque scarificatu sub mammilla dextra ad hepatis regionem applicaretur, mandauimus. Quibus fluxus enormis cessauit, cum pro mortua satis & deplorata haberetur. Verum altera mulier Amstelrodamensis, cui tamen menses restricti non erant, cum profluuio sanguinis narium admodum vehementi ac diu perdurante detineretur, neque vllis remediis restringeretur, tandem cinere cartarum albarum combustarum naribus demisso,

præter

præter spem sanata est. Addam & indubitatum experimentum ad sanguinem è naribus fluentem cohibendum ac restringendum; quod ipsimet vidimus sæpius expertum in nobili matrona Domina de Baersswiick mense Iulio anno 1585. Hæc a. cum sanguis è naribus supra modum flueret, frustum cretæ albæ digito annulari vel minimo digito proximo continebat, è regione naris sanguinem fundentis: si è dextra, dextro; si è sinistra sinistro, donec incalesceret: statimque sanguis supprimebatur; vt diuersis vicibus in eadem Domina spectauimus.

Scholia.

4 *Hæmorrhagia.*

INter narium affectus, quæ ex ipsis sanguinis eruptionibus fiunt, à Gal. 3. *de comp. med. secundum locos*, connumerantur; à Græcis ῥίνων αἱμορραγίαι dictæ: licet Græcis hæmorrhagia peculiariter intelligatur profluuium sanguinis, si per se ponatur, non expressa particula, *vt Gal. etiam testatur* 1. τῶν ὀνομαζομένων *apud Hipp.* Alioqui nomen generale est in omni sanguinis euacuatione, siue per crisin fiat, vt in libris nostris Obseru. de febrib. multis in locis ostendimus, siue symptoma sit læsæ arteriæ aut venæ, quod ex vocabulo quodcumque sanguinis profluuium intelligi potest: quale est è sede, vtero, ore, aliisque partibus sed ex poro fluxisse, rarius, imo miraculosum *cuius historiam habes apud Beniuenium, de abditis morbor. causis* c. 4.

5 rarum quoque est, si ab oculis fluat: cuius exemplum quoque antea posuimus. At nunc loquimur de fluxu sanguinis narium, qui & frequentissimus est: tamen aliquando periculosus, si non reprimatur: vt etiam mortem inferat, vt de prognosticis signis alias latius. Quod a. hic nares affectæ sint, cunctis liquet: non tamen per essentiam semper afficiuntur. Similiter affectus est symptoma in genere excretorum immodice, toto genere præter naturam. Non tamen vnum morborum genus sequitur, *teste eodem Gal.* 5. *meth.* modo vasorum diuisionem, modo orificiorum relaxationem, quandoque eorundem & tunicarum rarefactionem sequitur: quamuis non modo vasis ipsis male affectis, sed etiam ipsi sanguini, aut denique facultati interdum occasio tribuenda sit, *ex eiusdem Gal. sent.* 3. *de caus. sympt.* Et sic dicimus vasa ipsa male affecta: vt cum molliora, vel duriora seu tenuiora fuerint, à natura, seu aliqua eueniente causa extra vterum vitiata: sanguinem vero male affectum appellamus, vel cum adeo vitiosus sit, vt vasa, quibus continetur erodat, vel cum adeo est auctus, vt à vasis contineri non possit, vt interdum ea disrumpat, interdum eorum ora referat: tribus igitur causis sanguinis è naribus eruptio tribuitur: aut vasis ipsis male affectis, venis scilicet aut arteriis, aut eorum ore reserato per anastomosin, *teste Gal. lib.* 5. *meth.* propter eorum imbecillitatem, tum etiam propter sanguinis copiam, qui impetu quodam ad os vasorum ruat: aut propter eiusdem sanguinis acrem quampiam, quæ illi extrinsecus incidat, qualitatem. Vel per Diæresin seu diuisionem vasorum, tunc ex vulneratione, tum contusione, tum ruptione, tum erosione fit. Aut per Diapedesin, ex ipsa quidem tunica rarefacta, sanguine vero tenuato, idem Gal. oriri fatetur: quamquam etiam ex gracilium vasorum ore adaperto fieri potest. Si igitur maiora vasa aperiuntur, anastomosis vel simpliciter osculorum apertio dicetur: nam confertim sanguis effluit, cum & causa apertionis sit copia sanguinis confertim irruens & distendens; accidit enim vt è maioribus in minora vasa fluat; primo fusione à causis calfacientib. omnibus ira, furore, motu, calore: secundo vi naturæ expellentis, vt in crisi vera, & vtili; & tunc non est restringendus, nisi vires deiiciat, vt de signis prognosticis dicemus. Aut quando natura venarum proritata excernit. Tertio contentricis imbecillitate, cum ora aperiuntur, non præ copia, sed quia venæ vim continendi imbecillem habent: ideo à mediocri copia aperiuntur. Proritatur vero excretrix, aut copia, quo ad vires, aut praua sanguinis qualitate. Hæc iam dicta facile dignoscuntur, num aliqua causa tunicam secans præcesserit: nam huic quoque confertim fluere oportet. Sed quæ sit apertionis causa, ex tribus sic coniectabis, vt egregie Iacchin. etiam docet. Si enim copia fusi sanguinis sit, necesse est & signa copiæ adesse & fundentem aliquam causam præcessisse, quæ omnes procatarcticæ sunt: ideo notæ, si ex vi expultricis venarum, si crisis bona sit, eius signa aderunt, tum præcedentia, vt coctionis notæ in die iudicatorio & præsentia vt critica symptomata. Si vero proritatione, signa erunt cacochymiæ, præcipue biliosæ, vel melancholicæ, vel etiam corruptionis sanguinis alicuius, vel putredinis: qua ratione & in sanis & in ægris hæc apertio contingit. Quod si ex imbecillitate contentiuæ (*quod tamen rarius est*) videbimus per breuia interualla ex leuissimis occasionibus effluere sanguinem, sed non multum, nec confertim adeo, vt in aliis causis. Cæterum in istis duabus puellis erat ex anastomosi, cum menses retenti essent, plenitudine potius, quam exinanitione, & ideo quamquam in principio in vtraque non erat restringendus sanguis; nam menstruis deficientibus *iuxta Hipp.* sanguis è naribus fluens, bonum: attamen in vtrisque, quia vires deficiebant, restringendus erat, ex quacunque enim causa sanguis è naribus profluat, non est despiciendus: nam cum superfluit, & longo tempore perseuerat, timendum erit, aut animi deliquium, aut iecinoris imbecillitas, ac infrigidatio, & demum cachexia & hydrops, *cum & eiusdem Hipp. auctoritate 6. de morb. vulgarib.* iis qui decolores mero modo sint, parum prodest, quibus vero colores rubicundi non similiter, & quibus copia sunt, quam facile tolerant, prodest, quibus secus, non. Verum cum ad desperationem vtraque laboraret, restringendus erat reuulsoriis præsidiis, quæ maximè conueniebant in anastomosi, & ob menses retentos ex saphena venæ sectio: hoc enim modo sanguis ad vterum rursus deriuatur. Sic etiam ad reuulsionem ventosam regioni hepatis apposuimus, non quidem inter initia, cum corpus esset plenum: ne phlegmonem accerseret, sed postea vt in famula fecimus, cum & alia remedia, quæ sanguinem constringunt non iuuarent; idque in fine. Signa vero diapedesis, ex sequenti exemplo magis patebunt.

Pars affecta

Affectus præter naturam.

Quot sectetur morbus.

6

Tres præcipuæ causæ.

Anastomosis ex quibus fiat causis.

Diæresis.

Diapedesis.

7

Signa anastomosis.

OBSERVATIO XI.

De fluxu sanguinis narium ex reseratione venarum.

DIapedesis vel exsudatio cum fit, id est, exsudatio, aut fit tunicis rarefactis, aut sanguine tenui exeunte; & sic per oscula tenuium venarum è naribus effunditur: ita quoque è pulmone, ex ore, gingiuis (*vt euenit cuidam in nosocomio Delphensi decumbenti, qui multum sanguinis per internalla valde tenuis ex gingiuis profundebat*) quibusdam & per cutem. Leuis etenim & lenta sanguinis eductio

diapedesin demonstrat: quoniam sanguis peccat à natura per tenuitatem: igitur dilutus apparet; & tenuis velut aqueus. Quod istis diebus mulieri euenit, quæ & cachexiam patiebatur, quæ & in pallido colorem albicantem haberet, iam quasi hydrope inchoante. Hæc signa, cum spectassem, facilè ex iisdem conieci, hunc sanguinis fluxum per diapedesin fieri. Et quamquam hic fluxus sanguinis narium, ex diapedesi in principio non videatur aliquod præsens malum minari, ratione tamen causarum, id est, ex accidente, difficultatis nonnihil habere videtur: præsertim si sanguis aquosus sit (*vt quoque istis diebus in inuene euenit, qui per internalla sanguinem è naribus fundebat.* Significat enim malum habitum iecinoris & venarum; ex quo breui totum corpus afficitur. Habet tamen diapedesis seu exsudatio (*vtpote affectus rarefactionis tunicæ venarum, vna & tenuitatis sanguinis*) leuem curationem, si sanguinem crassiorem gigni procuremus, corpusque siccemus, vt qui genitus est, crassior reddatur: & postea adstringentibus ad partem vtamur. Sæpè enim post serosos humores eductos cum diacarthamo & aliis ad hydropem facientibus & decocto ligni vtentes, quæque totum corpus exsiccarent, & optimum sanguinem gignerent, eumque incrassarent, & hepar corrigerent roborarentque, solis adstringentibus adhibitis ad partem, vt posca simplici aut succo polygoni curauimus. Sic etiam huic mulieri applicuimus, corpore prius repurgato ab humoribus serosis, naribus non solum astringentia, sed etiam fronti anacolemata seu agglutinamenta adhibuimus ex bolo armeno, farina volatili, & vngueu. Comitissæ, albumine oui soluta. Subinde cum aqua ros. vel plantag. mixta epithematis, modo frõti lineo panno inculcata & circumducta prius leuiter expressa, etiam cum spongiis naribus admota, vel ex succo solo plant. & polygoni, vel herbæ sanguinariæ. At quæ vehementius restringunt, & naribus inspergunturad ea non venimus nisi necessitate coacti, vt latius postea dicturi sumus. Hoc itaque modo hæc mulier curata est: vti & iuuenis, cum aliis plerisque.

Scholia.

4 *Diæresis, quomodo fiat & cognoscatur.*

QVomodo a. Anastomosis & diapedesis fiant & cognoscantur, facilè ex iam dictis colligi poterit: atq; Diæresis similiter, quæ ex omnib. causis fit, quæ possunt solutionem continui facere: rumpi, diuidi, contundi, erodi, quodque facile cognoscitur ex causa prægressa; vt si ex alto quis ceciderit, vel plagam circa illas partes accepit, vel cum vlcus patefieret antea crustula extracta est, vel ferro inciso peracta est, aut pars vulnerata, vel circa partem medicamento mordicante sit vsus, erosionem patiatur ea parte, vel acris destillatio præcesserit. Rumpuntur & vasa ex feruente sanguine, non secus atque dolia & vtres ex musto. *Dum in flatus soluitur* (inquit Iacchinus) *calore distendit vehementius ac perrumpit.* Sed hoc maxime viscerum venis euenire solet, quæ tunicam tenuem habent & mollissimam: vt pulmo & iecur, *vt in lib. De optimo habitu Galenus ait*: quo loco de hac causa disputat. Et ita signa fere omnia percurrimus. Si itaque ad maiorem declarationem signorum, ex parte vasorum aliquo modo affectorum, sanguinis è naribus profluuium fiat, facile dignoscemus si externa aut interna fuerit causa: nam neque indicia aderunt sanguinis redundantiæ, neque is, qui profluit sanguis vitiosus apparebit, nec corpus cacochymum erit, aut crisis tempore in acutis morbis is excernitur. Si autem ex aliqua externa causa affecta fuerint vasa, vt casu ab alto, ictu, exercitio vehementi, mora in sole, ac reliquis eiusmodi, ex ægri aut astantium sermone percipies. Si ex nulla externa causa affecta sint vasa, interna perquirenda erunt, numquid molliora videlicet fuerint: id quod à redundante humiditate percipies: aut duriora, ab ariditate, aut tenuiora ab inedia reddita sint vasa; seu à natura talia constructa fuerint: & proinde eorum ratione fuerint rupta, reserata, seu rarefacta. Si vero nullum istorum adsit, videndum (*vt etiam Donatus Altimarus* 6 *docet*) erit, nunquid adeo auctus fuerit sanguis, vt *Si sanguinis ratione,* vasis contineri non possit; & propterea eaumpat, aut referet, id quod dignosces ex signis, sanguinis redundantiam indicantibus, aut ipsemet *signa.* sanguis non valde auctus, sed vitiosus adeo sit, vt vasa quibus continetur, erodat. Id vero percipies, cum ex qualitate eius, qui profluit, sanguinis, tum ex reliquis signis cacochymum corpus indicantibus & pro natura diuersa ipsius cacochymiæ: poterit etiam qualitas vitiosi sanguinis indagari, num pituitosus videlicet, biliosus, aut melancholicus fuerit, qua de re profluuij causa erit sanguinis vitium. Verum si neque affectorum vasorum, *Si ex parte* aut affecti sanguinis indicia adsint, præcesseritq; *facultatis* acutus quispiam morb. ipsi facultati, seu naturæ, *fiat, signa.* quæ ea quæ sibi molesta sunt excernit, ora vasorum aperienti tribuenda occasio erit, profluuij sanguinis: quod, vt ex prædictis elicere poteris, quandoque fit cum functionis alicuius noxa: interim vero ipsis viribus haudquaquam oblæsis, sed robustis existentibus: quamuis hoc profluuium toto genere præter naturam sit, respectu excretæ substantiæ: præter naturam tamen dici non debet, si in tempore expellatur, hoc est, si id quod molestum est expurgetur, id quod pulchre decretum reliquit Gal. *lib.* 1. *de diff. sympt.* Si tamen per- 7 duret vires que deiiciat, & mala symptomata in- *Signa.* uehat & metas egrediatur, non est despiciendus, *vt antea diximus*, cum & aliqui ex nimia sanguinis profusione mortem incurrerunt. *Vidimus* (inquit Benedict. Veronensis) *ætate nostra Venetiis, cum tonsor quidam in naribus pilos incommodos forcipe incideret, venulam incaute secuit, tantoque impetu sanguis erupit, vt sistendi modum medici plurimi non adinuenirent, & ille misere vitam finiuit.* Et quod ad signa attinet prognostica, præter ea, quæ antea diximus, & de anastomosi & diapedesi, quod scilicet anastomosis ex debili contentiua facilè sanetur, similiter quæ ex fusione post profusionem cessat: nec instat periculum. Interim sciendum diæresin maxime esse periculosam, quæ ex continui solutione fit, si in magnis vasis præcipuè arteriis. Nam arteriarum difficillima sanatio est, præcipue earum, quibus medicamenta non applicantur. Venarum 3 etiam sanguis hac ratione non facile sistitur: vnde profluuio nocere potest. Si qui igitur non periere, neque valde læsi sunt ruptione hac, signum est exilia ea vasa fuisse. Qui vero ex erosione, vix curam accipit: quinimo sæpe decidente crusta reuertitur. At illa, quæ ex vi expultricis fit, distinguenda: vel enim à natura fit; propriis legibus operata; & tunc nihil periculi habet. Dico propriis legibus cum Iacchino, vt crisim tempestiuam faciat, id est cum optimis signis præcedentibus, in die optimi iudicij, & sine magna conflictatione. Et erit maximè expetenda, quoniam à morbo liberabit, vt de febribus multis exemplis ostendimus. Statim vero ex iis morbum esse videbitis, qui plurimum & salubriter ea via iudicantur, vt synochæ febres, & phrenitis, causon, &

5 *Si, ratione vasorum fiat, signa.*

viscerum

viscerum inflammationes, & pleuritis. Hinc & Hipp. *Quibus capitis dolores & ceruicis labor, atque totius corporis cum tremore infirmitas, hæmorrhagia soluit*: sect.1.prorrh.58. Talia n.maximè fiunt hora crisis circa statum *Gal.3. de crisib.c.5.& 10. & Hipp.2. aph.3.*circa initia & fines omnia imbecilliora;cum vero consistunt,fortiora, *& 3. de dieb. decret. ca.11.* cum crisis fiat per fluxum sanguinis narium, *de quibus abunde diximus in lib.nostris obser.de febrib. acutis & ardentib.& aliis,ac synoch.* quibus indiciis sanguinis profluuium è narib. futurum dignoscatur; magnæ enim imperitiæ est, imo & periculosæ, si id à medico non dignoscatur. *De his quoque videas Gal.1.de arte curatiua ad Glauc.circa finem.* Fluxus itaque sanguinis, quem natura tentat non excitata neque irritata,bonus est:cum talis decretorius sit, id est, iudicatorius: & si fiat (*vt dictum est*) in die optimi iudicij & sine magna afflictione.At si hæc absint, maximum aliquando instat periculum ex profusionis multitudine, siue vnum eorũ siue plura desint ad bonam crisin exspectandam. Si etiam decretorie factus, & plus exsuperet, quam natura ferre potest, inhibendus, ne ad deliquium animi æger perueniat.*vt Gal.1.aph.21.dixit*, medicum ob hoc naturæ motum debere animaduertere: & si quidem idoneus fuerit, subministrare & adiuuare: sin a. contrarius, ac noxius, prohibere, transferre, atque diuertere oportet. Etenim cum sanguinis è naribus profluuium multum fuerit, & plusquam corporis natura postulat, malum: conuulsionem n. excitat, *auctore Hipp.1.prorrh.* corpore exsiccato & neruis, & cerebro plusquam oportet refrigerato. Si adolescentibus bilio sis eueniat,malum est symptõma,& ad malas ægritudines deducit, si sanis nimirum profluat. Anastomosis quoque, quæ sanis euenit excretricis vi,non qualitate molestata, sed quantitate solum, vt ex vtero vel hæmorrhoide, ita obesse non potest: nam copia vacuata sistetur, & vtilis erit: lædit tamen aliquando ex loco,vnde profluit,vt si per vomitum, vel sanguinis screatum, vel vrinas. Excerni n. per eas partes eligendum non est. Ex his quoque apparebit, quando natura in profluuiis his sanguinis, sinenda sit, vel aliquid moliendum. Et rursus si moliendum,num sistendo prorsus, an retinendo nonnihil, an aliò traducendo. Qui n. ex copia solum, si per malas vias, traducere alio oportet & auertere: ita ex mensibus suppressis commode venam saphenam secamus, vt sanguis è naribus profluens, ad vterum traducatur & auertatur, & more solito ab vtero fluat.Si ex irritatione,vt in crisi aliqua, aliquando retinere, si excedat; excessus vero non pondere, vt Auic. est examinandus, sed vitium lapsu.In aliis casib.semper persistere oportet:quoniam prorsus sunt præter naturam. Primo Prædict. Hipp. dicebat: Ex naribus erumpente sanguine cum exiguis sudoribus per frigescentia maligna ac prana: item quod post sanguinis eruptionem nigrorum per aluum transitus, malum; prana etiam sunt valde rubra. Eiusdẽ auctoritate Aëtius *lib.5. c.124.* inquit *fluxum sanguinis è narib. in 4. die in febrib.fluentem,pessimum signum esse: multitudinem n. significat in toto corpore aut in capite*,addit a. Hipp. in coacis prænotionibus, si non aliud quid boni coinciderit; verum quinta minus periculosum esse: quamquam fortè ea sententia potius de narium stillicidio veritatem habet,cum in ardentissimis febribus,*iuxta eundem Hippoc. & Gal.* nares stillare prauum esse signum, *vt etiam viuis exemplis ostendimus in lib. nostris obs. de feb. ardentib.* sed largius fluere in minoribus infra 35. annum familiarius est,tum 1.tum 3.prog. in talibus etiam magis narium sanguinis profluuium exspectatur. Fluere quoque sanguinem ex naribus tecto itinere commendauit Hipp. è contrario vero culpauit, cum eodem lib.1. Prædict. dixit: *Sanguinis eruptiones ex contrario malæ sunt: velut in splene magno, si ex dextra nare fluat: pariter ex iecinore ad sinistram.* Hanc quoque Benedict. Fauentin. præceptor meus malam dicebat euacuationem & symptomaticã esse cum contrario tramite flueret. Vultque idem, vt medicus neminem assuefaciat sanguinis profluuio, ex quacumque parte corporis etiam idonea fiat, cum sanguis vitæ thesaurus existat: sua enim efficentitate hominem facilè perdere posset. Et ideo rectè dixit Gal.4. aph. comm. 25. vbi ait, *neminem assuefaciendum esse ei euacuationi sanguinis, quæ fit per hæmorrhoidas: quoniam periculosa.* Sic & de narium fluore sanguinolento intelligere possemus; cum nec euacuanioni per pharmaca aliquis assuefieri debeat, ne in naturam transeat, ob transitum in malam consuetudiuem: *Gal.este 3.aph.comment.15.* Iam quoque fluor sanguinis sequens debilitatem virtutis contentiuæ, deterior est: indicat enim virtutem regentem totam validam fore, virtuti contentiuæ membri succurrere nequeuntem. Hæc de signis prognosticis.

OBSERVATIO XII.

De fluxu sanguinis narium enormi, post missum ebibitum.

VIr quidam non ex infima plebe,cum mustum in cœna largius bibisset,in multam satis noctem,atque in sine etiam vinum Hispanicum: die subsequenti mane in fluxum sanguinis narium enormem incidit, ita vt continuo vltra sex libras fere sanguinis è nare sinistra profuderit. Qui cum debilior fieret, & frustra quibusdam prasidiis à tonsoribus vsus,vt sanguis restringeretur,me tandem vocauit. Cum de vena incidenda mentionem facerem,amici qui astabant, id omnino ægro dissuadebant, cum sanguis è naribus largius profluus esset: nos a. ad diuersionem id fieri debere, cum faciem rubicundam infirmus haberet & sanguine repletus esset, & demum pulsus satis constaret; tandem ad hoc persuasus eo præsidio vsus est. Ng secta vena lineari in manu brachij sinistri, & sanguine moderato effluente, hoc anacolema cum fronti circumligassem, & stercus porcinum recens cum bolo arm. mixtum, ne perciperetur quid esset, ab enormi sanguinis fluxu, præter astantium sententiam curatus est. Anacolema vero tale erat, seu epithema. *℞. aquæ ros. ℥ iiij. aceti ros. ℥ i ß. bol. arm. ʒ j. misce*, frigide cum panno linco inculcato fronti alligabatur, & vbi incalesceret, denuo nouum idque frigide apponebatur, neque aliis remediis vti necessarium fuit.

Scholia.

CVratio profluuij sanguinis è naribus prout causa varia sit, varia quoque præsidia postulat: sit n.à solutione continui fiat,atque à causa diuidente, vel rumpente,vt à vulnere; illud occludi non potest, cum profluuium sanguinis id non admittat. Ideo fluxum inhibere oportet, & vulnus glutinare.Primo auertendo sanguinem ad contraria & longinqua, & deriuare ad proxima: atque huius instrumenta sunt multa, sanguinis missio, vincula, frictiones, cucurbitulæ ceruici vel hypochondriis è directo appositæ. Ab his ad localia deueniendum,quæ & fluxum prohibent & vulnus glutinant.

glutinant. Et horum materia simplex multa est; vt etiam sunt emplastica, terra lemnia, gypsum, ræmatites, hypocist. citynus, balaust. *de quib. vide auctores, Rondelet. & Holler.* in puluerem redacta cum liquore aliquo conuenienti per licinia narib. immittuntur, fronti applicantur. Et ita in maximo profluuio vena secanda; vt hic nos fecimus, neque in hac solum causa, sed in omnibus quoque aliis, anastomosi scilicet omni, & ideo Gal. 5. *meth.* ante topica in cubito venam secat, bis quoque aut ter, si opus est, modice. Quidam in talo hoc faciunt, sed non nisi in mulieribus quibus ob defectum mensium sanguis è naribus fluat. Alij in cubito id faciunt, vel in manu. Sic in febribus sanguine vehementer effluente, vt constrictione postea opus esset, commode ex basilica misimus, etiam in manu. Ita Heynoni Ioanni rustico, cui per multos menses sanguis è nare dextra fluebat, ex vena jecoraria in manu sãguinem detraximus, & liberatus est: Rhases ex cephalica mittitita & Hollerius: sic in dextro cubito sanguinem misimus ex cephalica, cum è nare dextra sanguis fluebat,cum capitis dolore in Barthol. Teylingio sororio meo, & sanguis restrictus est,& dolor cessauit. Benedictus Veron. *lib.4.c.5. de curat. sanguinis profluuij è naribus* venam quandam secat sub scapula, & validissimum remedium esse asserit. Præter auersiones alias iam dictas, cucurbitulas scapulis vel suris apponunt, sanguisugas post aures: sedi quoque si hæmorrhoides suppressæ, vel regioni aliquando hepatis sine scarificatione, statim post vincula, vel loco lienis si è sinistra fluat. Sed cauendum ne ventosam vmbilico applicemus: ne nobis accidat,quod mulieri acciderat, Gatenario referente, quæ obiit ventosa pinguedine repleta. Alij strictiuram testium laudant, vel potius eos oxycrato vel aqua frigida perfundunt. Opus est ante topica aliquando etiam purgatione, sanguine vitioso existente & effluente ex myrob. citrinis, syr. ex infus. ros. vel manna cum rhab. si bilis: si pituita, ex agar. & myrob.cheb.& syr. ex pluribus infus. ros.perfic. si atra bilis,ex decoct. epith. myrob. ind. Si ratione vlcerum sanguis profluat, crudaquidem agglutinationem exigunt cum frigiditate & siccitate, multumque astringentia. Si vero copia irruat, proritatione facultatis expultricis (*si quidem laborantem morbo acuto curemus*) confiderabimus crisis morem,qualis sit. Hoc n.melius est dicere,quam,vt Auicen.non est restringendus, nisi superfluat. Statim n. vt Gal. remedia sistentia (*inquit Iacch.*) in promptu habebamus,nec exspectauimus superfluitatem illam: sed vbi, *vt dixit Gal.de venæ sect.* quod iustum est, & moderatum effluxerit,remedia sistẽtia adhibuimus. Hoc vero euenturum à natura coniicere est: quoniam crisin agnosticam fore multa demonstrant. Si in sano contingat,idque sola abundantia grauante,dimittito, si per nares: est n.commoda excretionis via. Si vero ex mala qualitate; primum symptomati occurrendum, mox causa tollenda. Occurrimus iisdem viis: sed & ea adhibemus,quæ ex proprietate conferunt, vt jaspis: & tollimus ea, quæ ex proprietate mouent, vt motus omnes, vel animi vel corporis: & lucem & calorem, & rubrorum inspectionem. Causa vero tollitur, sanguinem attemperando contraria qualitate,quæ est frigida & humida,quæ tum medicamentis tum cibis perficitur. Ad topica igitur non venimus,nisi præcesserint auersiones iam dictæ; & ideo anacolemata & quæ induntur naribus quæ & magna ex parte refrigerant & constringunt, horum vsus post alia supradicta remedia tempestiuus est, iam reuulsa in partes contrarias materia, *id est*, in partes inferiores corporis, aut posteriores capitis. Alioqui vsu refrigerantium plurimi quidem deterius habuerunt inde conuulsi, aut oborta spirandi difficultate, suffocati. Et hæc remedia infirma omnia comperit Gal. præ maioribus illis remediis supradictis, *ex 5.meth. à prorrh. ex lib.de sang.miss.* Anacolematis ergo & aliis topicis post reuulsiones vtendum erit, habita ratione naturæ capitis, & partium quib.admouentur. Sic fronti ex aqua frigid. seu rosacea spongia madida adhibenda,aut succus caudæ æquinæ,vel herba trita ex Aëtio. vel posca fronti vel sincipiti apposita,& per nares attracta. Aliqui iubent frigida caput perfundi; præsertim ex insperato: vbi territa natura fluorem omnem ad cor trahit: sed hoc ego minime laudo. Aëtius cochlearum carnes tritas cum aceto vel vstas imponit: & Apollonius cum thure tritas narib.indit Gal.5.*meth.* mannam thuris & aloem candido oui liquore confectam per contortum linamentum imponit exterius & cum pilis leporis naribus admouet. Vide plura apud Aët. qui & stercus asininum vstum insufflat,vel recens cum porri succo & aceto per linamentum indit. Gal. aures linteola obturat,& in ore aquã frigidam continet,caputq; non in sublime leuat,sed alias partes,quæ infra caput sunt,sublimes facit,Hanc obturationem auritũ à Gal. diligenter commendatam, Rondeletius existimat solum prodesse forte ob sinum primum ramorum venarum & secundum duræ meningis, per quos potissimum cerebrum sanguinem recipit; cum hoc modo comprimantur, ex quo obstruantur,& sanguis consequio quodã retineatur: nisi forte legendum sit, nares esse comprimendas; quibus compressis sanguis sistitur, paulo superius versus oculos: hoc enim modo nasum ibi digitis duob.comprimentes longo tempore,sanguis sæpe sistitur & minus fluit, vt nos sæpe experti sumus in multis. *Vide plura de his,quæ sanguinem constringunt apud Galenum, Paulum, Aetium, & apud Neotericos, Rondelet. & Holler. apud hos præcipue, tum alios multos sylvam horum remediorum inuenies.* Interea vniuersa victus ratio sit pro eius curatione (*si vitio vasorum aut ipsius sanguinis fiat*) infrigidans & adstringens; tenuis quoque vbi ex sanguinis copia fiat bonique succi,& concoctu faciles cibi exhibeantur,potissimum vbi vitiosus fuerit sanguis,sintque contrariæ qualitatis redundantis succi in sanguine. Verum is sanguinis fluor, qui à facultate efficitur, quo ad iudicatorium sit, nulla particulari indiget victus ratione aut curatione. Vbi vero concitata natura mediocritatem non obtinuit, sed immodice sanguis fluxerit,ita vt vires imbecilliores reddantur, simili victus ratione vtendum erit, ac curatione, quibus in prædictis vtimur: & propterea velut frigida & astringenti victus ratione, sic quoque frigidis & astringentibus medicamentis pro eius curatione vtendum erit. *Hipp.decreto cum aph.23. 5. tum.37. 7.lib.* Ob id alimenta actu frigida danda sunt, & quæ citra masticationẽ deuorari possint: vt amylum paratum in decoct. pedum veruecis, hordeum mundatum, cremor ptisanæ ex sacch.& aqua ros. sine amyg. quibus addi possunt emplastica ad sanguinis inspissationem:vt albumen oui crudũ fortiter agitatum,gummi tragac. aut arab. vel emplastica frigida, quæ nullum odorem aut saporem ingratum habent, *vt est pul. corall.* Vino interdicantur, nisi valde debiles: quibus austerũ valde conceditur, dilutum multa aqua cisternæ vel fluuiorum. Æger itaque omnibus modis refrigeretur,aëre frigido,potionibus,herbis & potentia & actu frigidis. Imperanda est quies totius

corporis,& animi potissimum,linguæ & maxillarum: nam si frequenter loquantur, aut maxillas moueant, fluxum sanguinis continuant. Et præcipue cauendum à victus regimine sanguinem multiplicante,attenuante,exacuente mordenteque ac erodente : qualia sunt piperum genera, & omnia aromata,vt egregie, tum reliqua ad sanguinis profluuia facientia , apud præceptorem meum Benedictum Fauentinum in sua magna Praxi de curatione sanguinis è naribus profluuij,enarrata.

OBSERVATIO XIII.

De fluxu sanguinis è nare dextra copiosè effluente.

1 BOkellus Iudoci Franciſci filius,qui apud Diui Georgij ædem Delfis habitabat, iuuenis an. 30.natus, ad 4. dies continuo è nare dextra ita copioſe ſanguinẽ profundebat,vt pro deplorato ſatis haberetur.Multa præſidia tentata ſunt,vt venæ ſectio ex cephalica cubiti dextri,ſcapulis cucurbitæ cũ leui ſcarificatione appoſitæ,vinculis digitis tum brachiis iniectis ad diuerſionem: fotus quoq; ex aqua frigida, plantaſ.roſ.& aceto, teſtibus adhibiti : pulueres quoque aſtringentes narib. inditi per chirurgum : ſed naribus obſtructis, ſanguine per gulam intus fluente,vt anhelitum trahere non poſſet,& pẽne ſuffocaretur,ideo naribus repurgatis,ore frigidam cõtinebat, etiam lac acidum frigidumq;. Naribus paulo ſuperius digitis ad tempus cõpreſſis, ſubinde fluere deſinebat, ſed rurſus impetu multo magis fluebat, tempore tamen hyberno ac frigidiſſimo : nam cũ 27.Ian. die ad eum eſſem accitus, ſupradicta præſidia adhibebantur, ſed fruſtra : ſequenti quoque anacolemate frigide fronti ſæpius appoſito : ℞. *aquæ plant.ag.* ℥ viij.*aceti roſ.* ℥ j. *aquæ roſ.* ℥ ß. *duo ouí album.boli arm. veri* ʒ i ß. 2 *concuſſa cum panno lineo fronti apponantur.*Hoc quoque ceratum panno lineo inductũ hypochondrio dextro impoſitum eſt, ℞. *vng. roſ. cerati, ſant.al. an.* ℥ ß. *miſc.* Naribus ſæpe ad olfaciendum obiiciebatur ſimus porcinus recens,quamquam aſininus,ſi reperiri poſſet, magis laudatur : ſubſiſtebat aliquando hoc præſidio,quanquam omnino non reſtringeretur. Succum granator.acidorũ ad refocillationem ſæpe dedimus, & amygd. ſequens; tum iuleb.quibus tandem fluxus deſiit,℞. *amyg.dul.depilat.ar.* ℥ ij. *ſem.4.frig.maior.mund.an.* ℈ j. *fiat amyg.ad* ℔ j.*ſaccharo perlato iniecto ad ſaporem.* Iuleb.vero tale erat. ℞. *ſem. portul.* (nam herbæ deerant) *ſem.pl.ant.pap.albi, end.acetoſ. an.*ʒ j.*rad.torment.conſolidæ maioris, an.*ʒ j. *fiat decoct.in aqua comm.pro* ℥ j.*colatur,colaturæ addendo ſyr.myrtini,granat.pap.nenuph. an.*ʒ ß, *miſce,fiat iuleb.* Vinum,ſed acerbum ; cum aqua ciſternæ mixtum, ob virium deiectionem conceſſimus : cum animi deliquio fere tentaretur. At ſanguine tandem reſtricto poſt quartum diem , cum ſanus exiſteret, neque febre tentaretur,optime deinde habuit,victu reſtaurante,infrigidante & aſtringente vtens.

Scholia.

3 QVidam hic proponebant pannũm lineum aqua frigida infuſum toti collo iniiciẽdum, quod vulgares aliquando faciunt: verum cum hæc ſuſpecta ſint,vti & frigida,ſi ſupra caput fũdatur, cum in vno (*teſte Grado*) metus ſit ne viæ conſtringantur mediæ inter cor & ipſum cerebrum : in altero,ne cerebrum valde infrigidetur & apoplexia ſubſequatur.At minus ſuſpectum,quod & vulgus conſueuit ſi corallum è collo ſuſpendant, & lapidem hæmatitidem:frigida quoque mammis,teſticulis,collo,nuchæ,occipitio, adhibita in febribus

Remedia tumoribus quibus ſuſpecta.

ſuſpecta ſunt : quemadmodum quidam temerario remedio, cum reliqua omnia non iuuarent, ægrotantem,cui ſanguis è narib.profluebat,in balneum deduxit, atque demerſit ad collum, & ita reſtitit ſanguis. Ab hoc quoque remedio certum exitium eſt, ſi vires vehementer laborent. Cæterum huic iuueni, quod & aliis multis euenire aliquando ſolet , cachexia ſuperueniebat : quemadmodum & Patri Thomæ Alcmar. aliquando euenit,poſt immoderatas ſanguinis euacuationes factas , licet tandem cohibitas. His conueniunt aperientia, & quæ colorem bonum præſtant:vt eſt dialacca,diu. curcuma,quæque ad cachexiam valent. Quibus & hic iuuenis optime habuit,vti etiã pater Thomas prædictus,cui & crura in tumorem attollebantur, appetitu mediocriter remanente, vrina quamuis cruda exiſtente cum hepatis obſtructione. Huic vinum Rhen. conceſſi, atque decoctum ſequens præſcripſi. ℞. *marrub.agrim.ceſſat.ſcolop.abſinth.Pont. menth.rub. cap.ven. an.* m.ß. *ſem.aniſi* ʒ ij ß. *coquantur in aqua & vino Rhen.ad* ℔ j.*colat. dulcor.ſacch. & cinam. condiatur vt artis eſt,ſumebat bis in die.* Huic decocto deinde adiecimus *rad.petroſ.fœnic. apij, cicherij* (qui paulo antea febricitauerat narib. quoque tum ſanguinẽ fundentibus ſed per criſin,quæ tebris deſiit, ſed etiam ſano antea ſæpius ſanguis è naribus fluxerat) *an.* ℥ ß.*folior.ſenæ à ſtipitib.repurg.* ℥ j.*epith.* ℥ j. *polyp.querc.* ℥ ß.*rhab.ſelectii* ʒ j.*ſpicæ* ℈ ß *rhab.& ſuccis ligatis in puppa ſeu vrodulo,omnia artis ratione cum ſupradictis decocta fuere ad* ℔ i ß. *bis in die ex eo ſumebat,* cum facilis ſolutionis eſſet, & quotidie bis ventrem deiiceret : vnde & facies tum pedes detumuere, & oppilatio hepatis conſopita, & ventriculi coctione magis aucta , melius habere cœpit. Sumpto quoque per os elect. ſpecier. aromoſa.in tabulis concinnato,& cum pro pedibus inflatis , aqua ſalſa marina eoſdem prius fouendo hoc fomento ſequenti pro balneatione,& inſeſſione vteretur, pedes mox detumuere, & ſanitatem conſequutus eſt, fluxu quoq; narium ampliusnon redeunte. Fotus his viridibus conſtabat. ℞. *foliorum lauri maiorícariæ , artemiſiæ , caulium rubrorum , beticæ terreſtris, flor.meliloti ; chamæm.ſurfuris ſalis communis an.m.* iij. *coquantur in aqua communi pro* ℔ viij.

OBSERVATIO XIV.

De nobili quedam cui circiter xij. ℔ *ſanguinis è naribus fluxerunt.*

VIr generoſus, Dominus de Benthuyſen, qui in pago Ryſvvuckio dicto , non procul ab Hagha-comitis, eo tempore commorabatur, ſanguinis narium profluuio cum extreme laboraret (*eo enim malo frequenter afficiebatur*) neque remediis commode adhibita iuuarent, circiter 12. ℔. ſanguinis ex vtraque nare per vices effluxere. Cum ad dominum accitus eſſem , & per integrum diem ſanguis effluxiſſet, vt duas ventoſas abſque ſcarificatione, vnam ſupra hepatis regionem, alteram ſupra lienis locũ poneret, mandaui: quibus paruum videbatur fluxus ſubſiſtere.Verum poſt meum diſceſſum , vxor cum videret ſanguinem , iterum ex vtraque nare cum impetu erumpere,& quod ventoſæ hypochondriis impoſitæ nullo modo iuuarent, alias duas, vnam ſupra pedem dextrum, alteram ſupra ſiniſtrũ affigi iuſſit ; & dicto mirum ſanguis præter ſpem ſubito reſtrictus eſt. Verum cum aliquãto tempore ventoſæ cuti adhærerent, æger in animi deliquium incidit. Quare illẽ ventoſis detractis, aqua in faciem conſperſa excitatus eſt : mox odore vini recreatus ad ſe rediit, & à fluxu ſanguinis narium per ventoſas miraculi aut incantamenti inſtar, præter omnium hominum opinionem, vir nobilis ac admodum bonus, multiſque carus, priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt.

Scholia.

3 DIuerſiones quo magis remotæ , eo modo fluxionem auertunt ; quod vnico hoc exemplo docetur , cum ventoſæ hypochondriis impoſitæ non ita,vt pedibus applicatæ iuuerint. Id quidem non ſolum obſeruatione dignum, ſed in aliis quoque imitandum. Si è nare dextra,pedi dextro: ſi è ſiniſtra ſanguis fluxerit , ſiniſtro pedi imponenda magna ventoſa : vel vtrique, ſi ab vtraq; nare ſanguis copioſe & diu erumpat, ea tamen cautione adhibita , ne diutius ventoſæ in loco maneant, animi deliquio ſubſequente ; ideo citius tantum detrahendæ. Duodecim libras ſanguinis huic generoſo viro intra triduum fluxiſſe, minus aliquis mirabitur, cum apud Amatum Luſitanum Antonio cuidam Correæ nobili Luſitano Capitaneo, quartana laboranti xx. ℔. ex nare ſiniſtra fluxerunt : cuius rei doctiſſimus ille medicus Andreas Lacuna,qui libros Galeni in compendium traxit, luculentiſſimus teſtis eſt,qui eundem Capitaneum cum Amato curabat. Cui ægro inter cætera opitulãtia remedia cucurbitula ſplenis regioni admota eſt,& gelida teſtib. applicita & ſæpius innouata. Idem ſe noniſſe tradit Dianam Eſtenſem illuſtriſſimam mulierem, 2 cuius naribus ſanguinis 22. ℔ prodierunt,& taurice valet; cuius & Braſauola in comm.aph.3. quoque meminit. Scribit & Gradus de monacha quadam exili natura , macilenta, pituitoſa, cui non ex abundantia humorum , neque ab aliqua cauſa primitiua, vt à caſu, percuſſione, vndequaque per ſputum , & per nares & vrinam, vltra 18. ℔. ſanguinis emanarunt,curationem quidem attentabat,ſed ob debilitatem venæ ſectione omiſſa ventoſas ſiccas in ſpatulis poſuit : verum immediate facta cutis ruptione,ventoſæ impletæ ſunt ſanguine. Quare nõ habens aliud remedium, tandem dedit ʒ j. philonij perſici cum metu quodam , quanquam monacha hoc præſidio per Dei gratiam ex tali caſu , quaſi deſperato intra duas horas ſanata eſt. Refert quoque Arculanus ſuo tempore inſignis medicus, mulierẽ ſimiliter enaſſe,poſtquam ab ea per vterum tribus diebus 25. ℔. ſanguinis profuſæ ſint: vix videtur illud verisimile, cum 25. ℔. ſanguinis parum plus vel minus, reperiantur : ita vt etiam quidam dixerint, quod vno die aut per vulnus,aut alio modo aperta vena effũndi poſſint ſeptemdecim ſine interitu. Quod ſi verum eſt, oportet id corpus excedere frequentem hominum magnitudinem. Nam pauci ſunt, qui detractionem librarum decem vna emiſſione ferre poſſint in vita: ſed vno toto die amitti libras decem refecto corpore cibo,& præſertim ſorbili, id nonnullis contigiſſe vidit Botallus (*qui & liberaliſſimus eſt in vena ſecanda , vt eius libellus oſtendit de curatione per ſanguinis miſſionem*) & multos vna hebdomada amiſiſſe ſupra libras viginti. At faciliusest homini mediocri (*vt idem aſſerit Botallus*) & conuenienter nutrito ferre effuſionem triginta librarum ſanguinis octo dierum ſpatio ſine interitu, quam homini fortiſſimo decem vno die ſine cibo. In Illuſt. Principe Orangiæ ex vulnere,quod in gutture Antw. ſclopeto inflictum erat,vt excellentia ipſamet mihi narrauit Delfis exiſtens,effluxiſſe 12. ſanguinis ℔. quod & poſtea mihi ipſi confirmauit Ioſephus Michaeli medicus inſignis, qui perpetuo illi adfuit in curatione. Sed per in-

terualla nutrito corpore ac refecto cibo ſorbili, cũ ſolida ob vulnus deglutire non poſſet. Inſuper retulit mihi idem Princeps quod poſt vulnus conſolidatum , primo bolo ſumpto dolorem vel potius quandam moleſtiam ſemper ſentiret, ſed ab alio cibo quocunque,quem deinde ſumebat, nihil quicquam doloris aut moleſtiarum in gutture aut faucib. perſentiſcere. Hæc quidem cum vera ſint, alia quædã exempla inſuper narrantur à Botallo, quæ minus vera eſſe putat, vt de quodam Aduocato,qui per hæmorrhoidas vno die pluſquam 20. ℔. ſanguinis amiſerit,quodq; medicus die ſequẽti mane ad illum acceſſit, vt ſi amplius fluxiſſet,venam illi aperuiſſet;ſed reperit illum profectum in ſenatum ad litigandum: cui cum diceret Botallus, hanc tam grandem euacuationem ab homine viuente ſuſtineri nullo modo poſſe, ſcilicet vno die factam : ille ſtatim inſit ; Crede mihi, Botalle non minus profudiſſe quam peluis hæc(*quæ ante ſtabat, & quæ capax erat trigintalibrarum*) continere poſſet. Sed iis omiſſis,exiſtimat idem auctor mediocrem hominem ſine magno vitæ periculo vno integro die ex ſecta vena ſex aut ad ſummũ octo nouem ve ſanguinis librarum euacuationem , & hanc item intra menſem repetitam ferre poſſe non dubitat ; ſed non ſine manifeſta virium imbecillitate : veruntamen non tanta,quanta ſuccederet quantitati longe minori,puta medietati vel etiã tertiæ parti, guttatim & in multos dies exeundi per hæmorrhoidas, vel vterum vel nares. Putat n.ſanguinem ſponte fuſum plus adferre incommodi,quam ante emiſſum. Rationem addit, quam quilibet videre poterit,licet ab aliis contrariæ adferantur. Verum *9. ad Aliſtis omiſſis,quanquam Arculanus vir fide dignus* *man. c. 43.* referat per vterum tribus diebus,viginti quinque libras ſanguinis effluxiſſe, idq; multa quantitate, nam quibus paulatim fluit & in pluribus diebus, debilitatur hepar,& ad hydropem peruenitur,vti euenit mulieri cuidam prope templum nouũ Delfis habitanti, quæ tamen à me tam à fluxu, quam ſymptomatis fluxum conſequentibus curata fuit. Verum cũ tanta copia ſi ſubito cum impetu è naribus fluat ſine conſtrictione,mortem ſubitaneam inducit : At 25. ℔. ſanguinis effundi mihi nequaquam fit veriſimile, cum in homine plures, iuxta celeberrimos medicos,non inueniantur, nec placet mihi Botalli tantæ ſanguinis quantitatis emiſſio per venæ ſectionẽ, & à multis medicis expertiſſimis pro paradoxo habetur. Memorant tamen omnes, fluxum iudiciarium, niſi animo æger linquat,ſiſtendum non eſſe: & iuxta Auicen. etiam, ſi quatuor libræ fluxerint,neque retinendum eſſe, dõec vehementer ſuperfluat : hinc recentiores quidam modum eſſe exiſtimarunt ad libras ſanguinis quatuor. At nos pro viribus ægri modum ſtatuimus : quæ vires etiam in venæ ſectione conſiderandæ,tum vehementia morbi ac plenitudine conſiderata,& corporis habitu,cum Germani atq; noſtri homines magis albi minus , quam Itali vel Galli venæ ſectionẽ ferant; quamquã & hic aliqua corpora quoq; inueniamus, quæ multam ſãguinis detractionem ſuſtinent, prout vires tum morbus ipſe indicat,*vt ad longum Gal. de venæ ſect. docuit,tum alij medici hoc tẽpore illuſtriores.*Hæc de venæ ſectione per tranſennã dixiſſe ſatis eſt, quæ etiam ſubinde adhibetur ad auerſionem in ſanguinis profluuio è naribus, licet in exigua quantitate, vt nunc exemplis antea oſtendimus : quamquam contingere poteſt , licet rariſſime ab aliqua cauſa occulta,vt Gal. ſagaciſſimus medicus aliquãdo animaduertit in iuuene integra valetudine , *qui cum cruorem emungeret & exſpuceret* (inquit Gal.) *ipſo narrante audiui,*

audiui, eum rure, æstatis tempore, in stagno quodam cum cæteris iuuenibus inuenili ludo, qualem adolescentes in aqua ludere solent, exercitatum: tum ego sciens in eo stagno sanguisugas esse, duxi laborantem ad splendorem, conuersoque directe ad solis radios narium foramine, in eo meatu latentis caudam conspexi. Ita & (vt idem narrat loco citato) *alius quidam vir quum nocte quadam sitiret, misso puero; qui aquam afferret ex immundo fonte bibisset, similem cruorem emouebat. Quibus auditis*, inquit Gal. *sciscitatus sum, apparuisse nonne aliquando sanguisugæ in ipso fonte: qui cum id quoque faceret, epoto subinde idoneo pharmaco, hirudinem vomitione eiecit.* Tales enim historiæ perquam conducibiles sunt. In naribus si lateat, extrahenda, vel aqua frigidiss. ore retenta allicienda: extracta os colluendum decocto astringentium vel puluis in nares sufflandus. Nam educta sanguisuga remanet vulnus ex morsu stipticis consolidandum. Et ita omnia vitia narium absoluimus, excepta coryza, quæ etiam nares aliquando offendit, de qua diximus etiam *lib.* 10. *obs.* 133. cum de catarrho loqueremur, addemus hic adhuc vnum exemplum.

OBSERVATIO XV.

De Coryza.

1 DEfluunt sæpe humores acres ac salsi è capite ad nares (*Græci vero κόρυζαν vocant; Latini Grauedinem, vt alias diximus*) quas etiam sæpe rodunt & exulcerant: quemadmodum nuper cuidam ex nostris familiaribus euenit, cui cum à me consilium peteret, corpore repurgato cum infus. rhab. & syr. ros. solut. mandaui vt fumigio illo vteretur, quo Rondelet. se scribit se ipsum ab hoc malo curasse, nempe *vt laminam ferream, donec omnino candesceret, igni subjiceret, calfactam aceto rosac. illic sensim irrigaret instillaretque; mox vaporem ex eo elatum per nares reciperet.* Verum si non iuuaret, iubebam efficaciori remedio, cum opus esset, vt rosas ipsas siccas simul cum aceto supra laminam ipsam ferream conjiceret, & in fine fabas integras & aceto insperssas, aut dum vruntur, laminam ipsam rursus aceto irrigaret, quæ ad horum symptomatum leuium curationem plerumque sufficiunt. Nares quoque cum ex defluxu acri eidem exasperentur & rubescerent, non sine rosione atque exulceratione, vt pomato quoque inungeret imperaui: nam & hoc remedium commodissimum existit.

SCHOLIA.

GRauedo & Coryza easdem causas cum catarrho habent, & communem scopum curandi, nempe vt causa tollatur, corpus repurgetur; tum caput, & intemperies auferatur, de quib. cum 10. lib. egimus abunde circa finem; nunc solum breuiter hic medicamenta topica, quæ particulatim coryzæ conueniant seu grauedini, pauca quædam adiiciamus. Repurgato itaque corpore ac capite, *Curatio.* & intemperie ablata, siccare ipsas nares oportet, *tyro* quoniam nocumentum fit inde odoratui, & prohibet cerebri calorem per aëris inspirationē euentari. Aliquando vero & respirare ægrum cogit, hiante ore, cum causa frigida præcipue oriatur, & nares pituita obstruat. Potest & fieri à causa calida & acri, vt nunc ostendimus ideo delectus medicamentorum localium quoque habendus: nam si calida defluxio ad nares decumbat sola aqua tepida (*vt libr.* 10. *Obs.* 113. *docuimus*) per vaporem ad nares excipiendo. Ita & Paulus, fluxione frigida potissimum existente, melanthij vel nigellæ quoque, tum cumini vsti odorem suscipere commendauit: nec minus conuenit pulegium odorari: demittantur a. in sericō aut linteo: Passio hæc si puerulis eueniat: vbi siccante puluere sine calore multo vsus fueris, suffumigiis ex thure vtere, & ex nigella aceto infusa. Aliquando & acetum calidum olfaciat, & cardomomum, & alia huiusmodi, quæ crassa extenuare, & siccare possunt. Idem possunt & alia suffimenta suffita: nam odores & causam proximam siccando abscindunt, & remotam (*vt recte etiam docebat Iacch. supra Rhas.*) id est, intemperiem, sanant. Præter coryzam, alij etiam his adiungunt. Caput desternutatione, licet affectus plerumque veniat à capite per modum catarrhi, modo à causa exteriori ex radiis solis, vel penna intromissa, vel pulu. aut ab interna causa ab humore, ventositate, eo quod ex motu cerebri narium carunculas pungit aliqua res mordicans etiam ad nares referunt, vt Gordonius de ea tractat post sanguinis narium profluuium. Verum cum nos *lib.* 10. *de cerebri morbis* ageremus, de ea tractauimus *Obs.* 127. ita vt non opus sit aliud de eadem re nunc exemplum adferre: Absolutis itaque narium morbis ac nasi affectibus, ad labiorum, vitia, gingiuarum, dentium, oris, atque linguæ decimo tertio hoc libro finito, transeamus.

Finis Libri decimi tertij.

OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM

Liber decimus quartus.

DE ÆGRITVDINIBVS LABIORVM, GINGIVARVM, Dentium, Oris ac linguæ.

OBSERVATIO I.

De labiorum fissuris.

VMENT sæpe labia ac finduntur, sicut & narium extremitas ex acutis destillationibus; quæ difficulter interdum persanantur, vel etiam ex causa procatarctica vel externa, à puluere, vento, calore, frigore, casu, obuiatione. Vel à causa aliqua interna, humore calido, acri, pungente, salso, labia exulcerante vel pustulas inducente: qui humores modo à capite per catarrhum defluunt, vel sursum vapores eleuati à ventriculo vel toto corpore, modo per viam crisis in febribus acutis, etiam in febribus tertianis: in quibus etiam aliquid boni sæpe arguunt, & solutionem febrium indicant: vt aliquot etiam exemplis ostendimus, cum de febribus loqueremur. Sic quædam matrona nobilis à causa

à causa externa vento boreali fissuras labiorum & siccitatem incurrebat. Cui consilium dedi, vt vng. pomato albo omni vesperi, cum cubitum iret, labia inungeret: quo præsidio vtens, alio non indigebat. Quemadmodum altera mulier vng. sequenti commode illiniuit, quod ex recent. axung. gall. cera alba & aqua ros. sæpius lotis constabat. Ægineta labra disrupta illinit amurca cocta, vel adipe anserin. cum melle, terebint. æquali portione, ros. floris, hyssopi rosacei singulorum momento. Aët. qui pelliculam internam fissuras labiorum agglutinare tradit, & quæ circa palmar. ossicula adhæret, & texturam albam araneorum à trabib. dependentium. Fissuræ vero, quæ in altum magis se extendunt, adipe anserino vel caprino persanantur, aut medulla bouilla aut ceruina, & cum semperuiua atque terebint. vnita illinas.

SCHOLIA.

LAbia ab opifice maximo, nō sine ratione creata: os n. claudunt, ne fiat inspiratio per os sed per nares: nisi tempore necessitatis, naribus occludis. Neque ob hanc causam os claudunt, verum ne externa, quæ nocere poterunt, ingrediantur, *vt muscæ, araneæ & similia.* Iam & dentibus ac gingiuis propugnaculum est valde decorum, vt patet in iis, quibus dentes quasi nudi cum labris curtis aut discoopertis cernuntur. Efficiunt quoque labra sic occlusa, ne aër externus continuo dentes, tum gingiuas, contingat, & consequio citius lædat. Iuuant similiter ad saliuæ retentionē, ne cōtinuo defluat: sed voluntarie, prout honestum est, expellatur: similiter & sputum. Iam etiam magnum iuuamentum ad formationem loquelæ habent. Cōmodius quoque cibus in ore continetur dentib. anterioribus, adiuuantibus labris, si qui molares amiserint. Iuuant deinde ad potum etiam brutis. Sunt a. cōposita ex neruis & musculis, qui mouent ea, & pelle subtili ac multum tenui à parte interiori, & crassiori ex parte exteriori. Labrum quoque inferius sæpe tremulū apparet metu, vel ira interdum. *vt Francisco Viario Venero Patritio, vt scribit Alex. Veronensis*, dum loquitur, semper tremit. In nausea fere semper, vel ex humore mordaci, vel oris stomachi nimia agitatione, magna inter se communicatione, tremit. Hinc cum labrum inferius tremit, vomitum plerumq; futurum præsagit, *vt auctor est Gal.* 3. *de crisi ca.* 13. Interdum ex cerebri aliquo ingenti affectu, illæ vomitiones prosunt: hinc quæ cerebro & occipitio imponi diximus, omnino cōferunt. Interim causæ distinguendæ, quibus labra finduntur, apostemantur, inflammantur, exulceranturve (quatuor n. labiorum ægritudines ab Auic. & ab aliis, *vt Valesco*, qui eum sequuntur, numerantur: fissura, apostema, hæmorrhois, & tremor, (*de quo nunc diximus*) licet fere easdem causas habeant cū narium pustulis, fissuris, apostematib. & vlcerib. & fere eodem modo vt hæmorrhoides narium, vlcera & apostemata sicut alia, curentur: Causæ a. facile distinguuntur: nam causæ procatarcticæ facile ex ægri sermone habentur atque cognoscuntur. Internæ vero, vt si acres humores à capite ad labia decumbunt, manifesta caliditas & siccitas in labiis ac anteriori parte capitis sentitur, sæpe & fluxus catarrhi calidi ad nares. Ita quoque, si à frigore, humoribus frigidis vel salsis aut aduſtis: id dominia humorum indicabunt, tum pruritus, qui salsedini inest. Quæ si non adfuerint, à partibus inferiorib. vapor eleuatur, vel à iecore, vel stomacho, iis membris aliquo modo affectis. Si vero per viam crisis febris præcessit, & vt pluri-

mum veniunt cum alleuiatione ægri. Vlcera vero & hæmorrhoides & apostemata, signa per se nota habent, & ex quib. humoribus irritentur, vti etiam de narib. dictum est. Et quod ad prognostica attinet labia vlcerata, fissa vel pustulis infecta, sicuti in febrib. post signa coctionis; bonum quid significant: ita in lingua, membro nobili ac multū sensibili (*teste Gordonio*) vt potius symptomatis quam natura expulsa, semper quid mali adferunt, cum insignem calorem in spiritualibus membris & stomacho adesse significent, *vt 6. aph. com. 32. de tradis colligitur.* Fissuræ in labio inferiori in muliere frequenter apparentes ob siccitatem matricis, salaciatis signum præbent. Quouis modo itaque labia findantur, vel vlcerentur, si vitio sanguinis id contingat, cum dimittere necesse est; ex iecore vel capite, vel ex menti parte, vt quidam volunt; ex vitio stomachi, id deiectio vincit: ex his quæ alium emolliunt, & in ptisana cum hordeacea aqua laudatur, vel cucurbita in esca vel similia. Si ab humore aduſto, salso, bile aduſta, vel atra, digeratur materia oxysac. syr. de fumoterræ, & purgetur cum myrob. rhab. fissuræ & vlcera inungantur. Si causa calida, oleo ros. viol. axung. gallinæ recenti. muccag. tragac. extracta cum aqua ros. pluma illinitur. Si à causa frigida, vento boreali, in aqua ros. mel. ros. gum. trag. mastix & thus temperentur, cum adipe gallinaceo, vel anserino. ℞. *ceræ, adipis anatis, œsypi, rosac. an. p.j. trag. amyli, succi sem. cydonior. an. p. iij. gallæ, farinæ, cineris equinæ cal. dæ emulsæ, furfuris, plumbi vsti, an. p. v. vnctum confice.* Sanat illud omnes fissuras & equorum suffragines. Si propter causas externas, corpore repurgato. ℞. *ceruſæ lotæ lithærg. an. p.j. confice cum muccil. tragac. vel cum axungia recenti gallinæ.* & licet talia humida, vt axungia, putrefaciant, tamen quia anodyna est, & dolorem mitigat, conuenit in vlceribus labiorum (*vt dicebat Gordonius*) hoc enim modo siccitas nimia lithargyri temperatur & humectatur. Cætera labiorum vlcera, iis quæ oris vlceribus prosunt, persanari dicuntur. At vlcera labiorum ex lue venerea, aliter curantur, vt exemplo sequenti docebimus.

Prognostica.

Causæ.

Fissuræ & vlcera labiorum, quomodo curantur.

OBSERVATIO II.

De labijs vlceratis, inflatis, subnigris, tumidis, plumbeis & duris carcinomatis instar, ex lue Gallica.

IVuenis quidam annos 18. natus, lue Gallica infectus, præter labia vlcerata, inflata, nigra, tumida, plumbea, dura, carcinomatis instar, etiam bubonem venereum in inguine habebat, cū varia tentassent remedia medici & chirurgi, cumq; parum proficerent, medico peregre profecto & diutius extra vrbem morante, ad eundem iuuenem curandū accitus fui. Chirurgus hoc tempore non alio remedio quam topico vtebatur: labia solummodo ea fœditate infecta, solo vnguento nutrito dicto inungebat. Quo medicamento cū nihil proficeret, & tempus vernum esset, curationem hoc modo instituimus. Pharmaco leniente ex cassia deuorato, altero die venam communem in brachio dextro secari fecimus, sanguine valde corrupto (*qualis esse solet plerumq; in lue Gallica*) ad libram vnam fere exeunte. Deinde illum purgauimus cū decocto senæ, tū cassia, ac confectione hamech adiecta. Demum, ad maiorem sanguinis seu ichoris depurationem, hoc decocto vtebatur. ℞. *fumariæ, summitatum lupul. borag. bugloss. agrim. an. m. j. flor. cord. p. j. rad. cichor. ʒ ß. sem. anisi ʒ j. sem. end. ʒ i ß. prun. dom. asc. num. xiij. vuar. passul. enucleat. ʒ ß. rad. enulæ cāp.*

ʒ ij. *folior. senæ* ℥ j. *myrob. indorum, citrin. chebul. an.* ʒ ij. *glycyrr. rasæ* ʒ iij. *polypod. querc.* ℥ ß. *epith.* ʒ ij. *fiat omnium decoctio in aquæ comm. fumar. lupul. q.s. ad* ℔ j. ſtent ſupra herbas per noctem; mane fiat colatura, decocto prius manibus diligenter contricato; mox colaturæ addendo *syr. de fumoter.* ℥ j ß. *syr. borag. de epith. ex infus. ros. an.* ℥ ß. *miſce pro apozemate.* Poſtea eundem purgauimus cum confectione hamech, diſſoluendo ʒ j. *cum aquæ fum.* ʒ iij. *syr. de fumoterræ* ℥ j. Deinde iterum decoctum ſumpſit: eoque ebibito, denuo purgatus eſt. Tandem ad decoctum ligni guaiaci peruenimus. Ante huius vſum cubiculum eius ad hoc paratum erat, & rimæ ac feneſtræ vndique occluſæ, vt commodius ſudaret; victu conuenienti, vt decet, obſeruato; pane biſcocto cum paſſulis ſumpto in cœna, & prandio carne exigua nõ ſalita, ægro ad ſex ſeptimanas in cubiculo permanente; quo quidem tempore decocto vtebatur, cuius hæc erat deſcriptio. *℞. hagioxyli optime deraſi* ℔ j. *aquæ communis & aquæ endiu. an. pint.* vj. *noſtras communes*: ponantur in olla ſtricti orificij & fictili vitreata per noctem & integrum diem bene cooperta: deinde in duplici vaſe coquantur ad tertiæ partis conſumptionem vt artis eſt, ac vſui reſeruetur in poculo quoque vitreato ſtricti orificij. Mane huius decocti bibebat ℥ vj. in lecto ſudans ſi poſſet, quinque horis ante prandium, manens in cubiculo ſuo vaporario. Sex deinde horis à prandio ℥ vj. & poſtea potioni magis aſſuetus etiam noctu cyathũ paruum ebibebat. Supra reſiduum decocti ſupraſcripti, pintæ xij. affundantur aquæ puræ, & ad quartæ partis conſumptionem bulliant: eo pro potu quotidiano & loco ceruiſiæ vtebatur, & horis intermediis à paſtu, ſi ſitiret. Sexto die April. diætam hanc inibat. His bubo venereus delituit, & curatus fuit chirurgi opera, remanente aliqua duritie, quæ emplaſtro diachylo cum gummis, etiam ceſſauit. Quod ad labia curanda attinet, imperauimus, vt chirurgus à nutrito abſtineret, atque labia vlcerata prius etiam dura, nigra carcinomatis inſtar, aſpectu horribilia, decocto ſequenti ſæpius lauaret, & panno lineo in eodem conculcato & labiis appoſito curaret. *℞. hagiox. optime deraſi* ℥. ij. *bulliant in pinta vna aquæ ſolat. deinde colo exprimantur, addendo alu. min.* ʒ j. *rurſuſque ebulliant ſemel.* antequam tamen colentur, maneant ſupra reſidentiam. Iſtis labia fuere perſanata, cum alius medicus neque chirurgus per integros tres menſes iuuenem in curatione habentes nullo modo curare potuerint. Interea dum hoc decocto & victus genere vteretur, ſingulis 8. diebus, ſi aluus non ſatis reſponderet, tali potione vtebatur. *℞. fol. ſenæ* ʒ ij. *ſem. aniſi* ʒ ß. *infunde per noctem in aqua fum. borag. lup. an. q.ſ. facta leui ebullitione prius, mane huius expreſſ. accipe* ℥ iij *caſſiæ mund. cũ manna* ʒ ij ß. *confect. hamech.* ʒ i ß. *ſyr. de fumoter.* ℥ ß. *miſc.* qua optime aluum deponebat. Eo die à decocto primo abſtinebat, pro potu tamen ſecundo vtebatur. Die vero ſequenti more ſolito, vt prius primo quoque vtebatur, tum ſecundo. At 8. die Maij gutture dolente hoc gargariſmo vtebatur. *℞. aq. plant.* ℔ i ß. *ſem. cydon. ſumac. an.* ʒ j. *ebulliant & colentur, colar. adde mell. ros. colati diamori, an.* ℥ j. *miſce*, quo præſidio illud accidens quoque ceſſauit. 9. die Maij rurſus cum aluus reſiſteret, ſequens potio propinata eſt: *℞. fumar. ſummitatum lupul. borag. bugloſſ. an.* m. j. *folior. ſenæ* ℥ ß. *ſem. aniſi* ʒ i ß. *prun. dam. nu.* vij. *uuar. paſſ. enucl.* ℥ j. *bulliant in ſero lactis, & huius fortiſſ. expreſſ. accipe* ℥ iij ß. *confect. ham.* ʒ ij ß. *caſſiæ mund.* ʒ ij. *ſyr. è fumoter.* ℥ ß. *ſumpſit mane hora* v. altero die rurſus reuerſus eſt ad decoctum guaiaci, vſque in finem eiuſdem menſis. Cum iam videretur ſanatus, & poſtea debilior factus, craſſiorem diætam conceſſimus, colophonemque curationi imponentes, hoc apozema præſcripſimus. *℞. hagioxyli* ℥ ij. *rad. enulæ campanæ* ℥ ß. *fumar. cichor. dent. leon. ſummit. lupul. borag. bugloſſ. aceroſæ, ſcabioſ. ana* m. ß. *ſem. aniſi* ʒ i ß. *end.* ʒ j. *prun. dam. num.* vij. *uuar. paſſ. enucl.* ℥ j. *rad. glycyrr. raſæ* ℥ ß. *folior. ſenæ alex.* ℥ i ß. *polypod. querc.* ℥ ß. *epithymi* ʒ ij. *rad. ellebor. nigri* ʒ j. *myrobal. omnium, an.* ʒ ij. *rhab. ſelecti agarici trochiſc. an.* ʒ ß. *ſchœnan.* ℈ j. *fiat omnium decoctio in aqua communi fumariæ, lupul. borag.* pro ℔ j. *ſtent infuſa ſupra herbas per noctem: mane manibus diligenter fricetur decoctum & coletur. addendo ſyr. de fumoterræ* ℥ ij *ſyr. ex infuſ. roſ. ſyr. de epithy. an.* ʒ j. *miſce pro 4. doſibus matutinis.* quotidie ſepties vel octies aluum deponebat; & cum debilis euaderet, diem vnum aliquãdo interpoſuimus. In fine Maij hanc potionem quoque ebibit. *℞. habioxyli* ℥ iij *fumariæ* m. ij. *ſcabioſ. agrim. viol. aceroſ. borag. bugloſſ. ſummitat. lupul. cichor. endiu. an.* m. ß. *ſem. aniſi* ʒ i ß. *ſeminis citri* ʒ ß. *fol. ſenæ* ℥ ß. *epith.* ʒ ij. *myrobal. indor. citrin. an.* ʒ j. *uuar. paſſul. enucl.* ℥ j. *glycyrr. raſæ* ʒ iiij. *rad. enulæ campanæ* ʒ ij. *fiat omnium artis ratione decoctio in aqua communi & fumariæ q.ſ. ad* ℔ j. *ſtent ſupra herbas per noctem, mane coletur, addendo ſy. ex infuſ. de ſementerræ, de epith. an.* ℥ j. *miſce pro 4. doſibus.* Deinde in principio Iunij iam exacte curato ægro, ne labia rurſus inficerentur, ſanguine rurſus è brachio dextro ex vena baſilica detracto ad ℥ ix. cum color ad rubrum mutaretur, vena rurſus occluſa, hic à lue Gallica & labiis vlceratis duriſque curatus fuit.

Scholia.

Vide Conſultationem 63. Montani doctiſſimi ſub finem, *de morbo Gallico*, in quo ægro forte ſimilia imperata ſunt, ſed de lue venerea alias latius. Sed quia hic labia vlcerata, poſtea etiam nigra, inflata carcinomatis inſtar haberet, ex lue Gallica contracta, & quia nunc de labiorum vitiis agimus, obiter & hæc inferere voluimus; cum aliter ex lue Gallica orta curentur, aliter vero, quæ ſine contagio fiunt. Ad magnas & profundas fiſſuras labiorum, primum confert vnctio ex adip. & pe hœdi: deinde anſeris; etiam adiuncto melle, ſi diu opus eſt, terebinth. abietis, adiectis floribus ros. *hyſſopo & maſtiche.* Alij inungunt cum melle ros. ſolo aut cum ſucco bryoniæ & ſale, etiam folia bryon. appoſita conueniunt. Vel: *℞. amyli, ſteinid. an.* ʒ ij. *aquæ roſ.* ℥ iij. *miſce, & unge. hoc enim ulcera & fiſtulas ſanat in labijs, & ea quæ in febrib. contingunt. Si plura de his deſideres, lege lib. 6. Petri Bayrõ cap. 3. de fiſſur. ſeu ſciſſ. labiorum.* Hoc & vnice commendat poſt vniuerſalia remedia, ad ardorem, combuſtionem & vlcera labior. *℞. lithar. ceruſſæ, plumbi uſti, ſem. hyoſciami albi, an. olei roſ. ceræ q.ſ. fiat unguent. & unge.* Præter hæc vitia, etiam curta, ſicuti in auribus, ita & in labris eueniunt: Græcis Colobomata, *auctore Paulo lib. 6. cap. 26.* vocantur. Porro iuxta eundem ſarciri poſſunt; & hac ratione, curarantur chirurgia. Primum cutis ab inferiori parte ſoluitur: mox oræ vulnerum contrahuntur, ac id quod in callum coaluit, auferetur. Deinde ſuturæ illis injici debent, & conglutinantia. Nunc ad dentium mala progrediamur, & omnium primo de dentium dolore.

OBSER-

OBSERVATIO III.

De dentium dolore.

INter dentium affectus, is præcipuus eſſe videtur, qui à Græcis ὀδοντάλγια, *à Latinis dentium dolor* dicitur, à ſymptomate & parte affecta nomen ſumens, *vt patet 2. meth. medend.* Hic namque maximis tormentis annumerari poteſt, inquit Celſus *lib. 6. cap. 4.* Id multi norunt, qui hoc malo affecti fuerunt, inter alios nobis occurrit vxor Lucæ Andreæ Cellij mercatoris Alcmariani; quæ anno 1547. menſe Maio ita dolore dentium afficiebatur, vt fere ad inſaniam redacta fuerit. Vtebatur autem diuerſis topicis remediis, ſed ante vniuerſalem euacuationem & purgationem. Inprimis nodulum quendam ſtaphide agria incluſa, ex tonſoris conſilio maſticabat, pituita plurimum ſaliuali ab ore continuo defluente. Cum neque hæc iuuarent; magiſque doleret, collutioni aquæ vitæ vel quintæ eſſentiæ (*vt vocant*) vſa eſt: ficubus quoque per medium ſciſſis denti dolenti applicitis. Interim maxillam quoque circa dentem dolentem inunxit oleis admodum calidis neſcio quibus, etiam ſapone, tum aliis infinitis empiricorum medelis impoſitis. Vtrum mulier alioqui ditiſſima ſorditie quadam innata non conſuluerit medicum, ignoro. Verum dolore magis magiſque ſupra vires aucto, me tandem conſuluit. Cum autem faciem ſupra modum inflatam & rubram haberet, atque eandem plethora affectam eſſe animaduerterem, illico chirurgo accerſito, vt in cubito è directo dentis doloroſi è vena cephalica ſanguinem copioſe mitteret, mandaui. Quo factum eſt, vt dolor ex incontinenti ita ſedatus ſit, vt nocte ſubſequenti plus dormierit, quam aliis quinque præcedentibus. Altero tamen die cucurbitulas cum ſcarificatione ſcapulis apponi iubeo, ſanguine denuo vtcumque extracto, & hunc ſyr. propino. *℞. ſyr. de end.* ʒ j. *oxym. ſimpl.* ℥ ß. *aquæ end. becon. bugl. an.* ℥ j. *miſce.* dulcia his minus conueniunt, niſi fuerit mel. roſ. oxymel. vel ſcillinum: nihil enim æque dentes offendit vti ſaccharum, & quæcumque dulcia ſunt, cum & eoſdem corrumpant. Huius exemplum nobis præbent Pharmacopœi, qui cum ſyrupos cum alia dulcia ſemper guſtant, fere omnes dentes corruptos & exeſos habent: ficus idem præſtant; quibus & hæc mulier perperam vſa fuerat. Et cum ficus per ſe dolorem dentium inducant, quanto magis dolorem nunc præſentem auxerunt? Sequenti mane hoc leniens pharmacum ſumpſit. *℞. diacath.* ʒ vj. *diaprun. ſimpl. ſeu lenit.* ʒ iij. *pulu. hyſſopi ſicci, abſinthij ſicci, an.* ℈ j. *fiat bolus*, quo quinquies aluum deiecit. Mox ad topicum medicamentum deuenimus ad dolorem reliquum depellendum. *℞. maſtic. ſtaphid. agriæ, an.* ʒ j. *ſe hyoſcyam.* ℈ j. *fiant ij. globuli in panno lineo rato*: vnum poſt alterum maſticabat, & pituita ex ore defluente, ab omni dolore liberata, cum quadam admiratione, hoc remedio nunc iuuante, prius vero dolorem inferente, idque ob cauſam antecedentem nunc per euacuationes (*vt huic reſpondebam, cum huius rationem expeteret*) ablatam, cum in iis adhibendis remediis ordo obſeruandus ſit, quem empirici ignorant. Et vt huic curationi finem imponerem, oleo chamæmelino & liliaceo exterius maxillam inungebat. Et his omnibus iam dictis ſanata eſt, ac ab omni dolore liberata. Hoc exemplo omnes medici docentur vniuerſalia particularibus & topicis remediis ſemper eſſe præponenda, ſi ex defluxu humorum vel eorundem copia dolor aliquem locum occupet. Sic nobilis puella, annos circiter 22. nata, dentiũm dolore laborans, ex pyrethri maſticatione magis afflicta eſt, tumore oborto in maxilla, guttur occupante, vt deglutire non poſſet. Huic aluo ſoluta per glandem, & ſanguine demiſſo ex vena baſilica cubiti dextri: (*nam in dextra maxilla tumor erat, non ſine febre*) appoſito cataplaſmate. Deinde emplaſtro de mucilaginibus: quod cum ferre non poſſet, ob odorem, vt dicebat, appoſitum fuit diachylon cum gummis: & intus ruptum eſt apoſtema. Exhibita vnc. i ß. mannatis cum iure carnis, tunc prius demum curata fuit.

Scholia.

DEntes viris fere 32. mulierib. 28. Maxillæ vtroſque dentium ordines cum ſedibus ſuis, quas Græci φατνία, nos *præſepia* dixerimus, continent, earum ſingula 16. dentes exigit: ex iis quatuor primi, quia ſecant, à Græcis τομεῖς nominantur. *In vtroque dentium ordine* (inquit Holler.) *quatuor acuti & lati, vt prehenſum cibum ſolidum incidant, vnde τομεῖς & τομικοί, ijſdem γναθικοῖ, quod in viſu ſeſe maxime proferant.* Inter quos duo medij & præcipui Columellares, exoriuntur fere primi ſeptimo menſe; quamquam aliis tardius. Hos ad latera Canini duo ſequuntur: acuti quidem, ſed non lati, ac potius in cuſpidem acuti, quales in canib. cernuntur. Hi ad dura oſſa conterenda apti ſunt, duo numero in vtroque ordine. Vltra quos ab omni parte *Maxillares*, quos & *Molares* vocamus. Canini vero ad 10. fere menſem aut nonum enaſcuntur. Maxillares, lati, duri, aſperi, grandes, plani, firmis radicibus defixis: in quibus, qui genuini vocantur & poſtremi erumpunt, tardiſſime apparent vix anno 20. *vt Ariſt. voluit*, aut poſt genituræ profuſionem, *vt Auicenna*: Varro anno 7. Reliqui maxillares ante ſecundum annum & ſecundo anno producuntur. Primores, vulgus *Anteriores* & *Lacteos* appellat: Caninos vero, *Oculares*: Maxillares parum deflexa voce *Maxillarios*. Creſcunt dentes, quia nutriuntur, & aſſiduo teruntur manſu. Excidunt omnes ætate: ſed poſtremi maxillares, neruos ſubſtratos habent à tertia coniugatione: qui affecti imaginem præferunt laborantis dentis, quomodo & gingiuæ. Refert Valeſcus quadam Prioriſſa, *cui per multum tempus propter ſenectutem defecerunt menſtrua, & tempeſtiui venerunt in vertice cani, & fere omnes cecidere molares, uberum vero parum aut nullum apparebat veſtigium, & rugæ in facie profundiſſimæ apparebant. Factum eſt itaque vt quicquid de capillis & pilis uriebatur & creſcebat, totum nigrum pullularet: & exibant dentes & molares, ſicut mos eſt infantibus fieri: ſic etiam uriebantur menſtrua, ac vt in iuuenculis, abundanter fluebant. Mammillæ vero uelut in uirginibus eleuatæ fuerunt, monſtroſæ: rugæ euanuerunt, & facies pulchra in tantum quod illa honeſta & religioſa monialis Prioriſſa uerecundabatur, & uixit per multum tempus in religioſa uita. Et hoc fuit quaſi myſterium raro contingens.* Refert quoque Benedict. Veronenſ. *Victoriæ Febrianenſi* cuidam fœminæ octogenariæ *dentes quoque renatos fuiſſe*; & *à deſtillatio capillos ortos.* Hiſtoriam dentium ſcribit Ariſtot. 4. *cap. 8. lib. 5. de gener. animal. cap. 1. lib. de partib. animal. cap. 1. 2. 3. 4. libr. 2. De hiſtor. animal. Gal. 11. de vſu partium. Plin. cap. 37. lib. 11. Celſus cap. 1. lib. 8.* quos tyrones legere poterunt. Dentes autem in propria ſubſtantia & ſentire & dolere contra multorum ſententiam affirmat Gal. *16. de vſu part. & 3. de compoſ. medic. ſecundum locos.* Vel propter

Tribus modis fieri posse, vt dens doleat. Signa.

affectum neruum, qui ex 3. coniugatione distributus, omnibus dentibus ad eorum radices substernitur, aut propter gingiuarum inflammationem non raro dolent. Si in proprio eius corpore, æger sentiet circa corpus dentis dolorem in profundo obortum, nec vllum apparebit in gingiuis inflammationis indicium. Neruo autem ipso affecto, qui ad radicem dentis substratus est, quamquam imaginationem confusam, indiscriminatam, & incertam plerisque exhibeat *(namque videtur ac si ipse dens doleat, in propria substantia affectus)* id tamen percipere poteris ex vehementissimo dolore, qui in profundo valde ab ægris sentitur: nec ipsi dentes liuidi, aut quouis alio modo in eorum substantia, seu qualitate mutati apparent; similiter nec gingiuæ: & exempto dente, parua adhuc doloris portio remanet, leuiori tantum dolore reddito ex dentis exemptione. At si inflammatis gingiuis dentium dolor excitetur, ex earum inspectione prompte id percipere poteris. Id clarius exemplis sequentibus euadet.

8 *Si in propria substantia afficiatur.*

Si eiusdem neruus, signa.

Si propter gingiuas dens doleat.

9

OBSERVATIO IV.

De dentium dolore, propria ipsius substantia affecta.

1 DEntium morbi varij, nigrescunt, cauantur, eroduntur, humore destillante carioſi & fœtidi euadunt, atteruntur, obstupescunt acribus, calidis superuenientibus, frigidis & algoribus protinus vitiantur, extenuantur in senecta (*vt diximus*) & labentes sponte decidunt, suppurant dolore & cruciatu impatibili. Scribit Gal. *experimento in se ipso percepisse dentes inter ossa duntaxat euidentem sentiendi vim habere.* Id ipsum & ego, cum iuuenis essem, & in dente molari insignem dolorem haberem: qui dens cum corruptus esset, & chirurgus eum extraheret, cum 16. agerem annum, extrahere non potuit. videbatur tamen paululum elongatus, & dolor cessabat ad 4. vel 5. annos. Cum Louanij agerem, nullo dolore afficiebar. Sed cum postea in Italiam appulissem, dolore redeunte, extractus est idem dens, & ab eo tempore vsque in senectutem, nullo vnquam dolore dentium laboraui: quamquam postea anno ætatis meæ 63. cum alius dens mihi doleret etiam molaris, ac attritus & corruptus esset, & aliquo modo videretur mobilis, deliberabam, ob dolorem insignem, vt idem extraheretur, propter senium tamen non audebam, cum Bononiæ contigerit eo tempore, quo studiis ibidem in Italia impalleſcerem, quod Dentarius in foro publico cum in sene detraheret dentem, subito extinctus est. Ob ingentem tamen dolorem accessi chirurgum, qui eundem extraxit: qui equidem omnino corrosus erat, quamquam radicitus inhæreret. Dente ablato, statim dolor cessauit, neque vllo dolore postea affectus, iam an. 68. superans bona valetudine fruor, & dentes vtcunque validos pro mea ætate habeo, satisque cumpactos. Raris enim dentibus genitos breuioris esse vitæ indicium tradit Aristoteles. Contra longioris, qui dentes bonos, validos & compactos habent.

2

Scholia.

3 AFfectiones dentium cum aliæ sint euidentes, vt cum dentes sunt perforati, detriti, aut denigrati, vel plus quam natura dentium fert infrigidati, calefacti, commoti, elongati, erosi, putridi, fœtentes, debilitati, superadditi: à quibus omnibus, si dentium dolores exorientur, hæ illius causæ aperti erunt, sic et, si à gingiuarum inflammatione doleant: aliæ sunt occultæ, si à neruis dolor (*vt diximus*) procedat. Quæcunque igitur pars in dolore, dentium affecta sit, perpetuo dolor ipse symptoma erit, veluti omnes alij dolores, subsequiturque vel continuitatem solutam, vel inæqualem intemperiem aut vtrumque. Itaque ab omni causa quæ continuum soluit, ac inæqualem intemperiem gignere posset, inducti potest, à caliditate, frigiditate, & aliis intemperaturis. Et sic læduntur ab externis causis, ab icta, à casu, obuiatione rei duræ, ab externo frigore, calore. Præcedentes causas Benedict. Fauent. præceptor meus ex Gal. refert dentium denigrationem, putrefactionem, erosionem, commotionem, tepletionem totius aut capitis gingiuarum, vermes quoque neruumque vitiatum. Continentem causam ait esse vel acquisitam intemperiem, hæresscentem, immediatæ substantiæ dentium vel cum humore inunctum, vel absque humore, etiam solutionem continuum dolorem gignentem. Calida affectio, ex intenso dolore, subrufa facie, calidoque totius corporis temperamento, vigente ætate, tempore anni, regioneque & aëris statu, ac anteacta vita consimili, percipitur. Si ex frigiditate, indiciis contrariis innotescet, ex figura capitis, tum reliqua corporis, ex diæta præcedente, exercitio, ac reliquis, *vt apud Aetium videre licet.* Si ab humiditate iam dicta, ad humidum tum caput, tum vniuersum corpus verget, delicatius vixit in domo humida, tempestas humida præcessit & mobiles dentes fiunt. Si à siccitate dolores intolerabiles, item temperamentū capitis & totius sitis adest semper, nisi adsit frigiditas vna cum siccitate. Minimum quoque sputi ejiciunt, præcessitq; autumnalis tempestas, vita ærumnosa, tenuis diæta, & aër siccus. Ac si composita intemperies sit, ex indiciis cōplicatis intelliges. Si calida & humida, temperamentum totius tum capitis calidum & humectum erit, coma plurima subrufa, regio calida, humida, tempus anni vernum, acris flatus, idem & austrinus, ita & de reliquis combinationibus censendum. Si etiam humores adsint, qualitate vel humorum multitudine excedentes, ex reliquis circa corpus signis facile, tum ex colore, cognoscetur. Flauæ bili dolor punctiuus aderit, pituitæ cum frigiditate, distensio locorum: nigræ bili, affligens sensus, veluti corpuscula in profundo confringentia. Si humores ex æquo aucti grauitas concomitatur. Sapor quoque speciem influentis humoris arguit, amaritudo bilem, salsedo pituitam, aciditas bilem nigram. Corrosio vero seu perforatio. *Aetio & Gal. auctorib.* ex influxu humorum acrium & erodentium, fiunt, & mobilitas ex humidiate citra doloris sensum accidit: nam humiditas per se dolorem adferre non consueuit, imo ad eam nullus consequitur dolor, *Gal. teste 2. de comp. med. secundum locos.* Quamquam ad qualitates ipsius attinent, ob multitudem tamen instrumentalium partium morbum faciens, dolorem interim parit. Quocunque tamen modo fit dolor dentium, *iuxta Celsum & Gal.* inter maximos dolores annumeratur. Propterea eius curatio parui facienda non est. Idem *Gal. lib. 5. de compos. medic. secundum locos*, scriptum reliquit, dentium tenuitatem ob alimenti inopiam curari non posse, cum laxari tum moueri ipsos necessarium sit, compage quoque ipsorum laxiore facta: namque non solum ipsi dentes, sed & locelli eos complectentes sunt attenuati, quam dentium affectionem senibus accedere inquit, citius aut serius, velut etiam magis aut minus. Attamen dolor dentium

tium ex solius sanguinis copia facilius curatur, & cito iudicatur. At bilioso humore, quoniam acutus & mordens est, breuius terminatur: cum maiori periculo & molestia à pituita & atra bile diuturniorem habet iudicationem, & mitior est ac minus molestus, & cum minori periculo, ob causam frigidiorem. At dentium dolor cum eorundem stridore & febre acuta lethale, ob conuulsionem musculorum temporum: vel accidens futuri delirij est, si non sint consueti stridere 1. Prog. 24. Verum si quis dolore dentium vehementer laborauerit, si in gingiuis tumor præter naturam exierit, bonum: significatur enim materiam doloris in profundo dentis dolorem facientis propulsam esse, vel naturæ ope, vel artis beneficio per viam deriuationis. At ea dentium affectio, quæ proportionem ad inflammationem habet, præter id quod magis iuuenes corripiat, curationem quoque recipit, cum iisdem, quæ ad inflammationes valent. Senibus vero maxima ex parte ex debilitate gingiuarum fiunt: *vt sequenti exemplo docebimus*, & ex commotione eorumdem: idcirco, *vt recte docuit Benedict. Fauent. præceptor meus*, medicamentis egent, quæ facultatem habent magis adstrictoriam, quæque firmitatem & stabilitatem inducunt, *vt postea de curatione magis constabit.*

7

OBSERVATIO V.

De dolore dentium ob gingiuarum tumorem & inflammationem.

1 SEnex quidam cum iuuenculæ desponsatus esset, cumque dentes priores, tum alios quoque mobiles haberet, ne pro edentulo haberetur, & loquela impediretur, atque gratior sponsæ suæ esset, me consilij causa accedebat. Sunt enim dentes in homine non solum ad conficiendos cibos & masticationem necessarij (*vt sine ijs vitæ magna ex parte dulcedo amissa videatur*) verum etiam ad loquendum vtiles: nam dentibus ablatis minus perfecte senes loquuntur. Ad eloquendum cum defluxerint primores, præsertim conceptu quodam linguæ ictum suscipientes explanationem vocis sermonisque omnem hebetantes verba adimunt. Ob id quidam adalligarunt (*vt refert Benedict. Veronens. medicus lib. 6. in proœm. de affect. dentium*) filo aureo, aut pectine eburneo; sim ilata dentium structura, ita vt cernentes fallant, illa apte collocant, vt cum comedendi hora fuerit, exemptiles habeant. Senex vt id fieret optabat, seque referebat aurificem quendam inuenisse, qui id artificiose præstare posse pollicebatur, cum illud ipsum Antuerpiæ quoque dextre factum dicebat. Ego a. illud difficile posse fieri dicebam, quamquam quosdam id etiam fecisse Bened. Veronens. referre videbatur, verebar enim ne quid aliud mali accederet. At senex suo artifici fidem habet: qui cum filo aureo ita dentes ad inuicem adalligasset, die vno atque altero intermisso, miser senex non solum gingiuarum inflammationem, sed & dentium dolorem incurrebat, atque me denuo ad se vocat: cui labra ac totum os ita inflata erant, vt vix hominem agnoscerem, quamobrem, vt illico artificem vocaret, (*nam ita dolore afficiebatur, vt neque dormire, neque ob inflammationem comedere posset*) & vinculum illud aureum dissolueret: quo quidem soluto, & corpore repurgato, & iis, quæ ad inflammationem facerent, adhibitis, paulatim os ac labra detumuere: & tandem cum se se multis risui exposuisset, à dolore dentium ob inflammationem gingiuarum exorto, propter vinculum iniectum, liberatus est.

2

Scholia.

DOlor dentium pro causarum varietate, diuerso modo curatur. Sic phlegmones dentium sanantur, iisdem ferè rationibus, quibus cæteræ partes corporis curantur, superabundantiam humoris demendo, & eundem discutiendo: & si qua materia est, quæ subinde erumpat, suspendere prius oportet, vel eam finire aut consumere. Si exigua fuerit materia, stipticis sæpe sanatur colluto ore; si multa, vniuersum corpus & capitis partes procurare necesse est. Sed à simplicioribus incipiendo, si ex caliditate dolor excitetur, victus ratione instituta, vt decet, præsertim in cibo & potu, quoniam ptisana, alica, lactucis, & cucurbita, & quæcunq; tandem his potestate sunt propinqua, vesci debent, eisque modicis, mollibusque vtendum, ne mandentis dentes irritent: id quod seruandum est in quouis dentium dolore, ex quacunque causa oriatur. A vino abstinendum, aqua potius vtendum, in qua semina coriandrorum præparatorum fuerint decocta, aut cinamomi exiguum; vel ceruisia nostra communis: frigidis quoque medicamentis pro eius curatione vtendum erit: eis tamen non immodice, præsertim actu frigidis, nisi vehementissimus dolor vrgeat: namque ex immodice frigidis lædi dentes consueuerunt *Hipp. & Gal. testib. aph. 18.* Si gingiuæ affectæ, locis affectis nudis remedia applicanda omnis mordacitatis expertia, mediocriter acerba & terrei temperamenti, acetum vt acutus gladius hostilis, *iuxta Aetium*, vitandum, cum acore suo gingiuas corrodat: lac asininum prodest, & pimpinella trita, *vt Trotula inquit.* Si dentes vna cum neruo & pelliculis doleant, pharmaca sint tenuium partium, vt in profundum penetrent: & si calidus sit morbus, refrigerantia tenuium partium commiscebimus, si frigidus, calida etenim tenuium partium adnectemus. In calido affectu os colluemus radice haliacacabi in aceto albo decocta, valet & viol. portulaca, parictaria in vino cocta. Aëtius hyoscyami foliis aut sem. papau. vtitur, & sem. lactucæ in aceto decoctis si dolor intolerabilis sit. Vide plura apud eundem & Donatum ab Alto mari, *quæ ab eodem tum Paulo & Alex. sumpsit.* Si ex frigiditate dentes doleant, vniuersa victus ratio ad caliditatem vergat, ptisana cum pulegio decocta valet, aut cum pipere ruta, similiter & alica: & inter olera petros. laudatur: & potus sit vinum, modicum tamen. Collutiones ex origano, calaminta, prosunt, hyssopo, satureia in aceto vel vino decoctis, vel quorum sensus magis afficitur, in posca, *vt Aetius docet.* Locus dolens exterius oleo chamæmelino, anethino vel irino inungatur. Si famula nostra cum in asperrima hyeme lintea exposita lauaret, vento boreali flante, ex frigore dolorem dentium incurrebat, cum lana succida olea iam dicta circa locum dolentem exterius admouebam, inungebam quoque vnguento alabastrino: illud egregie valet in omnibus doloribus dentium, vt experti sæpe sumus, ex quacunque causa: auri instillari iussi castorei exiguum cum nardo in oleo coctum, quo & Aëtius vtitur, postea maxilla inflata, quod bonum erat signum, materiam foras euocari, continuando inunctionem, dolor cessauit ex solo frigore contractus. Aëtius suffitum commendat ex canis mortui dente: ita vt fumus inde progressus ore excipiatur: deinde dentem vstum exiguo

3 *Curatio doloris dentium pro varietate causarum persicitur.*

A caliditate curatio.

4

5

Si ex frigiditate curatio.

6

aceto

aceto tritum in ore retinẽdum præbet: senecta serpentis ex tota essentia confert in aceto cocta, *vt patet* 11. *simyl. med.* Exusta quoque & trita cum oleo ad mellis solidi spissitudinem redacta, & denti dolenti imposita, *iuxta Gal. & Archig. lib.* 5. *de comp. med. secundum locos succurrit.* Si ex humiditate dentes doleant, ac vacillent, sicca victus ratione vtendum, & diuturniore ciborum abstinentia. Valent cibi sorbiles, alica, panis ex iure pullorum madidus, similia aut oryza seu polenta cum aqua mulsa, milium & lenticula, volucres montanæ & sicciores, ex oleribus brassica, pro potu mulsa prodest, vel aqua modico vino mixta, fotus cum milio & sale, & collutiones adstringentes exsiccantesque, *quales apud Alexand. Tralli an. & Aetium inuenies*: Quæcunq; etiam infrascripta sunt ad mobiles & vacillantes dentes, qualia & Donatus ex iisdem quoque auctorib. recenset.

Si ab humiditate curatio.

7 Si à siccitate, ex cibis confert succus ptisanæ, mica panis ex iure gallinarum, cucurbitæ, maluæ, ona sorbilia, & quæcunque humectant. Potus, vinum album, aquosum, dilutum aqua, medicamenta acerba & austera vitanda, vtpote his contraria, collutiones minimum adstringentes, mediocriter humectantes, aqua calida per se, vel furfuris aut rad. dulc. extrinsecus admotæ cum spongia, vel collutiones ex maluæ, ptisanæ succo, amylo cum sapa, *iuxta Aetium.* Si autem ex multitudine humorum doleant, venæ sectio adhibenda ex humerali vel media è directo laborantium dentium sita, *iuxta Aetij decretum*, & ex vena sub lingua: & cucurbitulæ scapulis affigendæ, & si venæ sectio prohibeatur, tenui victu humor consumendus: & euacuato corpore ad topica deueniendum: *de quibus postea latius.* Si ex defluxu calidorum humorum, vniuersi corporis tum capitis quoque ratio habenda, & bilis expurganda, deinde iisdem vtendum, quæ valent ad caliditatem. Ita quoque si ex succorum frigidorum confluxu dolor oriatur, toto corpore repurgato à pituita & capite per apophlegmatismos, astringentibus mediocriter vtendum, & validissime discutientibus & calidis: vti est ruta, polium, pulegium, origanum, hyssopum, capparis radix in aceto aut vino cocta, & ex iis collutiones paratæ, atque ea adhibenda, quæ & frigidæ & humidæ intemperiei valere diximus.

Si à siccitate curatio.

Si à multitudine humorum dentes doleant, curatio.

8 *Si ab aliis humoribus.*

OBSERVATIO VI.

De puella multis annis, dolore dentium afflicta.

PVella annos 18. nata quæ Delfis in insigni Nolæ habitabat, plurimis annis dolore dentium afficiebatur, variisque adhibitis remediis, tum iis quæ empirica dicuntur, nullo modo sedari potuit. Tandem ex mulierculæ nescio cuius consilio, duo noduli vel paruæ puppæ lineæ ad piforum magnitudinem confectæ sunt, quibus inclusa erant, *piper pulueri satum, sal, medius cortex sambuci, & filo constrictæ ne soluerentur*: per vices denti doloroso appositi sunt, & mox dolor cessauit, postea & alij plures hoc eodem medicamento sanati sunt. Non placet tamen mihi hoc remedium, si & humorum adsit defluxus, nisi corpore prius repurgato. Nam anno 1558. cum eodem præsidio vteretur, in eundem dolorem collapsa, nec illud præsidium iuuaret, me vocari iussit. Corpore expurgato cum pilulis infrascriptis. *Recipe pilul. cochiarum, aureatum, an.* ʒ ß. *fiant pilulæ* 7. *ex quibus vtcunque purgata.* Imperaui, vt supra dentem dolorosum radicem, lapathij acuti poneret per taleolas concisam, quo remedio dolor illico sedatus est, cum tanto successu vt eodem remedio in aliis quamplurimis (*præcedentibus tamen vniuersalibus præsidijs*) prospere vsus fuerim. Habui illud à rustico quodam: à quo vero ille habuerit, ignoro, cum illud remedium à nullo auctore scriptum inuenerim, quamuis apud Alex. Veronens. *medic. in doctissimum lib.* 6. *c.* 5. scriptum repererim, quod lapathij sylnestris radicis decoctæ succus in aceto, si percolatur, & eo colluatur os, dentis dolorem compescat. Quemadmodum acaciæ cortex interior in vino decoctus, dentium dolori confert, si os eo colluatur. Remus Astrius Mathematicus insignis, amicus noster, fe pluries experimento comprobasse mihi fassus est, folia lappæ, sale adiecto, in aceto decocta, ad dentium dolorem miraculose contulisse, si decoctum tepide in ore supra dentem potissimum dolentem frequenter detineatur. Idem præstare dicuntur à Plinio radices plantaginis in aceto decoctæ, quo remedio Ericius collega meus vti solebat. Amatus, radicis hyoscyami ramentum supra dolentem dentem admouit, ac intra horam, qui dentis dolore infestissime torquebatur, ab omni dolore liberatus est. Verum ex causa calida, vel bile dolorem ortum traxisse, pars est. Nouit chirurgum, qui collutione decocti huius radicis modo in vino, modo in aceto aut aqua in omnibus vtebatur, sæpe cum maximo iuuamento. Interea tamen ad stupefacientia medicamenta, nisi summa vrgente necessitate, deueniendum nequaquam erit: eisque paulatim vtendum. & non nisi in humorum calidorum defluxu. Sed de iis latius in scholio.

SCHOLIA.

DEntes si propter inflammationem gingiuarum doleant, oleum lentiscinum recens ex ore retentum (*Gal. auctore* 5. *de compos. medic. secundum locos, & Paulo cap.* 26. *libr.* 3.) prodest: & post ipsum lac asininum, sapa & palmarum stillamentum, *iuxta Aetium*, aqua calida affusa, propter eius erasitiem, sed hæc post humorem detractum adhibenda. Ita si in propria substantia vel in substrato neruo, fortiora adhibenda, vt collutio galla in aceto decoctæ. Si ex defluxu humoris frigidi, is cohibendus est, etsi dolor perseueret, sed non admodum vrgeat, pilulis pituita euacuanda, & collutionibus ex vino, in quo pyrethri rădix, vel cappares, vel folia ebuli, vel cucumeris asinini cocta fuerint. Aliqui emplastrum ex sola pice apponunt. Tedæ ex aceto coctæ, vel tithymali rădix in vino apud Trallianum, apud quem & plura remedia inuenies, & Alexandrum Veronensem, qualia ipse ex aliis auctoribus collegit: vide etiam Praxim magnam Benedicti Victorij Fauentini præceptoris nostri. Sed delectus habendus est iuxta mali causam. Noui quendam Guilelmum Klockium nomine, qui cognatus meus erat, cum nulla remedia iuuarent, cucurbitam cum scarificatione suomet consilio maxillæ apposuit, & à dolore liberatus est. Non desunt (*teste Alexandro Veronense*) qui initio tormenti sub mento cucurbitulas posuere, cum in auribus venas contrarias secuerint. Alij & sanguisugas gingiuis apposuere. Nonnihil ob dolorem vehementem, philonium dentibus imposuere, quoniam opiatum esse dicunt: & ob id dolorem sedare quamuis opio non vtantur, nisi ob dolorem insignem coacti. Extat plum Iacobi Iustiniani patritij Veneti, qui in dentis dolore Patauij impositio oleo opiato (*vt refert Alexander Benedictus Veron.*) sopore perpetuo

extinctus est. Hipp. 7. *Epid.* castoreo, pipere in vino coctis diuque in ore retentis. Aspasij conjugem à dolore dentium & gingiuarum liberauit. Acceto scillino etiam os colluitur, & in frigidis causis prodest: vti in calidis collutio ex aqua ros. & caphura: aut decoct. pap. vel. rad. mandrag. & hyosc. & pilulæ è cynoglossa leuiter cum butyro solutæ, & denti impositæ.

OBSERVATIO VII.

De quibusdam dentes corruptos & corrosos & fistulas habentibus, & quomodo extractione dentium curati fuerint.

DEntes putrefiunt ob humiditatem putredinem inducentem, quæ putredo eosdem alterat, & totam eorum substantiam corrumpit. Iam quoque corrumpuntur sæpius post eorum corrosionem, & fistulæ tandem suboriuntur nonnullis, si tempore non prospiciatur. Corroduntur a. *vt dictum est prius*, ab humoribus acribus & salsis à cerebro ad ipsos defluentibus, à qua etiam dentis dolor (*vt dictum est prius*) subinde oritur: vti etiamsi carioſi fiant dentes aut fœtidi, nam & his etiam accedente corruptione raro dolor abest, quin tales sæpissime dolore fatigantur, quibus si non statim vel admodum tarde succurratur, plerunque in fistulas abeunt curatu admodum difficiles, vt nos in aliquibus fieri vidimus. Ita matrona quædam nobilis, nomine Kerckveruia, in superiore maxilla vel parte gingiuæ fistulam quandam habebat continuo virus eiaculantem, vt etiam fœtorem ex sanie effluente in ore (*quod molestissimum erat*) sentiret, quæ cum nullo modo curari posset, duos dentes caninos ex continua fluxione perforauerat fluxio, & insigni corruptione infecerat. Hæc an. 1567. mense Iunio è Briclis Delfos accedens me ac Cornelium Ericium seu Leydium collegam meum in consilium adhibuit.

2 Consultum est vt duo illi dentes & corrosi & corrupti radicitus euellerentur, alioqui fistulam curari non posse, & quod ossa maxillaria similiter & aluei in quibus dentes conduntur simul putrefierent, ac carcinoma oboriretur aut aliud malum multo peius, quod totam maxillam inficeret & corrumperet. Quibus rationibus persuasa ac inducta est, duo dentes non pellicano instrumento (*vt chirurgi vocant*) dentato extracti sunt, ne dentes rumperentur, vt sæpe fieri solet, sed alio instrumẽto potius incuruato (quod tonsores vulgares pedem bouinum appellant) per eundem collegam meum extrusi & exẽpti sunt: mox cum radicitus decidissent, os colluebat vino & non aqua, & post vini ablutionem sale in loco fistulato posito, deinde ad maiorem puris eductionem folio decocto maluæ fiebat oris collutio, & ad aliqualem mundificationem sequenti lotione & abluebat & subinde colluebat os. ℞. *hordei non excorticati* m. j. *foliorum maluæ, viol. an* m. ij. *flor. ros. rub.* ß. *fiat decoctio in aquæ comm. pro* ℔ i ß. *col. adde syr. ex infus. ros. rub.* ʒ ij. *misce.* Deinde ne fieret inflammatio, sequens administrabatur ad refrenandam quoque & inhibendam fluxionem. ℞. *aquæ maluæ* ℔ j. *aquæ solsari, ros. an.* ʒ iij. *syr. viol.* ʒ iiij. *syrup. myrtill.* ʒ j. *misce.* Postea ad mundificationem, exsiccationem, consolidationem quæ sequuntur præscripta sunt. ℞. *balaust. sumach aluminis vsti, myrtil. an.* ʒ j. *flor. ros. rub.* m. ß. *cornu cerui vsti* ʒ i ß. *vitrioli albi vsti* ϑ j. *fiat pul. vt alcohol.* ℞. *melis ros. colati* ʒ ij. *misce cum mediocritate pul. præscrip.* Altera medietas per se vsui reseruetur. Puluis cum melle ad tempus admouebatur: deinde puluis per se ad maiorem consolidationem gingiuarum inspergebatur. Extractis enim dentibus non solum dentium dolor (*cui perpetuo obnoxia fuerat*) cessauit, verum etiam fistula persanata est, hoc quoque puluere ad consolidationem & sigillationem inspersо. ℞. *aristolochiæ longæ, sem. plantag. gallar. cornu cerui vsti, an.* ʒ ß. *mastichis, coralli albi, an.* ʒ j. *coralli rub.* ʒ ß. *boli arm. veri* ʒ ij. *summitatum centaurij exsiccati* ʒ j. *flor. ros. rub. sicc.* ʒ ß. *fiat pulu. vt alcoho.* lauabat prius vino cum puluere admixto prius ebullito, facta residentia. Deinde puluerem quoque siccum inspergebat, vel digito subinde cum vino intincto puluerem admouebat, & egregie curata fuit, atque nobis vtrisque liberaliter soluit. Eodem anno paulo post mense Septembri vicina nostra & soror Rectoris Hieronymitanorum, cum diu fistulam intus vsque ad nasum & genas ascendentem, & excauatam haberet, ex qua perpetuo vel ex dente atque gingiua virus stillaret, ita vt de corruptione ossis maxillaris metus esset, cumque dens non solum corruptus, verum vsque ad radices quasi exesus & carioſus ac consumptus esset, radicibus ipsius dentis intus corruptis permanentibus quibus tandem eductis eodem instrumento, reliquiæ dentis tum radicis extrusæ & exemptæ sunt, sanguine post dentis extractionem bene profuso, & loco affecto cum vino loto, saleque impositо, lotionem adhibuimus ex decocto florum, ros. rub. agrimoniæ, betonicæ, centaurij minoris, plantaginis, melle rosaceo adiecto, atque aliis remediis supradictis vtens, à Fistula & dentium dolore hæc in totum liberata est. Memini quoque Ioan. Sasbotum iuniorem Delfium, patricium qui in parte externa musculorum fistulam habebat, cuius origo ex radice dentis corrupta procedebat, vel à neruo ad dentem corrosum & corruptum perueniente, ita vi inde virus quotidie in barbam manaret: cumque frustra pluribus mensibus vsus esset diuersis remediis per chirurgum, quibus consolidare non potuit (*nam cicatrice subinde obducta fluxione irritata malum vedibat, sorditiem denuo eructante*) huic etiam consilium dedi, cum illud à me peteret, vt dens corruptus extraheretur, eoque extracto vlcus, deinde optime curatum est, nempe in remediis quæ & vlcus repurgant, consolidant & cicatrice obducunt.

SCHOLIA.

CVm dentium (*vt præceptor meus Bened. Fauen. dicebat*) quandoque ab humoribus acribus salsisque à cerebro defluentibus in ipsos, corrosio exoriatur, à qua deinde dentis dolor exoriri potest, ideo corrosione curata, simul & dentis dolor curatur. Inprimis hoc præstans est remedium, vt dentem corrosum diluamus hoc decocto: ℞. *rad. lentisci, rad. quinquefolij, lapathij acuti an.* ʒ j. *bulliant in aceto acerrimo donec tertia pars absumatur; colatura vsui reseruetur salis* ʒ ß. *iniecta.* eoque dentem colluito & fricato, mox pilulam accipies ex sequentibus qua cauernas dentis corrosi implebis: ℞. *succi papau. albi, succi lapathij acuti, succi hyoscyami an.* ʒ j. *piperis albi optime tusi & cribrati* ʒ ß. *myrrhæ styracis an.* ʒ j. *galbani* ʒ ß. *fiant catapotia cum passo, & vno eorum dens corrosus tegatur, & eius cauernæ imponatur.* Dentes eroſos Actius ex Gal. qui ex influxu acrium humorum & erodentium generantur, vti vlcera in cute citra aliquam externam causam, curat per exsiccantis influentis vitiosi humoris; qui si paucus fuerit, sufficiunt localia remedia ex desiccantibus pharmacis conflata: si vero multus

7 *Ad dentes corrosos.*

8 *Ad dentes eroſos ex Actio & Gal.*

eus influẽs humor, totius corporis & capitis ratio habenda; deinde remediis topicis vtendum, quale hoc Archigenis: sori resina terebinth. exceptum denti circumlinito, atque in cauernam indito: vel veratrum nigrum tritum, cum melle: vel melanthion torrefactum, & acri aceto affuso tritum, cauo denati indito ac circumlinito. Habes a. syluam horum remediorum apud Aët. *lib.* 8. *c.* 33. Paul. styracem cum opio imponit, vel sulphur viuum cum lycio *lib.* 3. *c.* 26. Habes ibid. & alia plura remedia Alex. Trallian. ad dentium erosionem hoc puluere vtitur: ℞. *cornu cerui cremati, salis ammoniaci an.* ℔ j. *mastichis, iunci odorati an.* ℥ ij. *pip.* ℥ j. *costi* ℥ iiij. *folij* ℥ iij. *in puluerem redigito & viere.* Verum sciendum dentium corrosionem in putrefactionem eorundem sæpius terminari: ideo studendum (*vt idem præceptor meus Bened. Fauent. suadebat*) ne dens corrosus in putrefactionem

9 *Ad dentes putridos.*

transeat: ad hoc præstandum valet experimentum Gal. 5. *de comp. med. secundum locos* expertum, vt melanthij ℥ j. nitri ℥ ß. simul torrefiant exstinguanturque acerrimo aceto, teritoque & cauernas dentium impleto; atque hoc continuato, ne vltra erodatur dens, & in putrefactionem transeat. Valescus, *prima*, inquit, *intentio curandi circa dentes putrefactos est, vt eos custodiamus, ne amplius putrefiant*: id quidem præstatur per purgationem materiæ antecedentis, sicut de dolore dentium dictum est: secundo per euacuationem materiæ coniunctæ. Atque omni hora post cibum foramen dentis corrupti repurgetur à cibis ibidem retentis: & deinde vino colluatur os. Medicamenta, quæ putrefactionem & dentium corruptionem prohibent, sunt exsiccantia; vt *lycium, thus, mentha, myrtus, mastix, cyperus, myrrha*: quæ non solum corrosionem & corruptionem prohibent; verum etiam dolorem sedant. Plura vide apud eundem.

10 *Ad dolorem dentium qui eroſi, carioſi & fœtidi ſunt.*

Si vero exesus est dens, festinandum est ad eximendum eum: nisi res cogat, non est necesse: sed prius tentandum, nunquid supradictis præsidiis dolor discuti possit, adiectis iis, quæ vitiatis eiusmodi dentibus prosunt, & in dolore. Sic quidam ad dentes erosos succos ex ligno hederæ inciso

Dentes non temere extrahendos.

emanante vtuntur. Dolentibus imponitur ephemeri radix, quæ eorum cauis imprimitur: vel chelidoniæ radix ex aceto illinitur vel ore continetur. Si carioſi & fœtidi sunt, centum ranarum corda, in furno arefieri per noctem; postea tantundem salis addi, atque fricari prodest. Dentes a. & corrumpuntur & corroduntur non solum à

11 pituita salsa vel bile, aut aliis humoribus (*ita, vt medicamentis eundem humorem purgantibus prius sit vtendum*) potest enim fieri vitio totius corporis, vel assidua fluxione ex cerebro (*vt diximus*) nonnunquam & hepatis & præcipue lienis vitio, vt in scurbutis: de quib. suo loco dicemus. Sal cum alumine vstum aceto exstinctum & dentibus impositum, vel sal solum retentum sub lingua, vt liquetur, prohibet dentes putredine & corrosione, vel acetum cum iisdem rebus exstinctum prodest, si eo colluatur dens, vel eidem applicetur. Si adsit fœtor, adde moschum, si putredo, myrrham: & opple cauitatem, vel repleatur bombace, qui odorem musci habeat: solet enim moschus in eo asseruari. Sed ab eo abstinere debent ij, qui dolore capitis facile tentantur, aut mulieres obnoxiæ malis vterinis. Solent & vermes sub dentibus innasci vel subnasci, quos & arrodere certum est, à

12 *De vermib. qui dentibus innaſcuntur.*

quibus dolor subinde non ita fortis, sed prurigi- nosus oritur, vel corrumpuntur atque fœtorem emittunt. In dentibus enim vermes enasci non mirum est, quoniam & in ventre, intestinis, sedisque partibus aubibusque oriri videmus. Vidimus & nos ex vmbilico vlcerato erumpere, vt de febribus diximus; sæpius quoque è naribus proiectos; vomitu vero sæpissime. Scribit & Beniuenius *ex pectore & pulmone tussi eiectos*: addit etiam Dodonæus *in vesica natos & cum vrina emictos*; *cui insignis dolor prius aderat, qui sopitus est post vermis expulsionem.* At in dentibus existentes, necat hyoscyami albi semen, cæpe porrique si cum nitro in trochiscos digerantur, ex seuo caprino: carbonibus conjicitur pastillus, cuius vapor per fistulam in dente recipitur. Idem facit plantaginis radix commanducata, aut chelidoniæ in aceto decocta colluto ore, succus foliorum centaureæ & persicæ arboris, & his similia, quæ intestinorum animalia necant. Quidam laudauere, aqua ardente seu vini sublimatione os colluere. Sed quod de fumigio seminis hyoscyami scribitur ab antiquis medicis scriptum, quod & vulgus sibi persuadet, Holerius fabulosum esse tradit: nam inde aiunt manifeste vermes excidere. Reuera incenso semine euolant tanquam vermiculi, etiamsi non attingat fumus vermiculosum dentem. Is vtitur decocto colocynthidos, pilul. communibus, aloe, myrrha, & puluere contra vermes. Quocunque modo corruptela dentium fit, idem trahit quod tribus generibus remediorum curetur: Nam dens corruptus & vitiosus medicamentis acribus siccatur, tabescit, vt deinde sponte sua excidat; vel ferro extrahitur, atque tertium remedium est, vt quod est incolume, relinquatur. Sed de extrahendo dente non satis conuenit inter medicos veteres: quanquam magna pars vitiosum & corruptum dentem extirpandum credidit. Erasistratus non temere extirpandum putat: eiusque rei testimonium adducit, quod in templo Apollinis ὁδοντα-γωγὸς, *forceps dentarius plumbeus* suspenderetur, quo significaretur non esse tollendum dentem, nisi vacillet, vt plumbeo forcipe excludi possit, id est nulla vi: qui si qua parte carioſus fuerit & vitiosus, vitium scalpro atteratur, relinquatur quod sanum est. Ac reuera non temere euellendus dens est; sed si corruptus, totus tabidus, vacillans; si nerui subiecti inflammatio, à qua periculum immineat: sic enim excluso dente liberatus nervus, iam non apprimitur, sed transpirat, & remedia conuenientia admittit. In corruptela videndum quanta ea sit: aliquando enim superficialis est, aut extremæ parti insedit: quomodo in ossibus asperis & carioſis non os totum exscindimus, sed aspredinem & cariem scalpro deradimus; ita in dente pars quædam deciditur lima, radice incolumi. In medicamentis a. quæ hæc faciunt, exsiccant & tabefaciunt, acria sunt omnia; lac tithymalli, exuuium serpentis. Gummi hederæ vulgo cognitum est remedium, quod religione quadam colligitur post medium August. & intra Id. Septembr. eoque vtuntur ad dolores dentium. Exuuium vero serpentis, remedium est memoratum ab antiquis *Gal.* 11. *de simpl. med. fac.* decocto eius vtitur contra dolores. Archigenes comburit, miscet oleo & melli, illinit ægro denti, munitis cera, vel re

6 simili dentibus vicinis. Idem quoque non vstum denti admouet, vt excidat: pyrethrum, aut radicem cucumeris agrestis in aceto acerrimo tridoo maceratam teres: inde purgato denti: id ad 3. aut 4. dies repetes, vt dens excidat. Adeps ranæ viridis dentem quoque depellit. Licet vti cauteriis per canaliculum denti impositis: atque cauteria modo è ferro, modo è testa nucis, radice gentianæ, & similibus comparantur. Sunt qui oleum calens vel aquas fortes denti immittant, vt excidat.

dat. Quidam etiam penna denti admouent aquam fortem ad tollendum dolorem: quod nobilis quidam mihi familiaris facere consueuerat: quo quidem præsidio dolorem subinde sedabat, sed dentes corrumpebantur & frustatim excidebant, vt aliquos dentes absque extractione ita amitteret. Præceptor meus Bened. Fauent. in summo dolore iubebat, vt dens dolens stylo vel terebello subtilissimo fere vsque ad medium dentis perforaretur, si res ita exigeret. Quo perforato & à superfluis mundo, & vacuo foramine peracto, stylo theriaca magna & recente foramen implebat, & ter die noctuque id peragebat; è vestigio dolor dentis (*vt etiam in sua Praxi magna annotauit*) à

16 multis causis prodiens tollebatur: præsertim si à vermibus dolor excitaretur. Quod si perforato dente dolor infestissimus æque vrgeret, foramen lacte vel succo tithymalli implebat: cauendo ne alios dentes attingeret: vel stylo acutissimo vsque in nem peragebat. At nos in istis ægris, cum ad fistulas malum processisset, ferro dentes eximendos esse consuluimus. Interea antequam ferro extrahantur; animaduertendum est, ne propinquate loci, vnus incaute eximatur pro alio dente, neue rheumatismi eruptiones maiores eueniant, neue maiores eueniant cruciatus, & apostemata periculosa. Ideo tutius præstat post corporis inanitionem ac doloris mitigationem, ferramento eximere, circumscarificato ad imas radices dente, vt mobilior reddatur, alioquin maxillæ adhærentis pars sequitur: vt nuper illud tonsori cuidam fortiter attrahenti contigit, qui tamen æger magno cum labore maxilla prius existente corrupta & corrosa, præter spem multorum curatus fuit. Quibus enim hæc eueniunt, rheumatismi magno dolore ac non exigua inflammatione effusum erumpunt: qua de causa multi interierunt. Et ita si dens cum ossis frusto eximitur, dolor sequitur vehementior, ac febris interdum. Propterea 17 conuulso dente ab intrepida manu, si dolor perseuerat rosaceum cum mastichis & rosæ aridæ decocto, si ore contineatur, dolorem leuat: alias aceto cum gallæ immaturæ & balaustiorum decocto os colluere conuenit. Hinc Paulus rectè admonet Chirurgos & Dentarios medicos, quod dens, qui eximetur, vsque ad receptaculum suum circumradi debet, inde forcipe paulatim concussus, extrahatur: vel nostro instrumento quo vsi sumus, si timeatur dentis fractio, extrudatur. At si exesus est, id foramen tenui linamento primo replendum, ne constrictus sub forcipe confringatur. Eo exempto, sale tenuissimo insperso relictas carunculas consumemus, postea vino, aut posca os colluetur, dum sanescat.

OBSERVATIO VIII.

De dentitione infantium.

1 CIrca mensem fere septimum, inquit Paul. *lib.* 1. *c.* 9. pueris dentes plerumque erumpunt: quamquam quidam (*quod rarissimum est, & miraculi fere loco habeatur*) cum dentibus nascuntur; M. Curij Dentati exemplo. Aliqui & vice dentium continuo osse vno geniti sunt. Seruum Æthiopem (*inquit Bened. Veronens.*) infausto veluti omne, quod omnes dentes serratos veluti caninos haberet, olim emere noluimus. Cum vero canini, qui cibos discriminant, erumpunt, maximis cruciatibus afficiuntur infantes, aluoque cita tentantur. Quo quidem tempore cum erumpunt dentes, teste eod. Paulo, gingiuarum, maxillarum, tendi-

Pau. Foreſt. Tom. 2.

numque phlegmones, id est, inflammationes non raro etiam conuulsiones infestant, sic etiam Hippocrate dicente, *aph.* 25. *lib.* 3. In progressu vero cum iam dentire incipiunt, gingiuarum prurigines, febres, conuulsiones, alui profluuia, & maxime cum caninos dentes edunt, & his præsertim pueris, qui crassissimi sunt, & aluos duras habent. Quod cum infantibus sæpe accidat, cum ad eos vocor, cerebello leporino pauco adiecto melle, vtor. Auctores etiam (*vt & Paulus*) cerebello leporis emolliri tradunt. Sic & Bayrus. Fricare gingiuas cum cerebro leporis, facit nasci dentes infantium sine dolore. Verum vtrum crudo vel cocto vtendum sit, non dicunt. Coctum non bene permiscetur melli: ideo mulierculæ crudum accipiunt, & cum cochleari vno mellis concutiunt. Sed valde fluidum est: ideo minus mellis accipio, vt in crassius linamentum coeat, meliusque frictione gingiuis adhæreat. Attamen cetebrum leporis attritum & esum vtile esse Gal. se didicisse fatetur *lib.* 11. *de simpl. med. fac.* pueris dentientibus: capite videlicet toto elixo, vt & ipse facere solebat: non enim minimam vim ei ineſſe, sed similem melli & butyro & aliis, quæ ad pueros dentientes conueniunt. Quem forte Auicenna imitatur, cerebro leporis post decoctionem de capite extracto, aut cum alcanna & oleo liliaceo vtitur. Nos etiam commode vsi sumus adipe gallinaceo, iuxta Paulum: & vbi dentes emicuerint, lanam delicatiorem atque finceram ceruici ac capiti & maxillis applicamus.

SCHOLIA.

3 PVeris vero cum difficultate, & accidentibus vehementioribus dentes exeunt: nonnullis tardius, vsque ad 3. vel 4. annos ob debilitatem virtutis, *teste Valesco*; vel ob impedimentum materiæ, modo ob fluxum, aut à vermibus materiam eorum consumentibus. Alij ex cerebri nimia humiditate difficilem dentitionem fieri credunt, vel ob caloris natiui inopiam: nam quibus cito egrediuntur & dentiunt, calidioris cerebri esse existimantur. Rhases ex Gal. auctoritate dicit, *dentitionem citam esse leuiorem minusque dolorificam; tardam vero durioris robustioriſque productionis, vehementiusque dolentis: vernalem vero velociorem esse, & dolore carentem; hyemalem a. fieri modo contrario, sine gingiuarum consummatione.* Neoterici in dentium productione gingiuas omni die cum butyro perungunt, & cum hordei grano interdum perfricant, pro leuiori dentis eruptione. Aliqui mel infantibus miniſtrant; quo eorum palatum, gingiuas & linguam perungunt, adiecto thuris exiguo & glycyrrhizæ: & lacte canino gingiuas abluunt. Si dolor sit immensus & intolerabilis, succo solani tanquam narcotico, & oleo ros. calefacto eaſdem inungũt. Lac quoque maternum illitum prodest, aut cerebrum cuillum in cibo datum, vel eo gingiuis confricatis, aut gallinaceum ortum festinant. Dens caninus crematus & in gingiuis impositus sine dolore ortum promittit. Dentientibus quoque ex Plin. iris rufa valet, & corallorum cinis, & Delphini

4 dentium cinis cum melle; & ouis cerebrum illitum. Pueris quoque subinde dentium stridor etiam mente commotis contingit; noctu præsertim cum ventris animalibus cruciantur. Si ex conuulsione fit, comitialem morbum vel apoplexiam præsagit; qui & in adolescentia liberantur, quoniam materia arefit nimium, ac lacerti & mouendi vires robustiores fiunt, stridunt vel tremunt

dentes maxime inciſorij, qui vna tantum radice nituntur, relaxatis gingiuis; vel ob cauſas iam dictas. Si ex vermibus, ſtridor habet intermiſſionem, & ſigna vermium adſunt, ac pueri manib. nares tractant ac vellicant, vermibuſque expulſis ſtridor deſinit. Si ex mentis commotione, ex relatu ægri dignoſcitur in adultis. In ſumno continuo perſeuerans, niſi ſtatim ſuccurratur, apoplexiam, epilepſiam vel conuulſionem futuram præſagit. Caput repurgandum in magis adultis, ceruix oleis calidis fouenda, radices mandibularum atque maxillæ inungendæ vnguento martiato ſolo, aut caſtorino adiecto, vel ſpicato. Si ex vermibus, vermes necandi & expellendi, vt c. *de vermibus* docebitur.

Ex vermib.

Ex mentis commotione.

Præſagia.

Curatio.

OBSERVATIO IX.

De dentium ſtupore.

1 OBſtupeſcunt dentes, non ſine magna moleſtia: hoc n. peculiare dentium malum eſt, & inter dolorum genera annumeratur: auſteris n. & acrib. contingit manducatis; vel ſi quis acria commanducare inſpexerit, obſtupeſcere dentes quoque videntur, ſimilitudine alterius conſimilis ſympathia ad cauſarum tranſitus facit; nam etiam ſolo audito aliquo ſtridore confricante ſtupore tentari videmus. Ex ſtomacho talis humor melãcholicus, aut acetoſa patuita ſi per vomitum redditur, dentes pari affectu afficit. Sic quidam Delfis vir patritius hoc malo frequẽter, & ſæpiſſime torpedine dentium afficiebatur. Huic portulacam commanducandam propoſui, nam, vt Ariſt. tradit, torporem leuat protinus: quod & Paulus confirmat, cum dicit: Stupori benefacit portulaca comeſta. Etiam huic profuit.

SCHOLIA.

2 NVces pineæ commanducatæ, auellanæ quoque aut iuglandes commanducatæ proſunt, aut ſi ſale dentes confricentur, & caſeus commanducatus, aut mel calefactum. Gal. & Pau. amurca in æneo vaſe cocta ad mellis ſpiſſitudinem, atque vetuſta illita commode vtuntur. Valet & iuxta Paulum oleum immaturæ oliuæ fuſum & infricatum.

OBSERVATIO X.

De dentium debilitate & eorundem conſeruatione.

1 MVltis iniuriis dentes obnoxij ſunt: ita, vt iiſdem fere omnes qualitates aduerſentur, vt calore, frigore, & qualibet re dura facile infeſtentur. Sic quidam vir quinquagenarius ex magiſtratu non infimus, mihi conqueſtus eſt, quod dentes facile etiam domi ac foris algore inficiebantur, non ſine dolore, quamuis exiguo; interim magna cum moleſtia; magis vero in itinere, gelida hyeme exiſtente, niue, ceruiſiæ frigidæ potu, fructib. quoque aut congelatis quibuſdam cibis etiam quibuſcunque frigidis. Huic conſulebam, vt luteo oui indurato & calefacto vel repente ſæpius dentes affricaret. Quo ſi parum proficeret, mandaui, vt crebro theriaca idem faceret: aut oleum admoueret, quod ex ſinapis ſemine exprimitur, eſt n. valido adiumento. Quib. cum vteretur, plurimum iuuaminis ſentiebat. Interea cum iam ad ſenectutem tenderet, vt dentes magis incolumes ſeruaret, conſului vt rationem ſtomachi ac capitis haberet, ne crapula infeſtaretur, aut acrib. vel acetoſis vomitionib. afficeretur: ideo & lactis vſum euitandum eſſe propoſui; quoniam facillime in ventre vitiatum, dentes vaporib. corrumpit: vti & omnia dulciaria, ſicut ex ſaccharo confecta, & aridæ fici plurimum obſunt: quemadmodum & porri & raphani commanducati. Solida a. ac dura dentib. inimica ſunt, ſtupefacientia ac gelida, quæ & cæteris oſſibus nocent: feruentia ſuperueniente frigore, magis lædunt, vel adurentia ipſa: quoniam naturalem humorem abſumunt, quod ardenti nucis cortice efficiunt in dentium tormentis. Scalpere dentes repurgando iuuat: ſed id molliter fiat, ne mobiles reddantur. Euitabis raphanos & porros, quoniam dentes & gingiuas lædunt. Et ſi quidem obſeruaueris, quidam referunt dentes nunquam dolituros. Dentifriciis quoque leniter ſubinde confricantur, ne doleant, aut importune labent: quæ gingiuas aſtringendo iuuant, ac inhærentes eximunt toſos, quos *poros* Græci vocant: ii enim defata colluuie circa dentes adnaſcuntur, vt in conchis marinis. Dentifricium myrti folia faciunt, *balauſtia, mori cortex, lignum aloes trita & mixta*: nam & oris ſuauitati conferunt.

SCHOLIA.

DEntes non ſolum ex cauſis iam dictis algere conſtat: verum etiam ex pituita congelaſcente. Ea tunc euacuanda eſt, & ea adhibenda quæ algores calefaciunt. Præter oui indurati calefactum etiam molle, panis tepens ſecundum aliquos confert: ſic & oleum, ſi ore contineatur tepens ſiue nardinum, ſiue lilinum, aut meracius vinum tepefactum. Idem præſtant rami ariſtolochiæ, aut lauri tenelli & aluminis pares portiones. Etiam lauri baccæ, ariſtolochia & anethum iuuant. Verum ſicuti algor aliquando dentes affricit, ita & calor eoſdem debilitat: atque vtraque hæc cauſa doloris, inſtantis affectus aliquando prænuntia eſt. Verum ſi cauſa calidior dentes debilitet, haud difficulter ſenſu percipitur. Tum roſ. tepidum illitum prodeſt, adiecta, ſi opus eſt, ſantalorũ farina; vel in feruenti cauſa amphoræ exiguo addito, aut pſyllij lentus ſuccus, galla cremata in aceto exſtincta & cætera aſtringentia. Aliquando etiam debilitantur ex eadem cauſa, qua commotiones dentium & labefactiones fiũt, mobiles ac tremuli euadunt: tunc eodem modo curandi dentes, vt de labefactatis dicturi ſumus, deſiccando humiditates ſuperfluas circa radices eorundem, tum neruos & ligamenta exiſtentes: & per conſequens dictæ partes roborandæ & cõfortandæ, vt dentes fringantur, ne ſuperfluitates dictas recipiant. Ad deſiccationem valent gallæ toſtæ, & alumen, & ſal toſtum myrobalanorum oſſa, & ſimilia. Quale hoc eſt à Gordonio deſcriptum: *Salis aſſi, aluminis aſſi baccarum lauri, cinam. optimi, pip. zinz. gall. aſſatarum in aceto exſtinctarum, nucis cupreſſi, ſingulorum æqua portio: pulueriſata in ſaccullo ponantur, quo dentes fricentur quotidie*: hoc n. dentes claros & mundos reddit, atque roborat & præparat, ne facile ab aliqua cauſa lædantur, neque à calido externo, neque à frigido, nec ab acidis, neque cum videat aliquem dolere, vel audiat ſerrare, nec tinnitum magnarum portarum timebit: conſolidat quoque & confirmat dentes, & omnen ſœdũ colorem remouet, *iuxta Gordonium*. Plura quoque videas apud Valeſc. *de proprio de dentiũ debilitate*, & apud Auic. Præterea, quæ diximus in Obſeru. præcedente, hæc quoque ſubſequentia dentes conſeruant: Si dormituris os oleo efficaciter colluatur, myrteo vel roſaceo, aut myrobalanino, nardinove. Dentes tuetur immunes ab iniuriis, ſi bis in menſe os colluatur decocto tithymalli, ex aceto, illius qui minima habet folia anagallidi ſimilia lactuoſa. Alumen vel myrrha vel ſimul mixta, vel abſinthij decoctum cum vino, addito melle. Tradunt *ex poſteriorib. nonnulli acetum ad id prodeſſe, quoniam ad vtramque qualitatem facit; nam frigidam extenuat, & calidam frigefacit.* Prodeſt radicis capparis cortex, ariſtolochiæ rotundæ radix per ſe, aut oſſium palmularum cinis, vel gallarum aceto exſtinctus, dentifricium facit. Narrant quidam à dolore immunes fieri ſi teſtudinum ſanguine per annum colluantur: dentes non erodi neque putreſcere, ſi quis quotidie mane ieiunus ſalem contineat ſub lingua donec liqueſcat. Vxor mea cariſſima ſolo ſale toſto cum digito ſaliua intincta dentes commode ad præſeruationem omni mane fricabat.

OBSERVATIO XI.

De dentibus mobilibus laxatis & tremulis.

PVella quædã alioqui pulchra, ex caſu priores dentes mobiles habebat. Rectè n. dixit Valeſc. de dentium commotione, quod à cauſa primitiua, vt eſt caſus, ictus, percuſſio; vel rei duræ obuiatione, dentes laxati mobiles fiunt: qui equidem poſtquam ſemel violenter commoti ſunt (*vti etiam aliquando vidimus in famula pulcherrima ab hero iracunde ex leui cauſa percuſſa*) in illa commotione & mobilitate libenter volunt remanere, cum ſint membra, quæ cum aliis non ſint continua, ſed contigua, niſi ſuccurratur eis medicamentis aptis, mobiles permanent. Quod cum puellæ accideret, cognita cauſa quod à caſu labefacti eſſent dentes priores, imperaui, vt minime maſticaret res duras, neque multum loqueretur ob aërem frigidum ingredientem, & vt comederet iura, iuſcula ſorberet, offaſque ſumeret, vel panis medullam in iure carnium vel veruecis coctam, oua ſorbilia & parum ſpiſſa, atque omnia inquam mollia, quo minus dentes offenderentur. Præcipiebam quoque ob eandem cauſam digitam de aëre, ne ore aperto dormiret, nec digitis ſuis aut alienis attingeret, vel agitaret dentes; nam hoc modo magis laxantur: vti etiam ſi cum lingua impellantur ſeu moueantur. Deinde gargariſmo & lotione vſi ſumus aſtringente, & ad commotos dentes faciente: ℞ *rad. pentaphylli, bidium ſpongiæ bedegaris an.* ʒß. *ſumach.* ʒij. *coquantur in aqua ferrata vel ciſternæ, & colentur, & adde aluminis* ʒij. *ſemel ebulliendo.* quib. dentes foueantur. Deinde circa gingiuas & dentes mobiles, fiat talis inũctio: ℞ *aluminis, coralli rubei, cornu cerui an.* ʒj. ß. *ſumach ſpongiæ bedegaris, rad. biſtortæ an.* ʒj. *media pars pulueriſetur, & cum ſucco vel vino cydoniorum fiat adcraſſitiem mellis.* Quod reliquum eſt pulueris, circa dentes mobiles inſpergatur ſubinde. Et hoc quod ſequitur: myrrha, pompholyx, lentiſcus ac amylum, quibus Archigenes dentes mobiles ſiſtere docuit: & abluantur cum aqua ſupradicta. Quibus & dentes firmiores facti ſunt.

SCHOLIA.

DEntium mobilitas non ſolum ab hac cauſa fit, verum etiam à multis aliis. Tremuntq; aliquando dentes, & maximè inciſorij, quæ vna

5 *Subſequentia dentes conſeruant.*

tantum radice nituntur, relaxatis gingiuis. Relaxantur autem ob nimiam humiditatem; *vt videre licet poſt ſudationem in morbo Gallico*, cum non ſolum tremunt, ſed plerumque etiam decidunt. Ob id oportet medicamenta non ſolum eſſe ſiccantia, verum etiam adſtringentia, vt alumen, nux cupreſſi, radix penthaphyl. & biſtortæ, roſæ, & earum ſemen & capitulum, & ſimilia his addũntur, quæ ſiccant cum quadam caliditate, modo nulla ſit inflammatio, vt flores anthos quæ ſiccant ſimul & corroborant. Abſtinendum à calchite, cortice mali granati, gallis, balauſtiis, quia dentes nigrant. Vt: ℞ *rad. pentaph. biſtortæ an.* ℥ ij. *roſ. cupul. gland. Spongiæ, bedeg. an* ℥ ß *fiat decoctio in aqua ciſternæ vel ferrata.* Vel: ℞. *aquæ cuſpid. roſ.* ℥ iij ß. *aluminis* ℥ ß. *miſc. fiat decoctio qua foueantur dentes.* Prodeſt aqua aluminoſa, præſertim ſi inflammatio adſit, vel aphthæ in aliqua parte oris: vel gutta aquæ ſeparationis auri, diluta aquæ plantaginis vel peculi roſ. vel caudæ equinæ, vel aqua communi, ſi deſit. Hæc n. dentes ſtabiliunt, *vt Rondeler. ſcripſit.* Iam quoque mobilitas dentium contingit in ſenectute cũ arefiunt dentes laxatis foraminib. maxillarum. Neceſſarium n. eſt (*vt dicebat Aet. lib. 8. c. 19. de dentium affectionib.*) laxari & commoueri dentes, vbi locelli eorum flaccidiores reddantur, cum non ſolum ipſi dentes, ſed & loculi eos continentes graciles fiant. Hæc igitur affectio neceſſario accidit ſenib. quibuſdam citius, ac aliis ſerius. Et quanquã eius (eodem teſte) quæ indigentia alimenti contingit, tenuitatis dentium nullum remedium exiſtat: auxilio tamen relaxatis dentib. eis erunt pharmaca adſtringentia, quæ gingiuas confirmẽt, & ad arctius complectendum dentes adiuuent. Et propterea dicebat Valeſc. Alia cauſa eſſe poteſt ſiccitas accidens propter defectum nutrimenti, ſicut accidit conualeſcentib. & dentib. ſenum, qui hinc & inde mouentur. Iubet a. Gord. in conualeſcentibus vti diæta humida reſumptiua, ouiſque ſorbilibus, vitando maſticationem cum dente commoto. Hollerius, ſi in ſenibus, conſumptis dentium ſtabulis & ictu cõcuſſis dentib. neruo qui dentes firmat emollito, dens mobilis vacillat; collutionib. ex aſtringentib. coctis vino auſtero vtitur. Nam & ab his in ætate ſenili Aëtius auxilium capit, quæ confirmant, gingiuas denſant, & arctius dentes coniungunt, *vt diximus*. Relaxantur quoque dentes ex humiditate ſuperflua, in corpore vel in capite exiſtente, mollificante neruos & ligamenta ipſos dentes cum maxilla annectentia, humiditatis neruis imbibita exſiccanda; etſi ſit ex humore calido, vena ſecanda; ſi ex pituita, pilul. purganda. Demum ſtiptica frigida in cauſa calida adminiſtranda, *vt ſunt meſpila, ſorba, acacia, galla, ſumach, ſantali, roſæ, ſpodium hypociſtis, & ſimilia*: ſi ex cauſa calida, in aceto vel ciſternæ aqua decoctis, vel pulueriſ. dentib. inſperſis aut collutis fouendi, in frigida, alumen, ſal aſſum, cuminum, cypreſſi folia, maſtix, cortex pini, abſinthium, mentha & ſimilia: *de quib. vide Valeſc. & Gord.* Mobiles dentes ſiſtere tradit Paulus, *aloën, Rhuis ſyriacum, gallam, rubi radicem. Sed & Critonis experimento lentiſco, myrto, galla in vino decoctis, vti confert.* Ictu vero concuſſis dentibus, neruo, qui dentes firmat, emollito, dens mobilis quoq; vacillat, *vt paulo ante dictum eſt.* Collutio etiam ex aſtringentib. coctis auſtero vino ictu concuſſis confert. Percuſſu vexatos aſinæ lac ſanat. Mobilitatibus, ſordes caudarum pecudum concretæ in pilulas ſiccatæ per ſe tuſæ, farinæ illitæ proſunt. Cytini cum vino cocti, aut acaciæ cauliculi iuuant labefactionem. Sed

Ex morbo Gallico.

Dentium mobilitas in ſenibus ex qua cauſa.

Cauſæ relaxationis ex ſuperflua humiditate totius vel capitis.

Ex ictu vel neruo emollito.

& ceruini cornu cinis doloresque eorum mitigat siue infricentur siue colluantur. Sed in neruo, qui multa pituita mollior ac infirmior est, omnibus modis vacuanda pituita est pharmaco purgante, errhinis, masticatoriis. Deinde ad collutiones siccantes & astringentes veniendum: alioqui adstringentia excepta melle rosato, syr. myrtillor. conserua ros. cornorum, & similium adhibentur denti. Acetum scilliticum confirmat dentes, & constringit gingiuas: *lac asininum similiter, vlmi cortex & ramuli in vino cocti, vt inde colluas.*

Ex nerui emollito curatio.

Ex radicibus dentium corrosis.

Potest aliquando causa esse mobilitatis dentium corrosio in radicibus dentium. Tunc etiam materia vacuanda est medicamento purgante, quod vel bilem flauam, vel atram, vel pituitam salsam purget, *vt dictum est prius de corrosione.* Valet nigella, Romana torrefacta trita ex aceto acri denti imposita: vel collutio radicis angelicæ, tormentillæ; vel lapathi acuti in aceto prius coctæ: quo aceto os colluitur, & denti vna radice apposita: alumen quoq; cum aceto. Relaxantur etiam dentes carne gingiuarum absumpta, quæ replebat & firmabat interualla dentium. Huic affectioni occurrimus toforum vel cariei, quæ est supergenita ablatione: deinde aceto scillitico dentes fricamus. Postea vtimur puluere ex alumine, corallo rubro suprascripto, ad siccationem; adiectis iis, quæ sarcotica sunt, thure eiusq; cortice, aut ireos; aristolochia vel farina orobi, nisi amaror prohibeat. Pistolochiæ radix & ireos id præstat, & odorem gratum & iucundum spirat. Alex. Trallian. ad dentium relaxationem & gingiuas erosas digito cum saliua hunc puluerem imponit: *Salis ammon. aluminis rotundi an. ʒ ij. myrrhæ ʒ j. in puluere redactis vtitor.* Alij ad dentes commotos ex carne diminuta gingiuarum, puluere sequenti dentes fricant: Aluminis de pluma, *balaust. sumach, an. ʒ ij. ligni aloes cyperi an. ʒ j. fiat pul.* Etiam sequenti vtuntur quidam ad dentes commotos & gingiuas corrosas: *Gall. cupul. glandium, aluminis Romani, cort. gran. an. tere subtiliter, & applica.* Fit aliquando vt caro illa, quæ est in interuallis dentium, supercrescat, & sanguis inter mandendum reiiciatur. Tunc frigidis & astringentibus caro illa duranda est, vt aqua aluminosa, quæ repellit sua frigiditate & astrictione. Prodest etiam colluere os succo cydoniorum, aut alicuius herbæ, quæ sit prædita simili facultate: vel mandere pyrum, vel malum cydonium. Postea vtile fuerit, *corall. rub. & spongiæ bedeg. & rad. bistortæ inspergere.* Aët. ad laxatos dentes & gingiuas humectas vtitur aluminis sciss. *in fictili vsti ʒ vij. zinz. ʒ iiij. gall. flor. ros. iridis an. ʒ ij. croci ʒ j.* Ac alumen rotundum cum duplo salis pondere tritum dentibus ob humiditatem inspergit. Quæ ad dentes dolentes & simul laxatos valeant, vide eumdem *lib. 8. c. 29.* & quæ Benedict. præceptor meus capite proprio de iisdem scripserit.

7

Dentium relaxatio ex carne gingiuarum absumpta.

8

OBSERVATIO XII.

De quodam, qui elongatione dentium laborabat: & de alio cui vnus supra alterum oriebatur & crescebat.

SOlent fere dentes (*teste Aetio lib. 8. c. 30.* moti ac labantes reliquis esse prominentiores, maxime cum ex verbere hanc affectionem incurrerint. Quod cum iuueni cuidam euenisset, lima eos atterendos esse duxi, in quantum scil. præ aliis prominent, ne in loquendo, vel etiam manducando, cos qui obiiciuntur, offendant. Tali n. remedio etiam mulomedici vti solebant in equis nimis antiquis, vt iuniores apparerent. Ideo si hoc præsidio vti vellet, ad chirurgum eundem remisimus, vt illud ipsum dextre ab eo fieret. Nam noui puellas quibus frusta dentium eminebant, loco limæ digitali ea ipsa lima atterebant. Attestatur a. & experimentum ipsum, quantum sane ego (*inquit Aetius*) eius rei periculum feci. Ferream namque limulam ad hanc rem apparaui, quo citius ac efficacius res procederet, si modo aliqua spes esset, moti dentis firmandi. Si a. caput ipsius limæ obtusum, forma nuclei, & quam leuissimum. Itaque aliquando quidem inæquales quædam dentium eminentiæ apparent, in quibus partes tantum aliquas lima atterere opus est. Aliquando a. æquali planitie extremitates prominent: quare æquali et ac plana per limam attritione indigent. Oportet a. molle quoddam linteolum gingiuis ipsis vsque ad dentium radicem adhibere; deinde leniter sinistræ manus digitis apprehendere, cauteque ac citra offensionem limam adfricare, ne sub manu ipsa doloris impatientia affectus æger concutiatur. Quod si omnino dolorem percipiat æger dum lima adhibetur, aut ob id quod vehementius digitis dentes apprehendantur, quiescere statim conuenit, interimque collutiones dolorem mitigantes offerre: deinde, *vt dictum est*, rem aggredi, & paulatim lima deterere; atque hoc non prima saltem die bis aut ter conari, verum & secunda repetere, ita vt ægro imperes, vt neque sermone nimium vtatur, neque vllum aliquem duriorem cibum adsumat. Et ita iussimus, vt cibis sorbilibus vteretur, aut pane madefacto, tam diu donec chirurgus opus suum compleuisset. Alter vero iuuenis dentem vnum supra alterum enascentem habebat, alioqui facie honesta. Huic consului, vt is, qui eleuatus erat supra alterum, a dentario medico vel tonsore extraheretur; idque dextre, ne alius læderetur.

SCHOLIA.

QVod si citra laxitatem quibusdã etiam præter morem dentes augescant, vel longiores fiant, eos similiter lima atterere oportet, ac colluationes cohibentes eosdem offerre. Ita & Gord. de elongatione & augmento dentium, stringator dens & cum serra, id est, lima, auferatur quod superfluum est, & illinatur cum alumine & baccis lauri & radicum aristolochiæ longæ. Indebita, inquit Valesc. elongatio dentium fit, vt plurimum in dentibus anterioribus & in aliis etiam quando suum par deficit. Nullumque aliud remedium aptius est, nisi vt lima auferatur, & post serraturam iuxta Auic. dentes sæpius fricentur puluere ex granis lauri, alumine & aristolochia. De generatione dentium idem inquit: Vidi aliquando dentes nasci supra primos caninos, ita, vt quatuor nascerentur; super primos duo superius, & duo inferius. Is qui superfluus est, forcipe, *vt dictum prius est ex Paulo*, auferatur, vel medicinis eradicetur, gingiuis à carne nudatis, cum lacte tithymalli vel puluere esulæ, *vt scholio Obser. 7. diximus, reliqua vide apud Valescum.*

OBSERVATIO XIII.

De dentibus male coloratis.

EMpiricus Dentarius dentes nigros & male coloratos penna intincta oleo vitrioli, amoris prius tofis, albos reddebat, penna oblique scissa, vt commodius dentes detergeret: nos etiam cum oleo vitrioli gutta vna aut altera aquæ admixta, vt

vt matronæ dentes fricent iubemus: hoc n. modo & flaui & nigri albissimi euadunt, cum & oleum vitrioli vacillantibus dentibus prosit, modo non fiat ex fluxione humorum; qui prius expurgandi, vt scholio sequenti latius dicemus. At pumex ignitus vinoque albo bis exstinctus, & tertia vice ignitus relictus, donec refrigeretur absque alia exstinctione; demum tritus & ablutus albissimos facit dentes, nec eo magis celebre experimentum inuenitur; imo si dentes eo quamuis non combusto sed trito, fricentur, albissimi euadunt.

SCHOLIA.

DEntes colore tradit Gal. melongiæ infici, h. e. nigrescere, vapore malo taliter inficiente: sed quæ sit melongia, paucis ex Bened. Ver. attingam. Tradunt eam herbam ætate nostra peregrinam ad hortos peruenisse, duorum generum, albam & nigricantem, cucurbitulis Aug. mense dependentibus, iam familiarem, & in feneſtris collocari. In cibis nonnullis grata est; humorem melancholicum generat. Matronis quoque id vitium quibusdam smegmatis faciem venustam reddentibus oriri solet, argento sublimato imposito, quæ & animæ grauitatem faciunt geminata cura. Nigrescit & vniuersa intus materia, subeunte dira tabe, quæ interna causa est, dentes viridi aut nigro colore inficiens, vel aliunde prognata in dentes irruens ex fluxione, tofisque innatis dentibus. Alia quoque externa causa est, vt linimenta in lue Gallica, vel ex cibis dulcibus masticatis sæpiusque syr. sacch. tum aliis degustatis, vbi pharmacopœos dentes nigros habere cernimus, & alios qui cibis dulcibus vescuntur, vel putamina nucium viridium gustant, aut pomorum punicorum & fructuum mororum nigrorum & rubi, aut edulia sumunt, quæ in vasis metallicis condiuntur, vt in vase plumbeo vel stanneo. Horum medela facilis est per causæ illius denigrantis remotionem: quoniam sicuti facilis est impressio ac debilis, eadem ipsa causa procatarctica à dentib. facilè expurgabitur. Non desunt quoque qui ex contactu rerum fœtidarum dentes nigros & corruptos habeant: vbi contingit illis qui coria præparant quibusdam pinguedinibus tingentibus vt sutores, calcearij, cerdones, aut qui elixatis cibis in cupreis aut æneis vasis vtuntur. Omnia enim metalla exceptis sole & luna (*quod chymici norunt*) in se scabritiem & rubedinẽ habent, qua cibi in iis præparati dentes inficiunt, qui ex natura albi & lucidi sunt. Harum omnium causarum, si sint externæ, facile cognoscuntur ex ægri sermonibus signa. At internæ egent maiori distinctione, quæ ex cacochymia, vel fluxione fiunt ex humore prædominante, vt de doloribus dentium nunc satis explicatum est. Causæ externæ vt iam diximus, remouendæ sunt: ita & tofi remouendi, dentifriciisque vtendum partim stypticis partim detergentibus & abstergentibus ac mundificantibus, dentib. sæpè lotis vino albo, & sale vsto confricatis, illud n. tofos absumit. In omni a. causa pinguia vitabimus, potissimum si ex dira tabe, ex materia conflutente virides aut nigri fuerint: & somnum protinus à cibo, vomitum acetosum, cauebimus: & ne in cibis fungi, aut sesami semen sumatur: à fungis n. sumptis, vti à cibis corruptis, hoc malũ aliquando contrahitur: ideo stomachi ratio habenda est, & iis vtendum, quæ proprie ad fungos faciant, & eorum venenositatem reprimant & curent. Ita quoque si ex cacochymia aut corruptis humoribus ad dentes confluentibus dentes male

colorentur, materia illa antecedens prius parata à corpore toto & capite, si per modum defluxionis originem malum trahat, purganda: tum etiam à ventriculo. Et ideo (*vt recte dicebat Aet.*) liuent aliquando dentes per vniuersam ipsorum substantiam, non dissimile quiddam inflammationi patientes, ob influxum videlicet vitiosorum humorum. Quare consimili cum his, qui erosionem passi sunt, indigent curatione. Humoribus itaque fluxionem concitantibus repurgatis, ad dentifricia veniendum, quæ exsiccant & abstergunt: qualia sunt sal torrefactum cum melle, puluis parietariæ, amygdalæ amaræ, cornu cerui, margaritarum, pulu. eboris, & coralli, iris Florentiæ, marmor tritum, pumex vstus, os sepiæ. Et quibus dentifricia conficiuntur. *Quorum copiam inuenies apud Rondel. in methodo sua. De curandis morbis, c. 75. de dentium dealbatione.* Habes etiam smegmata varia apud Aëtium ex Apollonio & diuersis, quale hoc est: *Sal fossile melle subactum in fictili vase torreto, ac tritum modica myrra misceto, eoque dentes confricato.* Talos ouillos exure, ac contritis vtere. Ad eadem pollent buccina sale expleta & vsta, conchæ vstæ, sepiæ testa vsta. Singulis odoris commendandi gratis parum iridis Illyricæ, aut floris iunci odorati, aut calami Indici aut spicæ nardi misceatur. Archigenes ad dentes à dolore præseruandos, tum ad gingiuarum erosionem, atque etiam decorem dentium, pharmaco hoc vtebatur. Lanas succidas linteolo illigatas vre, & salis torrefacti tertia earum parte admixta contere, & pro dentifricio vtere. Illud quoque Pauli ad candorem dentium facit, & oris suauitatem, gingiuas reprimens: *Pumicis, salis tosti an. ʒ iiij. iunci odorati anguloſi ʒ v. spicæ nardi ʒ j. piperis ʒ vj. tritis vtitor.* Hæc satis de dentium affectibus: quos omnes nunc absoluimus: hinc ad gingiuarum mala transeamus.

Lib 3. c. 31.

De iis, quæ ad denigrantes, liuescentesque dentes faciunt.

Dentifricia.

OBSERVATIO XIV.

De gingiuarum dolore atque inflammatione.

GIngiuæ cum etiam vna de oris partibus habeantur, post dentes de iis quoque agendum censuimus, cum ad ornatum oris & dentium creatæ sint, tum ad firmitatem, fixionem & stabilitatem eorumdem: vt etiam eorum opera recte perficerentur, à Deo rectè ordinatæ sunt. Sane persistentes dentib. admodum commodæ sunt. Verum cum à suo habitu naturali collabuntur, plurimas affectiones pati possunt: quas etiam operæ pretium est, vt non prætereamus: vt tyrones sciant quib. modis corrigendæ & curandæ sint, si aliquo affectu lædantur. Ex qualibet leui ac facili causa afficiuntur: dolent n. inflammantur, apostemata incurrunt, vlcerantur, corroduntur, in cancrum transeunt, vel fistulas: corrumpuntur, & fœtent putredinis ratione, intumescunt ac flaccidæ & molliores fiunt, & ex facili causa exsanguinantur, saguinemque fundunt: eo quod humidæ & humorosæ sint, modo iisdem accedit augmentum carnis & diminutio eiusdem. Ita quidam iuuenis tempore verno sanguine prædominante cum gingiuas dolentes haberet, non sine inflammatione, cum & rubedo & sanguinolentia in gingiuis appareret, cassia prius in bolo assumpta, die sequenti, vt venam cephalicam aperiret, mandaui. Quod si neque ea sectione dolor mitigaretur, & gingiuæ detumescerent, vt venas labiorum interiores chirurgus etiam secaret, id quoque vtile est. Estque illud generale præsidium

fidium gingiuarum, tùm oris ægritudinum, ſi ex ſanguine ſuperfluo oriantur, vt prius ſecta vena ex cephalica, mox ſub lingua aut ex labiis interioribus vena ſecetur. Eaque vena ſecta in labiis dolor, tum inflammatio plurimum mitigabantur. Deinde, vt os tum gingiuas collueret decocto roſ. virgæ paſtoris, plantaginis, herbæ ſanguinariæ & portulacæ. Quibus ſi non ſedaretur inflammatio nec dolor, vt ad remedium Aëtij *lib.*8.*c.*20. ad inflammatas gingiuas cùm dolore (*quod ex Gal. accepit*) accederet, conſului, nempe oleum lentiſcinum conduplicato linteo calefactum, ac in ore circa gingiuas detentum. Sed oportet recens eſſe: inueteratum nociuum exiſtit. Illud enim caliditate temperatum, in quacunque alia oris parte dolor ex inflammatione oriatur, eundem ſedat: repellit enim abſque moleſtia, & diſcutit citra mordacitatem. Et ſupradicta remedia egregie contulerunt: alioqui ad aliud remedium Gal. quoque valde familiare peruenisſem, nempe oris collutionem crebram ex aceto decoctionis hyoſcyami: nam & hoc in dolore vrgente etiam confert.

Scholia.

3 AD dolores & inflammationes gingiuarum, tum apoſtemata, quæ vt plurimum fiunt ab humoribus à capite in eaſdem defluentibus vel à ſtomacho ſurſum aſcendentibus ex vaporibus eleuatis, acetoſis, correptis & fumoſis. Quod ſi à ſtomacho, ibidem ſentitur grauitas, vti & à capite. Quæ a. ſit materia facile per tactum & viſum dignoſcitur: per paruum dolorem & remiſſum, quod ſignificat humorem frigidum: ſentitur n. frigiditas, diſcoloratio gingiuarum & minoratio doloris. Per magnum vero dolorem & intenſum humor calidus ſanguineus vel acris notatur: calor enim ſentitur, rubedo & punctura. Inflammationes hæ ſi non ſtatim reprimantur, ad apoſtemata tranſeunt, vel parua vel manifeſta, & iſta citius rumpuntur & curantur: vel in profunda & magna, & tardius rumpuntur & ſanantur. Interea & illud adiiciendum ex Gordonio, quod gingiuarum paſſiones minime ſint contemnendæ: ſi enim diu durauerint, tranſeunt in cancrum, cum materia fuerit ſicca & melancholica & aduſta: alioqui ſi humida, pituitoſa, ſalſa, in fiſtulam: & talia ſunt valde mala. Quod ad curationem attinet, Neoterici, *vt Valeſcus*, ſi ex calore & materia ſanguinea, ſanguinem mittunt ex cephalica: deinde ex venis ſub lingua, vel ſub labiis. Præceptor meus in dolore cum inflammatione etiam poſt aures cucurbitulis etiam ſcapulis impoſitis vtitur. In bile purgat cum ſucco roſ. in pituita cocta materia cum iis, quæ ad dolorem capitis ex pituita valent. Valeſcus ſi à pituita craſſa, cum hiera, cum diaturbith. ita & de atra bile, vel ſucco melancholico, *vt cap. de dolore capitis ex melancholia.* Deinde ad topica deueniunt. Veteres ex cauſa calida, vt Aët. lac aſininum in ore detinebat, præter oleum lentiſcinum iam dictum, vbi dolores maxime infeſtarent: quo dolores mitigabant, & ex tempore ſedabant: etiam ſucco portulacæ: abſtinebant ab aceto, acribus, acerbis & ſalſis, quæ infenſiſſima ſunt inflammatis gingiuis. Valeſcus in apoſtemate calido frigidis prius vtebatur & ſtipticis: poſtea oleo roſaceo vel maſtichino, in quo bullierant ſpica & roſæ ſiccæ. Si frigidum eſſet apoſtema, immiſceret iiſdem aliqua calida reſoluentia, vt alumen, vel ſal, & eiuſmodi. Poſtea ſi videat ad maturationem tendere, butyro inungit gingiuas, & cum ſucco ireos & melle illud aperit, & facit effluere ſaniem. Poſt rupturam exſiccat, & ſanat. Quod ſi nec iis modis aperitur, cum decocto caricarum vel lini & iam dictis phlebotomo aperit; & ſtatim dolor ceſſat gingiuæ & dentium & maxillæ. Si apoſtema eſt profundum, cautione quadam applicat repercuſſiua, maturatiua, & reſolutiua; deinde cum phlebotomo aperit, & lauat cum melle exiguo, & alumine vſto, collutoriis commode adiectis. At ſi in loco apertionis vlcus virulentum remaneat, vel fiſtula vnguento ex viridis æris ℥ ß. *& gallar.* ℥ ij. & aceto quantum ſufficit vtitur, & ſubtiliter tum vlceri ac fiſtulæ adminiſtrat. Eadem quæ in ſanie aurium valere ſcripſimus, his conferunt. Si nec iſto modo curentur, cauterio cum ferro vtendum eſt. Sed præſtat nunc exemplum de corroſionis & vlceribus gingiuarum adiicere.

Cauſæ. Signa. Prognoſtica. 4 Curatio. Topica. 5

OBSERVATIO XV.

De vlcere gingiuarum corrodente, & in fiſtulam tranſeunte.

MAtrona nobilis nec infimæ ſortis, cum vlcere gingiuarum corrodente laboraret, & tandem in fiſtulam tranſiiſſet, & me conſultandi cauſa acceſſiſſet, conſului, vt prius repurgato corpore, medicamento vteretur Gord. quod equidem ſcribit valere ad vlcera gingiuarum & oris, & ad fiſtulas & cancrum, & ad malas humiditates oris. Quod ita conficitur: ℞. *aluminis virituſque ſalis communis an.* ℥ j. *pſidiæ, balauſtiæ, gallarum, cupulorum gland. roſ. rub. rad. ariſtol. piperis longi, cinamomi an.* ℥ ij. *ſpicæ* ℥ j ß. *gum. arab. & tragac. an.* ℥ ij ß. *alumen & gummi aſſentur, & fiat pul.* Vna pars bulliat in aceto, addito melle, & redigantur in formam vnguenti: altera pars puluerizetur. Vnguento vlcera inungantur, & cum radio fiſtulæ indantur, & puluis inſpergatur, vel cum radio immittatur. Si illis non curetur vlcus, iuſſi vt procederet ad cauterium: ſed antequam eo perueniret, vt vlcus faniem per fiſtulam effundens ſolo decocto agrimoniæ & aluminis (quo vſus eſt Valeſc. in quadam Comitiſſa) collueret: quo præſidio ſanies ſuppurata non amplius fluxit. Quod ſi neque iis remediis malum ceſſaret, conſului vt dens corruptus prope fiſtulam, extraheretur: ſicuti fecimus in domicella Kerckweruia, de qua diximus *Obſ. 7. huius lib.* hoc eſt, quod nobis etiam veteres ſcriptum reliquerunt, atque Aëtius ipſe *lib.*8.*c.*26. *De gingiuarum fiſtulis*, ſic ſcribens: *Gingiuarum fiſtulas diſſecare ac explanare conuenit, atque poſt exciſionem vlcus curare. Vbi vero vſque ad radices propinqui dentis fiſtula ipſa extenderetur, conandum eſt, vt quantum poſſibile ſit, per fiſtularia collyria explanetur, & per ſiccum quod flauum appellatur, melle exceptum coleatur, & conſimili modo id quod conſtat ex eruo, poſtea adhibeatur. Quod ſi confuſio & perturbatio ægri comitetur, tum vbi iam melius habere incipit, prinabis eum dente affecto.* Hocque modo erueretur & fiſtula, & conſidet gingiua: atque omnino facilis erit ea, quæ deinceps requiritur cura. Hac ratione perſuaſa, vt dens auferretur, admiſit; & fuit hoc modo curata; vt altera domicella, de qua antea diximus.

Scholia.

CAuſæ horum vlcerum ſunt humores acuti, ſalſi, vel alterius malæ qualitatis corrodentis, quæ in gingiuis per eandem viam fiunt, per quam vlcera oris, vel à capite per modum fluxionis,

nis, vel à ſtomacho, vel à partibus inferioribus per vapores ſurſum elati: atque eadem curatio horum vlcerum, vt oris & linguæ, de quibus poſtea dicturi ſumus, quantum pertinent ad medicamenta vniuerſalia & particularia; ſicuti & de inflammatione & apoſtemate paulo ante gingiuarum recenſuimus, vel ſecta vena, vel humore expurgato. Sed hoc addendum, quod in duplici ſint differentia: quædam incipientia ſimplicia ſine corroſione, putrefactione vel corruptione, & ſine fiſtula: alia ſunt antiqua, quibus & corroſio copulatur vel putrefactio vel fiſtula. Simplicia vero curantur deſiccantibus & ſtipticis medicamentis, ſæpe colluto ore lacte aſinino, ſi adſit calor, vel aceto ſcillitico, vel decocto folior. oliuæ, vel ſequenti: ℞. *roſ. lentium, gallarum, cupulorum gland. capitum roſ. pſidiæ, balauſt. an.* ℥ j. *fiat decoctio in aqua*, in cauſa calida; in frigida vero, *in vino: puluiſque gallarum & myrrhæ inſpergatur.* Si vero profunda, & dentes carne diſcooperti fuerint ob gingiuarum corroſionem, puluis balauſtiarum, aluminis de pluma, quater in die & in nocte inſpergatur, vel ſuperponatur, & Dei auxilio ſanabitur: vel pſidiis & balauſtiis aceto & melle coctis colluantur: at ſi adfuerit fiſtula vel vlcus profundum, ſuperponantur & immittantur, & cauſtica & deſiccantia, vt eſt vitriolum. Ad gingiuas corroſas lana ſpecillo inuoluta, & oleo feruente intincta, & gingiuis corroſis admota valet, donec albæ fiant gingiuæ. Siſtitur a. nome, hoc eſt, depaſcens vlcus, ℥ ij. *gallæ & myrrhæ*, ℥ j. *leuigatis, cauitati corroſionis adhibitis*: prius colluto ore & fricatis gingiuis cum aceto ſcillitico, deinde inſperſo puluere dicto, *flor. roſ. adiectis.* Ad gingiuas exeſas ex Paulo, *roſ. flor.* 38. *gall.* ℥ iiij. *myrrhæ* ℥ ij. valent & ad flaccidas: ſic & oliuæ foliorum decoctum, & ærugo ferri, cytini, arida admota. Aëtius ad corroſas gingiuas cum tumore & dolore & ſerpentia vlcera, vtitur galla tenuiſſime trita & myrrha, & illud quod ex chalcitide & cadmia conſtat ſiccum. Vel prius affuſis aceto: poſt ambobus exſiccatis tritiſque & cribratis. Siccis vtitur, ſed cum cautione, ne hoc deglutiatur. Et quod ex carta combuſta conſtat, ſiccum ſiue per ſe, ſiue cum melle. Ad vlcera ſerpentium gingiuarum, *aluminis ſciſtilis, flor. roſ. an.* ℥ ij. *ſalis foſſilis* ℥ iiij. *croci* ℥ j. *vtere ſicco, aut melle cocto.* Ad gingiuarum abſceſſus ac vlcera oris profunda ac cruſtoſa, *aluminis ſciſtilis, cyperi, cuiuſque* ℥ iij. *gingib.* ℥ viij. *ſandaracha* ℥ iiij. *viridis* ℥ iij. *croci* ℥ j. *vtere ſicco vel cum melle*, putridas gingiuas curat acetum, in quo mentha eſt decocta, ex eo gingiuas colluendo. Radix ireos puluerisata applicata curat putredinem dentium & gingiuarum. Gutta ammoniaci facta ſicut collyrium, gingiuis putridis & cancroſis optimum remedium eſt. Peculiare tamen hoc ad cancrum eſt, quo Gordonius vtitur: ℞. *elleb. nigri, ariſtol. longæ, tartari, ſiltri combuſti, aluminis aſti, ſtercoris columbini, facis ferri combuſtæ; gallarum, balauſt. pul. & cum ſucco foliorum oliuarum & melle conficiantur, & gingiuæ cancroſæ illinantur.* Ad vlcera profunda & fiſtulas vtitur trochiſcis de calce: vide apud eundem deſcriptionem.

Differentia vlceris gingiuarum. Curatio vlcerum ſimplicium. Ad vlcera ſerpentium gingiuarum. Ad gingiuarum abſceſſus. Ad cancrum, tartari, ſiltri combuſti, aluminis aſti, ſtercoris columbini, facis ferri combuſtæ; gallarum, balauſt. pul. & cum ſucco foliorum oliuarum & melle conficiantur, & gingiuæ cancroſæ illinantur. Ad vlcera profunda & fiſtulas vtitur trochiſcis de calce: vide apud eundem deſcriptionem.

OBSERVATIO XVI.

De gingiuarum excreſcentia & epulide.

GIngiuæ interdum præter modum luxuriant & excreſcunt, adeo vt dentes prope integant: iis potiſſimum quibus molles & ſpongioſæ ſunt, & qui locis aquoſis humidioribuſque, vt nautæ, degunt: Græcis dicuntur ὑγρὰ πλαδαρά, gingiuæ molles. Poſſunt tamen eſſe molles & flaccidæ humidæque, ita tamen, vt adeo carnem ſuperexcreſcentem non habeant: & propterea Neoterici diuerſo modo ſcribunt de gingiuarum carnis augmentatione, vel de carne ſuperflua, & de eiuſdem diminutione, vt in ſcholio latius dicemus. Malum hoc plerumque in iis contingit, qui ſcurbuto malo afficiuntur, vt de lienibus magnis alias dicturi ſumus. Si vxor mea cariſſima Eua Teylingia, an. 1567. cum tempore Quadrageſimæ halecibus ſalſis tum fumo induratis in cibo vſa eſſet, iiſque ſupra modum delectaretur, in ſcurbutum malum incidit, atque gingiuæ ſupra modum ſanguinem fundebant; ſubindæ & fœdæ & corruptæ euadebant, cumque lotione ex decocto cochleariæ bekabungæ, malicorij & aluminis non perſanarentur, nec ſucco cochleariæ, alumine vſto inſperſo, quibus alias per me alij infiniti curati fuerant, epulide ſupra gingiuas excreſcente; coacti fuimus accito chirurgo caruncularn illam vlceratam forcipe exſcindere, vel potius vulſella aut hamulo eleuatam præcidere, vt Paulus iubet, & colluto ore ac gingiuis vino poſt abſciſſionem: deinde os tum gingiuas colluimus cum decocto hordei communis, & flor. roſ. cum melle roſ. & ſyrupo noſtro ſceletyrbico dicto, ex ſucco cochleariæ & bekabungæ confecto ad vlceris abſterſionem; mox alumine vſto inſperſo: idque crebrius reiterato, epulide ablata, flaccida illa caro gingiuarum vicina detumuit, & mollificatio repreſſa eſt & curata.

Scholia.

SIcuti enim phlegmone manifeſta tentantur gingiuæ, vt paulo ante diximus; ita quoque parulide appellata, ſpecie quoque phlegmonis, afficiuntur ad dentium radicem intro foraſve adeo prominente, vt etiam vicinæ partes diſtendantur, rubeant, caleant, ac dolitent: in ſuperiorem maxillam ea procumbere ſolet, ex oculorum canthi maiore; inferiorem vero per tempora è venis eo tendentibus: abſceſſus hinc ſequitur, cuius pus non ad faciei cutem, ſed dentium radices exili velamento tectas irrumpit. Similia quoque huic tubercula ſunt, teſte Celſo *lib.*6. quædam dolentia, quæ etiam interdum ſolent iuxta dentes in gingiuis oriri, Græci παροδοντίδας appellant: ita, vt idem tumor videatur cum parulide, cum fere iiſdem remediis tam à Celſo quam ab Aëtio curentur. Poſt parulidem ſubſequitur ἔπουλις: quæ differt à parulide etiam iuxtà Æginetam, cum parulis apud Paulum *lib.*6.*c.*27. exiguus abſceſſus ſit gingiuas infeſtans: & *lib.* 3.*c.* 26. Parulis inflammatio quædam eſt in aliqua gingiuarum parte ſuſcitata, quæ niſi diſcuſſa fuerit, in ſuppurationem conuertitur: Epulis vero eſt excreſcentia carnis à parulide ſeu inflammatione conſequuta iuxta interiorem dentem molarem, aliquando cum febre (*teſte Aetio*) & vehementi dolore internarum mandibularum, vt neque os aperire liceat, contingens. Nam in parulide vlcus ſi non curetur, vel ſi male curatum fuerit, caruncula exſtat & prominet epulis nuncupata. Curationes tamen horum trium tumorum parum inter ſe differunt. Celſus inquit: Parodontidas initio leuiter ſale contrito perfricare oportet, aut inter ſe mixtis ſale foſſili combuſto, cupreſſo, nepeta: Deinde eluere os cremore lenticulæ: & inter hæc hiare, donec pituita ſatis profluat. In maiore vero inflammatione iiſdem medicamentis vtendum

Parulis. Differentia inter parulidem & epulidem. Ad Paredonidas.

est, quæ ad vlcera oris valent: & mollis linamenti paulum inuoluendum, aliqua compositione ex his, quas Antheras veteres vocant, demittendumque id inter dentem & gingiuam: quod si durior erit, & id prohibebit, extrinsecus admouendus erit spongiæ vapor calidus, imponendumque ceratum. Si suppuratio se ostendet, diutius eo vapore vtendum, & ore calidum mulsum continendum, in quo ficus decocta sit. Itemque subcrudum incidendum, ne si diutius ibi pus permanserit, os lædat. Dente vero corrupto, fracto aut vitiato, si ad fistulam veniat, locus aperiendus, dens eximendus: testa ossis si qua excessit, recidenda est: si quid vitiosi est, radendum; demum vt alia 5
Ad parulides. vlcera curandum. In parulide in principio, vt submittatur, iuxta Aët. studendum; per dissoluentes videlicet collutiones: quales sunt succus ptisani, decoctum seminis linì, aqua mulsa calida, aut mulsum. Deinde siccis deprimenda est eminentia carnis sulphure viuo, pipere, alumine sciffili, par. æqual. idem præstat omne alumen vstum, aut sori, si trita adhibeantur. Si suppuretur, ferro venæ incisorio distractam & excisam linamento impositio deficcato, aut cum linteoli rasura. Paulus quoque parulidi in orbem exsectæ linamenta inserit. Vidit a. & scalpello, quo venas secamus, ipsam duntaxat punctam, & pure vacuato consanuisse: id quoque nos sæpe vidimus. *Amant a. magis*, inquit Aëtius, *excisionem gingiuarum abscessus.* Post excisionem medicandum est ipsum vlcus per collutiones: & cauum quidem eius, eo quod ex eruo constat, sicco capitali impleto: vbi vero ad æqualitatem peruenerit, eo quod floridum appellatur, vtitor. Paulus post ferrum vino colluit. 6
Die sequenti mulsa. Tertio antheram aridam vulneri inducit, vsque dum curatio perficiatur. Idem si putredo gingiuis oborta sit, & medicamentis congruis non curetur, candenti ferro ipsam adurit. Carnis excrescentiam in epulide reprimit
Ad epulides. cum ærugine rasa priuatim, vel cum pari galla, vel cum psori combusto, vel alumine quolibet cremato. Alioqui, vt paulo ante dictum est, hamulo eleuatam præcidit. Aët. in principio collutionibus iisdem vtitur in parulide dictis, totamque maxillam cataplasmate ex semine lini & aqua mulsa integit. In flammatione soluta, vt hiera posset æger, epulidem sicco deprimit cum iisdem paulo ante dictis de parulide; vel eo quod ad serpentia vlcera valet ex chalcitide, & cadmia: imponitque rasuram linteolorum. Vbi serius caro consumitur, siccum quod carnem exedit, apponit, æruginem vel gallam, aut quod flauum appellatur: deinde rursus rasuram linlei imponit. Quod si adhuc moram traxerit epulis, forcipe arrepta exscindit cum tenui scalpello, aut enficulo paruo. Sequentibus diebus curat vlcus collutione aquæ mulsæ, capitali sicco & rasura linteoli imposita. Postremo florido sicco totam curam complet. Quibus vero Neoterici vtantur ad carnes gingiuarum auctas vel diminutas, postea dicemus: *Nunc exemplum aliud interponamus de gingiuis supra modum cruentis.*

OBSERVATIO XVII.

De gingiuis tumidis, cruentis & excrescentibus.

1 REfert Rembert. Dodonæus Latomo cuidam ecthymatis laboranti, non per nares, sed è gingiuis sanguinem erupisse: quod cum in primis molestum esset, ore assiduo sanguine repleto, remedium adhibet, quod sanguinem illic manantem reprimeret: qui rèprèssus aliam viam quæsiuit per vrinarios meatus, vrina cruenta subsequente: atque eo fluore rursus restricto, ad gingiuas natura sanguinem denuo pepulit. Ex his a. nec prius desiit prodire, quam ab ecthymatis curatus æger esset. At Delphis iuueni sanguis per multos dies adeo ex gingiuis fluxit absque febre & sine ecthymatis, vt vix ad sanitatem reduci potuerit, multis adhibitis remediis & oris collutionibus adstringentibus, & farina aluminis vsti inspersa, & venæ sectione cephalicæ, atque hoc vel simili epithemate, quo Aët. vtitur ad sanguinem ex gingiuis erumpentem: ℞. farinæ partem vnam, succi sanguinariæ quantum satis est, contere: & ad cerati crassitiem impone ad sanguinolentum locum: aut simul cum succo tam diu tere, donec arefiant; atque hoc modo trita insperge. Sed ille cui in nosocomio gingiuæ supra modum sanguinem fundebant, etiam carnem supernatam habebat tumidam putridamque; adeo sanguinem emittebant gingiuæ, vt ex sanguinis profusione moriturus videretur. Gallarum decocto & citinorum & corticis mori gingiuas abluebat: & ad excrescentes gingiuas & putridas varia adhibita sunt præsidia tam colluta, quam in ore retenta: qualia sunt illa, quæ ab Aëtio adhibentur, oleum ex immaturis oliuis expressum, oliuarum colymbadum muria, rubigo ferri, chalcanthum assatum; malicorium, tritaque inspersa: & alia infinita. Verum cum & idem scurbuto malo laboraret, in quo affectu cruentæ gingiuæ sæpe apparent, tum alia supradicta, corpore repurgato ab humore melancholico & pituita salsa, decocta ad hunc morbum destinata, vt cochleariæ, bekabungæ, nasturtij aquatici, fumariæ, cum syr. sceletyrbico nostro, & linamento ex succo cochleariæ cum alumine vsto & syr. iam dicto ad crassitiem mellis perfrictis gingiuis, putredine ablata, reliquis quoque remediis ad cruentas gingiuas iam suprascriptis, tandem & hic quoque pristinam valetudinem recepit.

Scholia.

VIdimus, inquit Alex. Veronens. ex gingiuis sanguinis profluuia incredibilia, qui supra modum profluebat; præcipue vero in quadam ægra, quæ vix sanitati restituta fuit. Scribit Aëtius cruentis gingiuis ob bilis acredinem, præter opinionem valde vtilem esse *folio hyoscyami succum aut decoctum cum sapa aut cum palmarum stillamento calidum ore retentum*; vel eius loco radix eiusdem decocta. *Alumen quoque sciſsile cum myrto.* Asclepiadæ ad cruentas gingiuas: *balaustiorum flor. ros. ramorum myrti, an. cum posca dilutiore, & liquorem inde percolato, ac eum in ore retinendum exhibeto. Vel spongiam nouam siccam in sanguine taurino madefactam in vase fictili exure, contere ac repone.* Vbi vero vti velis, *cineris ipsius* ʒ iiij. *thuris* ʒ ij. *chalcitidis crudæ* ʒ ij. *simul trita inspergito.* Istis veteres vtuntur ad gingiuas cruentas. Ad excrescentes vero tumidasque gingiuas, *iuxta Paulum*, valet *portulacæ succus in ore retentus, muria, oleum ex colymbadibus oliuis, vel gingiuis immaturis expressum, vel lentiscinum, vel melinum amurcaque.* Sicca a. ærugo ferri, vel æris, aristolochiæ radix, arnoglossi semen, dyphryges, atramentum sutorium, tostum, cytini. Iisdem quoque vtitur & Aëtius ad excrescentes gingiuas putrescentesque ac tumentes; & siccum floridum inspergit ad gingiuas depastas, cruentatas & putridas, quod Græci antheron appellant, *cyperi* ʒ viij. *gingiberis, crocomagmatis myrrhæ, aluminis sciſsilis iridis, an* ʒ ij. *croci* ʒ j. *sandaracha.* ʒ iij. *pernixtis vtere.* Valet quoque ad putredines oris, glandulas, columellam, & ad gingiuas depastas, *cruentatas, gallarum omphacitidis, aluminis sciſsilis partes æquales.* Plura vide apud Aëtium *lib.* 8. *c.* 22. Neoterici ad mollificatas gingiuas iisdem vtuntur, quæ ad commotionem deatium & debilitatem descripta sunt, rebus stipticis in vino vel aceto decoctis, cum humiditas huius causa existens remouenda sit, psidiis, balaustiis, alumine vsto de pluma, ros. siccis, sumach, cupulis glandium, & similibus decoctis in aceto vel vino, vel in puluere gingiuis admotis; quale illud Auicen. existit expertum: ℞. *flor. ros. rub. piperis an.* ʒ vij. *cupulorum glandium myrt. balaust. an.* ʒ iiij. *sumach, fol. menthæ, an.* ʒ v. *fiat pulu.* post collutionem gingiuis inspergendus. Ad gingiuas laxas egregie confert aqua aluminosa sua frigiditate & astrictione repellens. Si vero in gingiuis fuerit superflua caro, ponatur chalcanthum siue vitriolum mixtum cum myrrha, & amouebitur, vel vtere iisdem præsidiis ad polypũ narium descriptis. Addam historiam Petri Bayri quamuis barbaram, tamen vtilem: *Dum essem* (inquit) *in Sabaudia cum illustr. Duce Carolo II. in loco Annesiaci, sui locatus in domo Pachaleti apothecarij, qui habebat vxorem satis amiquam, quæ habebat gingiuas crassitie digito: excreuerat enim carnositas multum deformis. Rogauit si quid haberem, vt sanitati consulerem, quia multi iam annis erant, quod ab illo morbo vexabatur cui dedi bonam spem salutis. Accepi aquam qua vtuntur amifabri* (vulgo da partire) *& aptaui duos baculos: in quorum vnius summitate ligaui cottum carminatum, in alterius summitate ligaui parum petiæ. Accepi postea aliam petiam duplicatam, & cum manu sinistra posui petiam super inferiori labio, & traxi inferius, vt discooperirem totam illam carnositatem. Carne discoperta, accepi manu dextra baculum, in cuius summitate erat cottum, & immersi in illam aquam fortem: & cum cotto fricaui dictam gingiuam superincarnatam, vt supra: & effecta est alba perinde, ac si calce dissoluta linuissem: deinde infudi petiam, quæ erat ligata super alio paruo baculo, in aquam frigidam, & tuli carnositatem illam, tegendo alias partes, ne tangeretur ab aqua forti. Iteraui modum prædictum per octo dies: &, Deo fauente, restituta fuit sanitati pristinæ, nulla remanente deformitate; perinde ac si nihil passa fuisset.*

OBSERVATIO XVIII.

De gingiu. carne nudatis, siue carnis gingiu. dimin.

1 SIcut gingiuæ caro aliquando supercrescit: ita carne etiam nudantur, & destituuntur: vnde facilè dentes à frigore læduntur, & facile dentes relaxantur, carne gingiuarum absumpta, *vt dictum est scholio obs.* 11. *huius lib.* Præter ea, quæ diximus huic malo conferre, vtilis est trochiscus ex orobo. Quo malo cum quidam patritius Delfius afficeretur, & me consultandi causa accederet, iussi in officina parari pharmacum illud Aëtij *lib.* 8. *c.* 23. quod gingiuas carne implere tradit. Seminis rosa. non antiqui partes duas, calami odorati Indici partem vnam cum cera liquida adhibe. Oportet a. tofos in dentibus adhærentes prius tollere: deinde aceto scyllino dentes & gingiuas confricare: postea ea adhibere, quæ carnem gignunt. Tale autem est iuxta Veteres quod ex eruo constat, siccum capitale. Relatum autem est in his ab Aëtio, quæ vulneribus adhibentur, remediis.

Scholia.

AVicen. ad diminutionem carnis gingiuarum sequenti pharmaco vtitur: ℞. *thuris, mastichis, aristolochiæ rotundæ, sang. drac. farinæ orobi, rad. ireos siccæ an.* ʒ j. *fiat pulu. melle & aceto squillitico incorporetur.* Atque inde gingiuæ & dentes fricentur. Ex sola farina orobi cum melle conficiuntur trochisci: siccentur in furno in testa, vt possint puluerisari. Huic puluери addatur sanguis draconis, thuris masculi, ad pondus dicti puluer. aristolochiæ rot. ireos ante mediam partem; dentibus & gingiuis inspergantur frequenter, atque cum iisdem fiat aliquando leuis fricatio. Hæc de vitiis gingiuarum dicta sufficiunt. Nunc ad reliqua oris vitia progrediamur. 2 *Diminutio ni carnis gingiuæ, quæ consecrant.*

OBSERVATIO XIX.

De fœtore oris ex abscessu intus in ore latente.

QVidam pictor cum fœtore oris admodum molesto detineretur, & chirurgus causam mali non animaduertens, multas collutiones aromaticas frustra adhibuisset; ad hunc cum ingressus essem, ore aperto & speculo oris immisso, reperi circa maxillam internam prope gingiuas tumorem quendam putridum, pituitosum & malignum ac fœtidum esse: Quare cum aluum non deponeret, præscripsi apozema, in quo folia sennæ & polypodij radices incocta erant; ex quo bis sumens, cum aluum probe deiiceret, vt abscessus rumperetur & matureſceret, & apertionem per ferrum vel sectionem non admitteret admodum tamen conuenientem, hac sequenti collutione secundo die abscessus ruptus est, sanie admodum fœtida & olida emanante satis copiose: ℞. *fol. maluæ cum toto fol. viol. iaceæ nigræ, scabiosæ flor. melilloti, chamæ. an.* m. j. *rad. althææ mundatæ, rad. fœn. an.* ʒ ß. *sem. lini, fœnugr. maduæ, an.* ʒ ij. *sem. anisi* ʒ j. *ficuum pinguium nu. v. coquantur in aqua communi pro* ℔ j ſ. *mellis ros. colati* ʒ ij. *misce*, eo sæpe os colluebat: & in ore tenebat. Sanie iam effluente, ad detersionem os colluebat cum melicrato seu aquamellis: deinde aliquo gargarismo magis constringente & consolidante vtens, atque hoc modo liberatus est ab oris fœtore. 1

Scholia.

CAusas varias esse diximus male olidi spiritus scholio *Obs.* 2. *lib.* 13. iuxta quas etiam curatio variatur: nam sicuti ex ozænis & polypo oris graueolentia fieri potest, *vt diximus*; ita etenim ex labiis vlceratis & gingiuis, tum aliis oris partibus, de quibus nunc agimus, vt in scurbuto malo quoque vidimus, os male olet. Propterea præceptor meus Fauent. omnes causas ad duos modos referebat, ex omni inquam genere superfluitatum in corpore abundantium, quæ ab opere facultatis concoctricis derelictæ in putridum odorem & molestum vertuntur, qui odor in cerebrum delatus sensum mouet odoratus, (*vt pictori illi euenit*) si per foramina palati ad os perueniat, & nares extraque exspiret, tam ægris ipsis, quam vicinis molestus. Alius modus est causarum particularium, à propriis membris corruptis putrefactis aut vlceratis prodeuntium; à gingiuis erosis vlceratisque vel putridis, aut in extima dentis superficie, aut in intima eius substantia vel radice, vel ex inflammationibus vlceribusue gurgulionis 2 *Variæ causæ fœtoris oris.*

&

& tonſillarum, aut ex pulmone vlcerato vel tabe, *iuxta 5. aph. 11. & 7. aph. 16.* Sic Laurentio Adriano cuidam Alcmariano euenit, qui tandem multis menſibus vitam trahens partes aſperæ arteriæ corruptas extuſſiebat antequam moreretur. Ita & tabidæ iuuenculæ admodum formoſæ vlcus vel vomicam in pectore habenti, ita os fœtebat, vt nemo adeſſe poſſet: hæc tamen à me, præter opinionem multorum, fuit curata. Male quoque olent ora ſiue narium ſpiritus gibboſis, quos aliqui ſtrumoſos vocant, quoniam aër recluſus non meabili canali, ſed pectoris incommoda curuitate contentus diutius quam par ſit, vnde ſpiritus vapore olido infectus emittitur. Ex putrido quoque ſtomachi humore naſcitur, aut pituitoſo, vel bilioſo: quod quidem vitium ieiunantibus graue ſentitur: à cibo vero minus graue: quoniam cibus oris halitus vniat, ieiunis vero aër in ſtomacho immotus calidior redditur, tum ſpiritum & humores qui in eo ſunt, ad putrefactionem mouet; quies enim putrefactionem ſponte excitat, motus a. ne putrefiant tuetur: quod autem ieiunitas calefaciat, ſitis indicio eſt. *ex Ariſt.* Sic ego quendam noui doctum iuuenem, qui ſtomacho imbecilliori erat, ex cibo corrupto in ventriculo, etiam catarrho ſæpius obnoxium, calidi hepatis & frigidioris ventriculi, hoc vitio affectum, cui pilulas ex hiera picra præſcripſi cum rhabarb. ob caliditatem hepatis. Conſului quoque, vt ex hac potione omni mane cochlearia tria ſumeret: *Vini alb. odoriferi* ℔ j. *nucis muſcatæ, garyoph. cinamomi, maceris an.* ʒ j. *moſci* ϑ j. *pulueriſata infundantur in dicto vino per duos dies naturales*; eique colato à ſpeciebus, addas *aqu. roſ.* ʒ ij. *ob calorem hepatis, aq. end.* ℥ ß. *ſpecier. diaro. abbat. trionſant. an.* ϑ j *miſce*, egregie contulit, quemadmodum & hoc electuarium ad ʒ ij. mane ſumptum, ad coctionem perficiendam valens: ℞. *ſpec. diagal.* ʒ ij. *diacinamomi, aromatici roſ. diarob. abb. an.* ʒ j. *diamoſci dulc. trioſant. ana* ʒ ß. *contic. citri conditæ* ʒ ij. *nucis myriſticæ conditæ* ℥ ß. *ſtomach. gallinar. præpar.* ϑ j ß. *cum ſucco pomorum dulcium & ſaccharo addito, fiat electuarium liquidum ſeu opiata.* pro catarrho circa noctem dum cubitum iret, deuorabat gr. iij. olibani lucidi: & ſequentem puluerem crinibus capitis dormiturus inſpergebat ad catarrhi ſuſpenſionem, & mane pectine excutiebat: ℞. *garyoph.* ϑ iiij ß. *maceris, betonicæ ſiccæ, veſ. rub. cinnam. ſantal. citrin. an.* ϑ j. *miſc. fiat pul.* Similiter nigellæ ſemen aceto infuſum nodulo incluſum odorabat ad cerebrum exſiccandum & odorem oris ac narium emendandum. Præter has cauſas ſi caries in oſſibus narium vel putridus humor inhæret, vt in lue Gallica, fumi per palati foramina in os ac nares fœtidi exhalant. Ita quoque bibonibus & cereuiſiariis & vinolentis ex crapula frequenti, & ieiunis maxime aquam vitæ (vt vocant) mane bibentibus os fœtet: quemadmodum & ſalacioribus halitus corrumpitur; vel quibus ſeſaminum frequens in cibo fuerit, aut allium vel cæpe, & ſimilia. Et huius cauſæ procatarcticæ facilis habetur cognitio ex relatu ægri, tum curatio; nam ea ablata facile ceſſat hic affectus. Et ideo diligenter cauſæ ſunt perſcrutandæ per ſua ſigna ſi vera methodo hanc paſſionem curaturi ſumus. Si enim ex affecta gingiua, vlcere vel putredine fiat & tactu ac viſu percipiatur, & ex ſanguifluis gingiuis; ita & à dente corrupto: ſi ab vlcere pulmonis ex tabe: ſi ex concauo pectoris, ex ſputo corrupto & ſanioſo: ſi à ventriculo, *vt iam diximus*, ieiunos magis moleſtat: quanquam matrona nobilis ex vlcere ventriculi è naribus fœtorem exſpirante, tandem è vita deceſſit apud Rembertum Dodonæum ſiue ante cibum ſiue poſt, fœtor ex ore exſpirabat. Ab vlceribus naſi, ſigna iam dicta ſunt. At affectus in profundo corpore hærens, vt à pulmone, vix vel difficile curatur; in partibus oris, facilius; magis moleſtus à bile vel ſalſa pituita, & difficilior. Ex aphthis in febribus acutis, malignitatem habet. Variatur curatio iuxta cauſam, quæ malum induxit. Si ab vlcere vel abſceſſu, vel à tabe, illa prius curanda ſunt. Si à bile, quidam exhibent aloen cum melle: laudant perſica ſi in ſtomacho bilis hæreat, ſyr. cotoneorum: ſi phlegma, dant aloen cum agarico, etiam mulſam, ſyr. abſinthinum, catapotia ex aloe & citri ſemine. Si ex dentibus corroſis, dentes tollendi. Reliqua per ſe ſatis patent. Si plura deſideres, legas *caput proprium Benedicti Fauentini præceptoris mei, & Benedicti Veronenſis, De oris grauedine, & Rondeletium.*

OBSERVATIO XX.

De oris inflammatione.

INflammationes oris, quæ cum febre moleſtat, periculoſiores & difficilioris curationis exiſtunt: de quibus ſatis diximus in lib. noſtris Obſ. De febrib. At ex ſolo ſanguine etiam mitiores, bili vero permiſtæ & moleſtiores & difficiliores quoque. Quidam cum aliquot diebus ſine febre tamen in partibus interioribus oris in palato & faucibus continuum ardorem pateretur cum inflammatione, ac variis collutionibus oris ex portulaca, & aliis refrigerantibus admodum diu fruſtra vſus eſſet, conſului, vt venam ſecaret, & totum corpus purgaret, ſic Aëtio ſuadente lib. 8. c. 42. de oris inflammationibus. *Quam*, inquit, *vniuerſum corpus multitudine humorum abundat vel redundat, aut vnius tantum alicuius noxij humoris multitudo in corpore augeſcit, conuenienter vtimur inciſione venæ, aut purgatione, aut clyſteri & abſtinentia ciborum. Quod ſi neutrum horum adfuerit, ad localium auxiliorum ope confugimus: in principio quidem reprimendo per ea, quæ adſtringunt & frigefaciunt.* Sic ex nimia vini potatione quibus ob calidum eſt & inflammatum, ſola collutione ſeri lactis à quo extractum eſt butyrum, in quo decoxerint cimæ ſeu extremitates vitis, ſæpè curauimus. Nos vero imperauimus, vt os colluerent cum decocto plantaginis, ſolatri, ſemperuiuæ & aquæ lenticulæ, vel aquis deſtillatis ex iiſdem herbis diu in ore retentis, adiecto diamoro. Alteri cuidam quoque profuit, poſt venæ ſectionem & purgationes ſucco lactucæ ſæpe in ore retento, vel panno madefacto & linguæ impoſito.

SCHOLIA.

VEterēs ad oris inflammationes multa præſidia compoſuere, vt videre licet apud Aët. quæ & ſtomatica pharmaca appellare, quorum tamen delectum habere oportet iuxta diſpoſitionem corporum, ſexuum & ætatum: nam fœminis & mollioribus, & pueris & eunuchis alia conueniunt, quam robuſtioribus vti eſt confectio ex moris ab Hera. medico compoſitis, & ex malis punicis Gal. & Aſclepiadæ. Et de ſucco vuæ acerbæ. Sorani, & confectio ex nucibus, Gal. *de quibus vide eundem Actium in loco citato.* Inflammatio oris, vt affectus indicat poſt habitam rationem totius corporis initio eget repellentibus medicamentis, in incrementis & vigore, quæ concoquunt & quæ diſcutiunt, *vt videre licet apud Holl. in lib. 6. Gal. & hæc de oris affectibus.* Et quia vlcerum atque inflammationis oris fere eadem eſt curatio, vt liquet apud Bened. Fauent. præceptorem meum de inflammatione oris & eius partium curatione, eundem perlegito: interea tamen diſtinguitur, cum inflammationem oris ad phlegmonem referat. Vlcus a. oris cum poſſit eſſe per modum inciſionis vel eroſionis, facit etiam differentiam inter membrum vlceratum & aphthas: nam priuſquam pus emittat, aphthæ nuncupantur: vbi vero ipſum pus emiſerit, non amplius aphthas vocari vult, ſed tantum vlceris nomen ſecundum genus ſibi vendicat, *vt etiam ex Gal. elicimus 6. De compoſ. med. ſecund. locos.* Interea tamen (vt *Altomarus*) quidam ἀφθας à Græcis ita dictas, à vulgo medicorum Alcolas, referunt ad vlcerationes quaſdam ignitas, quæ in oris ſuperficie fiunt. Illud idem ſentire videtur Iacchinus ſic ſcribens ſupra Rhaſem: Frequentiſſimum malum eſt oris exulceratio, atque omni ætati euenit & naturæ corporum: ſed præcipue pueris, qui etiam nonnunquam eo affectu pereunt. Eueniunt etiam in acutis morbis, & ſunt infeſtiſſimæ; adeo vt ſæpe vniuerſas fauces, imo internas gulæ partes offendant. Sunt a. maxime familiares morbo Gallico affectis; ſed his præſertim, qui præcipitem illam curandi rationem, quæ per argentum viuum obitur, ſuſcepere. Interea nos ſæpe vlcera in eiuſmodi lue affectis vidimus, quæ talem ſpurcitiem, qualem in aphthis cernere licet, non haberent, quamuis admodum maligna eſſent vlcera: non obſtante quod ex tali curatione ſtatim vniuerſæ oris partes tetra ſanie manant atque exulcerantur. Et quanquam de oris inflammationibus & iſtis vlceribus atque aphthis in libris ſparſim de febribus egimus, tamen hic quædam adiiciemus. Quibus adiungere poteris ea, quæ Benedictus Fauentinus præceptor meus, de oris vlceribus, & oris inflammationibus, ad longum ſcripſerit in ſua magna praxi.

OBSERVATIO XXI.

De Aphthis & oris vlceribus.

APhthæ morbi familiares ſunt pueris (noſtri lingua vulgari *die Sprou* appellant) vt ex 3. *lib. aph.* colligere licet. A gingiuis ſæpè incipiunt: ſerpunt in palatum, deſcendunt in vuam & fauces: periculoſiſſimæ ſunt pueris, adeo vt ſæpe eos conſumant. Occupant autem ſuperficiem oris, vel ſubiectam carnem exedunt, præcipue ſi malignæ ſint ob humoris prauitatem, acre enim & tenue omnem carnem molliorem peruadit, & cutem à ſumma cuticula exulcerat: & craſſum cutem exedit remoratum: & ſi adhuc craſſius, atram bilem ſapiens, carnem & oſſa exedit. Prauitas putredinis cauſa malignitatis eſt, quæ etiam naturam humoris ſequitur, qui putreſcit: de qua re latius in ſcholio. Cæterum in pueris aphthæ ſeu vlcuſcula in partibus internis oris fiunt, ex lactis acrimonia vel putredine. Sic ad infantes vocati, iuxta Galenum, prius conſideramus, num lac nutricis vitioſum ſit, quod non paruam in ſe ſeroſam contineat partem? hinc ob mollitiem oris ſummæ partes lactentium vlcerantur, *ex Gal. ſententia in comment. lib. 3. aph. 24.* Id quidem facile lactis qualitate inſpecta percipiemus. Sic vero lac vitioſum non fuerit, propter id, quod ipſum non probe concoquunt infantes lactentes, ideo & exulcerationes oboriuntur, *vt teſtis eſt Gal. lib. 6. de compoſ. med. ſecundum locos*: quare nos rationem nutricis habemus in ipſa curatione. Lac vitioſum, iuxta *Paul. lib. 1. c. 4.* corrigimus tum victu, tum purgatione. Veteres vero nutricem ambulationibus cogebant, atque iis operibus, quibus ſuperiores mouerentur partes, & cibis lenibus, qui non facilè corrumperentur, ali iubebant: etiam in balnea ducebant, ac calida perfundebant mammas. Nos exhibemus hordeatum cum ſacch. roſ. etiam pulticulam ex farina tritici, lacte & ſale: id enim mulierculæ coquunt pro pueris, ſi mandere poſſunt: & nutrici bonam procuramus concoctionem. Cibaria condiri iubemus acetoſis, acribus vino granatorum, ac vuæ acerbæ acore. In calida materia etiam damus nutrici ſyrup. acetoſum, de granatis acidulis, ſyrupum citreum, etiam in potu cum aquis deſtillatis alterantibus, infrigidantibus, ſi materia ſit calida: alioqui mel. roſ. vel oxym. ſi frigida ſit. Celſus, ſi puer febricitat, aquam exhibet nutrici: alioqui vinum dilutum, ſi ſit infans ſine febre. Interea ſi videmus ex mala concoctione in infantibus fieri, ea, vt probe fiat, in nutrice procuramus: tum quantitatem moderando, tum alterando lac ad frigidum, ſi ex calore nimio fiat; vel ad calidum moderate, ſi ex frigiditate vel pituita. Galen. iubet, vt nutrix mandat puero aſtringentia, vt cotonea, punica, pyra, alij meſpila & ſorbas in cibo coquunt portul. & ſimilia, & ſemimanſa pueris propinant. Nos linctu vtimur ex diamoro, ſuc. granat. & melle; aliquando & ſyr. roſ. gran. vel mel. roſ. modo inſandere poſſint. His vel ſimilibus præſidiis infinitos infantes curauimus. Sed hoc vnum addam, quod à pharmacopœo accepimus: multi infantes cum Antuerpiæ ex aphthis morerentur, ex vetulæ conſilio ranulam viuam ori puerorum admouebant, ſuctione malignitatem attrahentem: eaque defeſſa & mortua, alteram ori imponebant: deinde rurſus aliam, ſi opus eſſet. Quo præſidio & pueri & infantes euadebant. Idem in pueris ſuis, tum aliis expertum narrabat.

SCHOLIA.

APhthas Græce dictas, quidam Latini vertunt ſerpentia oris vlcera; Arabes vero Alcolas vocant: Latiniores vero lactucimen appellant, *vt Amatus refert cent. 1. curat. 17.* Haliabbati Calaba dicitur; Plinio vero oris vlcus. Aphthæ, inquit Fernelius, vlcera ſunt admodum caua, in quamuis partem oris ſerpentia, in palatum, in gingiuas, in linguæ latera, in eiuſque radicem. Cum itaque ſumma oris pars & interna afficiatur, pars affecta nota eſt, ægrotantis ore aperto, tam viſu quam etiam tactu, cum & calidiores, quam conueniat, tumidioreſque ſummæ oris partes ſentiantur. Affectus quoque liquet, cum adſit exulceratio. Cauſæ ſunt (*vt nunc diximus*) acres fluxiones ex bile, pituita putrida, & ſalſa, ſeroſa, & ſanguine à cerebro tranſmiſſo, vel ab aliis partibus fluxionem ſuſcipiente, ex mala euoparatione, praua putredine, ex ventriculo, pulmone: etiam in febribus peſtilentibus & malignis, *vt ſparſim in lib. Obſerv. de febrib. oſtendimus*, in quibus vt res exigebat, curationem earundem ſcripſimus, & harum multa exempla annotauimus. Ad has procreandas iuuant cauſæ externæ, vt conſtitutio humida, pluuioſa & calida, humores putridos progignens, cibique in ventriculo corrupti, vel lac corruptum, vt de infantibus diximus; etiam fungorum ac aliarum rerum corruptionem & malignitatem in ſe habentium. Vel ſunt cauſæ internæ corporeæ, humores corrupti per communitatem

1 *Aphthæ. Alcolæ. Lactucimen. Calaba.*

Pars affecta.

Affectus. Cauſæ.

nitatem è ventriculo, cerebro, pulmone, vel euaporatione, & in prægnantibus & hydropicis ex vaporibus eleuatis, *vt Auicen. ratiocinatur*, vel per modum defluxionis ex catarrho, vel ex acrimonia lactis, vt in pueris: vel ex excrementorum acrium copia, vnde & maligna vlcera depascentia sæpè commouentur. Et sit Gal. duplex genus facit 3. Epid. quoddam mitius, quoddam malignius. Rhaz. leni pede hanc rem transit, qui nusquam adeo aridus exstitit: melius autem Auicen. & Aëtius, qui à Gal. eadem acceperunt: Galen. vero omnium optime, qui multa cum arte horum curationem tractauit. Signa vero, quibus hæc dignoscimus, sunt primum ex colore, vt Galen. inquit: nam rubræ sanguineæ sunt: flauæ biliosæ: liuescentes, melancholicæ; albicantes pituitosæ. Tactu quoque multam deprehendimus differentiam: multa enim inflammatio, quam æger sentit, biliosum humorem significat: contra quæ non inflammatæ ex pituita sunt. At sanguis & atra bilis medio modo se hâbent, plus tamen inflammationis sanguinis inuehit, plus malignitatis atra: seu à principio talis erat humor, seu tempore euasit. Ex corporum insuper temperatura, ætate, habitu ac præcedente victus ratione, plenius id coniicies. Ortas quoque aphthas ex eorum, quæ comeduntur, & bibuntur acrimonia, prompte ex ægrotantis, seu astantium sermone, ipsis interrogatis, percipere poteris. Hinc variæ differentiæ exsurgunt: quædam summam cuticulam exulcerant: aliquando profunda sunt, & carnem ipsam linguæ exedunt, vel palatum vsque ad ossa; imo & integram columellam absumunt (*vt nos sæpe spectauimus in lue Gallica*) ita vt & ossa ipsa sentiant cariem aliquando ob putredinem ibi exortam. Hinc alia maligna sunt, alia simplicia & mitia, vt diximus. Maligna, quæ exedunt multum, neque curationem admittunt facile. Et ideo hic affectus curatu difficilis est, non modo, quoniam multam distinctionem in inuestigandis remediis habere oportet, sed & quia ori non facile applicari possunt: quoniam à taliuæ multitudine facilè eluuntur, & breui multum incrementum malum facit ob loci naturam, inquit Galen. quæ calida est & humida: vnde & putredinem facile sentit, vnde depascens fit vlcus, quod esthiomenon Græci dicunt. Præterea, *vt etiam Iacch. ex Galen. citabat*, pars sensilis maxime est, & facile ab acribus medicamentis irritatur: quibus tamen aliquando nos vti suadet. Neque omnia sane medicamenta, quæ in aliis vlceribus adhiberentur, hoc loco adhiberi possunt, quod facile in fauces & ventrem; aut in guttur, & asperam arteriam quippiam ex iis dilabatur. Cum igitur tot difficultates in hac cura adsint, non sine magna cautione curatio aggredienda est. Quanquam ex eis facilius curantur, quæ pueris lactentibus fiunt, Gal. auctore: iis quoque ætatis ratione maxime contingunt, *vt inquit Hipp. præcit. aph. 24. lib. 3.* quæ vero accidunt iis, qui ad perfectam ætatem perueuerunt, non ita facilè; potissimum vbi ob vitiosorum humorum defluxum excitentur, quamuis Celsus *lib. 6. c. 11. (vt etiam Altimar. annotauit)* velit, longe periculosissimas aphthas esse in pueris; in viris autem idem periculum non esse & mulieribus, cum non ita facile ab eis consumantur: quibus suis verbis cum Gal. conciliatur, qui voluit facilius curari eas in pueris, vtpote quia ex moderate astringentibus sedentur, id quod in adultis nequaquam fieri potest, aut per quam rarissime: mitiores enim sunt in pueris lactentibus, quæ ex mitiori causa fiunt, quamuis ætatis ratione ab eisdem facilius quam viri consumantur, *vt inquit Celsus*. at si ab affluente vitioso humore fiant aphthæ, *vt inquit Gal. 3. de morb. vulg.* id quod sæpius prouectioribus accidit, semper prodeunt cacoethes. Harum omnium periculosissimæ existunt, quæ ex atra bile originem duxerunt, propter humoris malignitatem: quæ vero diuturnæ fiunt, & progressu temporis putredinosum quid acquirunt, ac malignæ euadunt, ægre solubiles sunt, à medicisque Nomæ appellantur, hoc est, depascentia vlcera, malo nimirum semper vlcerius serpente, nec medicamentis cedente: vt propterea fortioribus indigeant medicamentis, *vt patet eodem lib. 6. de compos. med. secundum locos*. In febribus acutis pessimæ tum sæuis accidentibus, & in corpore debili.

Signa.

Prognostica.

Celsus cum Galeno conciliatur.

OBSERVATIO XXII.

De iuuene biliosо aphthas flauas habente, cum maximo feruore.

IVuenis biliosus, cum in aphthas incideret valde ignitas & flauas, postquam ex infuso rhab. purgatus esset; collutiones præscripsimus, quæ refrigerarent & feruorem restringerent, cum leui adstrictione, in hunc modum: *℞. plantaginis, bellidis minoris, portulacæ, sempernui, solani ana* m. j. *flor. ros. rubi p. j. semin. cydon.* ʒ i ß. *fiat omnium decoct. in aqua communi pro* ℔ j. *col. adde diamori* ʒ ij. *suc. mali punici acidi* ʒ ß. *misc. fiat collutio.* Postea etiam ad maiorem refrigerationem, adieci succum solani & aceti modicum. Deinde vt magis abstergeret, in decocto adieci hordeum non excorticatum; etiam mellis rosati nonnihil, vt citra mordacitatem magis discuteret. Interea iulebis vtebatur ex aqua acetosæ cum syrupo de limonibus, granatorum, de ribes, ad putredinem arcendam. Os quoque subinde colluebat cum aqua peculi ros. solani & acetosæ, adiecto syr. granatorum & diamori. Modo cum aqua decoct. sumach. ros. granorum myrti, lentium excorticat. cum aceto, extremitatum rubi & vitis: postea sola aqua hordei & melle ros. ad abstersionem.

Scholia.

CVratio aphtharum (*vt iam dicere cœpimus*) multam distinctionem exigit: Primum enim ex affectus natura: alia enim remedia recentibus & simplicioribus; alia inueteratis & malignis: rursus alia inflammatis, alia his, quæ inflammationem paucam habent. Iam etiam indicatio curandi ex sorde & putredine sumitur: similiter ex natura corporum: alia enim tenella mollia, vt puerorum; alia vero contra dura & sicca. Porro nisi quis has proprias naturas distinguat, non rite procedit vlcerum curatio. Verum notas iam diximus. Quomodo vero infantes curentur, etiam diximus: quibus, iuxta Aëtium, nutricis prius ratione habita, in principio sufficit flos ros. ipsæ ros. siccæ cũ mulso, aut mel ros. Inueterato autem iam malo, in iunioribus quidem pueris, gallas contusas aqua decoque, & cum decocto percolato parem mensuram mellis permisce. Moderata vero remedia hæc sunt ad recentes aphthas: omphacium dissolutum mulso, thus culinarius eodem modo. Inflammatis quæ leuiter restringant & refrigerent adhibenda: vt sunt collutiones ros. vitium, rubi in aqua decoctorum. Et inde pulueres vlceribus inspersi. At in igneo feruore addenda lactuca, intyb. solanum, portulae, plantago, centumnodium.

centumnodium. Flauæ quoque & rubentes refrigerantia desiderant & astringentia. Interea tamen flauæ & biliosæ plus egent refrigerantibus; non tamen sine adstrictione sint inter initia: ast rubentes & sanguineæ, minus his refrigerari, plus siccari & adstringi desiderant: pituitosæ siccari & adstringi multum: melancholicæ his vna, quæ discutiãt. Biliosis & flauis itaque initio solanum, portulac. acetosa, plantag. semperuiuum confert: nam refrigerant strenue, siccant, adstringunt, nec insuauia sunt. In sanguineis rubris, lentisci, rubi germina, vitis, cotonea mala, corna, mora, austera punica, hypocisthis, equisetum. Ex his fiat collutio oris. Si albescentes pituitosæ, mel rosaceum; galla acerba cum melle rosato; si falsa, etiam alumen cum ros. melle illines. Optime facit & fol. ligustri, decoct. & myrti & syluestris oliuæ, & horum succus efficacior, in vino subastringente, vel aqua cisternæ decoctis. At si liuidæ, atræ, nigrescentes, magis discutientibus opus est: ex vua passa exacinata, & aniso tritis cũ mel. ros. abluendæ. Si depascentes sint, succum ligustri cum melle admiscebimus, & lingendum dabimus: oportet a. detersionem panno molli vel spongia moliri. Si autem pura sint & rubeant, tunc astringente solo & frigido vtemur. Cæterum si in maioribus pueris ant ætate perfectis aphthæ oriantur, eiusdem quoque generis pharmacorũ facultatibus, auctis tantum viribus, vtendum erit; verum non æqualiter omnibus: sed maxime eorum corpora naturas considerabimus: num molles sint & humidæ, velut eunuchis, mulieribus ac pueris, deliora: an duræ & aridæ, veluti in nautis, venatoribus, agricolis; istis robustioribus fortiora adhibebimus, iuxta Gal. Et antequam ad localia veniamus, si copia adsit sanguinis, venam cephalicam secabimus in magis adultis. Si quid prohibeat, Donatus cucurbitulas scapulis affigit, vel hirudines apponit, vel cubito admouet, vt Neapoli facere consueuerunt. Amatus etiam in puero 4. annorum, sanguineo, aphthas habente, brachij venam aperuit, vulneri hirudine admota. Alij ex venis sublingua sanguinem demunt. Quod si totius corporis plenitudo non adsit, sed quispiam vitiosus redundarit in corpore succus, is primo euacuandus erit, bilem educente pharmaco, si bilis; pituitam, si pituita; nigram bilem, si succus melancholicus redundarit. Deinde corpore euacuato, topica iam dicta adhibenda. Imo quidam etiam statim localibus medicamentis esse vtendum existimant inter initia, tametsi corpus aut caput vacuatum non sit, vt Iacch. sentit. Nam incrementum mali etiam his sistere oportet. At in duris corporibus, tum in aliis iam malo inueterato præstat prius etiam in principio vniuersalibus remediis vti: de quibus consulas Gradum & Arcuianum, qui certis intentionibus, vt in aliis vlceribus, curationem perficiunt. Interea hos gradus quoque animaduertere oportet, num exulcerentur, sordidæ sint, & prauam putredinem præ se ferant, vel exedant vsque ad os, vel etiã os ipsum. Numquid etiam simplices aphthæ sint, vel compositæ. *De simplicibus satis dictum est.* Si vero graviores & inueteratæ, etiam ad fortiora procedendum. Si sordescunt exstergere oportet, *vt paulo ante diximus*, cum panno & spongia, tum medicamentis ex melle, vini fæce vel alumine: aut salitas oliuas mandere. Quod si iam putredinosam qualitatem acquisierint, & malæ coloratæ sint, & virõre, & sanie prana, & acri manante, fortissimis tandem remediis vtemur: quæ prauos humores consumant, & exstergant etiam carnem putridam, idque cum farina erui, & melle, vel lupinorum, aut ex his oris collutio. Alij ad chalcanthum perueniunt: quamuis enim talium vsum non facile admittimus; vbi tamen necessitas vrget, victi affectus malitia, his quoque vtimur: cauendo semper, ne aliquid in fauces dilabatur. In exedentibus & putredinosis, Aëtius vtitur cinere centaurei minor. exusti cum mel. & æris ærugine cum melle. Nostri vero in nigricantibus & cariosis vlceribus, quæ ad palata & os sæpe accedunt, vt in lue Gallica, vaguen. Ægyptiaco vtuntur: ego dissoluo cum aqua plant. adiecto mel. ros. hodie & præcipitato vtuntur quidam felicissime; sed cauendum, ne in guttur hæc, tum supradicta dilabantur. Ast aphthæ, quæ in febribus & in morbis acutis, & in pestilentia, & quæ frequentius in periculosis febribus apparent, ex flagrantibus exhalationibus etiam in peripneumonicis, *vt sæpe vidimus*, raro non diro augurio spectantur. Febres in his curandæ sunt, & interea aphtharum curatio minime negligenda: quibus inter alia etiam refrigerantia & astringentia, præcipue conueniunt propter malignitatem syr. acetos. ex mal. granat. de limon. etiam collutiones refrigerantes & astringentes, præcipue in materia calida & pestifera: sed harum curationum cum plurima exempla posuerimus in libris nostris de febrium obseruationibus, non opus est, hæc eadem repetere. Ad aphthas vero & serpentia oris vlcera, & ad nomas, quæ vetustate contrahuntur, summe facit fœniculi radicis vstæ cinis per se, & cum melle illita: vel amurca in æreo vase, donec in mellis crassitudinem cogatur decocta, & illita: & gallarum, aluminis, balaustiorum pul. par. æqual. per se aut cum melle illitus. Reliqua vide de oris vlceribus & aphthis, quæ Gal. scripsit *lib. 6. de compos. med. secundum locos.*

Aphthæ in pestilentia, & febribus acutis.

Ad nomas.

OBSERVATIO XXIII.

De quibusdam ptyalismo laborantibus.

VIr ille, qui ex mala ventriculi concoctione & cruditate laborabat, & perpetuo saliuam in ore habebat, vt continuo exspuere cogeretur, ptyalismo admodum molesto diu multumque detinebatur. Est n. ptyalismus, teste Hipp. & Gal. in Prorhet. vel ptyelismus (iuxta Aëtium, vt etiam annotauit Rondelet. lib. 2. meth. capite de ptyalismo) nihil aliud, quam saliuæ frequens & immoderata reiectio. Saliuæ autem nomen humorem omnem, qui per os sine tussi aut exscreatione vel vomitione rejicitur; saliuæ speciem referentem appellamus: cuius frequens & molestum symptoma est, quod ob expellentis facultatis irritationem, aut retentricis imbecillitatem consequitur. Ventriculo igitur prius cum pilul. de hiera & mastichinis repurgato, exterius etiam inunximus cum oleo nardino; maceris & mastichino. Ac cerotum ex mastiche apposuimus, & chebulos conditos mane stomacho ieiuno exhibuimus, atque iis vsi sumus, qualia ad cruditatem & ventriculi imbecillitatem valere scribuntur. De quibus latius capite proprio dicemus. Victu attenuante & exsiccante vtentes, vt minimum potus sumeret, vtque pane biscocto & assis vteretur, ob nimiam ventriculi humiditatem; & tandem saliua illa copiosa in ore desiit. Verum anno 1565. mense Octobri, & Nouembri, ac Decembri, cum longo tempore constitutio austrina permaneret, plurimi non solum in oculorum affectus ex defluxione inciderunt, verum etiam in

ptyalismum ob capitis humiditatem per modum
3 catarrhi perpetuo in os fluentem. His profuere primum capitis repurgatio, tum diuersiones, & quæ caput roborarent & exsiccarent, & catarrhum susp enderent, cucufæ ex ros. mastich. sandaraco, olibano, garyoph. tum alia, quæ ad catarrhum valere scripsimus. Interea & gargarismis vtebar, quæ leuiter adstringerent, exsiccarent, quo minus saliua flueret. Solet etiam saliua copiose aliquando ex ore fluere, per modum crisis post febrem, aut morbos acutos: sicuti euenit Alemariæ socrui meæ fere septuagenariæ. Effluxit enim huic per os, idque per plures dies, tam noctu, quam die, vltro ex ore humor saliualis tenuis per se, vt pannum lineum satis magnum necesse fuerit sub ore ponere, ad liquorem salualem continuo effluentem excipiendum. Hic fluxum noluimus intercipere, cum in ea ita morbi terminare solebant, quemadmodum ter in ipsa animaduerti. Non tamen semper quoque ob pituitam fluat, imo aliquando ex causa calida, vt contigit Elizabethæ Fickiæ, in duplici tertiana, *de qua egimus libr. 5. obser. 4. de febrib.* in qua frigidis
4 vtebamur, *vt ibidem videre licet.* Verum istis diebus mulier alioqui iuuencula & pulchra, lue Gallica infecta, ex inunctione argenti viui, & post pilulas ex præcipitato, vt arbitror, à tonsore exhibitas, longa fluxione per multos dies, imo per mensem vnum atque alterum laborabat: quæ cum vlcus quoque in gutture haberet, frustra tentabant quidam, illam saliuam exhaurire gargarismis adstringentibus & exsiccantibus; inanis enim laboris est illud aggredi non sanato vlcere, cum curatio existat in remotione causæ morbum excitantis. Quare iis vtebamur præsidiis, quæ scholio præcedente diximus valere ad vlcera maligna & corrodentia. Quidam tangunt aqua forti aut sublimato; nos cum aqua plantag. addito exiguo vnguenti Ægyptiaci, vlcera attingebamus. Et quia omnia hæc vlcera cum aphthis conditionem quandam retineant, ne latius serperent, medicamentis adstringentibus & leuiter arrodentibus cohibuimus, hoc gargarismate: ℞. *flor. ros. rub. p. j. plantag. equise. fol. myrti an. m. j. balaust.* ʒ ij. *fiat decoct. in aqua comm. pro* ℔ j. *adde aluminis* ʒ ij. *iterum ebulliant, syrup. ex ros. siccis* ʒ ij. *fiat gargar.* Etiam hoc sequens. ℞. *fol. myrt. plantag. piloselle an. m. j. cortic. malor. granat.* ʒ j. *ros. rub. vuæ an. m.* ß. *fiat decoct. in aqua chalybeata, in cuius* ℔ iij. *dissolue* ʒ j. *aluminis: misce.* Acetum non oportet addere, sed vinum, ob maiorem exsiccationem: adiecto syr. de ros. siccis ʒ iij. quibus os colluatur. Sæpe ad absterſionem vlceris; nobis profuit mel. ros. vel syr. ex infus. ros. Sed ne ex argenti viui inunctione vlcera oris fiant, præcautione vtor, priusquam inunctio fit, gargarismo ex oleo amygd. dulc. aut iusculo pingui: prohibent enim hæc exulcerationem, & pituitæ fluxum non impediunt. Et quemadmodum ex argento viuo, ita & sublimato, quæ remedia parantur pro fucis in mulieribus quæ
6 dentes denigrant & corrumpunt. Ideo mulier, quæ fucis vtitur, sicuti etiam Rondeletius suadet, mandat amygd. dulces, vel oleum amyg. dulc. in ore contineat, quo etiam vti oportet ante inunctionem in lue Gallica: de qua curanda alias dicemus. Nunc satis est, exemplum hic addidisse, de ptyalismo ob argenti viui inunctionem,

SCHOLIA.

7 SAliua naturalis nec qualitate nec quantitate excedens qualem glandulæ linguæ assistentes seu tonsillæ eructant, tum vt madescat lingua, larynx, &, vt quibusdam placet, pulmo, tam vt eius perfusione ciborum perfractio & prima coctio in ore exactius conficiatur, non inutilis est. Quamdiu n. secundum naturam se, & omnis oris partes habuerint, nec immoderata, nec copiosior, sed pro naturæ mediocritate & vsu cumulabitur saliua. Si cerebrum humidius, vel excrementis abundans, vel partes oris intemperie aliqua vel imbecillitate laborent, pluſquam oportet copiosior saliua colligitur, vel calore funditur, vel frigore compressioneque depellitur, easdem causas cum catarrho habens. Solent enim magna ex parte post chronicos morbos, stomacho non concoquente, capitisque longa destillatione præcedente, saliuæ copiose in os irruere, quæ si diu duret, intercipienda est; alioqui in stomachum illabens, coctionis munus interturbat, cruditatesque subinde & lienterias & diarrhœas difficiles excitat. Præterea nonnunquam læsa ventriculi concoctione, humore multo & aquoso innatante, eiusque tunicis impacta, saliua in os exsurgit, quæ frequentem exspuitionem, aliquando & tussim concitat. Hinc plurimam saliuam præcedere vomitionem, Hip. & Gal. tradiderunt, ob linguæ cum ventriculo per membranam consortium, vt arbitror. Iam etiam fluxio in tonsillas & fauces irruit, & in asperam arteriam ac pulmonem. In catarrho diuturno idem malum aliquando etiam cõtingit: quod mihi ter ex morbo chronico euenit, quemadmodum & ista constitutione austrina diu permanente ptyalismo laborantibus eueniebat, vt etiam columellæ laxatio contingeret. Gargarismis stypticis vtebamur ex cortice granatorum, ros. balaustiis & similibus paratis, & vulam humidam propendentem alumine vsto, & gallæ contrita in puluerem redactis exsiccauimus. Ptyalismi, sicuti & catarrhi (*teste Hippocr.*) superabundant flante septentrione, si auster præcesserit. Vere ipso fluere continenter, si ætas siccior sed ptentrionalis, ac autumnus fuerit pluuiosus & austrinus: in prouinciis vero tepidioribus ad austrum vergentibus, hyeme sequente is fluor insestat: ita & ætate Benedicti Veronensis medici insignis, *vt refert libr. 4. cap. 18.* huiusmodi destillationes graues, periculosæ cum acuta febre omnem Italiæ oram infestarunt, ex quodam cælesti influxu, ita vt plurimi caderent. Sic etiam in hac austrina constitutione ptyalismi valde molesti fiebant, ore semper saliua repleta. At de catarrhis satis superque dictum est prius: at nunc loquimur de ore saliuante; de quo etiam meminit idem Benedictus Veronensis, vultque, id vitium ex stomachi nimia humiditate prouenire, aut ex caliditate interdum oris stomachi, vt ieiunis in vomica redundante saliua: quod & vigilando contingit, crapula item aut capitis destillationib. vel frigore eas partes comprimente. Quod stomachi humiditas facit, vomitiones crebræ emendant ac cibi cum sinapi admixtio, maneque ipsis thuris pollinem, aut mastich. cum vino damus austere; ventrem soluimus hiera, addito sale Indico, anisi semine ac ami: vel theriaca ieiune sumpta prodest. Si ex caliditate & humiditate id vitium oriatur, missionem sanguinis plerique vtilem esse, existimant, ac astringentes cibos conferre: sicuti & vinum austerum, & collutio ex stypticis antea dictis. Si ex destillationibus contingit, ex iis, quæ prius dicta sunt de catarrho, curatur. At nunc ad linguæ vitia, quæ cum oris inflammationibus & vlceribus, atque aphthis magnam affinitatem habent, transeamus.

OBSER-

OBSERVATIO XXIV.

De linguæ inflammatione atque tumore duro in abscessum desinente.

LIngua cum sit musculosa, & magnam oris portionem consequatur, figura quidem oblonga est; tereti mucrone, & locutionis & gustatus instrumentum: motus ei à septimo neruorum è cerebro fluentium coniugio subministratur. Eius excessui ab osse ypsili elementi formam habenti ortus est: is & linguæ radici colligatur. Estque membrum carnosum, spongiosum, molle, venis, arteriis, neruis, ligamentis, musculis, carne compositum, ad gustum ordinatum, cibumque in ore regendum, vt probe masticetur, quia dentes ipsum attingere non possent, nisi lingua ipsum eis porrigeret. Etiam ad vocem formandam loquendumque, & ad pronuntiandum aliquas literas; ad motum quoque ex neruis durioribus, & mollioribus ad saporem. *De his vide ad longum Gal. lib. 9. de vsu part. & præceptorem meum Bened. Fauent. in sua magna praxi, de fabrica linguæ*, vbi & rationes adduntur, quare ita lingua formata sit. Verum hæc ipsa lingua multos patitur affectus, inflammatur, intumescit, induratur, suppuratur, vlceratur, rimas & fissuras, aspredinem, scabritiem, adustionem, ariditatem, siccitatem, nigritiem patitur, & carcinoma incurrit, in magnitudinem, plusquam decet, exsurgit, procidit, & minuitur, ac contractione, & ancylosi, stupore & paralysi afficitur, gustu priuatur, loquela destituitur, quæ modo grauis est, modo etiam difficilis; insuper & ranunculum, morbum ita dictum, experitur. Sed cum præcipue inflammatione tentetur, huius exemplum primo hic dabimus. Ceruisiarius quidam Delfius, cui nomen erat Bokellus Albertus, præ cuius cupis Malleus pro insigni erat, in media parte linguæ cum tumorem experiretur admodum durum non sine inflammatione & nonnihil acuminatum, in media quidem parte album, & in circuitu purpurascentem, dixisses caucrum, anthracem vel pestem fuisse. Cum autem insigni dolore torqueretur, & loquela admodum impediretur, vt vix intelligi posset, anno 1564. 13. die Iunij me accersiri iussit. Cumque ad illum peruenissem, ore aperto & inspecto animaduerti, inflammationem adesse cum tumore, quem facile in abscessum terminatum iri sperabam, cumque sanguinis missionem, quam proponebam, abhorreret, neque admittere vellet, pharmacum sequens cum præscripsissem, orisque collutorium, & vt ficum per medium scissam tumori apponeret, mandassem, paulo post ruptus est abscessus, & ex eo emanarunt duo cochlearia puris valde fœtidi, & illico ab omni dolore spatio vnius diei ac noctis liberatus, facile sanitatem consequutus est. Pharmacum vero tale erat: ℞. *electuarij lenitiui* ʒ j. *decoct. communis* ʒ iij. *syrup. ex infus. ros.* ʒ j. *misce.* Quo bene aluum deposuit. Collutorium autem erat infrigidans & simul molliens, hoc modo: ℞. *fol. lactucæ, maluæ, viol. ana* m. j. *hordei mundati* ℥ j. *fictum pinguium num.* iij. *vuar. pass. enucleat.* ʒ j. *semin. cydon.* ʒ j. *bulliant in aqua pro* ℔ i ß. *col. adden. syr. viol. diamori an.* ʒ j. *misce*, ore frequenter colluto, idque moderate calide vel tepide, & ficu contiqua admota abscessus ruptus est, & pure excreto per se vlcus consolidatum est.

SCHOLIA.

4 LIngua abscessus calidos, interdum duros, aut molles emittit. Si inflammatur lingua, post sanguinis dimissionem ex cephalica, quæ sub lingua est, subinde secari debet: ac sub mento cucurbitula cum scarificatione imponenda est: aluusque soluta prodest. Gargarismus ex lentis decorticatæ decocto, solan. & plant. diamor. peculiariter iuuant mala persica. Si ad abscessum tendit, ficus arida, vua pass. & sem. psyl. ex aqua decocta in ore sæpius retenta. Si sponte pus non erumpit, scalpello aperiendum; tum rhois syriaci decocto os colluendum, cum myrt. lenteque decorticata. At in frigido abscessu hiera venter statim soluendus est, & diamoro, vel rhodomelite gargarisato, origano, pyrethro, & similibus adiectis. In duro abscessu, à sanguine abstinendum est: atrum humorem per ventrem expurgabimus, & lacte asinino aut caprino linguam assidue fouebimus, vel fici aridæ, glycyr. fœnugr. vuæ pass. decocto, mellis q. s. Atram bilem polypodij decoct. soluemus: laudant lac asininum crebro gargarisatum, & caprinum. In insomniis demonstratum est, lactucam & succum eius summum esse remedium in eo abscessu: ægrotans
5 monitis paruit, & liberatus est; *vt Bened. Veronen. refert.* Aëtius vtitur ad linguam inflammatam, desquamatam, Glaucio in cote cum aqua diluto, locumque illinit, & eodem die, inquit, inflamatio sedatur. Ad linguæ exulcerationem iubet rhois antiqui folia manducari & exspui. Vbi vero lingua infletur doloreque afficiatur eius obliqua, similiter & mandibula, ita vt loquela præpediatur, folia oleæ tenera trita, & oleo perfusa illinito; egregie enim auxiliantur. Aut origanum passo decoctum colluendum exhibeto, aut pruni foliis cum melle tritis vtere. Ad linguam vero, cui superficies instar squamarum aut cortis decedit, optime facit amurca æreo vase, donec cogatur, decocta, & illita. Ad linguam putrescentem & fere demortuam: succum fol. vitis albæ cum myrsi permixtum illinito; depurgat enim, & carne replet. Quidam etiam hic mel adiiciunt. Vt vero ad cicatricem perducatur, radicem vitis albæ contritam & cribratam inspergo: melius aerit, eam melle permiscere, ne dissipetur. Ad lin-
6 guæ abscessus: quod si abscessus in lingua fiat, furures in aqua decoctos, donec liquor lubricus fiat, percolato: & huic succo mel adiicito: simulque calidum ore detinendum exhibeto. Hoc a. sæpe facere oportet, aut enim abscessum discutiet, aut rumpet: à ruptura vero florido ficco vtendum. Eadem fere habet Valescus de apostemate linguæ. Verum hoc addendum; quod vlcera, quæ in lingua oboriuntur, alia sunt superficiaria; alia profunda, nonnulla sordida, corrodentia esthiomena, vel ab Arabibus ambulatiua dicta; nonnulla virulenta: quæ omnia curantur, vt de oris vlceribus & aphthis diximus. Eodem mo-
7 do fiunt, & eadem signa prognostica in se complectuntur. Interea tamen melancholica, atra, dura, & callosa deteriora & difficiliora curatu sunt, quæ & naturam carcinomatis sapiunt: Sic misera mulier Delphis carcinomate laborans, si ferro malum per chirurgos tangeretur, magis irritabatur, sanguinemque profundebat; ad radicem vsque linguæ serpebat donec mortem incurreret, medicamentis aptis nihil iuuantibus. Ita muliebri Roterodamensi, ad nos cum venisset, lingua inflata erat, dura; nam intra spatium 14. dierum

Remedia ad inflãmationem linguæ.

Ad desquãmatam.

Ad putrescentem, & fere demortuam.

Ad linguæ abscessus.

Vlcera linguæ.

Mulier ex carcinomate linguæ moriens.

ita excreuerat, vt totum os repleret, idque subito, etiam sub infima parte carcinomate infecta. Hæc autem splenetica multis annis, prius durum lienem habuerat, vti narrabat, longoque tempore valetudinaria: tandem fumi atri sursum ad linguam elati, linguam duritie scirrhosa & cancrosa infecerunt. Quod malum breui admodum incrementum cepit, vt etiam pars infima linguæ esthiomeno, & tandem gangræna infecta fuerit, aspectu admodum horribili, vt caro per se excideret. Atram bilem purgauimus cum decocto senæ, epithymo & fumaria in sero lactis. Succum solani cum vnguento Ægyptiaco admoueri iussimus. Sed quia opera chirurgi Roterodamensis vtebatur, & statim domum reuertebatur ad chirurgũ, cura eidem demandara fuit. Corneliæ Smullæ, sic dictæ, Delfensis filia cum carcinomate linguæ laboraret, Angelus monachus minorita audax empiricus adhibuit medicamenta corrodentia; ita vt lingua fere exesa fuerit exigua particula remanente. Venis arteriisque corrosis medicamentis irritata sanguinis fluxus adeo obortus est, vt per integrum diem à monacho nullis remediis restringi potuerit. Anno 1572. 12. die Febr. ad illam accitus, cum mors præ foribus esset, sequens cum detinuisset in ore, sanguinis restrictus est: ℞. *aquæ portul.* ℥ iiij. *aquæ solatri, planta. an.* ℥ ij. *lapid. emathitidis* ʒ j. *bulliant semel, vt colore rubro imbuatur, deinde coletur.* Verum illi, quæ apud Clarisseas eodem carcinomate laborabat, continuo fluxit sanguis, vt nos cum Cornelio Ericio consodali nostro, & M. Guilelmo Dalio chirurgo vidimus, cum restringi non posset, magna cum putredine hæc tandem obiit. Superficiaria vero vlcera facile curantur. At post pustulas & apostemata aborta, diuturna & curatu difficilia sunt. In febribus quoque peiora sunt, quam in sanis. Pustulæ autem nigræ multæ in febribus acutis, vel vna atque altera in lingua apparens mortem sæpe præsagiunt, vt de febribus dictum est: lingua enim pluribus rebus indicium facit, ariditate in ardente febre: quoniam, *vt tradit Arist.* pulmonibus vapore flagrantibus superposita sit. In suibus grandines pestem indicant: & pecori versicolor varia est: & liburcinis canibus nigra macula inest, nam humoris capax est natura, & prima origine colorum varietate commaculatur. Coloribus enim, sicuti & cutis, variat, quoniam (*vt Arist. docet*) tunicula vestitur. Sic alba & pallens frigiditatem notat: nigra caliditatem arguit; sicuti & ariditas. Iam etiam quandoque limosa cernitur ex catarrho, aut fumidis vaporibus viscosis: qui sublati in lingua hærent. Si vero lingua contrahitur in febri, ac crassior fiat & in motu grauior, sanguinis abundantiam significat, asperitas cum rubedine, abscessus indicat sanguineos, aut in capite, aut in stomacho, aut iecore: albicans vero frigiditatem in iisdem partibus præsagit. Quæ ad scabritiem, nigredinem, asperitatem & ariditatem linguæ valent in febribus, & quomodo generentur, scripsimus *lib. 7. Obs. De symptomatis febrium, scholio Observ. 26. De linguæ asperitate in febribus, vide Aetium lib. 5. cap. 119.* Exempla etiam habes de febribus acutis & pestilentibus passim. Interea hic enim adhuc exemplum addemus.

OBSERVATIO XXV.

De linguæ asperitate, scabritie, siccitate, adustione.

NObilis quidam in Hagha-Comitis ex febre acuta detinebatur, cui lingua supra modum scabra & adusta, tum aspera ac arida euasit, non sine rimis & fissuris: cui & aphthæ tam in linguam quam in gutture oboriebantur. Huic autem commode secta fuit vena, & bilis quæ superabat, expurgata. Os colluebat decocto foliorum viol. bellidis minoris, lactucæ, plantag. adiecto syr. viol. diamoro. Deinde nodulos confecimus, semine cotoneorum parum pulueris ato, incluso, & saccharo candi imposito, demersos in cremore hordei, vel aqua viol. maluæ, sæpius supra linguam conuolutos. Eiusmodi enim nodulis seu puppis frequenter vtimur, etiam in pauperibus, vel baculo alligatis linguam confricantes. Et quia hic virgeneroſus, valde biliosus erat, hunc linctum paraui-mus: ℞. *mucilag. se. portulacæ, cotoneorum, psyllij, extractæ cum aqua viol. & lactucæ an.* ʒ ß. *syr. viol.* ʒ iij. *sacchari penid. sacch. viol. an.* ʒ ß. *calefiant parum, vt ad spissitudinem mellis rediganter.* Pro fissuris rosas aridas accepimus, & cum tragacantho in farinam redas accepimus, & cum tragacantho in farinam redacto cum syrupo rosaceo linctum confecimus. Alij addunt seminis rosæ aridi, spodij, croci, balaustiorum an. p. æ. quale & illud est ad scabritias & adustiones linguæ valens: hordei contusi, vuæ passæ, glycyrrhizæ, seminis psyllij iustæ portiones, si ex aqua decocta cum saccharo ad mellis crassitudinem decoquantur, & percolatum sæpe frigidum in ore contineantur.

SCHOLIA.

LIngua cerebri stomachique vel pulmonis extu-stione vritur, in acutis sæpissime febribus, absceſſu interiore inflammante, vel veneno aliquo epoto, vel commanducato: quæ propria sua re-media postulant, vt de venenis apud auctores inuenies. Sed & supinis dormientibus, vel ore aperto, lingua scabra ac durior redditur: quos iuuat saccharum candidum arundinibus adhærens, pruna, myxa, acria cerasa, pruna Ægyptia (*tha-marindos vulgo vocant*) si ore contineantur: psyllium sem. lentor. cum sacch. & aqua viol. aut cydoniorum sem. viscositas, aut althææ, vel maluæ sem. cum sacharo. Quidam linguæ ariditatem infestam gallinacei puri iure superarunt, in quo portulacæ aut hordeum incoctum fuerit, crebro sed exiguo hausto. Butyrum recens scabritias & fissuras sanat. Et portulaca commanducata, candidum oui recentis cum lentore psyllij, & rosaceo vel violaceo syrupo subcoctum cum portulacæ semin. & spodio mire congruunt. Saponea cum saccharo scabritiem & asperitudinem omnem lenit: ptisana quoque vtiliter ore continetur. At si limosa fuerit lingua, acori radix prodest contrita & cum fricata lingua, menthæ quoque succus, *teste Dios.* valet, rhos syriacum quoque prodest ex melle, vt Benedictus Veronensis quoque annotauit. Et zinziber & acorum contrita, ex melle limositatem repurgant.

OBSERVATIO XXVI.

De linguæ dolore cum tumore durisculo.

SOrorcula quædam Delfia annos 23. nata, ex iis, quæ Diuæ Claræ votum præstant, cum circa os maxillæ inferioris prope mentum longo tempore doleret, sub lingua in musculosa carne laxiore versus radicem, chirurgus Petrus Frederici nosster amicus & compater, qui illam quotidie inuisebat cum duritiem diu sensisset, abscessum in lingua futurum sperabat: huic ficum aridam per medium scissam continuo, ad suppurationem promouendam, loco dolenti apponit. Et præter spem tumore iam emollito, lapillus quidam insigniter durus vltro exiuit absque incisione ad magnitudinem nucis auellanæ, formæ tamen parum longioris, vt vidimus. Illo quidem lapillo expulso statim omnis dolor cessauit, nullaque suppuratione aut sanie vel pure subsequente; &, quod dictu mirũ est, labris vulneris per se rursum vnitis, absque vllis medicamentis. Iam etiam istis diebus lapillum ex lingua prodeuntem vidimus paulo ampliorem, ab alio quoque tandem expulsum.

SCHOLIA.

REs admiratu digna, lapillo erumpente, nec saniem, nec sanguinem subsecutum fuisse, linguamque ita per se coalitam. Forte, cum & vulnera linguæ facile per se coalescant, vt constat in periuris & iis maleficis, quibus lingua clauo perfoditur, facile coalescit & conglutinatur ob mollitudinem carnis, *vt lib. 7. Obs. De febr. de muliere retulimus*, quæ post febrem conuulsione correpta, particulam linguæ sibi ipsi amputauit, quæ linctu solo ex syr. ros. & vitello oui fuit statim coalita. Non minus admirandum, quod lapillus in spongiosa illa carne prognatus & concretus absque abscessu exeat: cum & in aliis abscessibus & tumoribus, vti atheromatis, in quib. pulti quid simile reperitur; in meliceridibus melle, vt seuo in steatomatis, contingit. At hic lapis durus ex lingua prodiit. Inutile igitur cum Beniuenio, qui de abditis morborum causis scripsit, tum vanum iudicamus disputare de obscuris. Sicuti is narrat de lapide in tunica hepatis reperto, qui causa mortis nobilissimæ matronæ exstitit. Sic quoque Mariottus Palla pharmacopola, lapidem per intestina instar columbini oui, tum per clysteria, tum fomenta emollientia adiutus eiecit. Idem euenit Domicellæ cuidam Vanderanæ longo tempore Dordraci stomachi & ventris dolore post pil. machiinas & alephanginas exhibitas, tũ alia pharmaca vtilia per me administrata, lapillum rotundum paulo maiorem columbino ouo reiecit, quem nos vidimus longo tempore durum permanentem, quamuis postea vetustate cineritij coloris ad lutum induratum accedere videretur. De tussicula quoque idem Beniuenius narrat in quodam Henrico Alemano, cui dolor lateris per triennium, tum tussicula sicca aderant, donec calculo ad auellanæ magnitudinem, his quæ pectus, tum guttur & asperam arteriam tum emolliunt, tum leniunt, de pectore propulso, & sicca illa tussicula, & omnis præterea dolor amotus est. Gal. meminit in veteri tussi quendam lapillos velut grandines è pulmone reieciſſe. Alexand. quoque Trall. ex veteri tussi alium ex pulmone calculum extulisse, muricis duritie, narrauit. *Nos item*, inquit Paulus, *in sanguinis reiectione calculos iectos vidimus, quatuor aut quinque triplici aculeo tribulis aquaticis similes pondere trium aut quatuor ceratiorum erat esse, ac tandem tussi interpolata obisse.* Nos quoque virum Brielensem tabe affectum & tussi valida in cura habuimus, qui calculos gypseos, simillimos tophis (qui intra digitorum articulos chiragra laborantibus accrescere ex pituita solent) reiecit: quamuis & hic tabe & phthisi consumptus paulatim obierit. Nos quoque anno 1587. 28. April. vidimus in Guilelmo de Cocq. insigni advocato asthmatico exigua carnis frusta instar mori sibi inuicem cohærentia vehementi sternutatione tussi expectorasse: quæ vt viderem, per famulum ad me transmisit. At de calculo in tunica fellis reperto, idem Beniuenius sic scribit: *Decessit his diebus mulier nobilis Diamantes nomine, dolore prostratæ calculi: sed cum nullum antea ex eo percepisset nocumentum, visum est medicis mortuæ cadauer incidere: & reperti lapides quam plurimi, non quidem vllus in vesica, vt putabatur, sed præter vnum, qui in tunica fellis coloris atri, & magnitudine castaneæ aridæ continebatur, cæteri omnes in panniculo quo contegitur hepar, vnde etiam velluti in folliculo, dependuli sacculum effecerant. Hanc autem nos mortis causam rati, sapientis viri consilium esse duximus, nihil omnino de incertis & occultis morbis statuere.* Refert quoque doctissimus Ioannes Lang. Epistol. 57. *in dissecto Friderici Ducis Saxon. Cæsaris Romani Electoris corpore in folliculo fellis tres iustæ molis lapides repertos fuisse, quos putabat esse ex hepatis bilisque adustione in lapides concretos.* Nos quoque vidimus in corpore pædagogi cuiusdam fellis folliculum vndique repletum rotundis lapillis ad magnitudinem nucis auellanæ, atros, viridescentes ab vna parte, nonnullos ex attritione parum depressos, aliquos instar lupinorum, quamuis ab altera parte rotunditatem seruarent. Addit etiam Langius, *calculum è faucibus in nobili viro Spaynegher ecclesiæ Ratisbonensis Canonico, in tonsillarum faucium abscessu concretum, tussi mollificantibus & maturantibus proiectum.* Sed quod ad linguam attinet, quæ facile consolidatur, tamen bis terue vidimus ex lingua carcinomate exesa (*vt paulo antea diximus*) mortem subsequutam. Vtrum aliquis abscissa lingua vitam retinere posset, cum sæpius dubius fuissem, vidi istis temporibus seruum Christianum mendicantem à Turcis captum lingua excisa, vixisse, ac miseram deinde vitam sine loquela perduxisse. Tam sæuum & atrox genus Turcarum est, vt ita in homines Christianos sæuiant. Cogebatur is vti cibis mollioribus, iusculis, & huiusmodi, quos etiam sine sapore deglutiebat, quamuis etiam palatum nonnihil ad saporem & gustum faciat. Sed de his, qui gustu deprauato vel ablato aut diminuto laborant, Obseruatione sequenti nunc agemus.

OBSERVATIO XXVII.

De gustu deprauato per modum consultationis.

SCribis autem, doctissime vir, gustum tibi deprauatum esse, cuius causam libenter cognoscerem, & si quid remedij superesse posset, vt aliquo modo restituatur. Sed quia hæc distinctione opus habent, de qua nulla fit mentio, addam, quæ huic proposito satisfacere possent, tuo medico præsenti, qui adhibita illa animaduersione, aliqua adhibere poterit fortasis remedia, quæ ad gustum deprauatum non inutilia erunt. Curatio autem gustus imminuti, deprauati, aut ablati (ne hic longum sermonem nectamus) perficitur, causis ipsis ablatis vel sanatis, atque his affectibus à quibus proueniunt (vt nos multis exemplis ostendimus in libris nostrarum Obseruationum De febribus) præsertim febrium acutarum, si etiam ictero afficiantur: qui omnes cibos amaros esse iudicant. Iam & illud quoque animaduersione dignum putamus, non solum in his, sed in omnibus linguæ vitijs atque affectibus, vim fieri per communicationem aliarum partium, cerebri, ventriculi, pulmonis, hepatis, vel aliarum, aut totius corporis: tunc adhibenda sunt præsidia illis partibus primario affectis, digerendo & purgando materiam antecedentem, deinde coniunctam, roborando, aperiendo, superfluã consumendo. Cum igitur hic morbus consistat, vel similaris in intemperie calida, frigida, humida, sicca, sine materia, vel cum ipsa (vt magis fit in panniculis linguam circumdantibus) imbibita, iuxta Gal. 4. De differ. morb. cap. 4. Aut in morbo officiali, vti est solutio continui, nerui

neruis mollificatis vel apostemate calido, aut frigido lingua sit infecta, vel initio nerui tertij paris oblæso, idque per se, vel aliorum membrorum communicatione, vt diximus. Signa quoque facile considerabimus; nam gustum facile læsum esse percipimus, quando æger parum, aut nihil sapit, vel alterum saporem extraneum. Interea signa causarum ex sapore quoque deprehendimus: dulcedo sanguinem aut phlegma dulce, vt vocant, in toto corpore vel à capite, vel alijs membris prouenire (prout pars linguæ quam alia sit læsa) indicabit: vel si affectus in lingua ipsa hæreat, reliquis membris iam dictis sanis existentibus. Sic amaritudo bilem; salsedo pituitam salsam indicant. Si sapor sit abominabilis, malos humores in orificio stomachi hærere decernit, cum ventriculis, lingua & palatum vna tunica vestiantur. Si sapor censeatur stypticus, acidus, acerbus, melancholicum humorem designat. Iam quoque vt alias diximus, ex parte coloris linguæ signa desumuntur: lingua alba, frigus superare notat in stomacho & hepate, vel pituitam: rubedo sanguinem humoresque calidos: color citrinus bilem: ater vero melancholiam; nisi ex calore adurente in febribus contingat. Sic linguæ mollis, lenis, humiditatem arguit: sicca, contracta, aspera, siccitatem. Si adsit solutio continui, vt pustulæ apostemata, tumor, visus indicabit. Si lingua sit sana & mediocriter rubea, ægritudo est in capite vel in neruis, à quibus fit sensus & motus. Diminutio itaque gustus eiusque ablatio, vel corruptio curatur causis prius ablatis, & passionibus à quibus prouenium prius sanatis, vt patet in febribus acutis, & icteritia. Si itaque medicus præsens percipiat nocumentum esse gustus à mala intemperie simplici calida vel frigida, adhibeantur contraria, quæ nudam intemperiem illam auferant. Si verosit cum materia, vt plerumque fieri solet, vel apostemate calido, sanguine abundante, ex vena cephalica sanguis detrahatur: deinde ex venis sub lingua, victu etiam præscripto causæ contrario. Si sit ex bile digeratur syrupo ros. laxat. & purgetur cum infuso rhab. fiantque gargarismi ex aceto & succo granatorum, quæ etiam conueniunt sanguine abundante prius detracto; & in bile magis refrigerantia, succus lactucæ, portulacæ, muccago psyllij, cydoniorum, in ore retentis; gargarismus ex succo endi. solatri, decoct. ros. herb. myrtill. & similibus: tum linguæ frictio cum carne melonum, cucumeris, cucurbitæ, pomi citrei; quibus & vti poterit ad appetitum & gustum renocandum. Si autem fuerit ex cacochymia & pituita frigidi humores digerantur cum oxymelite diuretico scyllino, decoct. hyssopi, origani, maioranæ, salviæ, stœchados. Purgetur materia cumpilulis cochijs, de hiera; & adhibeantur gargarismi, qui in paralysi linguæ valent, ex hyssopo, caryois, melle & similibus. Si vero sit ex solutione continui ob vlcus, rimas, fissuras linguæ, adhibentur ea, quæ ab auctoribus describuntur proprio capite. Nam eiusmodi malis persanatis, etiam febribus, si inde gustus lædatur, facile redibit. Atque hæc sunt, quæ considerada erunt, vt gustus depranatus corrigatur: ita vt tuæ petitioni me satisfeciße arbitrer. Vale.

3

4

Gustus ablatus diminutur. Gustus depranatus.

Scholia.

5 Lingua vero non mouendo tantum, sed & gustu afficitur, vt Galenus exposuit; aut vtroque modo: eodem enim neruo (*qui mollis appellatur, ab anteriori cerebro tertiæ coniugationis*) gustandi vis ac potentia defertur: sed ex neruo septimæ coniugationis, quæ durior ac longior est, mouendi officium præstat: sed is qui per summam linguæ cuticulam ambientem dissipatur, gustum nitidiorem explicatioremque præbet. Et ita gustus perit aut imminuitur neruis mollioribus affectis: deprauatur gustus membrana linguam vestiente, vitioso atque retro humore imbuta, vel liquore eorum, quæ eduntur vel bibuntur diluta; isque humor vel vapor, sæpe ex inferis sedibus elatus, œsophagum linguamque proluit: nonnunquam è cerebro defluit. Sic in febre omnia amara iudicantur. Quæ omnia ex communicatione tum stomachi, tum pulmonis fieri possunt, *vt diximus*. At quare lingua est sine putredine? an vt sensibilior ac agibilior fieret? nam pingue & seuum sensum prohibet, cum & sensu careat, & graue membrum reddat. Ideo & spongiosa lingua est facta, vt mobilior esset: eadem enim & saliua temperate madet; quoniam ariditas & sensibus & motibus officit. Naturaliter autem dulcibus & pinguibus oblectatur: quia naturæ ij gemini sapores propiores sunt. At si gustus ægrotat, contraria adamat: acria amarus; frigida calidus; humentia aridus; stiptica dissolutus. Et quoniam stomachus viscerum & venarum dispensator est, vicariam sibi linguam constituit: vt quibus oblectaretur, de saporibus ea dijudicaret. Hæc dulcedine plurimum cum palato oblectatur: quoniam Mesagoras & Philotinús (*vt Galen. refert*) linguæ subesse dulcem humorem congenitum tradiderunt, qui bili in febricitantibus quibusdam infectus, & calorem & affectum pariter immutat, tum enim dulcia odio sunt.

6

OBSERVATIO XXVIII.

De linguæ magnitudine.

RVstico in pago Piinacker dicto, adeo tumefacta est lingua, in eamque magnitudinem subito excreuit, vt in ore contineri non posset. Huic sanguis extractus est ex vena cephalica: ex lingua etiam venas aperuissemus, sed non potuit linguam extendere; deinde succo lactucæ panno lineo molli inculcato, & sæpius ori impositolingua detumuit & conualuit. Venit mihi tunc in mentem, quod Gal. scribit 14. *lib. meth. medend.* Sane linguam ita tumefactam (inquit) cuidam vidimus, vt ore hominis contineri non posset. Is nec venam inciderat vnquam, & sexagenarius iam erat, horaque diei fere decima cum ad eum primum accessi & vidi: ac visus mihi est vitatis mihi pilulis, quæ ex aloe, scammonea & colocynthide constant, vespere datis purgandus. Ipsi tamen particulæ afflictæ suasi refrigerantium aliquid imponere, saltem in initio: post enim, inquam, applicabimus, prout suadebit euentus. Verum id vni medicorum non placebat: ac propterea pilulas quidem sumpsit; de locali tamen remedio in diem posterum est dilata, quo tempore etiam efficacius aliquid præstiturum quicquid probatum fuisset, sperabatur, & purgato iam scilicet toto corpore, & humoribus ad inferiora reuulsis. Cæterum ea nocte cuidentissimum per quietem insomnium, nostrum homini consilium approbauit: ac materiam ipsam medicamenti definiuit; lactucæ succo collui iubens. Quo ille solo vsus, prorsus est sanatus, nullius alterius egens. Ita & hic rusticus noster. At alius colonus Liranus, cui etiam sanguis ex cephalica vena detractus fuit, eo modo curatus fuit. Quamuis hic post discessum nostrum paulo post etiam angina laborauerit, & ad rem attentus neque me vocauerit, neque aliis commodis remediis vsus fuerit, mortem incurrerit, vt mihi postea relatum est. At Adrianus Toorneburchius, cui in febre subito lingua aucta esset per modum catarrhi, vt illico suffocationem sese incurrere putaret, optimis remediis per nos curatus fuit. *Cuius exemplum posuimus lib. 2. Obseru. 32. De febr. continua quotidiana cum variis symptomatis.*

Scholia.

Scholia.

3 VIdimus (inquit Gal. libr. 1. De diff. morb.) linguam cuiusdam mirum in modum auctam; idque citra omnem sensum doloris, vt neque œdema, neque scirrhus, neque phlegmone videri posset. Nam neque excauata erat sub premente digito, neque sensum amiserat, neque dolebat. Sed hic affectus incrementum erat quoddam partium: ita tamen, vt ipsa partis essentia ab omni noxa videretur immunis. Sic testiculos quoque & mammas, aliis vtrosque, aliis alterum duntaxat immodice increuisse compertum habemus, vt strumas & oculorum angulos à iusto modo recessisse. Tum Nicomachi Smyrnæi corpus adeo immodice auctum, vt ne mouere quidem seipsum posset: quanquam illum sanitati restituerit Asclepiades. Verum hic lingua fuit aucta subito ex defluxione: quæ si augeatur ex sanguine, aut materia calidiore, sentitur caliditas, & adest rubedo; etiam plenitudo, tam in facie, quam in ipsa lingua: sapor dulcis, & saliua dulcis copiose promanans. Si pituita, albescit lingua eaque tumet & alba apparet, & maior saliuæ fluxio & sapor insipidus adsunt: Vbi enim subito in magnitudinem excrescit, illico occurrendum ne æger subito suffocetur. In sanguinea sanguis demittendus ex cephalica & venis sub lingua, & fluxio auertenda ventosis cucurbitulis cum scarificatione, clysmate & tenui victu euchymo; etiam purgatione cum pilulis aureis, adiecto diacridij momento, modo pilulas deuorare posset; alioqui cum elect. de succo ros. collutionibusque acidis, & stypticis cum succo lactucæ, syr. citrin. de ribes, succo punicorum in ore detentis vel gargarisatis. Si à pituita, ipsa purganda pilulis cochiis, de agarico, clysteribus acutioribus; & adhibendo ea, quæ materiam à capite deturbant. Deinde vtendum frictione linguæ ex sale tosto, ammoniaco & sale gemmæ, aliisque gargarismis pituitam educentibus cum catarrhi suspensione ex mio, tosto sale, florib. chamæmillæ. Scribit Bened. Veron. linguâ prodigij more excreuisse, in quam fœmina ex lue Gallica, quam vidit, præcipiti cursu affluentibus corruptis humoribus ad id membrum: ex quo tum sanguinea & crassa pituita octo diebus incessanter profluebat. Id nos sæpe in iis, qui inunctiones argenti viui experiebantur etiam spectauimus. His vero, vt alias diximus stypticæ collutiones prosunt.

4

5

Cauſæ manifeſtæ linguæ & ſignæ.

OBSERVATIO XXIX.

De Batracho seu Ranunculo sub lingua.

1 BAtrachum seu Ranunculum sub lingua patiebatur quidem iuuenis studiosus Phrisо, qui Delphis apud Adrianum Leoninum virum doctissimum, & Delphensium Pensionarium habitabat, & filium eiusdem instituebat. Is ad me venit ostendens in ea oris parte molli & laxa, quæ sub lingua est, & cui ea incumbit, atque vinculo quasi alligatur, se tumorem collectum habere: quem cum inspexissem, Batrachon esse cognoui: barbari autem Ranulam vocant. A Græcis vero tum Paulo βάτραχος dicitur, seu tumor cum inflammatione sub lingua maxime pueros infestans. Aëtius quoque tumorem præcipue venarum sub lingua esse descripsit. Corpore repurgato, pluere sequenti tumorem fricari iussimus: ℞. *corticum granatorum, hyssopi sicci, salis communis an.* ʒ ij. *fiat*

Cauſa.

Ranula.

puluis: aliquo modo detumescere cœpit. Hoc eodem modo Ioan. Tiengius medicus Amstelrodamensis senior ante me curauit iuuenculam 12. annorum, ranulam quantitatis nucis maiusculæ sub lingua inflatam tensam & mollem habentem, intra duos dies: Puella autem puluerem sub lingua tenebat. Id autem medicamentum Nicolo Florentino tribuitur, qui tamen in adultis loco salis communis vtitur sale ammoniaco. Paulus vtebatur misyos, æruginis rasæ, pari pondere sicco: quo locus perfricandus; sed cauendum ne transglutiatur. Nos & cum sale tosto & gemmæ fricari iussimus; & tandem delituit absque incisione. Hoc etiam decocto vsi sumus sub lingua sæpe contento: ℞. *balaust. aluminis gallæ an.* ʒ ß. *fiat decoctio in aqua communi*, absque chirurgi opera fuit curatus. Vxor autem Cornelij Francisci de Bodegen sub mento cum durum tumorem haberet, & prius in gutture ex catarrho doleret & simul febricitaret, cum sanguinis detractionem non admitteret, toto corpore tũ capite repurgato, etiam cucurbitulis cum scarificatione scapulis impositis, tumori, qui sub mento erat, ne ibi fieret suppuratio, potius studuimus resolutioni & emollitioni: nam si in absessum abiisset, isque diruptus in loco decliuiori, timor fuisset de fistula. Illud præscripsimus, quod Aëtius tosos resoluere scribit: ℞. *furfuris, frumenti exactissime comminuti & cribrati* ʒ j ß. *guttatim nunc olei irini modico in mortarium infuso, vicissim pulueris pauxillo immisto diligentissime subigantur & reducantur in formam linimenti crassioris*: quo tumor ille paulatim euanuit. Sed rursus ex noua fluxione dentium dolore lassata etiam in maxillam tumor excreuit; adhibitis cataplasmatis, tum gargarismis commodis, tandem maxima copia pituitæ ex ore fluxit, vt tandem os aperire potuerit: eoque aperto & inspecto, ranulam quoque sub lingua ex fluxione ortam conspeximus. Quæ hoc lauamento etiam tandem curata est: ℞. *aquæ plantaginis* ℔ ß. *balaust.* ʒ i ß. *aluminis* ʒ ß. *mellis ros.* ʒ ß. *bulliant*: pro lotione vsui reseruetur. Interea cum à ranula curata esset, sub maxilla circa gingiuas potissimum, vt in epulide, animaduertimus absessum esse. Quare rursus admoto cataplasmate & gargarismis maturantibus, tandem absessus ruptus est exigua sanie emanante: & decocto hordei communis, & melle gargarisato pro absterſione. Rectè deinde valuit. Eodem mense alia quoque puella ranunculo laborans post purgationes vniuersales adhibitas, etiam exsiccantibus & stypticis curata fuit. Altera mulier rustica longo tempore batrachon sub lingua habuerat, vt non alia spes curandi superesset, nisi vt scalpello vtrinque tumor aperiretur: quod cum chirurgus dextre administrasset, humore effluente quantum potuerat; dein posca, exiguo sale addito, ore paucis diebus colluto; donec nihil amplius humoris in tumore reliquum esset. Nam vidimus aliquando & in aliis si non dextre fieret, neque totus humor effluueret, postea rediisse: vt etiam in hac rustica, licet videretur prius curata.

2

3

4

5

Scholia.

QVanquam Dodonæus refert, paucos posterioris ætatis medicos ranunculi curationem attigisse, idque ex Albucasi aut Rhasi sua mutantes: tamen & Paulus & Aëtius de huius curatione meminerunt. Refert Nicolus ex Iudæi cuiusdam medici sententia sub lingua apostema esse, quod extenditur, venis linguæ sanguine aut alio humore

Ranula.

humore repletis. Vndè alij apoſtema durum eſſe volunt, in quo venæ nigræ intumeſcunt, ad ranæ coloris ſimilitudinem, vndæ nomen habet. Alij phlegmaticum abſceſſum dicunt, glandulæ ſimilem: adeo eminet, vt alia minor lingua ſubeſſe videatur; aliquando vero non ſine febre; interdum quoque oritur lethalis. Almanzor etiam glandulam eſſe voluit ranulam ſub lingua enatam: quam definitionem ab Auicenna mutuauit, cum dicat, Ranula eſt ſimilis glandulæ duræ exiſtens ſub lingua, cuius dolor ſimilis eſt colori compoſito ex colore ſuperficiei linguæ & venarum, quæ ſunt in ea: & eo quod ſimilis ſit colori ranæ, ranulam vocant. Huius autem cauſam eſſe volunt 6 humiditatem viſcoſam, cum materia ipſa ſit pituitoſa, vel ſanguinem craſſiorem. Notæ per ſe ſunt manifeſtæ. Cum enim ſubleuatur lingua, videtur quædam carnoſitas laxa & mollis ſub ea: vel, vt Placentinus prodit, ab vtraque parte ligamenti quædam prominentia ſphærica, inſtar ciceris vel fabæ (*imo caſtaneæ magnitudinem ſuperaſſe vidimus*) conſpicitur, quæ alias duras continuet. Cumque hic tumor ſpeciem œdematis mollis & laxi referat, eo aperto mucus profilit oui candido ſimilis. In pueris (*vt idem Placentinus quoque conſulit*) curatio celeritatem requirit, ob communionem, quam cum canna pulmonis habet, ne ſubito ſuffocentur. Quibus ſubinde ſufficit ſola perfrictio cum origano, & malorum punicorum cortice & ſale. In adultis Aëtius vtitur iiſdem, quæ ad aphthas & oris vlcera valent: ſed ex iis medicamentis quæ fortiora ſunt, vt æruginis raſæ, chalcitid. gallæ æquales portiones inſpergit, aut cum paſſo, collutione vtitur; vel antheram, vt & Paulus, adhibet: ita & erui farinam cum melle ſubiiciunt, & gallam tritam cum melle, aut roſ. folior. & oliuæ decocto vlcus colluunt. Verum ſi dolor adſit, & febris tumorque gulam occupet, nec mors ſubitanea ſequatur, ſtatim cephalica vena incidenda, quoniam in mora periculum eſt: ac ſupra ſcapulas cucurbitulæ imponendæ ſcalpello circumciſæ. Galenus non libenter ferro ſecat, ne profluuio ſanguinis pereat; ſed flore æris & antedictis vlcus curat. Vel eo, quod habet gallæ, myrrhæ, lilij, croci ana p. æ. vel eo, 7 quod contineat ammoniacum, acetum & æris florem. Rhaſes vtitur ære viridi, baurach, borace, vſnea, myrrha, galla, alumine tritis & inſperſis. Si his non cedit, ferramento opus eſt poſt phlebotomiam & purgationem. Quomodo ſcalpello ſit aperiendum, iam in Obſer. diximus: quamuis ſecundum quoſdam alia ratione humor in hoc tumore contentus educi poſſet: vulnere enim ſub mento facto, mox effluit, ſed tutiſſimum eſt intra os tumorem aperire. Si quid vero impedit, quo minus in ore commode fieri queat, tunc vt ſub mento fiat, proximum eſt & extremum remedium: veluti aliquando factum eſt (*vt Dodonæus refert*) cui vna cum ranunculo vtriuſque tonſillæ inflammatio ſuperuenit. Hic vulnere quo diximus loco facto, adhibitis deinde tonſillarum remediis, ab vtroque liber euaſit. Præſtat tamen 8 (*vt nos his aut ter fieri inſimus in adultis*) cum ſcalpello intus aperire: Guilelmus vero Placentinus vncino ranulam capit, & eius eminentiam firmiter tenet, & raſorio ranulam remouet: eaque remota ſanguinem ſtillare facit ac permittit, demum alumen zuccarinum cum ſale imponit, ac ad tempus permanere ſinit. Poſtea vino aceto permixto colluit calide: hæc enim ranulam exſiccant. Deinde per diem vino decoctionis myrrhæ abluto, ad perfectam curationem deducit. Hanc curationem ab Albucaſi mutuauit, qui in ipſum ranunculum proiicit vncinum, & incidit ipſum cum ſpatha ſubtili, & liberat ipſum ab omni parte. Michael Sauonarola (*qui etiam curationem ſumpſit ex Rhaſi*) quamuis eam ſanationem quæ fit per ſcarificationem magis commendat: Quæ via eſt, inquit, expedita; & ad hanc ego quam citius poſſum peruenio, cum non videam periculum. Intelligit, opinor, vt cum ferro ſcarificetur & aperiatur.

OBSERVATIO XXX.

De Ancyloglosſis & qui vix loqui poſſunt.

ANcyloglosſi quidam fiunt ex natiuitate (*teſte Aetio*) quidam vero ex aliqua affectione. Ex natiuitate fiunt, cum membranæ inferiores, quibus lingua innititur, duriores & mutilæ à natura ſunt productæ. Ex affectione autem Ancyloſis & incuruatio linguæ contingit, præcedente vlcere & cicatrice dura ſub lingua relicta. Qui hoc modo affecti ſunt, difficulter loquuntur: quare etiam Mogilalia Græcis ſunt appellati. Qui vero ex natura Ancyloglosſi exiſtunt, principio quidem tarde in ſermonem prorumpunt; vbi vero loqui cœperint, citra obſtaculum & ſatis feſtinanter loquuntur. Impediuntur tamen in prolatione nominum aut verborum, quorum aliàs difficilis pronuntiatio exiſtit: veluti in quibus R. aut L. aut K. literæ frequenter occurrunt. Hos ſane adhibita manu per ſolam chirurgiam curare oportet. Ad eam itaque perficiendam, ægrum deſidere oportet, eiuſque linguam ſurſum ad palatum attollere: & ſi quidem membranæ ipſæ curuitatis cauſæ exiſtant, incuruo vncino eas apprehenſas & extenſas exſcindere; animaduerſione habita, ne ſimul ſubiacentes venas diſſecemus. Si vero cicatrix curuitatis cauſa fuerit, ſimiliter vncino apprehenſa extendatur, & quicquid durum adeſt, & quod cum naturali carne non conſentit, exſcindatur. Ab opere autem patrato, aqua frigida aut poſca os colluant: poſtea inſpergatur manna thuris, imponanturque linamenta conuulſa: ſequentibus vero diebus curetur vlcus collutione aquæ mulſæ, aut illinitione vnguenti Ægyptij, linamentis conuulſis ſimul impoſitis, vt per eorum interſtitium cicatrix deducta, coaleſcat, neque rurſus eadem cicatrix relinquatur. At infans cum membranam inferiorem, cui lingua innititur, duriorem & mutilam à natura productam haberet, & lingua contracta eſſet, vt neque lac ſugere poſſet, ad me cum veniſſet mater vna cum infante, & ore infantis aperto cum ancyloſin eſſe animaduerterem; noſtri tonſores appellant lingua vulgari, *die ton-grien*: Græci, vt diximus, qui hoc malo laborant ancyloglosſos appellant. Quamobrem cum mater conſilium peteret, quid agendum eſſet? illam vna cum infante deduximus ad chirurgum & compatrem meum Petrum Fredericum nomine. Qui membranam illam duriorem lingua ſurſum eleuata forcipe admodum acuta diſcidit, ſanguine effluente cum ſale vulnus perfricans. Membrane ita ligata contrahente linguam per inciſionem ſoluta, puer bene deinde lac ſugere potuit, & poſtea ad ætatem maiorem accedens optime loquebatur. Hoc enim modo à noſtris chirurgis quotidie curantur.

SCHOLIA.

SCHOLIA.

4 COntrahitur enim lingua (teſte Alexandro Veronenſi medico doctiſſimo) à natura, adeo, vt vocem ac verba explanare minime poſſit: quoniam quod ſub ea frenum eſt continet, nec educi ſinit: infantibus obſtetrices vngue, aut pueris ferro hami modo ſecant. Sed venas maiores cauere debent: alij acie nodo adſtricto paulatim conſumunt & ſecant. Verum quomodo huius operatio fiat, etiam in adultis, *ex Aetio recenſuimus ex lib. 8. cap. 36.* Eadem fere ad verba habet Paulus lib. 6. cap. 29. de ligatione linguæ quod ancylium dicitur. Verum cõtingit aliquando linguam contrahi ex humore lento aut melancholico arefaciente. Ex febri etiam interdum acuta 5 contracta cernitur. Cui oleum violaceum ore contentum emolliendo ſubuenit. Nymphæum & cucurbitinum idem præſtat, aut ſalignum roſaceum ve. Addunt alij pſyllij ſeminis, aut cydoniorum cremorem aut portulacæ, maluæ ſeminis decoctum. Oleum quoque amygdalinum valet, ac lac ipſum. Occipitio & ceruicis vertebris, quæ refrigerant & emolliunt, impoſita valent: qualis eſt aqua cucurbitina, maluacea, vel per ſe aqua tepens. Ex humore frigido lento, eaſdem partes fœnugræci, chamæmillæ melilotique decocto fouere ſtudemus: gargariſmataque pro morbi natura ex conſimilibus auxiliis imperamus.

Contractio linguæ ex morboſa cauſa.

OBSERVATIO XXXI.

De grauitate linguæ, & de quodam ex defectu loquelæ laborante.

QVidam patritius Delfius, ac vir conſularis, grauitate linguæ, tum difficultate loquelæ ſubinde afficiebatur: qui & cerebro humidiore laborans frequenter deſtillationibus capiebatur, nam & lingua paulo craſſior, & ex copia humoris affluente, ſermo nonnihil, vti traulis ſolet, impediebatur. Tales enim facillime in paralyſin linguæ, vel totius lateris aut in apoplexiam decidunt: quod & huic euenit, vti longo tempore prædixeramus; de quo alias egimus. Huic tamen conſuluimus antequam in eiuſmodi mala incideret, cum plethora & cacochymia laboraret, vt ſingulis ann. venam ſecaret, & corpus cum caput pilulis cochiis expurgaret, & vt victu attenuante 2 & exſiccante vteretur, & vt à piſcibus (*quibus tamen libenter veſcebatur*) abſtineret. Hic tamen poſtea in leuem apoplexiam incidit: à qua cum curatus eſſet, aliquot annis magis lingua impedita fuit: licet rectè loqueretur, tamen linguæ grauitate laborans, non ita diu poſt rurſus in apoplexiam incidit paulo grauiorem priore; nam in prima, manus aliquo modo paralytica euaſit: at in ſecunda apoplexia grauiore, etiam crus paralyticum aliqua ex parte ſubſequutum. Verum poſt aliquot annos aliud latus ſanum poſt apoplexiam grauiſſimam paralyticum euaſit, lingua impedita valde; ex qua poſt octo plureſve dies cum neque enemata iniecta, vt prius, neque alia remedia ieuarent, vitam cum morte mutauit.

SCHOLIA.

3 GRauitas linguæ eſt via quædam, ſeu introitus ad loquelæ defectum, vel difficultatem eiuſdem. At loquelæ difficultas, varias & diuerſas cauſas habet. Quidam enim à natiuitate ea ſtatim afficiuntur: aliis vero ex tempore aduenit, cum prius perfectè loquerentur. Nonnullis vero difficultas loquendi ſuperuenit; atque ea quidem poſt morbum aliquem apprehenduntur: quæ equidem difficultas loquelæ euenire poteſt ob aliquas linguæ ægritudines; vti eſt linguæ paralyſis, ſpaſmus, incraſſatio eiuſdem, inflammatio, apoſtema, ſolutio continui, vel ranula, aphthæ, vlcera: de quibus omnibus egimus, excepta linguæ paralyſi. Afficitur enim lingua paralyſi, aliquando poſt apoplexiam, *cuius exemplum poſuimus lib. 10. Obſer. 86.* ſubinde & per ſe incipit, *vt videre licet eodem lib. Obſer. 87.* de ſartore, qui ſola linguæ paralyſi fuit correptus. Ita & linguæ ſtupore. 4 Quandoque tenetur, iis neruis prorſus impeditis, *Lingua quo-modo para-lyſi vel ſtu-pore tenea-tur.* qui à ſeptima cerebri coniugatione prope ſpinalis medullæ initium deriuantur. Interdum altera duntaxat eius pars dimidia dextra ſiniſtraue reſoluitur citra vllam guſtus offenſionem. Quum tota prehenditur, grauis apoplexiæ metus impendet: quanquam non raro animaduerti in Praxi diuturna, linguæ paralyſin obortam nulla conſequuta apoplexia. Ex conſummata paralyſi omnes obtumeſcunt. Ab ortu quoque nonnulli muti permanent; idque naturæ confirmantis vitio. Viſus eſt etiam, cui leuiore ex cauſa biduum vel triduum, vel longius loquela adimeretur; moxque repente & inopinato redderetur: & qui ſæpius ex interuallis & circuitibus modo loqueretur, modo muteſceret, integre ſano corpore. Sic textor quidam (*cuius exemplum poſuimus lib. 10. Obſerv. 88.*) ſubito ex paralyſi linguæ per quinque dies mutus fuit; qui noſtra tamen induſtria curatus fuit: & iſtis diebus monacha apud diuam Agatham, quæ acceptis pilulis cochiis & oxymelite ſcyllino, & vena ſub lingua inciſa, quarto die etiam loquelam recepit. Sic læſis muſculis & neruis linguam mouentibus loquela impeditur, vel etiam aufertur. Similiter & in apoſtemate partis poſterioris cerebri, à qua nerui linguam mouentes oriuntur. Hinc in lethargicis obſeruatum, licet loqui non poſſint, tamen aliqua eorum, quæ dicuntur intelligunt. Vnde & Tharantanus vidit aliquos lethargicos loquelam amittentes; à quibus cum peteret, vbi malum ſeu impedimentum ſentirent, ſignum faciebant, caput tangentes; nihil tamen loqui potentes. *Iam & ſermonem*, inquit Galenus, *dentes anteriores ſublati, aut labiorum fiſſura, aut nares catarrho obſtructæ, vnaque & gutturis vitia infeſtantia, impediunt: quibus verba & voces male explicantur.* Blæſi ſimiliter atque balbi ſermonem non 6 articulatè explicant, aut linguæ breuitate (*vt dicitur*) aut craſſitie nimia, aut alio naturali vitio conformationis: nonnunquam & affluentis humoris copia: modo ex humidiore cerebro, modo ex ebrietate: nonnunquam immodica ſiccitate. Si nerui reuerſiui læduntur, etiam obtumeſcunt: ſed de obtumeſcentia diximus, *lib. 10. Obſeruat. 88.* & poſtea de eadem latius dicturi. Cauſæ igitur grauitatis loquelæ variæ eſſe poſſunt, præter ægritudines iam dictas linguæ obuenientes, præcipue materiales vel ex ſanguine, pituita aliiſque humoribus, vt de guſtu depranato & diminuto diximus *Obſ. 27. huius lib.* ex quibus etiam ſigna cauſarum diſtinguuntur. Si æger balbutiat à natiuitate vel ob mollitiem aut breuitatem nervorum, facile id habetur ex defectu virtutis in- 7 formatiuæ: quamuis etiam à mala intemperie cum materia ex defluxione fieri poſſet. At balbi vel trauli à natiuitate ob defectum neruorum & partium iam dictarum incurabiles ſunt: quamuis in pueris quibuſdam balbutientibus terminus ſermonis

εἰκρανοὶ

Signa.

monis prolongatur; postea in adolescentia & iuuentute magis expedite loquuntur, consumpta
Pregnostica. (*inquit Auicenna*) superfluitate circa organum locutionis, sicuti per accidens balbutientibus febris acuta, superueniens loquelam magis expeditam reddit, humiditate absumpta, quæ in cerebro musculis & neruis linguam mouentibus, tum in radice eius & partibus circumuicinis hærebat. Interea balbuties non consueta, paralysin futuram denuntiat. Balbuties à pueritia ad iuuentutem progressa, & linguæ paralysis diuturna non recipit curationem. Balbutientes quoque diarrhœa longa capiuntur, *aphorism.32. lib.6.* Curatio quoque illius, quæ fit à paralysi vel spasmo ex humiditate superflua, facile habetur: quæ de iisdem proprio capite dicta sunt, nam iisdem purgationibus & gargarismis vtendum. Si adsit plenitudo, vena cephalica incidenda; si caput quoque repletum est ventosæ applicandæ in nucha sub mento, vt quidam faciunt, & venæ sub lingua aperiendæ. Si pituita vel materia frigida in causa sit, eadem concocta cum pilulis cochiis euacuanda, cum hiera: lingua etiam fricanda cum hiera picra, & pilulæ ex castoreo cum succo saluiæ in ore tenendæ. Diacastoreum & alia exhibenda; gargarismi pituitam educentes præscribendi. Idem quoque sentiendum, si ex spasmo à repletione fiat: si vero ex inanitione, lingua humectanda, cernix quoque & nucha. Quod si aliæ ægritudines linguæ, de quibus nunc diximus, vt vlcera, pustulæ, ranula, curentur, vt iam propriis locis præcedentibus dictum est. His addam exemplum adhuc paralysis linguæ, præter alia, quæ libro decimo posuimus.

Curatio.

OBSERVATIO XXXII.

De paralysi linguæ.

MAtrona nobilis albi coloris, pituitosa, lingua blæsa, in loco humido extra vrbem cum habitaret, sæpe destillationibus obnoxia copia saliuæ os occupante, vltra annos quinquaginta nata, à pituita tenui à cerebro defluente in neruos linguæ, eorumque meatus opplente, linguæ paralysi subito oppressa est, transitu facultatis animalis inhibito, vt linguam mouere non posset. Commodum igitur nobis visum fuit pituitam illam euacuare: in cuius euacuatione totius morbi solutio versabatur. Galeno etenim auctore 2. aph. comment. 22. affectus tollitur, si eius causa euacuetur. Primo iniecto clystere sequenti: ℞. *decoctionis communis* (in qua bullierint folior. betonicæ, saluiæ, maioranæ ana m. j. flor. chamæmill. meliloti, rorismarini, stœchad. arab. ana p. j.) ℔ j. *cui adde electr. hieræ picræ, diaphœnici ana* ʒ ij. *diacatholici, electr. lenitiui ana* ʒ ß. *olei chamæmel. lilior. ana* ʒ i ß. *mellis anthosati, vel* (si desit) *eius loco mellis rosati* ʒ j ß. *salis communis* ʒ j. *salis gemmæ* ʒ ß. *misce: fiat clyster.* Quo cum aluum satis deposuisset, altero die pilulas sequentes dedimus: ℞. *pilul. assaiereï, agarici trochisc. pilul. cochiar. ana* ℈ j. *cum aqua saluiæ, fiant pilulæ* v. quas sumebat in introitu lecti. Sanguinem post aluum solutam ex clysteri ex cephalica vena detraxissemus: sed quia non erat repletio totius, & caput potius pituita abundaret, ad diuersionem tamen post pilulas altero die scapulis cucurbitulas cum scarificatione apposuimus. Deinde altero die, cum venæ sub lingua aliquo modo tumidæ apparerent, venas sub lingua aperiri iussimus. Interea pro materiæ coctione vtebatur decoctis herbarum primulæ veris, seu herbæ paralysis, saluiæ, maioranæ, betonicæ, origani, flor. stœchad. arab. quibus mel. ros. oxymel. simplex, syr. è stœchade, è betonica admixta erant. Postea illam purgaui cum pilulis sequentibus: ℞. *pilul. fœtid. Mes. pilul. cochiar. de agarico ana* ℈ i ß. *cum aqua betonicæ fiant pilulæ* v. quibus egregie aluum deposuit. Altero die capiebat ʒ ß. *theriacæ cum* ʒ j. *confer. florum rorismar.* Postea vsi sumus *gargarismis ex decocto hyssopi, rad. capp. pyrethri, origani, saluiæ, ficuum, & in fine sinapi momentum iniicientes, ac mel ros. & oxymel pro sapore, cum ijsdem decoctis vel similibus linguam fricari iubebam.* Valet & vinum album odoratum, castoreo exiguo addito: idque moderate faciendum, non tamen temere, ne in linguæ erosionem aut vlcerationem incideret. Ideo sinapi solo (*multo minus succo tithymall. aut pedis coruini vel vitis albæ, vt vulgares quidem faciunt*) lingua fricanda: his enim plus iusto materia ad linguam attrahitur, inflammatur, vlceratur: quibus æger vix securus erit à cancro, aut alio vlcere maligno impediente cibi deglutionem, vt æger inopia alimenti mori possit, antequam nutriatur, deinde lingua inepta fieret ad retinenda medicamenta sibi applicita. Agitur à mitioribus incipiendum, vt recte docet præceptor meus Benedictus Fauentinus cap. proprio De linguæ paralysi. Interea capitis partem posteriorem & ceruicem, vt oleis sequentibus inungeret præcepimus: *olei costini, nardini lilior. ana* ʒ ß. *misce*: partesque post inunctionem tegantur pelle vulpina aut leporina calefacta. Postremo vesicas in ceruice excitauimus, admotis cantharidibus (*ablatis ante capitibus & alis*) cum fermento, vel eius loco, vt libet, axungia. Quibus deinde ruptis aqua citrina effluente folia brassicæ superposuimus. Quo præsidio vacuata illa aqua, mox loqui cœpit. Interea, vt quotidie mane sumeret ex hoc condito iussi ad neruos roborandos, vt loquela paulatim expeditior fieret: ℞. *confer. flor. rorism. saluiæ, betonicæ ana* ʒ ß. *pul. diamosci dulcis* (cum hæc vterino malo minime obnoxia esset; alioqui à mosscho abstinendum) ℈ ij. *nucis moschatæ pulueris sequentis* ℈ ij. *castorei* ʒ j. *cum mellis anthosati vel rosati & oxymellitis scillino ana* ʒ ß. *fiat conditum.* Hos quoque orbiculos, vt sæpe in ore teneret, consului: ℞. *nucis muscatæ* ʒ j. *castorei* ʒ ij. *cum succo saluiæ, fingantur orbiculi lupini similes.* Quos sæpe in ore tenebat, vel nucis muscatæ frustum mandebat. Et præ omnibus iubebam, vt loqui perpetuo niteretur, linguamque non segniter exerceret. Quibus hæc conualuit, & alij non pauci.

SCHOLIA.

QVomodo paralysis linguæ curetur, diximus *lib. 10. scholio Obs. 87. & 88.* & quibus modis ab Aëtio curetur. Eadem his remedia conueniunt, quæ ad paralyticos longa oratione valere scripsimus: quæ non opus est hic rursus repetere. Si autem plura de his desideres, & magis particularia remedia, quæ ad linguæ paralysin valent, ad eiusdem causas, signa & curationem perlege ea, quæ Benedictus Fauentinus præceptor meus capite proprio De Paralysi linguæ in magna sua Praxi scripserit.

OBSER-

OBSERVATIO XXXIII.

De quodam pellione animam quasi agente & loqui non potente: deque rustico obtumescente subito: & alia prægnante sine loquela ad tempus permanente.

PEllio annos circiter quinquaginta natus, vt videbatur, Alcmariæ apud mœnia decumbebat, adeo grauiter, vt nulla spes salutis superesset. Forte fortuna cum extra vrbem ægrum accederem, vicinis in ægroti ædes modo intrantibus, modo exeuntibus, quid rei esset rogabam. Inquiunt pellionem iam duobus diebus sine loquela in lecto decubuisse, & nunc animam agere, & in agone esse. Rogantque, vt ita misere iacentem ægrum spectarem; atque me ad illum deducunt. Iacebat autem tanquam moriturus, & animam iam agere videbatur: vnde etiam accensis candelis, nihil aliud quam mortem omnes, qui aderant exspectabant. Rogaui, quomodo malum incepe-rat: dicebant illum ex gutture prius doluisse, & non diu post obtumuisse, & semper deinde in deterius euasisse. Arripio manum, tango pulsum, qui mihi satis adhuc constare videbatur. Os vi aperiebam, inspecta lingua, quæ paulo tumidior erat, sed non admodum: iubeo, vt statim chirurgum vocaret, qui venas sub lingua tunderet, quod prima vice, in homine moribundo inquientes, admittere nolebant. Interea cum dicerem in hoc præsidio nihil periculi esse, cum alioqui mori deberet potius eo vtendum esse, quam nullo. Admittunt itaque: & ego isthinc discedens cum extra vrbem mihi ad alium ægrum discedendum esset, chirurgum vocant: sed re infecta denuo abiit. Cum autem rursus in vrbem venissem, re-
cta per eandem viam iter instituï, vt scirem quid de pellione actum esset. Quum ita, vt prius misere vitam trahentem repperi. Rogaui quoque nunquid vena sub lingua secta esset? Respondebant, chirurgum apud ægrotum fuisse, sed re infecta domum remeasse. Reuoco chirurgum eumque interrogo quid causæ fuerit, quod venas non secuerit? Respondit se nullas venas sub lingua reperisse; atque in homine agonisante id minus præstitisse. Ego ad chirurgum conuersus, cum nihil mali inde nobis exspectandum sit, scalpello, inquam, linguam leuiter pertunde, etsi venæ minus apparent. Quod cum fecisset, vix sex septemve guttis sanguinis è vulnere emanantibus (dictu mirum, & miraculi instar) nobis omnibus præsentibus loqui æger cœpit, tanquam è somno experrectus, cum prius vti caudex iacuisset, mortuus, ad vitam reuocatus est, & perfectam sanitatem consequutus. Laudandus Deus, qui sua prouidentia me per illam viam duxerat, vt miserо ægro opem adferrem. Verum rusticus sexagenarius, nomine Theodorus Iacobus, qui in pago Oterlinckio dicto prope Alcmariam vrbem habitabat, anno 1547. mense Septembri cum ex nundinis Alcmarianis (*quæ singulis septimanis die Sabbathi habentur*) scapha domum remearet, inter remigandum fluxu vehementiore in guttur dilapso, atque intus apostemate ibidem oborto, illico obmutuit, mutumque in domum, qui aderant deduxerunt. Post quinque dies, vt rustici sunt sui negligentes, me ad eundem vocarunt. Quem reperi quidem mente constare, sed cum loqui non posset, affectum intus in gutture hærere digito indicabat, atque ibi affectum esse demonstrabat, tumore licet exiguo circa guttur apparente, ita, vt de angina latente, vel alio malo metus esset. Cæterum cum æger adhuc satis robustus foret, ac viuidi coloris esset, & sanguineus licet sexagenarius cum facie rubicunda, pulsuque satis valido, aluo prius glande irritata, cum clysterem nollet, vena cephalica in brachio loco dolenti magis respondente secta fuit, sanguine vtcumque extracto. Deinde etiam eodem die cum morbus induciasnon daret, venas vtrasque sub lingua secari iussimus, sanguine admodum viscoso effluente. Vnde factum est, vt illico loqui cœperit, ita tamen vt verba adhuc indistincta proferret. Deinde cum adhuc nihil quicquam medicamenti deuorare, aut deglutire posset, vt phlegmata ex ore deiiceret, quæ os valde replebant, globulum in quo pyrethri radicis & masticis ana ʒ j. inclusa esset, masticandum præbuimus. Pituita ita ex ore manante postea & gargarisari iussi sequenti gargarismo. ℞. *malu e cum toto, florum chamæmill. ana m. j. flor. rosa. rub. p. j. sem. fœnugræci, anisi* ʒ i ß. *ficuum pinguium nu. v. hordei mundati m. j. fiat decoct. in aqua communi ad* ℔ j ß. *adde diamori* ʒ ij ß. *mellis rosa. colati* ʒ ß. *quo gargarismo multa phlegmata deponebat, & tumor resoluebatur.* Interim totum guttur inunximus oleo liliaceo, amygd. dulc. simul mixtis. Die vero sequenti etiam scapulis cucurbitulas cum scarificatione commode apponi iussimus. Et cum nodulo supradicto, tum gargarismo præcipue vsus esset, & phlegmata multa consequuta & ab ore copiose reiecta, sexto die loquelam accepit. Et cum deuorare posset solidiora, vnciam vnam diaprunis lenitiui in bolo deuorauit: quo cum aluum mediocriter deposuisset; præter spem multorum & hic quoque sanus factus est. Eodem fere modo mulier quoque paupercula prægnans, in nono mense à conceptionis tempore (*quæ & extra murum decumbebat*) cum prius dysenteria admodum periculosa laborasset, quem fluxum dysentericum cum intempestiue pharmacopœus lacte bubulo, semine plantaginis puluerisato immixto restrinxisset, per 10. continuos dies sanguis è naribus fluxit, nullosque consuluit medicos: inde viribus prostratis, cerebrum admodum debile euasit, etiam dolore capitis, haud exiguo superueniente, post tot euacuationes præcedentes, quod mirum alicui esse videbitur: attamen catarrho vehementiori quoque suborto in gutturis partes internas subito defluxo, hæc misera mulier etiam obmutuit. Post tertium vero djem ab obmutescentia me prius vicini vel astantes vocarunt. Reperi eandem viribus admodum prostratis debilem esse, sine tamen febre. Cum loqui non posset, digito monstrabat omne malum in gutture latere. Speculo oris immisso aperto ore ob linguam valde inflatam, conspicere non potui quid in gutture lateret. Erat autem iuuencula viginti annos nata, satis bonæ constitutionis & sanguinea: nutuque indicabat se & in puppi capitis dolorem persentire: & qui præsentes erant, narrabant ibidem à marito vulnus inflictum fuisse, qui iam è vita discesserat, & vulnus iam dudum cicatricem duxerat, remanente tamen dolore, quem & nunc molestum sentiebat, quemadmodum certis signis innuebat. Hæc ipsa quoque marito demortuo etiam melancholica euaserat. Ego vero, cum loqui non posset, suspicabar & in gutture nunc abscessum esse; quod nutu quodam negabat, licet minimum quid deglutire posset. Ad hanc autem veni die 2. Iunij anno 1557. cumque hæc glande ex nostro præscripto aluum deposuisset, venam cephalicam vt vulnerarius medicus aperiret, non videbatur mihi consultum ob vires plane deiectas. Quare eius loco cum sanguis adhuc è

naribus

naribus flueret, ad diuersionem cucurbitulas cum scarificatione scapulis affigi iussi: & etiam altero die venæ sub lingua sectæ sunt. Mansit tamen mutа, dolore sub fœniculo in gutture permanente. Ideo exterius quoque inunximus guttur nostro vnguento pectorali, oleo liliaceo, anethino, chamæmelino simul immixtis: etiam hoc cataplasmate appositо: ℞. *rad. althææ mund.* ℥ i ß. *folior. maluæ viol. flor. meliloti, chamæm. ana m. j. coquantur in aqua ad mollitudinem; pistentur, addendo farinæ sem. lini. fœnugr. ana* ℥ ß. *farinæ hordei* ʒ ij. *butyri q. s. in cataplasma redigantur.* Quarto Iunij die & hunc gargarismum præscripsi: ℞. *maluæ cum toto, scabiosæ, viol. hyssopi, ana m. j. rad. althææ* ℥ ß. *flor. meliloti, rosa. rub. ana p. ß. ficuum pinguium num. iij. uuar. passul. ab arill. mund.* ℥ j. *sem. fœnic.* ʒ j. *nidi hirundinis cum plumis incisi partem dimidiam* (reliqua pars cataplasmati suprascripto addebatur) *fiat decoctio in aqua communi ad* lb i ß. *colaturæ addendo mellis ros. colat.* ℥ iij. *misce*: sed eo vti non potuit, cum per nares regurgitaret. Nullus autem tumor exterius apparebat: ideo maxime aborsum metuebam, atque de fœtu, cum & obstetrix motum in ventre percipere se negaret. Erat tamen vnum ex signis præsentibus, cum neque venter prægnantis frigeret, neque anhelitus fœteret, neque etiam febris adesset, cum & talia symptomata illico fœtum mortuum sequantur. Quod vero mater motum infantis non sentiret, id quidem ex imbecillitate fieri arbitrabar, cum ipsa iam octo diebus nihil edulij aut liquidi deglutire potuerat, & iam per quatuor dies sine loquela permanserat: ita, vt fere aborsum pronocandum duxissem, cum de matre ac infante simul periculum immineret, ne matrem & infantem diu superstites fore, cum nihil per os sumeretur: ita, vt ob ignominiam libenter mihi collegam adiunctum habuissem. At medicus, qui tunc consulatum agebat, prætexit causam sed friuolam, se venire ad ægram non posse: quia forte nimis egena, à qua nihil lucri sperabatur. Cæterum die sequenti in multo peiori statu ægram inueni. Libenter autem enema nutriens ex iure pulli & vitellis ouorum ad nutriendum iniecissem, si admittere voluisset. Quare hoc linimento guttur exterius rursus inuncto, & cataplasmate sequenti appositо, nono die à morbi initio & sexto nostræ vocationis, apostema intus latens ruptum est: ℞. *olei chamæmill. liliacei ana* ℥ ß. *misce*: ℞. *rad. lilior. albor.* ℥ i ß. *rad. althææ* ℥ j. *scabiosæ m. j. coquantur in aqua ad mollitudinem, pistentur, & cataplasmati superiori addantur, adiecto oleo liliacео ad mellis cataplasmatis consistentiam.* Rupto autem apostemate pus exibat in magna quantitate tam per vomitum, quam fecessum: & tunc recuperauit loquelam, & fatebatur tunc se fœtum optime sentire, & quod sese moueret; ac cibum assumpsit viribus recreatis. Interea pro vlceris absterſione & materiæ residuæ expulsione, sequenti gargarismo vtebatur: ℞. *hordei non excorticati, scabiosæ ana m. j. folior. maluæ, plantaginis ana m. j. sem. lini, fœnugræci, cotoneor. ana* ʒ i ß. *cicerum rub.* ℥ j. *coquantur in aqua communi pro* lb i ß. *colaturæ adde mellis ros. colati* ℥ iij. *misce.* Deinde pro gulæ ac ventriculi absterſione, si quid purulenti in iisdem hæsisset, *hordei communis decocti* ℥ iiij. *mellis ros. colati* ℥ i ß. *ebibit*; & vtcunque sana euasit: quamuis post quinque dies iterum collapsa est in fluxum ventris. & in febrem quasi erraticam. Fluxum autem subito constringere noluimus, nam eo constricto magis febricitabat. Ideo postquam ebibisset *decoct. hordacei communis* ℥ iij. *cum puluere myrobal. citrinorum tostorum* ʒ j. melius habere cœpit. Verum cum paupercula esset, & nemo ei adsisteret, cum forte excrementa foras exportaret tempore admodum ventoso, in dolorem hypochondrij dextri incidit, rata pleuritidem esse. Ad quam rursus accitus, cum neque tunc febricitaret, neque iam à diebus febrem habuisset, ventositatem doloris causam esse iudicabam; neque me fefellit opinio: nam adhibito sequenti fomento dolor cessauit: ℞. *florum meliloti* (flores chamæmillæ hic accipere nolui, quamuis anodynam & resoluentem facultatem haberent: verum grauidis minime conueniunt, cum & aborsum promoueant, & menstruas purgationes, quæ fœtus tempore ad eiusdem alimoniam retinentur, aperiant, vt Arnoldus de Villanoua sentit, quamquam de iis forte intelligit in potione sumptis; noluimus tamen illis ipsis, ne quidem etiam exterius vti) *summitatum anethi ana* m. i ß. *sem. lini. fœnugræci, carui, ana* ʒ ß. *folior. maluæ* m. j. *semin. cumini* ʒ i ß. *coquantur in aqua communi pro fotu cum spongia calide inuersa & expressa & admota, vt artis est.* Deinde loco affecto inuncto oleo anethino, dolor ille, miraculi instar, statim euanuit. Fluxu tamen bilioso perseuerante, adhuc semel lotium medicamentum ex *hordei decocto nempe* ℥ iij. *syr. cotoneor.* ℥ j. *myrab. citrin. modice vstorum & pulueriſatorum* ϑ j. *sumpsit*, & frequenter etiam ex hac mixtura: *Recipe conf. rosantiquæ, miuæ cotoneorum, corticum citri conditi ana* ℥ ß. *trochisc. de carabe* ʒ ß. *cum syrupo, mentaceo & cydon. fiat mixtura.* Fluxu sanato & optima victus ratione vtens, non solum fuit præseruata ab aborsu, verum etiam his præsidiis optimam sanitatem consequuta est.

Schólia.

VTrum hic Rusticus, tum muliercula ob grauiturіs apostemata intus latentia, etiam flexionem ad neruos reuersiuos, obmutuerint, & lingua simul affecta fuerit, vti etiam in priore ægro, aliquis dubitare posset: cum Galeno auctore neruis reuersiuis læsis (*vt mox ostendimus*) vox adimi possit. Interea alij quidam ex toto mu- ti nascuntur: alij repente obmutescunt: alij im- perfecta loquuntur, cerebri, cordis stomachique ac oris dolore, vuluæque cruciatibus, aut nerui à cerebro orti vitio, aut linguæ lacerto læso, aut lingua resoluta, aut contracta fuerit: *de quibus paulo ante diximus.* Capitis quoque ictu aut ex alto lapsu muti facti sunt: vt puer ille & filiolus Brononis Iacobi, qui ex fenestra partis domus altissimæ cum cecidisset, per quatuordecim dies mutus permansit: quamuis à me & collega meo (*vt alias diximus*) tum tribus chirurgis, non solum vox restituta fuerit, verum probe etiam sanatus sit. Sic etiam Petrus quidam nobilis Iadertinus Lubanetius octogenarius (*de quo meminit Alex. Veron. medicus*) qui trabis ictu quindecim diebus obmutuerat: cui post abstinentiam sanguinisque missionem diligentia eiusdem Alexandri Veronensi medici clarissimi, restitutus, Deo adiuuante, sermo fuit. Sic Simon Harckonis ex iactu teli in caput ad tempus obmutuit. Hic fuit à me curatus, *vt alias retulimus lib. 10. Obs.* vti & puella quæ apud Hester vicinam nostram ex lapsu muta decumbebat, similiter à me curata. Muti quoque ex ebrietate fiunt quidam, Hippocrate teste. Ita Petrus Iacobus Delphius ex ebrietate obmutescens conuulsus periit: de quo similiter etiam antea dictum est. Quibusdam cibis male verba deticulantur: qualis cinaræ carduus pineus; aut pinces iuglandes: quod & loquacibus in prouerbium obiurganti transit. Cæterum (*vt paulo ante quoque retulimus*) spasmo, mollitie, siccitate linguæ, duritie, vlcere, absсessu, au freni breuitate, aut immodica crassitudine, contingit. Qui balbi dicuntur, cerebri absсessu, multi obmutescunt, quoniam materia ad neruos & lacertum transfertur, aut absсessu neruorum meatus. Exemplo cuiusdam nobilis pueri ex Pollana familia Cydone (*vt auctor est Benedictus Veronensis*) qui in febre acuta lethargicus effectus est: post quintum diem obmutuit: deinde cruribus resolutis, post decimum quintum diem ex toto & sermo, & corpus debili restitutum est. Ex intestinorum quoque & ventris animalibus seu vermibus plurimi obmutescunt, vti euenit Iohanni Francisco cognato & famulo meo, qui pluribus diebus inde obmutescens per me curatus est. Sic apud eundem Benedictum Veronensem puella in Corneliæ familia in Creta octo diebus muta fuit, rigentibus oculis, emissis 42. vermibus, sine sordibus vna conuolutis, liberata est & sana facta. Quod ex casu idem fiat, testatur Galeni historia 1. De locis affect. quæ ita habet, *Cecidit quidam ab alto, ita vt dorsi initium affligeretur: is tertio die exiguam admodum vocem remisit: quarto deinde die obmutuit, resolutaque simul fuerunt cura, manibus vero omnino illæsis: sed neque spirationem amittebat, neque difficulter spirabat: cum enim tota sub cervice spina esset resoluta, accidit thoraci, vt & septem transuersum & musculi superni, numero quidem sex moverentur: quippe nervi ex spinali medulla, quæ in cervice est, ipsis aduenium. At inter costalium musculorum nervi, per quos flatum fieri diximus, omnes affecti erant. Cum itaque frustra medici negotium subirent, circa curam quidem vtpote resoluta: circa guttur vero propter vocis affectum: equidem id interdixi, atque affecto duntaxat loco curationem adhibui. Proinde suita tandem spinæ inflammatione, à septimo die vox restituta est iuueni, & curæ motionis facultatem recuperauerunt. Equidem in alio vocem vitiatam fuisse memini, adeo, vt pene penderetur insigidatis vehementer neruis recurrentibus, cum per hyemem iccirnix fuisset incisa: quod cum intelligerem, calorificis remediis naturalem temperaturam neruis restituens, vocem renocani. Cæterum vt ob materiæ priuationem perforato thorace, ita etiam aspera arteria tota incisa, vox perit, quod nullus superfit Spiritus, qui ad proprium vocis instrumentum transmittatur.* Idem efficit, sed alio modo, laqueus collo circumdatus: verumbic non solum mutum reddit animal, sed etiam suffocat, tollendo scilicet spirationem. Cum ex cervice quidam cheradas (vulgo scrophulæ dicuntur) in profundo incumbentes excideret, vnguibus eas euellens, imprudens ob ignorantiam simul recurrentes nervos distraxit, atque hoc pacto puerum liberauit à fistulis, sed mutum reliquit. Quidam alius in alio puero affectionem faciens, ipsum similiter semimutum reddidit, læso videlicet altero duntaxat nervo. Mirabantur vero omnes, quo pacto neque aspera arteria, neque guttur affecto vocem lædi contingeret. Qui cum rubentes nervos nus Galenus. Refert quoque Amatus *de muliere Illyrica, quæ ad caput montis habitabat, cum strumam à Gallica scabiei originem ducentem, in collo haberet, monachum medici officio fungentem pro sua valetudine accersiuit. Qui indiscrete, quum pro ea propulsanda multis vsus esset medicamentis, ita sublatum, vt eius resecaret radices, loco indidit. A quo alter neruorum ex pectore recurrentium, qui vocem effingunt, inibi corrosus est. Vnde ipsa paulatim rauca facta vocem fere in totum amisit. Rusticus alius quidam* (vt etiam narrat Beniuenius) *cum decliniore capitis prora percussus recidisset, & alteram capitis ipsius partem oppositam ad terram, vt par fuit, elideret, surrexit quidem, sed mutus: id autem sine ex repercussione neruorum, qui egrediuntur ex pectore, sive ex defluente materia, quæ nervos illos oppleuerit, tam incertum, quam certissimum est, ex hoc communicatam nervis ipsis, qui vocem effingunt.* Variæ itaque sunt causæ obtumescentiæ & loquelæ amissionis. Quibus enim cerebrum aliqua ex parte concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri, *aph. 59. lib. 7.* Si ebrius quispiam repente obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, vt vbi ad horam peruenerit, qua soluuntur crapulæ, vocem recuperet. *aph. 5. lib. 5.* Quicumque sani dolore capitis repente capiuntur, & statim muti fiunt & stertunt, iis septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit, *aph. 15. lib. 6.* Quomodo autem curentur illi, qui obmutescunt ex vulnere, ictu, casu, à lethargo, spasmo, seu à conuulsione, apoplexia, paralysi aut aliis cerebri affectibus, *id quidem declarauimus lib. 10. Obseru.* Qui autem à phrenitide imperfecte loquuntur vel male, quadam linguæ immobilitate, venas sub lingua quidam post cephalicam incidunt, & capiti oleum violaceum vel nymphææ infundunt. Ex vulnere vel conuulsione aliquando non restituitur sermo. Repente obmutescentibus quidam probant gummi hederæ cum melle liquatum, aut buglossi radices in vino meraco coctas, atque in ore detentas, succum origani auribus instillatum, pyrethrum aut castoreum linguæ subditum. Si quis in deliquio animi obtumescit, folia ocymi in vino meraco infusa ad linguam impeditam valent & repente verba restituunt: pulegium aceto infusum panno naribus subiectum: palati & linguarum confricatio cum theriaca: aut rutæ decoctum, & potum. Catarrho defluente si vox amittitur, cucurbitula bregmati acrius imposita, humorem fluentem suspendit. Aut si capiti abrotani decoctum infundatur, mire enim sistit. At in vuulæ strangulationibus sternutamenta ex hellebori albi farina repente vocem restituunt mulieribus: etiam pulegium olfactum, eiusque semen. Si linguæ vitio loquela impediatur, ab illa quæ paulo ante diximus recurrendum. Et ita linguæ affectibus absolutis, huic lib. quoque fine imposito, ad faucium & gutturis mala progrediamur.

Cent. 2. Cur. 70.

Cap. 91. De abditis morborum causis.

In animi deliquio quæ iuuant obmutescentes.

Curatio obmutescentiæ pro varietate causarum curatur.

Finis Libri decimi quarti.

OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM

Liber decimus quintus.

DE FAVCIVM, GVTTVRIS, GVLÆ AFFECTIBVS & asperæ arteriæ.

OBSERVATIO I.

De inflatione & inflammatione Gurgulionis columellæ.

GVrgulionis & columellæ inflationem adeo magnam vidimus, *licet longiusculam & satis crassam, non tamen rotundam, vt in vua apparere solet*) in calceario quodam Alcmariano, Curtio dicto, viro admodum crasso & robusto, 36. annum excedente, ita vt strangulatio eidem pene immineret. Huic & febris aderat, columella quoque inflammata, vti tonsillæ similiter valde inflammatæ, idque ex calida fluxione: & ingenti quoque capitis dolore afficiebatur, mense Martio cum sanguis suppullulare solet. Ad hunc lecto decumbentem accitus, magna plethora aderat & totius corporis plenitudo. Quamobrem clysterem statim iniiciendum proponebam, & deinde sanguinem copiose esse detrahendum. At cum clysterem non admitteret, glande acuta ad fæces ab intestinis expellendas cum aluum deposuisset, lotio admodum rubro existente, vena cephalica in brachio dextro secta fuit, & ab homine carnoso & sanguineo circiter libra vna sanguinis commode extracta est. Simul & hoc gargarisma (cum essemus in principio) ad fluxionem reprimendam præscriptum: ℞. *aquæ plantag.* ℔ i ß. *aquæ equiseti,* ℔ ß. *flor. ros. rubear.* p. iß. *gallarum contritarum num.* iij. *ebulliant vnica forti ebullitione, deinde colentur; adde diamori* ʒ iij. *misce.* Cæterum cum nec capitis dolor nec gargareonis inflammatio cessarent, venas sub lingua secari fecimus, sanguine optime effluente satis copiose: & nonnihil capitis dolor cessauit tum inflammatio ipsa. At vuulam postea etiam inflammatam & adhuc crassam & propendentem, puluere aluminis vsti & boli Armeni simul mixtis subleuauimus. Bis quoque in die ex hoc decocto bibebat: ℞. *folior. viol. dentis leonis, bellidis minoris, end. betonicæ ana* m. j. *sem. anisi* ʒ j. *liquiritiæ rasæ* ʒ ß. *sem. 4. frig. maior. ana* ʒ ß. *prun. damasc. nun.* xiij. *vuar. pass. ab avill. repurgatarum* ʒ j. *hordei communi* p. j. *fol. sennæ* ʒ j. *fiat decoctio in sero lactis pro* ℔ j. *colaturæ adde syr. viol. ex infus. ros. ana* ʒ i ß. *misce.* quo bis terue quotidie aluum deponebat. Hoc deinde gargarismo vtens conualuit. ℞. *plant. bellidis minoris, flor. rosa. rub. ana* p. j. *balaust.* ʒ iij. *cum aquæ coquantur ad* ℔ j. *adde aquæ plant.* ℔ j. *sem. cydon.* ʒ j. *sem. malvæ* ʒ ß. *vrsus ebulliant addendo diamori* ʒ ii ß. *mellis ros. colati* ʒ ß. *misce pro gargarismo.*

SCHOLIA.

AD faucium mala peruenimus. At summum gulæ Fauces vocari videmus; quibus eæ non sunt, iis nec stomachus quidem est, nec collum, nec guttur; sed os ventri iungitur, vt piscibus Collum est quibus gula, eius extima pars cernitur, pluribus, hoc est, septenis vertebris orbiculatim flexilis ad circumspectum constituta: cui tero spinæ annectitur: Vua in summa parte dependet, extremo palato: Tonsillæ vtrinque tumentes apparent, ἀμπέδες & παιδιαὶ vocant Græci: his subest Epiglottis, quæ arteriam in eundo operit: quæ ad pulmones tendit cartilaginosa: Gula ex neruo & carne constat. Arteria fistula tantum capax est, cætera obstrepens respiritus intempestiua. Vini gutta, vel aceti (*quod maxime inimicum est*) quosdam vidimus misere torquentes, quos veluti strangulatos suscepimus, quoniam in alienum tramitem acris humor deerrauerat. Gutturis intus mala occupant, cum vua seu columella tumeat, inflammetur, vlceretur, elongetur seu laxetur; quibus Rondeletius & quartum affectum addit, nempe atrophiam: Contabescit, inquit, hæc pars, & veluti lorum efficitur; quæ affectio à siccitate vel atrophia illius partis fit, & non curatur. Tonsillæ similiter & inflammantur, & vlcerantur. Quibus addunt & Anginam. Guttur etiam intumescit, quod aquarum vitio sæpe euenit, Enterocele à Græcis dicuntur. His etiam annumerari poterunt vertebrarum colli luxationes, & spondilia luxata: quæ cum ad chirurgiam spectent, de iis dicemus suo loco: nunc autem de columellæ vitiis agimus. Inflammatur autem sæpe numero pars quædam, quæ circa os continetur carnosa, in summo siquidem ore dependens, tanquam aliquod vocis plectrum existens. Paulo auctore *lib. 6. c. 31.* Apparebit autem ea, si quis aperto plurimum ore toto, linguam deprimat: hanc ipsam carunculam veteres Græci (*inquit Gal. de comp. med. secundum locos*) duobus nominibus appellare consueuerunt: interim nominantes παρὰ τὰ ῥεῦμα, interim vero κιόνα, quod à Latinis gurgulio & columna dicitur. A posteriorib. autem medicis fere omnibus Græcis (*vt ipsmet asserit*) κιονὶς, id est, columella vocatur. Quod quidem sint, qui ἀπὸ τῆς σταφυλῆς, id est, vuam ipsam nuncupent, eorum (*vt etiam Donatus existimabat*) meminisse non præstat: nam non particula ipsa, sed vna aliqua eius affectio vuæ acino simile summum gurgulionis appellat, *vt inquit Aëtius c. 40. lib. 8.* Hanc etiam formam Gurgulionis speciem Hipp. appellat vuam, *vt liquet apud Gal. lib. De remove præter naturam.* De his vide Iacchinum doctissimum supra Rhaz. & Benedictum Veronensen, & Benedictum Fauentinum præceptorem meum, qui hanc rem ad longius tractant. Sats est, quod vtrumque nomen; *vt Paulus quoque refert*) à similitudine factum est, nisi longior tenuisque fuerit, columella nuncupatur; si vero crassior, in rotunditatem creuerit, feraturque deorsum, Vua dicitur. Pars affecta aperto ore & inspecto per se nota est, nec aliis signis indiget: & affectus ipse cum sit inflammatio, nempe morbus in compositione primo, & dolore, tumore & rubedine ipsius columellæ cum febre ac diglutiendi difficultate cognoscitur. Si a. laxetur & oblonga fiat, vitium est in magnitudine, etiam meatus partem obstruens cum linguæ radicem attigerit, à quib. partib. suspensa esse debet. Meatus ille Fauces appellatur. Prouenit ex capite ad gurgulionem defluxione de sanguine vel pituita, vt alij volunt, vel etiam ex bile & melancholia iuxta quosdam, qui Arabum decreta sequuntur. Atque hæc facile distinguuntur ex coloribus. Iacchinus duas tantum causas ponit, easque facile ex visu & sensu distinguit. Alij vero, vt Arculanus, colorem rubrum in sanguinea inflammatione; ex rubro citrinum in biliosa; ex albo in pituitosa, ex fusco vero in melancholica distinguit: ex sanguine dolor grauis, pulsatilis, ex bile pungens, in aliis exiguus aut nullus. Reliqua signa causarum, vt iam sæpe diximus, cum cõmunia sint, ex ætate, anni tempore, cœli cõstitutione, temperatura, vitæque instituto habentur. Gurgulione inflammato ac in tumorem aucto, omnibus modis præter chirurgiam, eum curare oportet & extenuare, *Hipp. auctore 3. Progn.* nam quoad tumor rubidus magnusque fuerit, gurgulio cum periculo secatur & scarificatur ob sanguinis fluorem & inflammationem quæ subsequuntur, vt constat ex locis citatis Hippoc. & Galeni. Vbi vero summa gurgulionis pars maior liuida, seu orbiculata; superior vero tenuior (*quem affectum diximus vuam appellari*) aliquando chirurgia vtendum, aluo prius subducta, ne æger stranguletur, vbi medicamentis non cedat. Quomodo excidenda, *vide Paulum c. 31. lib. 6. & Aetium cap. 41. lib. 8.* dextre faciendum ne vox pereat; vti aliquando euenit. *de his vide egregium casum ap. Amatum Cent. 3. Curt. 65.* Sed in primis curatio instituenda per victus rationem, quam in reliquis inflammationibus competere scripsimus, quiete & inedia præcipue adhibitis, vt sexto de compos. med. secundum locos. Archigenis auctoritate Galen. docuit; plenitudine (*si quæ adsit*) venæ sectione ablata, & purgatione administrata; clysteribus quoque adhibitis, aliisque diuersionibus, frictionibus, vinculis partium extremarum, cucurbitulisque cum scarificatione iuxta scapulas & nates appositis; etiam, si opus est, venis linguæ sectis. Nam iis præcedentibus ad topica deueniendum in initio, quæ repellant, & in statu admixta, quæ mitigent; in declinatione vero, quæ discutiant: quorum copiam, tum ap. Gal. loco citato, tum Aëtium & Paulum inuenies, & præcipue ap. Rondel. vti etiam exempla infrascripta docebunt; quibus, si libet, adiunge ea, quæ præceptor meus Bened. Fauen. ad longum scripserit.

OBSERVATIO II.

De columella inflammata cum febre, postea increscente, & in vuam peruersata.

IVuenis annos 24. natus columellam vna cum febre inflammatam habebat, quæ subito ita intumuit in rotunditatem vti vua, vt strangulari videretur. Ad hunc accitus cum aluum per se illo die deposuisset, statim venam cephalicam incidere iussi: & cum timerem suffocationem, etiam post meridiem venas vtrasque linguæ aperiri mandaui, & altero die purgationem sequentem exhibui: ℞. *syr. ex infus. ros. pallid. cum foliis sennæ* ʒ i ß. (in vnaquaque vncia duæ drachmæ sennæ infunduntur) *electuarij lenitiui* ʒ iij. *seri lactis cum in vere essemus* ʒ iij. *misce*: quatuor secessus inde habuit: interea etiam statim, cum in principio essemus, hoc gargarismo commode vtebatur: ℞. *plantaginis, solani, portulacæ, flor. ros. rub. an.* m. j. *folior. myrti, corticum malorum granat. an.* ʒ ij. *coquantur in aqua cisternæ pro* ℔ i ß. *adde succi malorum granatorum post colaturam* ℥ j. *aceti ros.* (id enim cito repellit) ℥ ß. *dianucum* ʒ iij. *misce: fiat gargarismus.* Iubebam quoque, vt ex dianuco lamberet: venit enim mihi tunc in mentem historia illa Galeni de hortulano vuulam inflammatam habente, & inflammationem in paristhmiis & antiadib. cui suffocatio imminebat, in quo ægro Galenus dianuco vtebatur. Quam confectionem ipse Galenus eius inuentor valde commendat *lib. 6. De compos. medic. secundum locos c. 1.* Postea in incremento etiã hoc gargarismo vsi sumus: ℞. *hordei integri* p. j. *plantaginis, bellidis minoris an.* m. j. *pass. cum avill. contusarum* m. j. *flor. rosæ. rub.* p. j. *sem. cydon. malvæ ana* ʒ j. *fiat decoctio in aqua cisternæ & in* ℔ j. *dissolve mellis rosæ, diamori. dianucum ana* ℥ j. *misce pro garg.* Verum cum adhuc fieret magna defluxio, post adhibitas cucurbitulas in scapulis cum scarificatione, aliquid rursus ex succis adstringentibus adiunximus, nempe succum granatorum & cotoneorum. Etiam cum alumine vsto & bolo vuam subleuauimus, & cœpit melius habere. Postea tamen in declinatione in partibus circumicinis pituita multa retenta inhærebat. Quare hoc gargarismo vtebamur: ℞. *hordei communis* p. j. *liquiritiæ rasæ* ʒ ß. *folior. viol. hyssopi an.* m. j. *vuar. passul. ab avill. repurg.* ʒ j. *ficuum pinguium n.* vij. *fiat decoctio ad* ℔ j. *colaturæ adde oxymellis simplicis, mellis ros. an.* ʒ i ß. *misce.* iussique *vt mel ros.* sæpe lamberet: gutture exterius *inuncto oleo chamæmill. & amygd. dul.* fuit breui restitutus.

SCHOLIA.

CVratio communis est cæteris morbis, qui ex fluxione fiunt: vt primo causam tollamus, plenitudinem ipsam, *vt diximus*, venæ sectione, & humoris purgatione. Deinde ad topica remedia deueniendum pro magnitudine causæ: vt si influxus exiguus, & tardus sit, sat fuerit austera adhibere, quæ moderate adstringant: si magna, acerba, quæ valide hæc præstant: in exiguo enim sola posca diluta gargarisata aliquando profuit, vel vino granatorum. Sed ordinem vide ap. Gal. tum de austeris, tum de acerbis 4. *De simpl. med. fac. & 6. De compos. med. secundum loc.* num decoctum pampinorum vitis rubi, rosa. radic. mori, palmularum, malorum austerorum, pyrorum, sorborum: cyperi & similium. Si vehementior influxus, myrti & baccarum eius decoctum, glandinum mespilorum, rhos culinarij, mali punici floris & putaminis: Galenus & Aëtius arida quandoque inspergunt. At si pars affecta debilis & corpus humoribus multis refertum, cogimur sæpe in principio, vel paulo post admiscere quippiam ex discussoriis: & si dolor adfuerit vehemens, etiam ex mitigatoriis, cum acria inflammata exacerbent: & sic adiicimus flores chamæmillæ, fertulam campanam, rad. althææ & similia; & si inflammatio non cesset, discussoriis vtimur, adiecto sem. lini, fœnugræci, hyssopo, glyc. in gargarismis. Iam quoque in pituitosa discussoria adhibemus, simul & astringentia: & si malum diu protrahatur, solis valide discutientibus vtimur. Etiam eclegmata, tunc ex detergentibus & digerentibus conueniunt ex pul. diaireos, sacch. cand. & aliis, cum syr. perfecte coctis, etiam aliquando zinz. aut pip. adiectis. Hæc enim citissime

morbum digerunt, & pituitam retentam ob inflammationem expurgant. Probauit aliquando & Rondel. eclegma Scribonij Largi ex pip. myrr. & mel. quo vsus est in muliere, quæ suffocabatur & desperata erat. Infra vnum diem reiecit incredibilem pituitæ quantitatem, & materiæ, quæ circa columellam, glandes & fauces propter inflammationem retenta erat. Sine myrrha potest sic parari: ℞. *pip.* ʒß. *pul. iridis Venet.* ʒ ij. *suc. glycyr.* ʒ i ß. *zacch. candi* ʒ ij. *mell.* ℥ j. *fiat loch. capiat lambendo.* Fiunt etiam in minus delicatis ex decocto rad. gladioli cum multo melle in declinatione in fluxionibus pituitosis: sita enim partium tenuitate materiam incidunt & extenuant; mel autem detergit: ob idque multam pituitam reddunt. Ita quoque si ad suppurationem inflammatio vergat, mitioribus collutionibus & gargarismis, eisque concoquentibus vtendum erit: quo casu præstat decoctum ex caricis per se solum, aut aqua mulsa permistum, aut sapa vel ptisan. succ. in quo vuæ passæ sint decoctæ: radicis insuper dulcis decoctum, aut furfurum lotura calida, id quod in reliquis omnibus seruandum erit medicamentis, vt temperate calida sint: Ea vero suppurata, post puris eruptionem extergentibus, & desiccantibus medicamentis curari debet, aqua hord. cum mell. ros. mixta, aut aqua mulsa & reliquis eiusmodi. At de vlcerata columella postea.

Mulier à Rondeletio curata.

OBSERVATIO III.

De columella inflammata & simul laxata sine febre.

SOrorius mêus Augustinus Teylingius cum sereuisiam Gedanam in magna copia bibisset, in columellæ inflammationem incidit sine febre, & in vuæ laxationem adeo vehementem cum inflammatione tonsillarum, vt subito suffocari videretur: cum nihil deglutire posset, potu quoque per nares regurgitante, lacte cocto gargarisabat, deinde aqua cum aceto. Quæ cum non iuuarent, clystere iniecto, cum per os medicamentum sumere non posset, hoc gargarismo, cum gargarisasset, illico liberatus est: ℞. *aquar. plant. equis. ana* ℔ j. *flor. ros. rub. cortic. gran. ana* p. ß. *sem. cydon.* ʒ j. *ebulliant simul & colentur: col. adde diamor. diamor. ana* ʒ ij. *mel. ros. col.* ℥ ß. *misce.* At tonsillæ adhuc manebant inflatæ: sed hoc appositio cataplasmate detumuere, & reliquum, quod influxerat, discussum est: ℞. *rad. alth. mund.* ℥ ij. *flor. ros. rub. melilot. chamæmill. scabios. an.* m. j. *bulliant ad mollitudinem, pistentur, adde farinæ fænug. lini an.* ℥ ß. *olei chamæm. butyr. recentis, olei amyg. dulc. an. q. s. ad incorporandum cataplasma.*

1

2

Scholia.

IN inflammatione columellæ adhiberi possunt etiam cataplasmata resiccantia, quæ in angina præscribuntur: sed abstinendum ab oleis & vnguentis nimium relaxantibus quod in angina proprium est. Nam in hoc differt curatio columellæ inflammatæ ab angina, & in repellendo. Nam in angina adduntur aliqua dulcia ad detersionem: in inflammationibus columellæ vti possumus aceto, & aliis adstringentibus citra detersionem in principio: quia hæc affectio nequit tam subito suffocationem adferre: quod in angina potest, & ob tumorem & pituitam ibi recentem ab inflammatione. Et ideo statim à principio vtimur diamoro vel melle ad illius detersionem. Tonsillæ & antiades plerumque etiam inflammantur ob vicinitatem, si columella inflammatur, vt huic ægro euenit: ita & cataplasmate vsi sumus, impositio quoque flore ros. ad adstrictionem, & flores chamæmillæ; nam possunt tam intus quam extra quædam astringentia apponi, vt postea de tonsillis dicemus.

OBSERVATIO IV.

De columella inflammata & laxata, & de vua plurimum pendente.

EVenit aliquando, vt paulo antea diximus, vt circa inflammationem nimium humectus gurgulio laxior fiat, & propterea linguæ radici ac faucibus propensus incumbat, quemadmodum in destillationibus continuis contingit, Aëtio auctore: quam affectionem Græci παραπτῶσιν κιονίου, Latini *laxatam columellam*, barbari *casum vuæ* appellant: eodem modo curatur, vt alia inflammatio præcedens, pro ratione confluentis succi, venæ sectione, purgatione, deinde collutionibus, gargarismis iam dictis, & collutionibus, & aridis medicamentis inspersis adstringentibus & exsiccantibus. Sic ego, cum sæpe catarrhis obnoxius sim, hoc malo frequenter etiam affligi soleo: vt istis diebus etiam columella non solum laxata existente, sed parum inflammata sine febre, hoc solo gargarismo iuuamen sensi. ℞. *aquar. plant.* ℔ j. *diamor. dianuc. ana* ʒ j. *misce* alioqui & hoc sequenti tum in me, tum aliis plurimis commode vsus sum: ℞. *aquæ plantag.* ℔ i ß. *gallas duas omphacitid. contrit. sem. cydon.* ʒ ß. *ebulliant, colent. adde dianuc.* ʒ iij. *pro garg.* Nuper cum & ptyalismo post morbum longum afficiebar, vua mihi valde elongata fuit: repressi autem puluere gallæ, boli armen. aluminis vsti ana partibus æqualibus. Ex leuissima causa hoc malo affici soleo: etiam in æstate, si auidius cerasa comederim, in gutturis inflammationem leuem, tum tonsillarum, ad vuulæ elongationem incido. Ideo recte dicebat *Matheus de Gradi*, quod cerasa multa comesa à proprietate angi nam inducunt: vtrum etiam ob aciditatem tonsillis noceant considerandum. Illud idem malum valde proprium est, & fratri meo Iohanni Foresto iuniori: ideo si aliquam leuem fluxionem in gutture sentiam, statim ad præcautionem lacte bubulo dulci cocto commode gargarizo: sæpe etiam in principio, cum adhuc leue malum sit, leui adstringente gargar. malum tollitur, alioqui si procedat, cum bolo armeno supprimo, vuulam eleuando, vel adicto alumine adusto, vel puluere aristolochiæ radicis, si nimis tussio; vel cum amaritudo offendit, cum pulu. cinnamomi: & egregie confert. Vidimus in ceruisiario Adriano Alewino (*de quo egimus libr. 1. Observation. 17.*) qui columellam adeo elongatam habebat instar lori, vt longiorem & tenuiorem numquam viderim: is tamen absque incisione per me curatus fuit.

3

4

Scholia.

COlumella autêm dicitur, quando longior facta est, ad instar columnæ. Fit autem longior ob eius extensionem, vel, *vt Practici loquuntur*, ob relaxationem. Relaxatur autem, quia multa frigiditate humida defluente à cerebro humectata est. Curatur, si pauca sit materia, & caput non admodum plenum recrementis, solo contactu piperis longi, quod quidem calfacit & exsiccat, & leuiter restringit. Reductum in tenuissimum puluerem, apponitur supra gladium, aut spatulam, aut intra paruum cochlear, vel aliud instrumentum argenteum, quale nos aptum habemus, & tangitur eius extremitas: qua bis aut ter contacta, pituitam exspuunt, & cito contrahitur, & breuior redditur. Vel vtere iis, de quibus diximus. Vide arida multa, quibus Apollon. & Gal. vtebantur, ex galla omphacitide, alumine scisso, ac sale ammoniaco, iisque tritis ac simul mistis expleto cochleari, aut staphyle parto instrumento ligulæ simili, vuam contingunt. Quod si plenitudo fuerit in capite, & multa pituita adhuc defluit, optimum est prius pilulis pituitam educentibus corpus euacuare. Quod si multus viscidus, & crassus humor sit, detergendus, incidendus, & iterum euacuandus est, & pars tangenda prædicto pipere, & gargarismo adstringente siccanda pars est, & adstringenda. Sufficit aliquando aqua cisternæ, dilutum acetum, vel vinum malorum granat. vel aquæ adstringentes. Si autem perseuerauerit in ea magnitudine, etiamsi sine inflammatione sit, summitas eius abscindenda est, vt breuior fiat. Nam si longior fuerit, quam pro sua natura, partem superiorem œsophagi tangit, & nauseam parit. Illis, qui hac laborant affectione, semper videtur adesse bolus aliqui in illa parte superiore œsophagi. Illis notis etiam sine inspectione, agnosci potest, an plus iusto elongata fuerit. Quamobrem vbi cunctis iam dictis auxiliis gurgulionis malum non cedat, si oblongior, tenuisque præter naturam, quam si in rotunditatem creuerit, eius summo acino vuæ simili existente, ne continuo irritetur tussis, vigiliam interim etiam strangulatus subsequatur (*vt inquit Paul. lib. 6. c. 31.*) is excidendus erit, modo, quo ipse præcipit *præcisato loco*, ac etiam *cap. 41. lib. 8.* Aëtius. Neque tamen festinandum erit ad eius excisionem (*vt dictum est prius*) Hip. auctoritate *libr. 3. Prog. & Gal. 14. meth. meden.* iis obseruatis; quæ tum ipse, tum etiam cum eo Galenus in eodem loco præcipiunt.

1

2

OBSERVATIO V.

De columella inflammata & male tractata in gangræna transeunte, & putredinem, & de alia ad nigredinem conuersa, & tertia in vlcerationem commutata.

NOstra ætate Paracelsicus quidam, etiam in medicum reipublicæ acceptus, cum quidam ex viris consularibus sæpius columellæ inflammatione afficeretur, cum subitanea ad vuulam fluxio fieret, statim venis sub lingua apertis, cum potius prius cephalica aperienda esset, gargarisma, nescio quod calidum & exurens, præscripsit atque adhibuit: eadem nocte factus est gurgulio subalbidus & exanguis, quasi gangræna affectus & corruptus, tandem facile decidisset, atque ita vox ægrotantis periisset. Chirurgum cum vocasset, atque is animaduerteret subitam factam fluxionem, & columellam valde rotundam, magnam vuam excedentem, valde albam & translucidam, pusin se quasi continentem, me vocari iussit, vtrum absque incisione curari posset. Cumque ad ægrum venissem, etiam secundo chirurgo accito, vt ibidem fieret incisio, concisum fuit: interim prius ægrum purgandum esse, consuluimus; Paracelsico ablegato, qui ægrum nullo modo purgauerat, & omnem materiam ad columnam suo gargarismo attraxerat: quare has pilulas prius dedimus: ℞. *pilul. cochiar. aurear. ana* ʒ ß. *cum syr. de betonic. fiant pil.* vij. quas cum deglutisset, sex sedes habuit, & vsi sumus hoc gargarismo: *ex Apollonij auctoritate, qui priuatim, vbi subalbidus & exsanguior est gurgulio gargarisat ex origani triti in aqua & aceto decocto, ac caricarum cremore misto, aut eius loco hyssopo:*) ℞. *origani, hyssopi ana* m. iiij. *caric. ping. num.* vj. *scabios.* m. j. *liq. ras.* ʒ ß. *fiat decoct. in aqua comm. pro* ℔ j. *oxymel. simpl.* ʒ iij. *misce pro gargarismate, fuit ter quaterue reiteratum.* Deinde ne tota vua corrupta decideret, tempore vuam incidendam esse, duximus, non plane abscindendam; quare chirurgus dextre columnam instrumento meo argenteo incumbentem, scalpello diuisit, cauendo, ne alias partes vicinas læderet; vnde pars illa corrupta diuisa decidebat, muccositate valde exigua exeunte putrida. Et chirurgus cum paulatim illam separaret, ægrotans gargarismum supradictum continuabat, & post gargarisationem chirurgus vuam ita incisam detergebat melle rosato cum penicillo, linimento inducto ac melle immerso: ita vt hic mirabiliter curatus fuerit tempestiue, alioqui columna corrupta decidisset tota, vel magis vlcerata plectrum vocis abstulisset. Quemadmodum & alteri, quæ ob inflammationem etiam perperam curatam, non solum rotunda euasit, sed etiam subnigra & liuida vuæ modo, ita vt scarificatione opus fuerit: & cum ex ea scarificatione melius non haberet, abscindenda erat, tum quia maior, tum quia corrupta. Ast in hoc ægro, cum statim chirurgos & me vocasset, facta est scarificatio & incisio, & perfecte fuit curatus. Alius vero cum hoc negligeret, columna suppurata ad vlcerationem deuenit. Vsi sumus iis remediis, quæ ad oris vlcera valent, tum aphthas, cum vlcus malignum non esset, neque exedens, facilius curatum fuit.

3

Scholia.

DIximus, quatuor ægritudines circa columellam fieri, & etiam circa vuulam: vel apostemate affligitur, teste Arculan. (*id alij inflammationem vocant:*) vel elongatur aut laxatur: vel vlceratur, siue in putredinem aut corrosionem conuertitur. Rondelet. *vt paulo ante diximus*, addebat & hic quintum affectum vuæ tabem seu attrophiam, quomodo a. inflammata curetur, etiam laxata propendens, iam diximus. In putredinem conuersa, liuida vel nigra facta, si restituti scarificatione non posset nec medicamentis aptis, abscindenda; sed cum cautione, *vt Paulus & Aëtius docent*, ne vox pereat. Si vlceratur, *vt Hollerius quoque docuit*, ad curationem vlcerum recurrendum, vt purgemus, incarnemus, cicatricem ducamus. Sed in materia, quæ hæc efficiat, esculenta, aut quæ nihil habeant virulentum eligenda; quanquam aliquando vbi ea vlcera serpunt & putrida sunt, calcantho & similibus metallicis vti licet. Sed ne deuorentur prouidendum, atque ea materia ex 2. *lib. Hollerij de materia chirugica* repetenda. Fiunt quoque frequentissime vlcera circa illam partem, & potissimum à morbo Gallico, quæ vt aphthæ curanda sunt, hoc est, *teste Rondeletio*, aquis illis adstringentibus & leuiter arrodentibus, ne serpant: vt aqua illa forti bene diluta, *de qua dictum est prius*, vel aqua, in qua decoctum est sublimatum. Deinde vniuersalem

4

Vlcera columellæ quomodo curentur.

5

Vlcera columellæ ex lue Gallica.

morbi Gallici curationem adhibere oportet, si post hæc non coalescant. *Quod & exemplum sequens ostendet.*

OBSERVATIO VI.

De vuula non solum exulcerata, sed fere corrosa, ex lue Gallica: & de alio, cui columna integra absumpta ex eadem lue erat.

GEnerosus quidam adolescens, consilij causa ad me deflectebat, & intus de gutturis dolore conquerebatur. Ore aperto, & speculo immisso vuulam exulceratione fœtida & serpente aliqua ex parte corrosam & absumptam vidimus; cui & dolor in scapulis maxime noctu aderat, vt referebat, & circa iuncturas: quæ symptomata non leuem suspicionem de morbo Gallico præbebant, illo tamen negante. Interea vt decocto guaiaci vteretur consului. Sed cum huic consilio auscultare nollet, ac temporaneum consilium peteret: pilulas indas & de fumo terræ præscripsi, & vt hoc linimento leuiter cum baculo particula panni linei, vel spongiæ alligata vlcera contingeret: ℞. *vng. Aegypt.* ʒ ß. *aluminis vsti* ℈ i ß. *mellis ros. colat.* ℥ i ß. *misce*: cautione adhibita, ne deglutiret, & vt hoc gargarismo ex decocto balaust. flor. ros. cortic. granat. in aqua solatri, plantag. caprifolij, pauco adiecto mel. ros. gargarizaret. Quibus postea, vt mihi retulit, bene se habuit. At vir ille Delphius, qui pannos obsoletos in foro vendebat, ad nos venit, cum de gutturis dolore interno affligebatur, cui neque vox, neque sermo concinnus erat: inspecto autem ore eoque aperto, columellam iam vlcere Gallico absumptam inuenimus. Atque ideo minus admirati sumus de voce ablata, neque de perpetua tussi, qua afficiebatur tabefactus.

SCHOLIA.

3 CAro illa pendula, quam columellam vocamus, in secundo ægro corrosa ex lue Gallica deciderat: quam quidem instituit natura, vt voci confirmandæ adesset, quasi plectrum quoddam (*vt antea dictum est*) seu modulatio: aut quod vox in eam impingens reuerberata sonora magis reddit. Hinc ea ablata (*teste Galeno*) noxæ in voce fiunt, vt obscurior reddatur & minus sonora. Quare & hic vir (*vt cæteri omnes morbo Gallico infecti, eiusmodi vlceribus columellæ, gutturis aut palati laborantes*) per nasum loquebatur: nam talem primarium vsum Gal. columellæ tribuit: & alterum, vt aëris frigidi impressionem validam tollat, ne scilicet confertim in pulmonem tendat: quod & huic viro euenit, ea ipsa per Gallicam luem prius corrosa, deinde putrefacta & ablata, fere quia tempori sibi ipsi non prospexerat de optimo medico, cum eiusmodi vlcerata ex lue Gallica infinitis tum mulieribus tum viris oborta 4 commode curauerimus. Verum huic, vt reliquis eiusmodi euenire solet, tusses & reliqua vitia iam dicta, quæ ex occursu frigidi vehementi obtingunt, etiam oborta sunt. Qui equidem eo tempore, cum ad me veniret, & antea commoda præsidia, & proprie morbo Gallico dicata contemneret & postponeret, tabe postea, (*vt mihi relatum est*) consumptus periit. Cæterum præter vitia omnia columellæ dicta, aliud adhuc à Rondel. recenseri diximus, nempe quod hæc pars contabescit, & veluti lorum efficitur aliquando: quæ affectio à nimia siccitate vel atrophia illius partis fit, quam & Rondel. incurabilem dicit. Memini tamen me sæpius vidisse in febribus acutis non solum columellam calore exsiccatam & corrugatam, verum & fauces ipsas, vt ægros loquentes non intelligeremus, quos humectantibus & refrigerantibus collutionibus hordei, eiusque cremore, aquæ viol. lactuc. & similib. adiecto syr. viol. curauimus, tum eos, qui gutturis asperitatem inflammationemque persentirent. Verum cum nunc columnæ vitia absoluerimus, ad tonsillas progrediamur, paristhmia & antiades, quæ plerumque ob vicinitatem vna cum columna affecta ægros fatigant.

Lib. 11. de vsu partium.

Columella cur abescat.

OBSERVATIO VII.

De glandularum iuxta linguam inflammatione.

OMnibus hominibus caruncularum quædam exiguæ naturales ex aduerso in oris termino vtrimque iacent, *Galeno teste* 3. *de causis sympt.* Has Græci παιδάς (*vt refert Aetius*) Latini *glandulas*: barbaram sectantes medicinam *amygdalas* appellant: quamuis non partes ipsas, verum cum ipsæ è defluxu, præsertim ex capite, tumore aut inflammatione afficiantur, παιδάς *præcitato loco* nuncupauit. Paulus autem per παιδάς tum *lib.* 6. *cap.* 30. cum *lib.* 3. *cap.* 26. scirrhosum tumorem paristhiorum intelligit. Si vero in contiguas has partes fluxio decumbat, seu inflammatio excitetur, παρίσθμια tum *præcitato loco*, tum *comm. aph.* 26. *lib.* 3. idem Galen. appellauit, dum asseruit παρίσθμια (*quæ Latini tonsillas vertunt*) inflammationes esse locorum ad isthmum attinentium: intelligit autem per isthmum partem illam, quæ os & guIam interiacet. Nominatur autem ita per metaphoram quandam ab his, qui propriæ dicuntur isthmi, qui anguSti quidam terræ transitus sunt, siti inter duo maria. Hæ autem inflammationes nonnunquam solius tunicæ sunt, ventri, gulæ, faucibus, totique ori communes: nonnunquam vero (*vt idem inquit Galen. præcitato loco*) & subiectorum ipsi musculorum: quamuis has partes & non eorum inflammationem, tum Paulus *libro* 3. *cap.* 26. tum Aëtius *lib.* 8. *cap.* 45. παρίσθμια vocant, & Latini *tonsillas vertunt*, Celsum forte putantes imitari, qui *lib.* 6. *c.* 10. postquam de dentium dolore caput exegisset, de tonsillis ac earum cura pertractat: At nunquid per tonsillas, id quod Græci παρίσθμια dicunt, partes quasdam intelligentes, subaudire velit, aut quas παιδάς nuncupant, siue vtrasque, ex eiusdem Celsi verbis haudquaquam percipi poterit, cum dixit: *Si vero tonsillæ sine exulceratione per inflammationem intumuerunt*, &c. Donatus vero cum Galeno, quicquid alij sentiant, per παιδάς, glandularum, quæ ex aduerso in oris termino vtrinque iacent, præter naturam tumorem seu inflammationem intelligi vult: per παρίσθμια vero, cum contiguæ his partes tale quippiam perpetiantur. Cui sententiæ etiam accedimus, quanquam vtriusque affectus eadem curatio sit & sub vno capite auctores de iisdem tractent, præcipue Donatus, ex mente Galeni, & Aëtij, ac Pauli, sua præsidia sumens. Ita & Rondeletius *method. sua med. cap.* 4. *de tonsillarum inflammatione*, de vtriusque malis agit: quam licet distinguat, vt Galenus, tamen eandem curationem vtrisque conferre scribit. Sic Regnerus custos portæ Alcmarianæ, in qua vincti detinebantur, cum leui inflammatione glandularum seu amygdalarum (*vt vocant*) afficeretur, neque febricitaret, vnico hoc gargarismo ab ea liberatus est:

℞. *aquæ plantag.* ℔ i ß. *flor. ros. rub. p. j. sem. cydon.* ʒ j. *bulliant vnica vbull. deinde colent. addendo diamori* ℥ ij. *dianucum* ʒ ß. *misce, & fiat gargarisma.* Alt alteri iuueni, cui & tonsillæ, seu paristhmia simul valde inflammata erant, cibum subtraximus, modicosque & forbiles ventri commodos obtulimus, & aquam hordei pro potu dedimus, cum febricitaret: & cum periculum suffocationis metueremus, priusquam adstringentia medicamenta adhiberemus, cum plurimo sanguine abundaret, venam mediam secare fecimus, prius clystere emolliente iniecto: & altero die etiam vena externa sanguinem detrahere iussimus, in minori tamen copia, quam in primo die talem sanguinis repetitionem in valde repletis & iuuenibus, Aëtius commendat. Statim etiam à sanguinis detractione gargarismo reprimente vsi sumus, ex decoct. ros. nucum cupress. plantag. equis. succo mali puni. adiecto, & dianuco. Sic me ipsum quoque in principio, cum non febricitarem, hoc gargarismo curaui: ℞. *plant. m. j. florum ros. rub. p. j. cortic.* ℥ ʒ iij. *gallas omphacitidas parum contusas num. iij. bellidis minoris m. j. nucum cupress.* ʒ ij. *coquantur in aqua communi* ℔ j. *cola. adde dianucum* ℥ iij. *misce. progargarismo.* At iuuenem post venæ sectionem etiam purgauimus hoc modo: ℞. *syr. ex infus. ros. palli.* ʒ j. *diacatholicon* ʒ vj. *aquæ cichor. betonic. ana* ℥ i ß. *misce*: postea gargarismo supradicto, ne inflammatio ex acribus & reprimentibus collutionib. exasperaretur, adiecimus *maluam, viol. & rad. alth. etiam ficus & glycyr. & vuas pass.* Deinde & *lacte tepido subinde gargarisabat.* Quibus & hic ab inflammatione sine suppuratione conualuit.

SCHOLIA.

6 APartibus autem ipsis affectis, & παιδάδες *id est*, glandulæ, & παρίσθμια nomenclaturam susceperunt, *teste Aëtio*, cum & glandularum tumores maiores aliquando apparent, citra quidem inflammationem, *vt postea etiam alio exemplo ostendemus*. Et nunc substantia earundem colorem seruant: vbi vero inflammatæ fuerint, rubicundæ apparent, ac dolorem inferunt. Si vero partes eis proximæ inflammentur, accidit ita affectis difficultas transglutiendi, dolor aliquando etiam, & febris, vt iuueni supradicto euenisse. Id quoque testatur Aëtius: velut etiam glandulis ipsis inflammatis, nedum transglutitionis, verum etiam & spirationis difficultas aderit: ex quibusmet indiciis, & earundem partium inflammatio percipi poterit. Quæ quisnam morbus sit, non semel diuntaxat in præcedentibus diximus, nec opus erit, eiusdem inflammationis causas iterum repetere, cum similes esse possint, cum his, quæ gurgulionis inflammationem efficiunt. Priuatim autem (*vt refert Aëtius* παρίσθμια in infantibus & adhuc lactantibus, ex haustu lactis: pueris proterea, quod multum cibo se explent: reliquis autem hominibus plerumque eueniunt à nimia meri potione, & à multa, ac auidiore deuoratione ciborum maxime acrium & asperorum. Frequentissime (*eodem Aëtio teste*) παρίσθμια, quæ tonsillas vocant, cum partes sint calidæ & humidæ, inflammationem incurrunt, qua etiam affectione magis arripiuntur hi, qui plurimo sanguine abundant. Sic iuuenis 27. annor. nomine Matthæus Iohannes, qui in insigni Corui habitabat Delphis, aliquando ter in anno, inuenis plurimi sanguinis hoc malo detinebatur: cui aliquando tonsillæ vel etiam amygdalæ non solum inflammatione corripiebantur, imo aliquando ad suppurationem deueniebant: sæpius ter quaterue in anno à me curatus per resolutionem: aliquando vero per suppurationem. Pueri quoque & infantes teneram habentes misturam etiam hac affectione capiuntur: id quod Hip. præsertim in pueris confirmauit *aph.* 26. *li.* 3. Interea glandulæ aliquando sine inflammatione intumescunt, *vt postea exemplo docebimus.*

OBSERVATIO VIII.

De tonsillis inflammatis & induratis.

ADriani Arnoldi prætoris Alcmariani filia, 18. agens annum, cui menses nunquam fluxerant, in tonsillas inflammatas induratasque incidit, quod sæpe virginibus accidere scribit Aëtius *lib.* 8. *cap.* 46. quibus maxime & tonsillæ aliquando vlcerantur, vt postea alio exemplo docebimus. Verum huic tonsillæ ad suppurationem, neque ad vlcerationem deuenerunt. Verum cum huic pene suffocatio impenderet, ac guttur præ nimio tumore præoccluderetur, post octo dies, cum hoc malo derineretur, & vsque in 8. diem vsa fuisset gargarismis valde repellentibus & infrigidantibus, ex aqua nucum, plantaginis, consilio tonsoris, neque sanguinis missione, neque purgationis præcedentibus, adeo malum increuit, vt & tonsillæ inflatæ, & supra modum duræ existentes, tum rubicundæ gulam præoccluderent: cumque suffocatio impenderet, nocte me vocarunt. Ego autem, sanguinem esse mittendum (*cum intellexissem, menstrua huic iuuenculæ nunquam fluxisse*) ex talo, proposui. Interea vt & hoc gargarismate etiam vteretur, quod tonsillas nimium ex præcedentibus gargarismis induratas & partim emolliret, resolueret, & inflammationem minueret. Tale autem erat: ℞. *rad. alth. mund. rad. lilior. alb. ana* ℥ ß. *folior. viol. maluæ ana m. j. scabios. bellidis minoris ana m. ß. ros. rub. p. j. auricul. sambuci* ʒ ij. *hordei mund. p. j. ficuum pinguium num. iij. sem. mal. fœnugr. ana* ℥ j. *medietatem vidi hirundinis optime incisi: fiat omnium decoctio in aqua communi, & in fine addendo sem. cydon. sem. lini ana* ℥ ß. *& in fine etiam addendo aquæ scabiosæ, caprifolij ana* ℥ j. *& tota decoctio fiat pro* ℔ ij. *colatur. addendo mellis ros. colati* (cum enim diu durauerat malum, mel. ros. adiecimus, quanquam illud neque mel in principio conueniat) ℥ iij. *diamori* ℥ j. Cum autem per totam noctem gargarisasset, mane cum redirem, durities mollior euaserat, ac melius spirare poterat, licet nondum quid deglutiret, nisi valde liquida cum maxima difficultate. Tunc etiam venam in talo, nempe saphenam incidere iussimus, sanguine ad vncias quatuor aut plures effluente: idque ad diuersionem & euacuationem. Sed cum malum non sedaretur, licet phlegmata melius per gargarisma supradictum, quam prius exirent, licet mollificantibus & resoluentibus opus esset, ne ex iis inflammatio augeretur, subinde quoque gargarisabat cum lacte tepido: cum ex acrioribus gargarismis inflammatio exasperetur, & mordacitas deinde accidat: ideo ex Aëtij decreto leuioribus gargarismis colluendi sunt: qualis est succus ptisanæ tepidus, aut lac etiam tepidum. Post meridiem vero, cum eodem in statu virginem inuenissem, ad euacuandam materiam coniunctam, mandaui quoque, vt venæ sub lingua mitteretur: è quibus nigerrimus sanguis & corruptus fluxit: verum tam copiose, vt venæ neque aceto cum aqua in ore retento occludi possent, neque ex panno lineo cõbusto sub venis retento-

quo præſidio ſæpè ſanguinem affluentem inhibuimus: tandem panno lineo triplicato & aceto roſ. inculcato ſub lingua detento ſanguis commode reſtrictus eſt. Et harum venarum inciſione haud exiguum iuuamen conſequuta eſt: tonſillis etiam ſubſidentibus, inflammatione maxima ex parte quoque ſedata: quamuis ſub noctem tonſillæ (*vt plerumque fieri ſolet, quod eo tempore ex fluxione magis infeſtentur*) rurſus nonnihil intumuere, aluo etiam tunc per glandem irritata. Mane autem ſequenti bis in die ex apozemat. ſubſequente ſumebat, cum iam melius potionem ſumere poſſet, quæ ſimul ad vteri purgationem faceret, & materiam tam per aluum, quam vrinam ſimul diuerteret & expurgaret: ℞. *cortic. rad. fœnic. petroſ. glycyrrh. raſæ ana* ʒ ß. *meliſſ. artemiſ. ſcabioſ. ſcolopend. malu. ana* m. j. *betonic. hyſſop. fumariæ ana* m. ß. *flor. cord.* p. i. *ſem. amiſi* ʒ ij. *maluæ* ʒ i ß. *vuar. paſſ. ab avill. repurg.* p. i. *ficuum ping. num.* iij. *folior. ſenæ à ſtipitib. repurg.* ʒ j. *fiat omnium decoctio in ſero lactis ad* ℔ j. *Zacch. pro ſæpe condiatur.* Deinde calore iam diminuto, gargariſmo magis emolliente & reſoluente vſi ſumus: ℞. *radic. maluæ* ʒ j. *lilior. albor. num.* v. *folior. malu. ſcabioſ. pariet. ana* m. j. *ficuum ping. nu.* v. *vuar. paſſ. ab avill. mund.* p. j. *coquantur in aquæ communi pro* ℔ ij ß. *colaturæ adde mell. roſ. colati* ʒ ij. *diamori* ʒ j. *miſce*: guttur exterius inunximus oleo amygd. dulc. lilior. ſimul mixtis. Quibus optime habuit, vt illam amplius non inuiſerem. Poſt 5. tamen dies optime valens, in animi deliquium incidit, credo ex vteri ſuffocatione: ideo frictionibus vinculiſque iniectis cruribus & coxis, ad ſe rediit. Deinde pedibus quoque lotis *cum decoct. flor. chamomill. meliloti, artemiſiæ, majoranæ, verbenæ, matricariæ*, bene deinde ſe habuit, ita vt *tabellis deuoratis ex zedoria, agni caſti ſem. cinnamom. & ſpeciebus aromat. roſ. fine moſco, & diarod. abh.* ſana euaſerit, & Hagham-Comitis acceſſerit. Verum diutius ibi manens, reuerſa rurſus in gutture conqueſta eſt, ore aperto & inſpecto, cum leuis inflammatio ex catarrho ſalſo in tonſillis apparet, modo lacte tepido, modo hoc gargariſmo vtens, & aluo leniente medicamento inanita, & cucurbitulis ſcapuliseum ſcarificatione affixis, intra tres dies denuo ſanitati reſtituta eſt. Talis erat gargariſmus: ℞. *plant. vtriuſque, portulac. flor. roſ. ſub. bellid. min. viol. ana* m. j. *hord. comm.* p. j. *gallam vnam contrit. ſem. coton.* ʒ j. *bulliant in aqua comm. ad* ℔ i ß. *diamuc.* ʒ iij. *fiat gargariſma.*

5

Scholia.

6 *Lib. 8. cap. 46.* AEtius ex auctoritate Archigenis, Multæ, inquit, virgines circa vigoris ætatem mẽſium purgationem appetentes, hac affectione apprehenduntur, (*nempe, quod tonſillæ frequenter iiſdem vlcerantur, & in malignas tonſillarum vlcerationes dilabantur:*) quæ præcipue venæ ſectione opus habent. Incidendæ autem ſunt in eis tali venæ, & vnica ſanguinis detractione facta euacuandæ, non autem vſque ad animi defectionem: quanquam hæc in vlceribus tonſillarum, quę virginib. eueniunt, commendantur. Eadem quoque venæ ſectio commoda eſt in virginibus, ſi inflammationes ac tumores tonſillis obueniant, & eandem cauſam habeant, ex qua tonſillæ vlcerentur: quemadmodum domicellæ nobili iuuenculæ in Campo regio euenit, cui menſes quoque nunquam fluxerant: etiam & hæc inflammatione tonſillarum correpta fuit: verum cum neque hæc huic malo tempori conſuleret, & nunc quaſi ſuffocatio immineret, atque tonſillas inſpexi, valde tumidas & ſubrubei coloris eſſe animaduerti, quod ad ſuppurationem tenderent. Si in. inflammatio ab initio reprimentibus, deinde & reprimentibus & diſcutientibus, poſtea in declinatione magis diſcutientibus & reſoluentibus non curetur, permanente ac immorante inflammatione, diutius & tonſillæ ipſæ ſubrubei coloris fuerint, vt in hac domicella virgine religioſa ſpectabantur, permutationem in pus exſpectare oportet: cito enim tonſillæ abſcedunt, non ſolum in talibus, verum in aliis quam plurimis, vt quotidiana experientia in praxi obſeruauimus: *quod & Aet. quoque teſtatur.* Idque facile cognoſcimus ex quibuſdam ſignis, quæ & Aëtius ex Philumeno medico antiquiſſimo ſumpſit: quæ & niam inflammationis ſigna augeſcunt, & exacerbationes ad aſperam fiunt fortiores, cum horrore & inæqualitate, aliquando etiam cum febre: quare hoc tempore coadiuuare oportet, vt quam citiſſime ſuppuratio fiat. Ideo in hac domicella ex gargariſatu decocti ficuum pinguium, vuar. paſſ. enucle. viol. & maluæ, & cataplaſmate maturante exterius adhibito, abſceſſus ruptus eſt: eoque obſterſo cum hydromelite, deinde adiecto decocto ex roſ. rubeis & plant. vlcus conſolidatum eſt, & breui admodum conualuit. Ad citiſſimam ſuppurationem Aëtius calidiores gargariſmos, velut ex aqua mulſa calida, adhibet, & decoctum caricarum ac hyſſo. cum radice dulci. Extrinſecus vero cataplaſma imponatur, ex eiuſdem Aëtij ſententia. ex hord. farina. & fœnugræ. cum decocto caricarum, & althææ, ac melle, aut vapor aquæ calidæ intrinſecus: ſed aliquando diutius admouendus erit, donec ea ſuppurentur, & per ſe aperiantur, *vt Celſo viſum eſt.* Confecto autem pure dolores imminuuntur, & inflammationis tumor mollior redditus, digito cedit. Quare tunc (*vt Aëtius quoque præcipit*) acriores colluciones exhibendæ ſunt, vt abſceſſus rumpantur: cuius generis ſunt, pulegium, hyſſop. thymum, calamint. thymbra in ſapa, aut aqua mulſa decocta & gargarizata. Si vero pure ſubſtante non rumpuntur, hi tumores ex Celſi decreto incidendi ſunt. (Nos aliquando per chirurgum commode ſcalpello aperiri fecimus, vbi tumor ſuffocationis imminebat) deinde ex mulſo calido ad gargariſandum per ſe: poſtea etiam admiſto lenticulæ vel roſarum decocto: atque id faciendum, donec in totum ſoluantur, ac penitus ad cicatricem perducantur, *ex Aëtij & Pauli mente.* Modico autem tumore exiſtente, ac exulceratione, furfurum cremori ad gargariſandum paulum mellis adiiciendum eſt, & vbi plurima vlcera ſint, eodem furfurum cremore, vel lacte gargariſandum eſt, Celſi decreto. Modus autem ſectionis, ſi non per ſe aperiantur, ac ſituationis ægri, tum ante, tum poſt diſſectionem, ac parato opere, quæ conducant auxilia: ab Aëtio (quæ & à Leonida medico antiquiſſimo accepit) *cap. 45. & cap. 48. lib. 8. & à Paulo cap. 30. lib. 6.* deſcribuntur: quem locum vnuſquiſque legere poterit. Refert Dodonæus *cap. 26. de inflammatione vtriuſque tonſillæ in filiola quædam duorum annorum:* in qua idonea remedia propter ætatem non admitterentur, natura viam ſibi ad ſalutem quærens, morbum ad exteriora conuertit. Nati ſunt itaque vtrinque in collo infra aures ſinguli tumores: quibus ſcalpello apertis, pus effluxit: itaque ab abſceſſu tonſillarum liberata, ſanitati reſtituta eſt. Facit huc aph. 37. ſect. 6. Ab angina habito, ſi tumor fiat in collo, bonum. Tonſillarum ſiquidem

ſiquidem inflammatio anginæ quædam etiam eſt ſpecies, quamuis non vera angina.

OBSERVATIO IX.

De vtriſque glandulis, quas Græci ἀδήνας vocant, longo tempore induratis.

VIdimus filium Franciſci Duiiſtij viri conſularis, cum annum 13. ageret, quod per integrum annum glandulas (*vulgus amygdalas vocat*) intus induratas adeoque tumidas haberet, vt loquelam impedirent, & per naſum loqueretur, erantque vix inflammatæ: imo citra inflammationem valdæ duræ & inflatæ. Ad hunc accitus: cum catarrho quoque ex fluxione pituitæ etiam laborare videretur, hoc leniens medicamentum & nonnihil purgans præſcripſi: ℞. *ſyr. ex infuſ. roſ. pallidarum cum foliis ſen.* (in vnaquaque vncia ʒ j. ſenæ infundebantur, dum infuſio parabatur ʒ i ß. *diaphœnici* ʒ i ß. *aquæ betonicæ ſaluiæ ana* ʒ j. *miſce*, ac ea potio aluum quinquies depoſuit: mox & hoc gargariſmo vtebatur: ℞. *foliorum viol. ſcabioſæ, hordei mundat. ana* m. j. *flor. roſ. rub.* p. j. *ſem. cydon.* ʒ i ß. *rad. althææ* ʒ ij. *fiat decoct. in aqua communi pro* ℔ j. *colaturæ adde mel. roſ. colat. diamori ana* ʒ j. *ſyrup. gran.* ʒ ß. *miſce pro gargariſmate* Inflammatio, quæ leuis erat, facile ſedabatur: ſed duritie atque tumore æque permanente, vt magis emolliret, poſtea garr. adiecimus ficus nu. v. & exterius inunximus ole. amyg. dul. chamæmil. lilior. lana ſuccida admota. Cum glandulæ æque duræ permanerent, exterius appoſuimus emplaſtrum de muccil. Et ne fieret maior fluxio, apozema ſequens præſcripſimus: ℞. *corticum rad. cichor. demis leonis, fœnicul. ana* ʒ ß. *rad. althææ mund.* ʒ. iij. *flor. cord.* p. j. *capill. Ven. polypr. ſcabioſ. betonicæ ana* m. j. *ſem. amiſi* ʒ iij. *ſem. maluæ* ʒ j. *foliorum ſenæ* ʒ j. *polyd. querc.* ʒ. vj. *ſem. carthami contuſi* ʒ ß. *vuar. paſſ. enucleat.* ʒ j. *ficuum ping. num.* iij. *iuiubar. ſebeſten. recent. ana num.* v. *prun. damaſc. num.* xiij. *fiat decoctio in aqua communi pro.* ʒ ix. *colat. adde ſyr. ex infuſ. roſ. pallid.* ʒ iij. *miſce pro.* iij. *doſibus matutinis.* Sperabam autem, quod molleſcerent, & ad maturationem tenderent: ſed poſtea parum ſubſidebant, tanquam reſoluerentur, licet æque duræ permanerent. Gargar. vltimo præſcriptum reiteratum eſt: & hoc cataplaſma appoſitum: ℞. *rad. althææ mund.* ʒ ij. *rad. liliorum albor. num.* v. *ficuum ping. num.* vij. *meliloti* p. j. *coquantur in aqua communi ad mollitudinem, piſtentur, adde farinæ ſem. lini* ʒ j. *olei amyg. dulc. butyri recentis ana q. ſ. fiat cataplaſma molle.* Non peruenit ad ſuppurationem: videbatur potius minui atque reſolui. Quanquam durioresmanebant: ideo cataplaſmate adhuc appoſito, minorabantur quidem & minus duræ erant, vt nunc melius deglutire poſſet: tamen ad perfectam mollitiem & ſubſidentiam non peruenerunt: quare ab vlteriore curatione etiam mater tunc abſtinuit, puerumque rurſus ad ſcholam dimiſit.

5 *Glandulæ facile in ſcirrhum mutantur.*

6

Scholia.

ANtiades licet ſint inflammationes glandularum, quæ ſunt poſt linguam in eius radice: tamen citra inflammationem aliquando inflantur: vt huic puero euenit, & defluxione pituitæ intumeſcunt, ita vt cibi tranſgulationem impediant. Ruſtici in Gallia (*vt refert Rondeletius*) vocant *ſtrouix*: quia curant longa frictione facta in carpo, exiſtimantes tumores quoſdam factos, & apertos frictione illa dura in carpo prædictum affectum tollere: *prodeſt autem*, inquit ille, *re vera ob diuerſionem.* Nos curamus, *vt idem refert*, vacuando pituitam, & humiditates capitis. Sunt enim poſitæ non longe à foraminibus, quibus pituita mota palatum expurgatur. Poſt euacuationem illam vniuerſalem factam *pilulis pituitam educentibus, deriuatio per errhina* multum confert. Si non ſit copioſa materia, etiam *leuia maſticatoria* putat conferre *ex zinzib. cubebis cum ficubus.* Interea conferunt gargari. leuiter adſtringentia & aliquantulum detergentia, vt de angina dicetur. inunctiones in principio in parte externa ex reſiccantibus: in declinatione, cum conſiſtit defluxio, digerentia cum aliquibus emollientibus, cum glandulæ iſtæ facile indurentur & in ſcirrhum degenerent, quod in puero iſto metuebam, qui morbus nunquam aut raro curatur in his. Sunt autem illa medicamenta apponenda in lateribus arteriæ, ſub maxilla inferiore. Et quia hoc videtur pugnare cum conſuetudine, Rondeletius rationem ſubiungit ex Dioſc. loco, qui ait nucibus cupreſſi ſtrumas curari poſſe. Hæc videntur pugnare cum practicis, qui omnes vtuntur aſtringentibus in parte interna, & relaxantibus in externa. Sed quia partes laxæ ſunt cum defluit materia, non ſunt laxandæ; ſed cum conſiſtit defluxio, vt materia ad extra trahatur. Quare in omnibus illis affectibus eſſet vtiliſſimum in principio, ſi medicus vocaretur, aut illas futuras defluxiones præcognoſceret; medicamenta vtcumque reſiccantia, cum leni quadam aſtrictione intus & extra ponere. *Quod in me ipſo* (inquit Rondeletius) *expertus ſum, & anginam & defluxiones ad fauces prohibui, & multos à ſcrophulis incipientibus vindicaui, nucibus illis cupreſſi ſupra partem appoſitis.* Poteſt fieri tale cataplaſma: ℞. *nidi hirund.* ʒ iij. *pulu. nucum cupreſſi* ʒ j. *olei roſ.* ʒ i ß. *excipiantur oxymelite, fiat ad formam cataplaſmatis*; applicetur in lateribus colli. Hoc medicamentum leuiter aſtringit partes laxas, pituitamque; illam tenuem iam defluxam exſiccat. Si induratæ fuerint glandulæ illæ internæ, curandæ ſunt vt ſcrophulæ: nam ſcrophulæ adenæ ſunt induratæ.

OBSERVATIO X.

De vlceribus malignis tonſillarum.

PEtri Gualtheri cereuiſiarij Delfenſis vxor, Sophia nomine, mulier Dordracena, anno 1558. cum per multos annos vlcera tonſillarum ſerpentia habuiſſet ex acri & ſalſa fluxione, & cum nullis remediis curari poſſet; tandem cum frequenter vlcera linimento attingerentur quod ex cinere centaurii minoris conſtaret & ſtercore canino pulueriſato & melle ad craſſamentum vt melius adhæreret, magno cum noſtro honore per me curata fuit ab vlceribus ſerpentibus.

Scholia.

EO tempore in mentem mihi venit hiſtoria Galeni de ſtercore canino, quæ ita habet. *Diſſeram* (inquit) *nunc de ſtercore canino, quo vti aſſidue conſueuit præceptorum noſtrorum quidam, ſola oſſa canis edenda exhibens duobus continuo diebus: ex quibus durum, candidum ac minime fœtens ſtercus proueniebat.* Hoc igitur acceptum deſiccabat, vt cum poſtea vſus poſtularet, facilè ad læuorem poſſet redigi. Vtebatur eo ad anginam, dyſenteriam & ſumme inueterata vlcera: ad anginam quidem, iis admiſcens,

2 *Lib. 10. ſimpl. ca. 10.* *De ſtercore canino.*

miſcens, quæ alioqui huic affecto congruebant: ad dyſcteria lacti illi immiſcens, cui decocto calculos vocatos καχλήκας ignitos iniici ante poſuimus; aut, vt ego poſtea ob parabilitatem, ad ferrum confugi, id candens lacti probe iniiciens. Cæterum medicus ille ſtercus caninum lacti, in quo extincti erant calculi marini, clam iniiciebat: & id ſolum generoſiſſimos quoſque diſcipulos docebat. In his ergo duobus multum expertus ſum ſtercus caninum ceu medicamentum mirabile, ſicut & in vlceribus extreme malignis. De ſtercore autem humano valente ad gutturis phlegmonem, in qua timetur gutturis ſuffocatio, vide eundem loco præcitato. Sic nobilem quendam & generoſum virum habuimos, qui cum diuturna inflammatione gutturis laborasſet, neque vllis remediis à medicis etiam doctiſſimis curari poſſet, ecligma confecimus ex ſtercore canino (*pharmacopœi noſtri Album Græcum appellant*) ſacchato penidio & ſyrupo viol. & diamoro, puluere ireos ad ℈ ß. iniecto, ad ſtercoris odorem refrenandum: quo quidem remedio cum vſus eſſet, conualuit. Cæterum poſt abſceſſum tonſillarum aliquando ſequitur vlcus ſordidum modo malignum, quo & graueolens fit expiratio in tonſillis: modo oritur citra phlegmonem ex humore ſalſo & acri, qui molles, humidas, calidaſque tonſillas prorſus exedit: nonnunquam ex contagionis labe incipienti lui venereæ familiare eſt: vt nos quam ſæpiſſime obſeruauimus, & innumeros ſæpe curauimus, vt de morbo Gallico dicemus. Iam quoque in prædictis partibus cruſtoſa, peſtilentia ac ſerpentia vlcera oboriuntur, ſiue ex præcedente influxu, ſiue ex quauis alia cauſa, nulla fluxione præcedente, modo à conſuetis inflammationibus ſuppuratis & maxime efferatis perficiuntur. Frequentiſſime quoque in pueris; aphthis præcedentibus etiam in ætate iam perfectis & his qui vtioſis humorib. abundant: qualia quoque illa ſunt vlcera quæ vere contingere ſolent peſtilentibus conſtitutionibus. Succedit ægris difficultas tranſglutiendi, & ſuffocatio coaceruatim incidit; maxime cum rubor ſubeat mentum; aut vbi hæc acrimonia præterierit, nome quæ depaſcitur, locos excipit, ſucceditque vna putrefactio. Virginibus quoque (*vt diximus*) circa vigoris ætatem menſium purgationem appetentibus euenit. Curantur totius corporis curatione præmiſſa ac reliquis diuerſionibus. Paulus adhibet diamorũ roſis inſperſis, vel thus ſiccum vel decoctum vel ſiccum mali punici cum cortice tuſum & expreſſum. *Reliqua vide apud Aetium.* Summatim tonſillarum & columellæ vlcera eodem modo curantur, quo & aphtæ: in quibus & hoc obſeruandum, quod cum omnia vlcera interna oris ſerpentia ſint, idque ob partis mollitiem & laxitatem (*quod non accidit partibus externis*) vehementibus exſiccantibus & adſtringentibus gaudent, quam externa vlcera; tum ne amplius ſerpant, tum quia ſemper à ſaliua (*vt dictum eſt*) fiunt humidiora; vnde & medicamentorum vis refringitur. Interea conandum in vniuerſum ne digitum quidem locis admoueamus, aut leui ſaltem tactu manum admoliamur, ſic magis irritantur ſi & cruſta amoueatur; ſed pinnula illinenda ſtomaticis dictis; quorum copiam apud Aëtium, Paulum, Galenum inuenies. Cruſtas egregie tollit (*Aetio teſte*) caninum recrementum melle illinitum, & vſtarum hirundinum cinis, & centaureæ minoris vſtę cinis: quibus noſtram mulierem à ſerpentibus & cruſtoſis vlceribus curauimus: fel crocodili tritum inſperſum vel cum melle illinitum; etiam lac gargariſatum, ne longius ſerpat. Cruſtis ſolutis anthera remedia ſeu florida adhibenda. De his vide Aëtium & Benedictum Veronenſem, qui & refert excrementorum hominis cinerem mederi tonſillis; Pantherarum exemplo, quæ cum aconito deuorato ſtrangulantur, excrementis humanis liberari traduntur. Hirundinũ cinis cum melle egregie valet, & emplaſtrum ex nidis hirundinum, quo nos ſæpiſſime feliciſſimeque vſi ſumus.

4 *Cauſa vlcerum tonſillarum.*

Aetius libr. 8. ca. 46. De cruſtoſis & peſtilentibus tonſillarum vlceribus.

5 *Curatio.*

6

OBSERVATIO XI.

De puella nubili ſæpe inflammatione tonſillarum, columellæ ac earundem vlceratione correpta, quæ & anginam periculoſiſſimam incurrebat.

PVella nubilis annos viginti tres nata, cui menſtruæ euacuationes nunquam apparuerant, frequentiſſime inflammationem tonſillarum & columellæ ac eatundem vlcetationem incurrebat. Tandem vero & anginam paſſa adeo vehementem, vt ſuffocari videretur. Ad quam vocati anno 1561. menſe Auguſto, columellam non ſolum quoque inflammatam, verum etiam vlceratam inuenimus, vt de eadem præcidenda cum chirurgo conſilium iniretur. Tonſillæ adeo cum vlceratione excreuerant, vt de ſubitanea ſuffocatione metus eſſet. Puella (*vt fieri aſſolet*) conſilium medicaſtræ ſequuta, gargariſmo ex ſaluiæ decocto cum lacte ad quatuor dies adhibito. Cum eandem ſuffocationi vicinam inueniremus, ſpiritum ægre trahentem, de vena malleoli incidenda deliberauimus, vt menſes ſimul euocarentur: ſed quia iam quartus dies eſſet, & ex angina ſuffocatio immineret, à loco magis proximo, nempe cephalicam venam in brachio incidere iuſſimus, cum aluum exacuta glande prius depoſuiſſet, ſanguine ad vncias quinque extracto, idque ſub multam noctem. Mane in diluculo redeuntes, cum paulo melius ſpirare poſſet, vtraſque tamen venas ſub lingua aperire iuſſimus: adhibitis quoque gargariſmis moderate repellentibus & quibus vis quoque diſcutiendi inerat, cum in principio vocati non eſſemus, ex roſ. malua, ſem. cydonior. ficus poſtea adiicientes. ſed quia ex ficubus columella laxior fieret, à ficubus abſtinuimus, vua relaxata bolo arm. eleuata. Sed quia columella poſtea videbatur vlcerata, lacte cui roſ. & folia plantag. incocta erant, gargariſato, chirurgus rhodomelite cum ſtercore canino tonſillas vlceratas penicillo attingebat panno lineo circumuoluto. Extrinſecus cataplaſma appoſitum fuit ex hordei farina, & fœnugræci polline, foliiſque maluæ & chamæmillæ prius coctis & adiunctis. Cæterum cum his remediis adhuc parum proficeremus, febriſque increſceret, aluo tamen per ſe ſatis fluxa, & ipſa ægra intra ſeptem dies parum edulij ſumente, cum tamen vires adhuc ſatis valerent, ſaphenam incidere iuſſimus vſque ad vncias fere ſex. qua ſectione non ſolum à febre liberata eſt, ſed & vlcera tonſillarum ſolo gargariſmo & lacte cum melle adiuncto, recte curata ſunt.

SCHOLIA.

TAntũ hic profuit ſanguinis miſſio ex talo, vt reliquis medicamentis non ſatis iuuantibus, à ſtrangulatione imminente & tonſillis vlceratis curata fuerit, quibus virgines ex Aëtio

Aëtio diximus obnoxias eſſe ante tempus menſium, vel eo tempore cum erumpere debeant. In fine nos commode lacte & melle pro gargariſmo vſi ſumus, cum & Aëtius cohibito iam vlcere paſcente, lacte ſamia terra permixto gargariſare iubet. Oportet autem in vlceribus repurgandis explanandiſque valde ſollicitum eſſe, non tantum in adultis, ſed etiam in infantibus, qui aliquando ſunt paſſi conuulſionem in vlcerum repurgatione: aliqui via tranſglutiendi exſiccati, ſunt ſtrangulati. Aëtius puellam nouit poſt quadrageſimum diem conſumptam eſſe, quum ſe iam à morbo recolligeret. Aliqui vſque ad ſeptimum diem plurimi periclitantur. At noſtro tempore ex lue Gallica hæc vlcera multo maligniora euadunt, de quibus ſuo loco.

OBSERVATIO XII.

De ingenti gutturis apoſtemate interno.

VIr qui ſportas conficiebat Alcmariæ, annos 36. complens, hyeme cum fluxionem ad guttur experiretur, non magni faciens, intus apoſtema ad magnitudinem oui auctum circa fauces & epiglottida obortum, vt ne minimum quid tranſglutire poſſet; & ceruiſiam ſi biberet, rurſus elatam in palatum per nares fundebat. Octauo autem die à mali initio cum glande acuta aluum exoneraſſet, cephalica vena ſecta in cubito: deinde poſt quatuor horas etiam ex venis linguæ, cataplaſma ſequens exterius appoſitum eſt: etiam gargariſmo ſequenti vtens; die ſubſequenti mane ruptum eſt apoſtema, ingenti copia ſaniei effluente: ℞ *florum meliloti, folior. maluæ, viol. ana* m. j. *flor. chamæmill.* p. j. *rad. althææ mund.* ℥ ij ß. *nidum vnum hirund. cum plumis inciſum. in aqua omnia coquantur, ad mollitudinem piſtentur, adde farinæ hordei, fœnugræci ana* ℥ ß. *olei amygd. dulc. butyri recentis, olei liliorum, chamæmelini ana q. ſ. fiat cataplaſma.* loco affecto exterius apponatur. Gargariſma vero tale erat: ℞. *rad. althææ* ℥ j. *folior. viol. malvæ, plantag. ana* m. j. *florum meliloti m.* ß. *flor. roſ. rubr.* p. j. *ſeminis lini, fœnugræc. althææ, maluæ ana* ℥ j. ß. *ſeminis cydon.* ʒ. j. *nidum hirundinis cum plumis inciſum, ficuum pinguium numer.* iij. *uuar. paſſul. ab arill. mund.* p. j. *hordei mundati* m. j. *fiat decoct. in aquæ communi pro libr.* ij. ß. *exprimantur & colo excipiantur, addendo mellis roſ. colati* ℥ iij. *diamori* ℥ j ß. *miſce pro garg.* interea continuo capiebat follicula caſſiæ recentis, ſupra linguam ponendo ac ſugendo, donec medulla liqueſcens paulatim ſine deglutitione in gulam deſcenderet: hoc enim modo habebam & maturationem & lenitionem, ſuauemque reſolutionem & doloris ſedationem; & erat quaſi nutrimentum loco cibi & potus, cum neque bibere aut deglutire æger aliud poſſet: his apoſtemate rupto, & ſanie copioſe effluxa, pro vlceribus abſterſione aqua mellis gargariſata; deinde pro mitigatione, lacte tepido; vltimo vero ad conglutinationem cum decocto plantaginis maioris & arnogloſſæ, conſolidæ minoris, intra tres dies cum noſtro honore, nutu Dei, probe conualuit.

3

SCHOLIA.

ILlud apoſtema procul dubio ad anginam pertinebat. Nam à dictis iam partibus alterum morbi genus, ſi quod aliud, quoque vitium acutiſſimum exiſtit; *vt Trallianus refert lib. 4. cap. 1.* peſtiferum atque acutum, vt Celſus inquit, vt

pote ab Hippoc. κυνάγχη appellatur, *vt 3. Progn. liquet*: quanquam idem affectus 4. De ratione victus ſiue Hippo. ſit ſiue alterius auctoris, συναγχὴς nominetur ἀπὸ κυνάγχειν ἢ συνάγχειν, hoc eſt, à ſuffocando dicta: à Latinis Angina. Vulgus vero perperam ſquinantiam vocant. Anginam vero à Latinis quidam vocari volunt, vt Leonellus, quod angat fauces. At Iacchinus taxat fere omnes ſcriptores de Angina ſcribentes, cum nuſquam aljas de aliquo morbi genere tanta confuſione loquuti ſint, tum in aſſignandis ſpeciebus, tum in monſtranda ſede affecta: dum alii quatuor, alii tres ſpecies faciunt: è quibus vt iuniores, extrinſecos muſculos gulæ citant, & alias partes, quas profecto nunquam ſunt conſpicati. Hic etiam de nominibus digladiantur, vnicuique ſua nomina imponentes, quæ vana quidem eſſe vult, & nihil ad naturam rei noſcendam aut ad curationem facere. Is ex Hippoc. 3. Progn. Anginam proprie dictam eſſe vult, nempe partes intra fauces exiſtentes quæ inflammari poſſent, & anginam parere: ac primum ſunt muſculi gutturis interni, & externi (quibus cartilagines mouentur dilatatæ & aſtrictæ) à diſſectoribus numeroſi poſiti, & qui ad linguæ radicem ad os ὑοειδὲς mouendum perueniunt: quibus & videtur annumerare & glandium genera & pariſthmia, & quæ in capite arteriæ ad laryngem ſunt, & ad fauces pertinent, quæ ſub inferiore maxilla vſque ad aurem perueniunt, & ſpacia ea replent. Quæuis itaque ex iis partibus inflammata anginam facit: quamuis in ſæuitia & periculo multa ſit differentia, prout magis aut minus ſpiritum occludit: quod ſane accidit prout larynga, per quam primum ſpiritus fertur, magis aut minus affligit: porro ratio dictat, maxime affligere eam, vbi interni muſculi ſunt inflammati: propterea quod primum tumore per ſe viam ſpiritus occludunt; de hinc ad interna cartilagines conuelluntur, vnde aperire nequeunt, ſed claudunt: poſt hanc vbi externi muſculi, & glandulæ circa laryngem ortæ inflammantur; nam hæc quoque ſpiritus anguſtiam facere poſſunt: ideo aſpera arteria inflammata, ſtrangulatio ſequitur, *inquit Galenus*, ob tunicæ tenuitatem. At circa guttur tum tunica, tum muſculi ſunt, qui vna inflammantur. Tertio loco vbi circa ſeparatas à larynga partes ſit phlegmone, vt in glandulis aliis, & muſculis ad linguæ radicem poſitis. Hanc diſtinctionem optime vidit Hippoc. Itaque tertio Prognoſt. primo ponit eam, in qua nihil tumoris, vel ruboris in faucibus, aut circa iugulum apparet; & eſt Iacchino quoque prima. Secunda huic proxima (*hoc autem facit per notas non propria morbi definitione*) cum rubor apparet in faucibus & tumor. Hic vero ſecundam deſcribit, in qua externi muſculi & glandes inflammantur: mox tertiam, in qua etiam tumor ad externa tendit, vbi antiades, aut aliæ glandes, quæ ſub auribus & mento communicant, inflammantur. Aliter vero Donatus ab Alto mari diſtinguit, cum quatuor anginæ ſpecies à Paulo conſtitui ſcribit, quibus & quintam recentiores addiderunt. Sed his præhabitis nunc exemplum anginæ aliud adferamus.

4

5

OBSERVATIO XIII.

De Angina admodum periculoſa.

ANgina admodum grauiſſima laborabat Adrianus Cornelius, filii Cornelii Laurentii Theſſalienſis apud Alcmarianos, iuuenis viginti

ginti duos annos natus, adeo vt nec cibum nec potum deglutire posset. Hic spiritum difficillime trahebat, fauces internæ tumorem habebant, calorem, ac ruborem doloremque, qui & ceruicem occupabant: sumpta vero pocula per nares resiliebant, dolore quoque acutissimo accedente. Huic autem cum per os medicamenta exhiberi non possent, neque glande acuta aluus irritari, ad eum accitus, illico enema sequens iniicere iubeo: ℞. *folior. viol. maluæ cum toto, mercurialis, brancæ vrsinæ vna cum rad. ana* m. j. *florum chamæmill.* p. j. *rad. althææ* ℥ j. *semin. anisi, sem. lini, sem. 4. frig. maior. ana* ℥ j. *prun. damasc. num.* xv. *vuar. passul. ab arill. mund.* p. j. *decoquantur in iure pulli vel vetulæ, cum aluus durior esset, ad magis emolliendum fæces, q. s. & huius col. accipe libr.* j. *addendo cassiæ mundatæ pro clysteribus* ℥ j. *diacatholici, benedictæ laxat. ana* ʒ iij. *olei amygd. dulc. viol. lini ana* ℥ j. *salis communis* ʒ j ß. *misce:* bis inde aluus soluta est, atque illico fæcibus eductis vena cephalica secta fuit in brachio loco affecto magis respondente. Post duas horas etiam venæ sub lingua incisæ. Hic enim festinandum est: nam & veteres in angina periculosa & sanguinem mittebant & medicamenta vno die exhibebant. *Ego sane* (inquit Trallianus) *noui, me, cum vsus valde vrgeret, venam mane aperuisse: diluculo linguæ subiectas secuisse: & vesperi ex cremore pisanæ lachrymã scammoneæ exhibuisse: atque ita laqueum ex inflammatione ortum vix potui dissoluere. Iam alium quendam noui me, postquam duorum brachiorum in cubito venas secuissem, repurgasse, sequenti die non expectato.* Hæc habes apud Trallianum *lib.* 4. *cap.* 1. Eadem quoque peracta sunt in angina illa populari anni 1517. de qua mentionem fecimus *libr.* 6. *nostrarum. Obseruat. De febr. scholio Obseru.* 2. A missione sanguinis hoc gargar. vtebatur. ℞. *aquar. solatri, plantag. viol. end. ana libr.* ß. *aquæ equiseti* ℥ j. *diamori* ℥ ij. *mellis ros. colati* ℥ j. *misce.* Exterius hoc cataplasmate admoto: ℞ *farinæ fænugr.* ℥ ß. *farinæ hordei, farinæ seminis lini ana* ʒ ij. *muccag. seminis althææ extractæ cum aqua maluæ, & muccaginis, seminis lini. ana* ℥ ß. *olei amygdal. dulc. chamæmill. ana* ℥ j. *olei ros.* ℥ ß. *butyr. recentis* ℥ ß. *croci pul. grana* v. *probe mixta cum lana succida loco affecto applicentur.* Deinde etiam adiectis resoluentibus tale gargarisma præscriptum: ℞. *scabiosæ, plantaginis, acetosæ, consolidæ minoris, florum chamæm. meliloti ana* m. j. *foliorum viol. maluæ ana* m. ß. *sem. lini, fænugræci ana* ʒ i ß. *sem. maluæ* ʒ j. *sem. anisi* ʒ ß. *ficuum ping. num.* iij. *vuar. passul. ab avillis repurg.* p. j. *hordei mundati* m. j. *coquantur in aqua communi pro lib.* iij. *adde mellis ros. colati, diamori ana* ℥ ij. *misce.* Hoc finito sequens præscriptum est. ℞. *fol. viol. maluæ cum toto, flor. chamæmill., meliloti ana* m. j. ß. *ficuum pinguium num.* v. *rad. althææ* ʒ ß. *vuar. passul. ab avill. mund. hordei mund. ana* p. j. *glycyrrhyz. rasæ* ʒ vj. *hyssopi viridis* m. j. *coquantur in aqua communi pro libr.* ij. ß. *colaturæ adde do mellis ros. colati* ℥ iiij. Postremo & hoc vtebatur: ℞. *florum chamæmill. meliloti ana* m. j. *viol. scabiosæ, maluæ cum toto ana* m. ß. *rad. althææ* ʒ. ß. *glycyrrh. rasæ* ʒ iij. *seminis fænug.* ʒ i ß. *sem. anisi* ϑ j. *ficuum ping. num.* iij. *vuar. passul. enucleat. hordei mund. ana* p. j. *coquantur in aqua communi pro lib.* ij. ß. *colat. addendo mellis ros. colati* ℥ iiij. *misce pro gargarismate.* quibus præsidiis malum resolutione finiit, copiosa pituita per gargarismos ex ore emanante: quarto autem die cum deglutire posset, hanc purgationem sumpsit: ℞. *diacathol.* ℥ ß. *cassiæ mund.* ʒ iij. ß. *agarici trochisc.* ϑ j. *cum* ℥ iij. *aquæ melissæ, fiat potio:* quinto die cum sumpsisset, & quinquies aluum deiecisset, sanus factus est. Quemadmodum & alia puella in iisdem ædibus ex eodem malo decumbens annos sexdecim nata, cum pene suffocaretur, & extrema iniunctione iniuncta, vt eam statim moriturã existimarent, quæ magis erat pituitosa, & materia similiter magis pituitosa, quæ & ingentem tumorem ad maxillam exterius vergentem habebat, os præcludentem, vt nihil sumere posset, iisdem fere remediis curata fuit, quamuis loco venæ sectionis, cum ita debilis esset, cucurbitulæ cum sacrificatione scapulis impositæ fuerint; sed fere obrepente syncope, statim amotæ sunt. glande aluo irritata, iisdem fere gargarismis, vtens magis emollientibus & resoluentibus; & simili cataplasmate imposito superius dicto, cum multa pituita ex ore fluxisset, facta est resolutio, neque abscessus subsequutus; cum postea aliquid per os sumere posset, potionem dedimus sequentem: ℞. *cassiæ recens ex canulis tractæ* ℥ ß. *diacathol.* ʒ iij. (cum decoctum nec commune nec pectorale paratum haberet pharmacopœus) *in* ʒ iiij. *ceruisiæ communis dissoluimus:* & cum bene aluum deposuisset, hæc pro deplorata habita etiam curata est.

Scholia.

OMnibus communis est inflammatio, aliquando cum tumore, deglutiendi difficultas, impedita respiratio, dolor circa laryngem. Hippocrates & veteres (*vt & Donatus censebat*) olim inflammationem quæ in gutture & faucibus fiebat, anginam vnico nomine appellabant, & ex veteribus medicis omnem inflammationem circa gulam siue intus siue foris immineret, Synanchem nominarunt. Posteriores vero *vt Aegineta* cuius & Alexander Trallianus meminit, differentiam inter synanchem & cynanchem, & parasynanchem & paracynanchem fecerunt; prout quatuor diuersæ partes in eo affectu affici possunt: nam internis gutturis musculis seu laryngis inflammationem patientibus. συνάγχη, externis vero παρασυνάγχη nuncupant pari modo inter cynanchem & paracynanchem discriminatis. συνάγχη, externis vero παρασυνάγχη ab eisdem appellatur. Quibus & Neoterici adhuc quintam addunt speciem ex luxatione vertebrarum ad anteriora, in quã locus cauus apparet cum dolore, si extra attingitur: quod contingit, teste Aëtio, ob distracta intro verticula, & consistentem circa internos gutturis musculos inflammationem. Hæc autem species iuxta Aëtium etiam propriæ cynanche à veteribus est appellata. Lingua enim à luxato verticulo iuxta radicem suam impulsa, ex propriis locis excedit & difficultas magis circa respirationem infestat, vnde coguntur aperto ore semper hiare atque aërem attrahere. Celsus tantum tres differentias facit, quas etiam suis notis distinguit: Arabes in veram & notham distinguunt, & notham esse volunt sine febre, ex pituitosa destillatione in fauces ceruicisque musculos fortasse cum tumore, sed sine rubore, ardore & febre, quæ inter acutos morbos non habetur: & ita penes affectum & humorem distinguunt: *de quibus vide Gradum & Arculanum*; sic enim fieri volunt ex sanguinis, bilis, pituitæ aut melancholiæ fluxione. Verum quoniam, *vt Gal. inquit* 4. *De rat. victus in morbis acutis*, ad curationem nominibus opus nobis non est, (*namtam primum homines res ipsas neglexerunt, cum nimio studio nomina quærere incipierent*) cumque hæ dictæ affectiones in curationibus suis in paucis varient, teste Aëtio: interim præstat vnamquamque suis propriis notis distinguere, vt aliquod certius de vnaquaque specie prognosticum faciamus, & curatio vniuscuiusque melius innotescat. Quamquam omnes prædictæ affectiones, eodem Aëtio teste, communem habeant difficultatem transglutiendi; ita tamen vt in alia plus, in alia minus hoc malũ augescat. Accidit etiam eis potum adsumptum ad nares reflecti: nam & spiritus, *vt Celsus inquit*, eis includitur. Iuxta Galeni vero sententiam, in cunctis spiratio quoquo modo deterior redditur, nullo existente vel in thorace, vel in pulmone vitio; qui in hoc veluti in reliquis, Hippocratem sectatur. Verum vna pars cum afficitur, ab altera discerni poterit, velut magis & minus transluendi difficultas, sine spirationis noxa fuerit, ac reliquis indiciis: nam vbi interni musculi gutturis fuerit affecti, nihil coloris, caloris, & molis conspicuum erit, nec in ceruice, nec in faucibus, *vt 3. Progn. testatur Hippoc.* adeoque spirationis difficultas augetur, vt non nisi recta ceruice trahatur aër: sensus quoque angustiæ, ac dolor plurimus in gutture erit, & febris non leuis; vox insuper simul cum spiratione læditur, *vt patet* 4. *De loc. affect.* Externis vero dumtaxat ipsius gutturis musculis inflammationem patientibus prædicta omnia adeunt, remisse tamen: nam neque angustiæ sensus, neque dolor, licet circa guttur adsint, adeo vehementes eruntspariter nec spirandi difficultas. At si dolor fere prædictis similis adsit, calorque, rubor ac moles fauces offendant (*quæ omnia aperiendo os, ac linguam deorsum comprimendo oculis cerni possunt*) nec admodum difficulter spirent, fauces ipsas affectas esse iudicabis: interim etiam lingua ipsa similiter cum faucibus coaffi.itur, quemadmodum vbi non solum fauces, sed ceruicem quoque rubor occupauerit, & forte pectus comprehenderit, nec vehementer ægri dolore affligantur, nec fere difficulter spirent, & extrinsecus partes circa fauces inflammatæ cuilibet apparebunt; exteriores earum partes affectas esse nemo verebitur. At quæcumque prædictarum partium affecta sit, affectus ipse morbus erit iu compositione primo, & proprie in magnitudine, cum inflammatio sit: quem tum ex iam dictis, tum etiam ex dicendis indiciis, facile percipere valebis: namque æger nec cibum deuorare, nec potionem potest; difficulter spirat, potissimum vbi gutturis partes afficiantur; interim ore conniuet, quãdoque eo aperto aërem trahit, febrisque sæpius aderit: accidit etiam eis (*vt iam diximus*) potum assumptum quandoque ad nares reflecti: dolore quoque afficiuntur, & excedente interdum inflammatione, & lingua & fauces in tumorem attolluntur. Verum hæc omnia exemplis multo clariora euadent.

OBSERVATIO XIV.

De cynanche vera musculos internos laryngis occupante.

GErardi Iacobi ex familia Heermans vxor, anno 1546. mense Septembri, constitutione humida præcedente, inflammatione musculorum laryngis correpta est, ac angina admodum fæuissima, cum neque tumor exterius, sed tactu dolor in parte dextra magis sentiebatur: febre quoque continua & acutissima detinebatur. Cum iam metus suffocationis impenderet, ex nostro consilio vena cephalica statim in cubito dextro secta est, glande prius aluo irritata: & gargarisma præscriptum ex *aquis plantaginis solatri, equiseti* ana ℥ iiij. *diamori* ℥ iij. Sed quia intus latebat inflammatio, gargarisma ad locum affectum minus veniebat; ideo vt lamberet syrup. iuiubinum, viol. & diamorum, iussimus: sed ægre deglutiebat: interea eodem die venas sub lingua secari fecimus; vnde paulo melius habuit, vt ipsamet fatebatur; cum antea vix loqui posset. Exterius guttur inunximus oleo amygd. dulc. viol. chamæmill. & aneth. Secundo die iterum glande aluum sollicitauimus, cum enema admittere nollet: & syrupis dictis, ad statum accedente, syrupum de glicyrrhiza adiecimus. Et cum tertio die pituita ex ore fluere cœpisset, hoc gargarismo deinceps vsi sumus: ℞. *ficuum pinguium numer.* v. *flor. chamæmill. meliloti flor. ros. rubea, ana* p. j. *hordei mund.* m. j. *sem. fænug.* ʒ ij. *liquiritiæ rasæ* ʒ vj. *fiat decoctio in aqua communi pro* ℔ i ß. *adde diamori, mellis ros. colati ana* ℥ ij. *misce.* Exterius hoc quoque emplastrum admotum est: ℞. *farinæ hordei* p. ij. *muccag. althææ; fænugræci extract. cum aqua maluæ ana* ℥ i ß. *olei chamæmill. lilior. ana* ℥ j. *mixta calide apponantur:* quo & dolor sedatus est, & potuit deglutire. Quarto die mensibus per se apertis, ad modum crisis à febre tum angina liberata est. Verum post aliquot dies ita largiter continuo fluxere, ac viribus prostratis aliquo modo cohibere coacti simus, dorso & ventre inferiore inuncto oleo myrt. & ros. & semine plantag. & acetosæ ana ʒ ß. pulueriſatis & cum ceruisia sumptis; paulatim fluxus quoque restrictus est: & his rotulis ad ʒ ij. quotidie deuoratis: ℞. *semin. plantag. acetosæ ana* ʒ ß. *terræ sigillatæ veræ, spodij, corall. rub. ana* ϑ ß. *specier. triosant* ϑ ij. *amydi, tragacanth ana* ϑ j. *dissolutis in aqua plantag. adiecto zacch. q. s. fiat confectio in rotulis* ʒ ij. *ponderantibus.*

Scholia.

ANgina modo contingit à calidis humoribus, modo à sanguine calidiore, modo pituitosiore. Et quamuis fluxio hæc maxime ex capite defertur (*quemadmodum Galen. testatur.* 4. *De rat. vict. in morbis acutis*) tamen magna ex parte biliosior existit, *eodem auctore* 3. *Progn.* ita vt præcipue erysipelas spectetur, & inflammatio erisipelati similis: & licet ab acribus fluxionibus fiat, etiam à frigida & pituitosa maxime in fauces irruente; tenuibus vero & acribus in guttur ipsum. Vel hoc modo causas distinguere poterimus, in externas seu procatarcticas vt est anni constitutio pluuiosa, aër ambiens calidus seu frigidus: calidus per modum colliquationis fluxiones à capite irritat & in fauces ac guttur dimittit; per modum compressionis. Sic venti austrini, aquilonij, balnea capiti adhibita vel calida vel frigida: capitisque nimia tectura, vel omnino nulla. Ad has causas etiam pertinens fortis ictus capitis aut locorum in quibus angina fieri potest, aut contusio, aut rei duræ obuiatio, vel casus: & præcipue cum ex multo æstu subita facta sit refrigeratio, tum & frigidissimi potus; aut si piscium spinæ incautis fauces occupauerit, *vt scribit Aretæus*: vel vt alij tradunt, ab ictu inflammari potest locus, aut aconito assumpto, vel venenatis quibusdam fungis, ac vua taminea, vel iis similibus venenatis, veluti trifolij semine, quod guttur lædit & spiritum occupat: sic & cibi & medicamenta; vt fungi: ita & cerasa magna ingluuie comesta à proprietate anginam inferunt. At causæ præcendentes generales esse possunt, repletio totius corporis & potissimum capitis: altera minus generalis præcedens humores, vt bilis vel pituita: ex bile, cum æstate vel autumno

Cauſæ.

Cauſæ externæ ſeu procatarctica.

Cauſæ præcedentes.

autumno calidæ fluxiones è capite fluxerint: ex pituita hyeme magis: ex sanguine, si bili permisceatur vel salsæ pituitæ, acres fiunt fluxiones; si pituitæ, magis crassiores in fauces. Alij his addunt

5 *Corporea.* sucum melancholicum, sed rarissime, quem & à sanguine magis fieri volunt. Et ita causas corporeas volunt esse ipsos humores, aut sanguinem cum aliis humoribus permixtum: antecedentes vel præcendentes repletionem totius vel capitis, aut partium circa guttur, & debilitatem illorum membrorum facile fluxionem recipientium. Alij coniunctas causas humores esse dicunt. Præter signa vero, de quibus antea diximus, alij eadem statuunt in spirandi difficultate: alij in deuorando, *vt Rhases*. Igitur quousque in spiritu difficultatem non facit, angina non erit: quod amygdalis inflammatis euenit, vbi magna inflammatio non fuerit, cæteris enim omnibus adest vtrumque symptoma, in respirando scilicet & deuorando seu potum seu cibum. Nam vbi partes intra fauces sunt inflammatæ, siue ad arteriam attineant, in consensum quoque trahunt gulam; siue ad gulam, in consensum trahunt arteriam, quoniam alligatæ sunt: Si vero externæ partes faucium inflammantur, cum omnes cooperentur ad deglutitionem suo motu, fit vt hæc actio fiat

6 difficilis. Locus affectus parum diuersus est: sed sat est, si vel per se, vel per consensum quendam via spiritus afficiatur ad anginam significandam.

Signa propria. Hæc ergo sunt propria maxime signa; vt & dolor in illis partibus, qui necessario comitatur, & calor: nam cætera signa, vt potum per nares trudere, potius magnitudinis eius signa sunt, & ad prognosticum faciunt: vt & non nisi recta cerui-

Signa magnitudinis. ce spirare. Primum enim fit, quoniam cum ad faucium partes peruenit, nec in gulam deduci potest præ angustia; per meatus naribus communes, circa gurgulionem positos recurrit in nares. Aliud

7 *Signa efficientia.* fit, quoniam facilius sic spirat, quam iacentes: quoniam iacentibus posterior pars arteriæ mollis cum sit, comprimitur à gula (*vt recte dicebat Iacchinus*) & spina. Rubor vero cernicis assidens est signum, vt rubere fauces & attolli, vel non: non enim affectus sunt essentialia signa: sed sedis affectæ: male ergo faciunt, qui hæc signa confundunt.

Signa differentiarum & partis affectæ. Signa vero differentiarum & partis affectæ, scholio præcedente diximus: nam in epiglottide maior difficultas spirandi; & si musculi laryngis intus tument, ocyssime interimunt, & numquam sanabiles, si nulla tumoris nota intus vel extra apparcat. Sed hæc signa etiam ad prognosticum faciunt: quæ in faucibus hæret, magis conspicua est; vti & in musculis exterioribus. *De quibus vide ad longum Praxim magnam Benedicti Fauentini præceptoris mei, cap. proprio. De signis anginæ demonstratiuis.* At

Signa causarum, si ex sanguine copioso. signa causarum & quo pacto fluens redundans succus percipi valeat, si musculis gutturis inflammatis ex sanguine copioso oriatur, spirandi ac deglutiendi difficultas maxima erit, & grauitas simul coniuncta, febris non exigua, corpusque totum ac caput plenum sanguine videbitur.

8 Temperamentum, habitus, ætas, anni tempus, regio, ac aërís constitutio, præcedensque victus ratio sanguinis redundantiam attestabuntur. Bilio-

Si ex bili: figna. sa vero in prædictis musculis defluxione decumbente, quæ magna ex parte est præter spirationis & deglutitionis difficultatem, quæ non adeo vehemens, vt in prædicta aderit, velut nec angustia, citra ferre grauitatem plurimum dolorem ac intolerabile quoddam incendium circa guttur sentient ægri, morsum ac acrimoniam, sitim ac oris arnaritudinem: simulque (*vt & Donatus annotauit*) acuta febris aderit mi-

(vt refert interpres Hollerij) *in musculis dextræ partis laryngis cum orta esset inflammatio, neque apparet, sed tactu duntaxat externo dolorem præ se ferret, mors subita tribus horis à missione sanguinis consequuta est.* Et quamquam iuuenibus, *teste Aetio*, non minus grauis est, & sæpe lethalis in senibus: vti euenit Sasboto viro doctissimo & Præsidi Brabantiæ in Haga-Comitis agentis, qui & latente angina in qua nullus tumor neque in collo neque intus in gutture appareret, cum spiritum difficillime traheret, ita vt recta ceruice desidere cogeretur vel ambulare, cum nihil edulij aut potus per gulam descenderet, neque medicamenta eo peruenirent, & nulla præsidia iuuare possent, quarto die & ambulando & loquendo strangulatus est.

3 *Signa prognostica.*

Scholia.

Ex spirandi difficultate tum deuorandi, de qua paulo ante dictum est, prognosticum facile patet, & quod consistat in sæuitia symptomatum & curæ difficultate: Vbi itaque nihil roboris apparet, difficillimam curam significat: quoniam medicamenta (vt diximus) eo non perueniunt. Igitur deterrimæ anginæ Hippocrates meminit 3. Epid. 2. in muliere quadam has notas scribens: *Obscura*, inquit, *vox (quæ & huic Sasboto aderat:) hæc enim est actio propria gutturis, vt primi instrumenti vocem formantis, quæ necessario vitiatur: spiritus quoque sublimis, id est, suspenso & erecto thorace & gutture, idem monstrant: similiter & potus per naves. Hæc enim sunt prorsus obstructo spiritus meatu, vt nihil deglutire possint, communicata phlegmone etiam gulæ: vel quia non sit deglutio sine motu & auxilio gutturis. At quæcunque dolorem similem prædictæ anginæ infert, attollitur, ac rubo-*rem in faucibus efficit, admodum quoque exitiosa est, sed paulo longior quam prædicta. Quibus vero fauces rubent, & cervix hæc diuturnior est, eodem Hippoc. auctore, *maxime vero ex ea seruantur, si cervix ac pectus ruborem traxerit, neque ad interna reuertatur erysipelas, gutture siquidem nequaquam patiente, sed aut in cervicem, aut in hæc vtraque decumbente.* Securissima vero inflammatio erit, si rubor quam maxime foras vertatur, id quod aphor. 37. *libr.* 6. comprobauit cum dixit: *Ab angina habito si tumor fiat in collo, bonum:* & aphor. 49. libr. 7. asserens: *Ab angina habito, tumor & rubor in pectore superueniens bonum; extra enim versus morbus. Si ad pulmonem conuertatur, pessimum;* de qua postea exemplum dabimus. At quæ ad cutem transmutatur, aut à principio ita defertur fluxio, multo salubrior, *vt constat omnibus* 4. *De rat. vict. Galeno teste.* Paulus vero inquit raro talem affectum oboriri nisi cum cervicis vertebræ affectæ loco excidunt: id quod Hippoc. innuit. *aphor.* 26. *libr.* 3. Verum illis (*eodem Paulo teste*) ceu curationem non recipientibus ac deploratis manum admoliri non oportet. Anginæ plurimæ, *teste Hippocrat.* 23. *aphorism. libro* 5. Hyemalis angina fere semper est pituitosa: fauces dolentes tenues cum quadam difficultate strangulantes, velociter exitum adferunt, *Hippoc. lib* 1. *Prognost.* Post febrem repente inuadens, & non apparens, lethalis. Si tumor exteriora ac interiora penetrauerit, rubore iam discusso, & strangulari ob id ægrum videmus, lethale. Hoc modo Iordanus Forestus vir nobilis, pater mihi carissimus, piæ memoriæ, cum per totam hyemem valde senex circiter annos sexaginta quinque febricitasset,

OBSERVATIO XV.

De Cynanche lethali.

Inter anginas grauissima est, ac celerrime interimit, quæcunque nec in ceruice nec in faucibus conspicuum aliquid efficit: hæc enim & eodem die, & 2. & 3. & 4. strangulat, *vt inquit Hippocrates 3. Prognosticorum:* nam cum in neutro prædictorum appareat aliquid præter naturam, existimandum est intra gutturis corpora lacessere inflammationem, ex qua strangulantur, vt Galenus testatur in prædicti textus Hippocratis expositione. De qua iterum *aphorism.* 34. 4. *lib.* sic scriptum reliquit: *Si febrem habenti suffocatio repente superuenerit, nullo tumore in faucibus existente, lethale.* Tali angina suffocabantur infiniti anno 1517. intra 16. vel 20. horas, *vt libr. sexto Observat. nostrarum de febribus diximus. Sic cuidam*

& in tumorem guttutis postea incidisset, eo delitescente, non diu post vitam finiit ac in Domino requieuit. Sic nuper æger supinus iacens brachia iactando, protinus se suffocari ostendebat, & veluti furiosus suspirando in lecto sedebat rectus ac mœstus: & inter spirandi angustias hinc inde se iactabat, siticulosusque non bibebat, neq; poterat, quoniam per nares potum effundebat, circumstantesque necessarios odio prosequebatur: hic sine voce tandem inquietus succumbebat, & misere moriebatur. Ita & quidam mente 6
incommoti, pulsu diuerso, tremulo, & anhelitu tremebundo ac interfecto & pulsu formicante, miserabiliter suffocantur. Si quoque vrina ex crassiori substantia in tenuem conuersa, delirio accedente; & lingua crassa exerta, nigra ac dura, cum febre ardente & virium defectu, ore spumante, ab Hippocrate certum exitium portenditur, spuma etenim in angina ad os delata, multo deterior est quam in epilepsia, vt de epilepsia diximus: nam strangulati & dissoluti nondum mortui, non referuntur quibus spuma ad os fertur; at angina vexati absque dolore & difficili spiratione gutture haudquaquam patiente, faucibus tantum vel ceruice affectis, ea quidem diuturnior est, & plurimi ab ea 7
euadunt. Quamobrem bona signa habentur, si deglutitio non impediatur, & senior spiratio tumorque extra ad collum & gulam vertatur, & ægri vigilantiores appareant atque hilares, & dolor sedetur, & membra ad naturalem dispositionem redeant, maximam spem sanitatis denuntiant; si & apostema post aures contingat, anginæ symptomatis remissis. Si contraria eueniant, humoribus intro pulsis, nulla, aut exigua, spes salutis supererit. Si plura de signis prognosticis requiras, præceptorem meum Benedictum Fauentinum de iisdem in sua Praxi magna perlegas.

OBSERVATIO XVI.

De Angina ex sanguinis repletione cum metu strangulationis.

Simon Bartholomæus (*ita enim illi nomen erat*) gener pharmacopœi nostri Iohannis de Meer anno 1554. 15. Maij die, vir optimæ constitutionis, & temperaturæ sanguineæ, & si quis alius liberalissimus, potu vtcumque & genio indulgens, & valde facetus, in anginam valde deploratam ex sanguinis copia incidit. Hic autem spiritum non nisi recta ceruice trahebat, ore aperto hiabat, facies rubra erat, collum quoque tumidum & rubrum, febrisque continua: quibus signis certo cognoui anginam ex sanguine copioso & calido originem habuisse. Ad hunc prius accitus medicus eiusdem ægri gener. hic vero empirico modo sanguinem è manu dextra prope pollicem mittit (nos autem si in principio adfuissemus, in brachio ex vena cephalica fecissemus, vt à propinquo loco magis materiam & euacuasset & deriuasset,) & gargarisma nescio quale præscribit, forte non satis repellens, sed solum laxans cum in principio repellentia ad intra conueniant, non autem discutientia aut laxantia. Ideo recte dixit Trallianus. *Sæpe in vniuersum oportet, neque reprimentem solam medendi rationem, hisce affectibus conferre, neque discutientem requiri, & temporum ratione habita, initio cum adhuc materia fluit, repellentibus vtendum: postea etiam discutientia admiscenda:*

& in ſtatu adhuc magis detergentibus & diſcutientibus vtendum & reſoluentibus ; magiſque in declinatione, poſt etiam, ſi fuerit opus maturantibus. Qui enim ſola laxatoria ratione vſi ſunt, ſiue intus, ſiue foris ; hi inſignium malorum auctores extiterunt, vt multi ex ipſis vix euaſerint ; alij periculum mortis incurrerint. Hæc Trallianus. Licet tamen in principio competant repellentia ad intra (*vt Rondeletius dicebat*) numquam autem ad extra : nam materia ſemper ad exteriora trahenda eſt, ob periculum ſuffocationis. Verum ob gargariſma forte nimis laxans in principio, ſub noctem ita inualuit malum, vt aſtantes ſubito ſuffocationem metuerent, tum æger ipſe : ita vt Euchariſtia à ſacerdotibus munitus nunc animam quaſi exhalaret : & medicum reuocarunt : ſed is valetudinarius venire non potuit : quare me è lecto vocarunt. Cumque iam ex ſignis præhabitis animaduerterem anginam eſſe ex copioſo ſanguine, & ſanguinem fuiſſe extractum circa pollicem, aluo prius clyſtere non ſoluta, libenter clyſterem injeciſſem : ſed cum neque æger, neque aſtantes admitterent, glandem acutam injicio, cum per ſuperiora nihil ſumere poſſet. Deinde hoc gargariſma præſcripſi : ℞. *plantaginis* m. j. *florum roſ. rubr.* p. j. *gallam omphacitidem craſſo modo contuſam, ſemin. cydon.* ʒ j. *bulliant in* ℔ j. *aquæ plantaginis, addendo aquæ ſolani, equiſeti ana* ℥ ij. *colaturæ immiſcendo diamori, dianucum ana* ʒ i ß. *fiat gargariſma.* quo cum gargariſaſſet, loqui potuit, quod antea minime poterat. Iuſſi vt ſi per noctem deficeret, idem ſtatim paratum haberent, ob vtilitatem quam ex gargariſmo percipiebat. Sed in ipſa nocte hora tertia circa diluculum defecit : quare alterius medici gargariſmo, qui adhuc reſtabat cum gargariſaſſet, ſtrangulationem incurrebat ; ita vt denuo me ex lecto reuocauerit : ſed hoc ſequenti cum vteretur, ſuffocatio deſiit : ℞. *folior. plantagin. bellid. minoris ana* m. j. *florum roſ. rubr.* p. j. *balauſt.* ʒ j. *hordei communis* p. j. *coquantur in* ℔ ij. *aquæ communis ad* ℔ j. *cui & aquæ plantag.* ℔ j. *addatur, & aquæ ſcabioſæ* ℥ iij. *ſemin. fœnugr. maluæ, lini* (cum iam in augmento eſſemus) *ana* ʒ j. *gallam vnam craſſo modo contuſam, nidum hirundinis cum plumis inciſum,* (ad reſolutionem aliqualem faciens : *ebulliant hæc ſemel: deinde fiat lenis colatura, addendo diamori, dianucum ana* ʒ i ß. *mellis roſ. colati* ℥ ß. *miſce.* eo plurimum delectabatur, cum ſe leuamen inde ſentire fateretur. Rurſus in diluculo 16. Maij. die redeuntes, qui erat ſecundus dies à morbi initio (tales enim oportet crebro inuiſere cum ex morbis peracutis ſit) glande iterum aluo exonerata, venas ſub lingua incidere iubeo, craſſiſſimo ſanguine & nigerrimo ac limoſo effluente : & melius cœpit habere, & ſpiritum liberius ducebat : eodem tamen die guttur inunximus linimento ſequenti, ſimul etiam cataplaſmate impoſito : ℞. *olei amyg. dulc.* ℥ j. *pingued. gallinæ, butyri recentis loti in aqua viol. & chamæmill. ana* ℥ ß. *muccag. ſemin. lini, fœnugr. maluæ, althææ extract. cum aqua chamæmill. ana* ʒ ij. *ceræ citrinæ modicum; fiat linimentum, lana ſuccida ſuperpoſita :* ℞. *rad. althææ mund.* ʒ i ß. *folior. maluæ, viol. ana* m. j. *flor. chamæmill. meliloti ana* p. j. *coquantur in aqua ad mollitudinem : piſtentur, adde farinæ ſeminis lini, fœnugr. hordei ana* p. ß. *nidum hirundinis in pulueren redactum, olei amygdal. dulc. viol. butyri recentis ana* ℥ ij. *olei chamæmill.* ℥ j. *fiat cataplaſma, & tepida lana calide apponatur.* Poſt meridiem eo die gargariſmo deficiente, ſequens in vſum venit: ℞. *rad. althææ* ℥ ß. *folior. plantag. maluæ, ſcabioſæ* (quæ à proprietate reſoluit interna & externa apoſtemata) *flor. roſ. rubr. ana* m. j. *ficuum pinguium num.* iij. *hordei mundati* p. j. *coquantur in ibiq. aquæ ad medietatem : cuius colaturæ deinde adde aquæ plantag.* ℔ ß. *aquæ ſcabioſæ* ℥ iij. *aquæ equiſeti* (alij hippurin vocant) ℥ ij. *ſemin. coton.* ʒ j. *nidum vnum hirundinis, vel, ſi magnus, medietatem : bulliant iterum forti ebullitione : deinde rurſus colentur : adde dianuci, diamori, mellis roſ. colati ana* ʒ j. *miſce pro gargariſmo :* & cœpit materia cliquari, ſaliua ex gutture plurimum emanante, & tunc os melius aperire potuit : eoque aperto & inſpecto, inflammationem intus animaduerti, & ſimul columellam valde laxatam : pro qua ſub noctem hoc gargariſmo vſus eſt : ℞. *aquæ. plantag. equiſeti, aquæ nucum ana* ℥ iiij. *aquæ ſcabioſæ* ℥ ij. *aquæ caprif.* ℥ i ß. *ſem. coton.* ʒ iij. *facta mica ebull. colentur : adde mellis roſ. colati* ℥ ij. *diamori* ℥ j. *colamella retracta fuit alumine vſto & holo armeno pto.* Sed cum non poſſet ob anginam adhuc deglutire, gargariſmo ex rad. althææ præſcripto, prius de roſ. ablatis & duplo pondere mellis roſati adiecto, & dianuco relicto, commode vſus eſt : atque hæc tertio die præſcripta ſunt, aluo iterum glande irritata. Poſt meridiem potuit deglutire : & conceſſimus ceruiſiam tenuem, zaccharo candi iniecto, febre iam continua minus ſeuiente, vt pitiſſaret cum nondum libere bibere poſſit. Quarto vero die (poſt quem ſi non reſoluitur, plerumque aut ſuppuratur, aut occidit angina cum à copioſo ſanguine ſit à principio morbi, qui erat 18. Maij, cibum ſumere poterat, ſed molliorem, vt iuſcula : etiam hoc apozema ad aluum quoque ſoluendam & febrem præſcripſimus, licet illa ipſa nunc multo mitior eſſet. ℞. *cort. rad. cichor.* ʒ j. *rad. dentis leonis, glycyrrhizæ ana* ℥ ß. *end. cichor dentis leonis, viol. bugloſſ. ana* m. ß. *ſcabioſæ, betonicæ, capill. Ven. malu. flor. cord. ana* p. j. *ſemin. aniſi* ʒ i ß. *ſemin. 4. frig. maior. ana* ʒ ß. *prun. damaſc. numer.* ix. *uuar. paſſ. enucleat. uuar. corinth. ana* ʒ vj. *hordei mundi* p. j. *foliorum ſenæ* ℥ j. *rhab. ſelecti* ʒ j. *epithymi, polypod. querc. ana* ʒ i ß. *ſchœnanthi* ϑ j. *coquantur in ſero lactis pro* ℔ j. *col. adde ſyrup. viol. ex infuſ. roſ. de liq. ana* ℥ j. *miſce pro apozemate.* quo bis in die vtens ter quaterue quotidie aluum deponebat ; & ſecuta eſt anginæ reſolutio. Verum cum poſtea leui tuſſi adhuc afficeretur, & guttur is aſperitas & inflammatio eum aliqua ex parte adhuc vexarent, ex linctu ſumpſit ; tum etiam cum gargariſmo ſequenti quinto die vteretur, curationi colophonem impoſuimus : ℞. *ſyr. viol.* ℥ j. *ſyrup. pap.* ℥. ß. *muccag. cotoneorum extracta cum aqua farfaræ* ʒ ij. *pul. ſpecier. diatr. ſanta. tabul.* ϑ j. *zacch. penid.* ʒ iij. *fiat loch. ſumebat quoque diatrag. frigidum & trionſant. in tabulis, modo vnum, modo alterum.* Gargariſma autem tale erat : ℞. *hordei communis, folior. plantag. maluæ, viol. ana* m. j. *coquantur in aqua communi pro* ℥ ix. *adde aquæ plantag.* ℥ iij. *& cum* ʒ i ß. *ſem. coton. fiat lenis ebullitio, & colat. adde mellis roſ. colati, diamori ana vnc. j.* ß. *miſce pro gargariſmo.* Et iſtis præſidiis, morti addictus luci fuit reſtitutus.

Scholia.

Angina, ſi quod aliud quoque vitium, acutiſſimus morbus exſtitit : *Nam agros,* (inquit Alexander Trallianus) *laqueifumiſque modo ſtrangulare ſolet* ; vnde etiam Græcis merito *Cynanche* apellata eſt. Quoniam igitur acutiſſimus eſt affectus, & ſtatim mortem inducit,

neceſſe eſt etiam protinus ad curationem feſtinare. Omnes itaque auctores in omni angina venam ſecandam eſſe ſuadent : magis vero ſi repletio totius vel capitis adſit, vel in ſanguinea : verum ex qua vena, non omnes inter ſe conueniunt. Aëtius ex auctoritate Archigenis, cum in principio compendiarium & præceps auxilium omnis angina requirat, quandoquidem vt in totum fere iuuenibus accidit, è veſtigio cubiti venam incidit ; ſed venam non explicat. Idem Paulus ſanguinem è cubito demendum eſſe ſimpliciter aſſerit. Ita & Trallianus, angina infeſtatis venæ ſectionem ante omnia adhibere neceſſe eſt. Sic etiam Hippoc. 4. *De vict. in morbis acutis, ac text.* 30. Sanguinem igitur ex brachiis detrahens, mox venas ſub lingua. Rhaſes primo ex cephalica mittit. Trallianus vero in detentis menſibus tali venam aperit. Neoterici quoque, *vt Arculanus & Gradus,* idem iubent, ſi & hæmorrhoidibus conſuetis & iam aſtrictis afficiantur : aliquin prædominante ſanguine ſi hepar fuerit in cauſa, ex baſilica mittunt ; deinde ex cephalica eiuſdem lateris, vel ſi in neutrum declinauerit latus, ex dextra ; aut dextra & ſiniſtra ſimul. Idem Arculanus ſi repletio ſolum fuerit à furcula, inquit, ſatis eſt cepalicam incidiſſe prius ex latere oppoſito ; deinde eiuſdem. Rondeletius vero ſcribens de curatione, inquit : *Si inflammatio muſculorum gutturis vel colli vel vuæ fiat ita vt ſit ſynanche, primum detur clyſter, mittatur ſanguis de baſilica dextra, affigantur cucurbitulæ cum ſcarificatione in ſpatulis.* Statim rurſus ſubjungit : *Debet autem ſanguis mitti de cephalica dextra, quacumque hora veneris, vt materiam minues & diuertas, ne augeatur morbus.* Donatus autem ſi totum corpus plethoricum eſt, incidit cubiti venam mediam, aut humeralem, ſi non ſit : vel primo mediam, deinde humeralem. Habemus magnum diſcurſum de venæ ſectione apud Gradum. Et qui Auicennam ſequuntur, in phlegmatica & biliosa præmittunt ventris ſolutionem : quod & Meſue etiam iubet. Rhaſes tamen 2. Continentis redarguit Iudæum prohibentem in biliosa & pituitosa phletobomiam fieri. Ita varij ſunt : cum quidam in omni materia à ſanguinis dimiſſione initium ſumant : quoniam & raro medicamenta hauriri poſſunt. Quidam etiam in angina ſanguinea venam non ſecuit, quoniam macer eſſet, languidiſque venarum receptaculis ; in cubiculo enim frigidiſſimo collocarunt, ne ſitiret eſuriretque, neque vires reſolueretur ; tum enim ſynanchicus inedia plurium dierum ſanatus eſt, quoniam ſanguis alimentum corpori ſubminiſtrauit : ſed talis curatio in morbo acuto vix aut numquam imitanda. Verum inter omnes doctiſſimus ille Iacchinus egregie diſtinguit quando angina ſectionem, & quando vtrumque requirat remedium : *Si* (inquit) *à ſanguine ſit, & is in totius venis abundet, ſanguis eſt mittendus ; ſiue etiam ſanguis vna cum alio humore abundet, idque primum ſtatim inter initia. Mox ſi quis alius humor abundet, etiam adhibenda eſt purgatio, quæ eſt illi humori propria, vt bilæ & pituitæ. Si vero proſus pituitoſa ſit, quam etiam ſine dolore eſſe dixit Galenus, præterquam cum deuorare aliquid enitimur ; tunc purgationis potius intentio eſt.* Ita nos in puella illa, de qua antea diximus, ſcarificationem loco phlebotomiæ adhibuimus. Rariſſime tamen talis contingit angina ſine dolore, etiam ex pituita ; ita vt pauca ſanguinis extractio ſæpe profuerit, neque ita læſerit, etiam ad diuerſionem facta. Interea, (*vt apud ipſum ad longum videre poteris, de ſaphenæ ſectione in mulieribus non purgatis, vbi repletio totius eſt*) præſtat ſtatim in cubito mittere. Rurſus quod ſcribit Alexander, Paulus & Aëtius, *quod ſanguis non vniuerſim, ſed pluribus vicibus ſit euacuandus, ne animi defectio accidat, & ex ea ſubito ſequatur ſuffocatio, tota materia in affectam partem collectim irrumpente, vel à faucibus aut gutture in pulmonem delata, inexitabile periculum ſubeat æger, neque tamen angustiorem facere venæ inciſionem conuenit, Aetio aſſerente, ne ſanguis velut percoletur, & craſſior eius pars intus remaneat, potiſſimum vbi craſſior ſanguis huius affectionis cauſa exiſtit.* Vult Iacchinus *vt quantitatem ad vires metiamur, & corporis naturam, & plenitudinem ; tum quantitatem tum qualitatem ; & demum magnitudinem affectionis* : ideo arguit in his Auicennam qui varius eſt, vt multum torqueat ſectatores ſuos : modo enim Auicen. dicit ex Paulo, vt non confertim multa fiat, ſed iterata vſque in diem tertium ; imo ait, *ſi virtus fortis eò ducatur, vt ſincopis appareat* : & ſtatim dicit cum Paulo, *melius eſſe, vt ſyncope excludatur, ne virtus flacceſcat,* Nec enim diuinare poſſis, quid in illis verbis Auicenna voluerit, qui vſque ad maturationem dimittere vult phlebotomiam, quamuis laborent multum ſectatores. Quod ſi ſuper verba falſa comminiſcentur veram aliquam ſententiam, habeamus gratiam, quod nobiſcum ſentiant & veritatem ſua aſſertione confirment. Interim tamen eiuſmodi negotia maioribus intenti illis dimittemus ; vt & illud de vena eligenda. *Hæc Iacchinus.* Holerius mediocri vulnere venam ſecat, ne ſi amplius ſit, nimium viribus detrahatur ; ſi anguſtius ; effluat tenuis ſanguis, craſſus relinquatur. Hyeme, vbi anginæ fere phlegmaticæ, parcior detractio, ſed foramen maius eſſe debet : Vere & reliquis temporibus copioſior, vulnuſque anguſtius imprimatur. In principio itaque vena cubiti ſecanda ; poſt principium in ipſa lingua : contra noſtros tonſores qui indifferenter etiam in principio id perperam faciunt. Poſt venæ ſectionem, potiſſimum vbi alij humores redundarint, ſecundum Purgatio; erit (*Celſo auctore*) ducere aluum : ſic & Galen. *lib. 4. De vict. rat. morborum acutorum.* Corpus igitur totum vena ſecta, vacuare oportet & purgatione & clyſteribus. Primum namque venam ſecare iuſſit, tanquam maxime neceſſarium : & deinde etiam purgatione & clyſteribus vtendum : idem Hippocrat. ſentit *libr. De locis in homine.* Rhaſ. purgat eadem die, ſi opus ſit : in craſſa pituita dat cochias pilulas ; ſi tenuis, per agaricum vel catapotia fieri poteſt ; ſi miſta, cum pilulis Galeni, ſed hæc in principio non poſſunt deuorari : ideo aliqui clyſmate acriori vtuntur : his materiam non concoquunt : ſed præſtat poſt ſectionem venæ, ſi deglutire poſſunt, purgans medicamentum tribuere, quod leniendo vacuat ; *vt eſt caſſia, manna, ſyrup ex infuſ. roſ. viol.* In craſſis ſuccis *diacatholicum cum agarico diſſolutum cum aliquo decocto conuenienti.* talis purgatio *reſte Galen. 6. De compoſ. med. ſecundum locos,* conuenit, gratia euacuandi vniuerſum corpus, & transferendi infra humorum momentum, qui ad affectas partes feruntur. Conuenit & clyſteribus vti primo lenioribus ; interdum etiam acrioribus, potiſſimum vbi aliquid venæ ſectionem, & purgationem prohibeat, aut eis exhibitis, ſi adhuc malum non cedat. Nec minus reuulſionis gratia conferunt extremarum partium frictiones, aut vincula, ſimiliter ſi pedes aqua calida foueantur, *vt inquit Paulus.*

Cucurbitulæ item scapulis hac ratione affigendæ, citra scarificationem: & vbi malum longius prorogetur, post prædictas euacuationes, cum eius materia influere defierit, cucurbitam cum scarificatione apponere oportet, sub mento, si tumor circa fauces, & maxillas persistet: si vero nullus extrinsecus tumor appareat (veluti in ea angina, quæ occulta appellatur, in qua gutturis partes, præsertim internæ afficiuntur) circa cervicem cucurbitula affigenda erit, iuxta primam aut secundam vertebram; vel hirudines applicandæ. Rhases quoque phœnigmo vtitur in initio ceruicis proprie circa secundam vertebram cum melle Anacardino. Nos vna cum Ericio medico collega meo & Nieuenio, cum Heinricus Meesterius dictus Aduocatus deplorata angina laboraret, & omnia præsidia iam dicta tum gargarisari non iuuarent, in collo versus aurem in ea parte vbi angina erat, communi consilio vesicatorium apposuimus; & præter spem fuit à præfocatione curatus. Verum talia non sunt adhibenda nisi in totum materia fluxerit, & in timore suffocationis, præcedentibus aliis omnibus euacuationibus & diuersionibus. Et ita malè faciunt, qui statim emplastra resoluentia loco affecto applicant, vel alia cataplasmata ante venæ sectionem; quibus ægrum ad interitum ducunt, materiam magis ad locum trahentes. Sed de particulari curatione tum gargarismis ac topicis postea; tum repellentibus, discutientibus & maturantibus: quæ exemplis supradictis, tum adhuc dicendis per se satis clara & lucida euadent.

OBSERVATIO XVII.

De Angina bilioſa.

ANgina bilioſa ſeu ex ſanguine bilioſo, ſæuiſſima laborabat Ioannes Zygerus apud Alcmarianos ſacerdos, annos 45. excedens, vir gracilis & procerus, raræ texturæ & coloris citrini, temperatura admodum bilioſa, cui & febris continua aderat: ſed nullus tamen rubor aut tumor intus in gula aut faucibus, vel extra apparebat. Erat autem ver cum hoc malo corriperetur: ad quem illico correptum accitus fui. Verum cum aluum non depoſuiſſet illo die, nec præcedente, libenter clyſterem emollientem & nonnihil refrigerantem iniecissem; ſed cum nollet admittere, glande acuta cum aluum depoſuiſſet, paulo poſt ex vena cephalica cubiti dextri ſanguis non ita copioſus extractus eſt: gutture vero exterius inuncto cum oleo viol. & amygdal. dulc. Interea & hunc gargariſmum præſcripſimus: ℞. *aquæ plantag.* ℔ j. *aquæ ſolatri* ℔ ß. *diamori, ſyrupi viol. ana* ℥ j. *diamoron* ʒ ß. *miſce.* At hic gargariſare non nouerat, ita vt ſubito in guttur dilaberetur, & ſuffocari videretur: neque linctum ſumere poterat, potu quoque regurgitante per nares: quem hortabamur vt gargariſaret, alioqui illum ſuffocatum iri. Et ſic in pedes ſtando, & duo viri illum ſuſtinentes capite paululum in colli partem poſteriorem inclinato, malo quoque id ſuadente & vrgente, tandem gargariſationem edoctus. Secundo die gargariſmo adiecimus aliquid melli roſacei, & oleis aliquid olei chamæmelini, lana ſuccida poſt inunctionem gutturi impoſita. Tertio die venæ ſub lingua ſectæ ſunt, & aluus glande iterum irritata, & gargariſma tale præſcriptum: ℞. *aquæ plantag. viol. ſcabioſæ ana* ʒ iiij. *ſyrup. ex roſ. ſiccis, mellis roſ. colati ana* ʒ i ß. *miſce.* ſub noctem facta eſt inunctio, & cataplaſma ſequens exterius impoſitum: ℞. *olei amyg. dulc. lilior. ana* ℥ ß. *olei chamæmill.* ʒ ij. *miſce.* ℞. *rad. althææ* ℥ j ß. *rad. lilior. alborum num.* iij. *ſcilior. maluæ* m. ij. *florum meliloti* p. j. *florum chamæmill.* p. ß. *decoctis & contuſis adde farinæ hordei* ℥ ß. *farinæ ſemin. lini, fœnugr. ana* ʒ ij. *butyr. recentis, olei amygdal. dulc. chamæmill. ana q. ſ. fiat cataplaſma.* Quarto die nihil adhuc deglutire potuit: iterum glande aluo irritata, rurſus venæ ſub lingua apertæ ſunt, cum prima vice parum ſanguinis ab iis fluxerat, nunc vero parum plus & melius habere tunc videbatur, interea & hoc gargariſmo vtebatur: ℞. *ſolior. maluæ, plantag. viol. ana* m. j. *ſolior. ſcabioſæ, florum meliloti ana* m. ß. *flor. roſ. rubr.* p. j. *rad. althææ* ℥ ß. *ſem. coton. lini ana* ℥ i ß. *hord. mundati* p. j. *ficuum ping. numer.* iij. *coquantur in aqua communi pro* ℔ i ß. *adde mell. roſ. colati* ℥ ij ß. *diamori* ℥ i ß. *miſce.* Cum neque quinto die adhuc deglutire poſſet, mane cucurbitulæ ſcapulis cum ſcarificatione appoſitæ, ſequenti gargariſmate vtebatur, etiam emplaſtro impoſito: ℞. *foliorum maluæ, viol. ana* m. ij. *florum meliloti* m. j. *rad althææ* ℥ i ß. *nidum hirundinis. rad. liquir.* ℥ ß. *rad. lilior.* ʒ ij. *ſem. cydon.* ʒ j. *hordei communis vuar. paſſul. ab arill. mund. ana* p. j. *hyſſopi* m. ß. *ficuum ping. num.* iij. *fiat decoct. in aqua communi pro* ℔ i ß. *addendo aquæ plantag. ſcabioſæ ana* ℥ ij. *colaturæ nõ valde expreſſæ adde mellis roſ. colati* ʒ iij. *miſce.* Eo cœpit multa ſaliua exire, & appoſito emplaſtro exterius hunc in modum parato. ℞. *rad. althææ* ℥ ii ß. *folior. viol.* m. ij. *rad. lilior. alb.* ℥ i ß. *folior. viol.* m. j. *flor. melitoti* p. i. *coctis ad mediocritatem & contuſis adde nidum hirundinis, farinæ ſeminis lini, fœnugræci ana* ℥ j. *olei lilior. amyged. dul. ana* ℥ i ß. *butyri recentis* ʒ ij. *olei anethini* ʒ j. *fiat emplaſtrum*, tunc potuit primum deglutire exiguum ceruiſiæ cum zacch. cando. & facta reſolutione gargariſmo vltimo continuando præter ſpem amicorum cum admiratione aſtantium ſanitatem adeptus eſt.

SCHOLIA.

VNiuerſalibus remediis præmiſſis, ad localia venimus, quæ & intus adhibentur: vt ſunt gargariſmi, vel linctus, ſi deglutitio non impediatur; vel extra, vt ſunt linitiones, vnguenta, cataplaſmata, emplaſtra, & fomenta. Sic vbi initium eſt cum multa inflammatione, ea quæ leuiter adſtringunt, offerenda ſunt primum, *Actius teſte*: velut eſt roſarum, lentium, myxarum palmarumque decoctum: vel quod ex moris conſtat: iuxta Paulum cum Rhus decocto: aut ex ſucco nucum viridium; *de quo vide Galenum & eiusdem hiſtoriam de hortulano libro 6. De compoſ. medic. ſecundum locos, cuius antea mentio facta eſt.* Linctus quoque ex *diamoro, ſyrup. granat.* confert: vel hoc modo, *ex ſyrup. pap. myrtill. cum diatrag. frig. & diapap.* ſi deglutire poſſet. Hæc & ſimilia in calida ſanguinea conferunt: in bilioſa magis frigida, vt in principio, *cum aqua plantag. ſolatri; ſyr. viol. nenupharis, lac emulſum cum aqua roſ.* Arculanus etiam *ſuccum ſolatri* laudat in gargariſmis. *Loch* etiam conuenit *ex ſyr. iuiubar diamoro & diamoro.* In augmento additur ſupradictis aliquid *mellis roſ.* & ſi adſit dolor, *lac muliebre vel aſinæ cum exigua caſſia*, & conſtringentibus gargariſmis *ex roſ. rub. myrri vel lentiſci decocto vel. plantag.* & aliorum adde aliquid *glycyrrh. & paſſul. mundat.* poſtea etiam *ficus*, magis accedente ſtatu. Et ſic vigente, increſcente & conſiſtente morbo magis iis vtendum, quibus diſcutiendi facultas ineſt, vt

cariois ſiatur. liquir. in aqua mulſa decoctis, adiecto hyſſopo, melle roſ. tum aliis: *de quibus vide Actium & Gal. & alios vt Rondeletium. Hollerium, & Donatum*: conuenit & tunc ſyrupo violaceo adiicere de liquiritia, vel de *iuiubis ſyrupum.* Et ſi ſit materia frigida vel fluxio frigida, tunc oportet adjicere *thymum, pulegium, calamintham, origanum*: ij namque ſucci acrioribus indigent medicamentis; quæ ſcilicet ſecare & in tenuia diuidere, & tum glutinoſa, tum craſſa confringere poſſint, *auctore Galen. 4. De rat. vict. in morbis acutis, vt proximo exemplo oſtendetur.* In declinatione ſupradictis gargariſmis addere poſſumus magis diſcutientia, *vt nidum hirundinis, & decoctum hyſſopi, origani, in hydromelite, & linctum ex oxymelle ſimplici & ſcillino.* Sed cum morbus eſt in ſtatu vel declinatione, ſi prorſus non reſoluatur, ad ſuppurationem venit: quæ poſtea intus & extra adiuuanda eſt, *vt poſtea exemplis docebimus.* Quod ad topica externa attinet, nullo modo oportet hic repercutere, ſed potius lenire & reſoluere, & iniicere (*teſte Tralliano*) ceruici *ſpongiam oleo madidam, aut cerata tenera ex cera, butyro, & adipe anſerino conflata*, cataplaſmata quæ inflammata diſcutiunt & concoquunt, *ex farina hordeacea, ſem. lini, mica panis*, ſi vetuſta, etiam *ficus* ſiccas addere & *adipem*, ſi dura, & fomenta *ex althææ decocto chamæmeli.* Celſus vitur, *calidooleo cum ſpongiis admoto.* Valet & *chamæmelinum, amyged. dulc.* aliquando & *anethinum, liliaceum* ſi materia frigidior & cataplaſmata *ex ſemine althææ, maluæ & lini cremore, & fœnugr. ac hordei farina*; vt iam præcedentibus exemplis docuimus, & ſubſequentibus etiam illuſtriora erunt.

OBSERVATIO XVIII.

De Synanche à cauſa frigida & pituitoſo ſanguine.

VIr quidam ſatis obeſus & pituitoſus, tempore hyemali, fluxione ſubitanea oborta, in interioribus faucium muſculis ac pharyngis inflammationem (*quam Synanchem vocant*) incurrebat, ex materia frigida & ſanguine pituitoſo, non ſine ſuffocationis periculo, cum nihil quoque alimenti demitteret: ſed quicquid abſumeret ſtatim reiectans vix ſpiritum trahebat, & vox adeo faucibus hærebat, vt ne mutire quidem poſſet: iugulari prorſus hominem putaſſes, nos tamen & vrgentis morbi & ægri virium ratione habita, vtile & præſentaneum remedium duximus, ſanguinem mittere. Verum cum iam duobus aut tribus diebus aluum non reddidiſſet, & nihil quicquam per os ſumere poſſet, clyſterem prius iniiciendum eſſe valde commodum duximus in hunc modum paratum: ℞. *rad. althææ, branc. viſinæ ana* ℥ ß. *maluæ, p. arietariæ, mercurialis, beræ ana* m. j. *centaurij minoris, ſampſuci ana* m. ß. *ſumſuris, florum meliloti, chamæmill. ana* p. j. *fiat decoct. in aqua communi pro lib.* j. *col. adde caſſiæ pro clyſteribus* ℥ j. *hieræ picræ compoſ. benedictæ laxat. ana* ʒ ij. *olei chamæmelini* ℥ iij. *ſalis communis triti* ʒ i ß. *miſce.* Cum aluum probe reddidiſſet, cephalica vena in brachio dextro (*in qua parte etiam magis afficiebatur*) ſecta fuit, ſanguine tamen mediocriter effluente, non valde copioſe ob pituitam, eum non euacuationis gratia, ſed reuulſionis magis fieret. Poſt ſanguinis detract. garg. hoc vtebatur. ℞. *plantag. flor. roſ. ana* m. j. *nucum cupreſſi* m. ß. *balauſt.* ℥ j. *fiat decoctio in aquæ mulſæ q. ſ. pro lib.* 1. *col. adde mellis roſ. colati diamoron ana* ℥ j. *miſce*: collum exterius inungebat *vng. dialthææ oleo amygdal. dulc. lilior. chamæmel. ana ſimul mixtis.* Interea & venas ſub lingua ſecari iuſſimus: deinde etiam cucurbitulis naribus affixis humorem deducere conati ſumus; frictionibus ſimul atque aliis præſidiis, quæ & hominem intus & extrinſecus iuuare poterunt. diebus etiam ſequentibus hoc gargariſmo, vel ſimili vſi ſumus: ℞. *hyſſopi* m. j. *hordei mundati* p. j. *vuar. paſſ. detractis vinaceis* ℥ j. *caricas pingues* v. *ſeminis lini, fœnugraci, coton. ana* ʒ ij. *f. decoct. pro libr.* j. *in qua diſſolue pyrethri, ſinapi ana* ʒ ß. *myrrhæ, croci ana* ∋ j. *pulu. hirundinis* ʒ j. *fiat gargar.* Exterius parti colli anteriori & circa latus magis dolens, *vnguenti dialthææ* ℥ iiij. *nidi hirundinis* ʒ iij. *cerati inſtar admouimus*; & facta eſt reſolutio: alioqui ſi ad ſuppurationem apoſtema ſeu inflammatio conuerſa fuiſſet, adhibuiſſemus maturantia, & ſuppurantia: & cum iam copioſa pituita flueret, ex ore per gargariſmum in quarto die, vt per os aliquid ſumere poſſet, hanc potionem dedimus: ℞. *Catholici* ʒ ß. *electuarij indi maioris, diaphœnici ana* ʒ ij. *aquæ betonicæ* ℥ iij. *mellis roſ. colati* ʒ ß. *miſc. fiat potio*: detur in diluculo, optime aluum deiecit, & ſanus factus eſt.

SCHOLIA.

HIc etiam ſanguis mittitur, ſed in minori copia; & venæ etiam ſub lingua, ſi opus eſt, aperiuntur: & enemata etiam in proceſſu paulo acriora conueniunt, vt magis diuertant: quidam & hieram colocynthidem infundunt: purgant, ſi poſſunt, cum pilulis cochiis, alioqui cum potione qua nos vſi ſumus, quidam in principio hoc vel ſimili gargariſm. vtuntur, ſi materia ſit craſſa & pituitoſa: ℞. *nucum cypreſſi, balauſt. ana* m. j. *maſticis* ʒ ij. (alij ℥ j. ponunt) *coquantur in aqua mulſa pro libr.* 1. *in qua diſſolue dianucum* ℥ j. *mellis roſ.* ℥ ij. *aluminis aliquid.* ʒ j. *myrrhæ, croci ana* ∋ j. *vel* ∋ i. ß. *fiat gargariſma.* & in viſcoſo phlegmate conueniunt ſyr. acetoſ. oxymel. ſimplex cum decocto myrti & diamoro. In augmento, diacaryon, addito pyrethro vel myrrha & croco: poſtea decoctum hyſſopi cum oxymelite, vel gargariſmo, quo nos vſi ſumus. Exterius vero primo oleum liliorum & chamæmelinum. in augmento, adiecta farina hordei & lini pinguedine porci: & in ſtatu ex nido hirundinis cum farina fœnugræci, lini & floribus chamæmillæ. *De his vide Leonellum & præceptorem meum Benedictum Faventinum, Arculanum & Rondeletium.* Si ſit à ſanguine melancholico, cuius curationem Græci non ponunt, ſed Arculanus de ea angina meminit, etiam mittatur ſanguis, purgetur cum pilulis Indis, ſi poſſit, vel epithymo & ſenæ: gargariſmis vtantur ex decoct. liquir. diamoro aut lacte. in augmento calidiora, & in proceſſu magis reſoluentia adhibeantur; in ſtatu emollientia, ſi ex melancholia fiat ſcirrhus: ius braſſicæ colluſum & gargariſatum valet. *Reliqua vide apud Arculanum.*

OBSERVATIO XIX.

De Paraſynanche.

IAcoba Iuonis, monacha Alcmariana, in monaſterio, quod inter Franciſcanos, & aliud cœnobium monacharum ſitum erat, anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octauo, menſe Februario, ex Paracynanche decumbebat, nempe muſculis exterioribus laryngis inflammatis, parum tumentibus, cum febre continua, quæ cum ſtrangulari videretur, multis tentatis remediis,

cum aqua aceti zaccharo immixto ex mulierculārum consilio gargarisasset, ita vt secundo die ab habito malo sub noctem periculum suffocationis metueret, de medico accersendo tunc primum cogitauit, cum & astantes illam pro deplorata haberent. Cum ore aperto gulam & fauces inspicerem nullum tumorem reperi, nisi leuem in parte sinistra, licet se intus laqueo strangulari diceret. Aluo statim per glandem acutam irritata, mox venam cephalicam tundere iussi è directo loci dolentis, sanguine vtcumque extracto, cum bene ferret. Deinde gargarismo via ex decoct. plantag. diamoro & melle rosaceo nonnihil immixto (mel quidem rosaceum addebam, cum principium iam præteriisset, & malum in augmento esset:) sex deinde horis à sectione venæ cephalicæ, aliæ quoque venæ sub lingua sectæ sunt, sanguine admodum viscoso effluente; ita vt visa sit melius habere. Interea & gutturi cataplasma quod sequitur admoui: ℞. *farinæ hordei pug.* j. *muccag. sem. lin. fœnugr. althææ extract. cum aquæ maluæ & chamæmill. an.* ℥ iß. *olei liliorum, chamæmill. an. q. s. fiat cataplasma.* Rursus glande aluum soluimus, cum clysterem admittere nollet. Deinde inclinante malo, & cum materia resolueretur, ac dolor sedaretur, & phlegmata ab ore copiose educerentur, ad illud magis iuuandum etiam hoc gargarisma præscriptum est: ℞. *hordei mundati man.* i ß. *florum chamæmill. meliloti ana pug.* j. *caryocarum pinguium num.* vij. *passul. enucleat.* p. j. *seminis malvæ* ℥ ij. *seminis lini, fœnugr. cotoneorum an.* ℥ j. *glycyrr. rasæ* ℥ ß. *coquantur in aqua communi pro lib.* ij. *colat. adde diamori* ℥ ij ß. *mellis ros. colati* ℥ j. *misce pro gargarismo.* Gutture inuncto exterius cum oleo liliaceo & emplastro seu cataplasmate imposito egregie sanitati intra quatuor dies restituta est.

Scholia.

Postquam hæc quid deuorare poterat, optima victus ratione instituta, qualis in reliquis inflammationibus confert, parciori tamen cibo, tum potu, in illa vsi sumus: namque copiosiore periclitantur, *vt Alexander testis est*, sintque humidi, molles ac liquidi: & sic tribus diebus idem ac Paulus mulsam aquosam exhibent: tertio vero die cremorem hordei seu ptisanæ cum quadam potione dulci, *inquit Paulus*, quippe cum abstergat, incidat, nutriat & inflammationem refrigerare possit. At inflammatione iam extenuata, & moderatiore facta, necesse est etiam iuxta Trallianum lutea ouorum mollissima, non autem multa exhibere. Vel vbi vires exigunt, ptisana cum iure pulli vtimur, vel gallinæ decocto, aut eius iure, vel pullorum contusorum iure. Abstinendum ab iis omnibus, quæ fluxiones incitant: quale vinum, vaporosa, calida omnia. Statim initio collocamus ægros loco satis amplo nec frigido: & ita sinimus residere in lecto, vt caput altius attollatur. Alij vsque ad septimum, (*vt Itali, quemadmodum & Leonellus*) panatellam exhibent in aqua coctam cum vino granatorum. Nos in hac regione frigida etiam post quartum, quando quid sumere possunt, panatam cum iure pulli exhibemus; vel panatam nostram cereuisiariam, sine vino tamen, solummodo zaccharo iniecto cum exiguo butyro, quo magis leuiat.

Lib. 4. c. 1.

OBSERVÂTIO XX.

De Synanche cum erysipelate phlegmonoso in facie.

Pistor quidam Alcmariæ anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, in hyeme mense Februario, subito inflammatione faucium interna (*quam Synanchem vocamus*) correptus, strangulationem fere incurrebat; simul cum erysipelate phlegmonoso totam faciem occupante. Hic autem in via butyracea cum decumberet & pene suffocationi vicinus esset, neque in principio medicum admisisset, cum strangulationem præsentiret, me vocat: Statim secta vena cephalica, & eodem die etiam venis sub lingua: & cum iam initium præteriisset, & status morbi immineret, gargarisma magis resoluens quam repellens præscripsimus; & gutturi cataplasma admouimus *ex farina hordei, muccag. althææ, lini & oleo liliorum & amyg. dul. concinnatum foliisque viol. & malvæ.* Topica erysipelati phlegmonoso in facie existenti non apposuimus neque quicquam quod intro repellere posset; imo naturæ id reliquimus, cum rectè dixerit Hippocr. ab angina habito rubore in pectore, bonum: ita & in facie non minus bonum fuit. Quarto die potuit deglutire, exhibitum est *serum lactis cum cassiæ* ℥ vj. *& catholici* ℥ ij. aluo satis soluta. Sed quia facies adhuc phlegmonosa permanebat, quinto die *cucumbitulæ cum sacrificatione affixæ sunt*: & sexto *diacatholici* ℥ j. *diag. gr.* j *cum sero lactis ebibita*: & septimo die *gutæ rosaceæ*, sedari cœpit ac minui; & sanitati restitutus fuit.

Scholia.

Optimum erat hic signum, quod erysipelas phlegmonosum foras in angina prodebat, cum extra *iuxta* 50. *aph. lib.* 7. *Hippocr.* morbus vertebatur: nam illa angina, quæ cum aliquo tumore est, & ceruix ruborem traxerit aut pectus erysipelas non intro recurrerit, etsi prolixior fuerit, prorsus tamen salubris est, Hippocrate auctore. Significatur enim robur nobilium membrorum pellentium & detinentium malas, & prauas anginæ materias, quo temporis progressu discuti & resolui possit. Contra si angina ex tumore faucium aut ceruicis & rubore, cum rubor aut erysipelas intro recurrerit malum, *iuxta eundem. aph.* 25. *lib.* 6. qui ita habet: *Erysipelas ab exterioribus versi ad interiora non est bonum; ab interioribus versi ad interiora bonum. Non solum* (inquit Galen. in Commento eiusdem aph.) *erysipelata, sed aliud quodcumque, quod ex profundis & principalioribus partibus transfertur ad cutem, bonum esse signum ac causam debemus existimare: contra vero, si ad interiora & profunda transmutetur, malum.*

OBSERVATIO XXI.

De Parasynanche.

Colonus in pago Pœldiickio dicto, annum quinquagesimum agens, parasynanche, id est, faucium inflammatione externa laborabat. Ad quem cum secundo die prius accitus essem, non sine febre erat, doloremque ingentem patiebatur cum colli tumore externo versus maxillam procedente cum ingenti faciei rubore: adeo vt nec cibum nec potum deglutire posset. Hic enim cum eodem die aluum deposuisset neque os ob tumorem

tumorem bene aperire posset, vena cephalica illi secta fuit, in brachio dextro, cum in dextra parte tumor eundem affligebat. Loquela quoque erat impedita. Hoc gargarismo etiam vsus est: ℞. *aquæ plantag. lib.* i. *syr. gran. diamori ana* ℥ j. *mellis ros.* ℥ ß. *misce*: altero die, cum non bene loqueretur; quamquam os nunc aperire poterat: ita vt venæ sub lingua sectæ fuerint. Deinde gargarismo suprascripto addito hyssopo & glyzyr. & melle ros. solo, & exterius cataplasmate impositio ex rad. althææ, flor. meliloti & foliorum maluæ cum farina lini & butyro, per modum resolutionis, & hic curatus est.

Scholia.

Arrabum sectatores & qui supra Rhasem commentati sunt, anginam quamcumque, quæ per resolutionem terminatur, quinque intentionibus curant: optima victus ratione, tum vitæ instituto: Deinde diuertunt humorem fluentem ad locum apostematis vel inflammatum. Tertio leuiter repercutiunt. Quarto digerunt si possunt. Quinto eradicatiue euacuant. Quibus nonnulli & sextam addunt, nempe resolutionem. Alii ad duo tantum fundamenta hæc referunt, vt augmentum & fluxum inhibeant, & quod fluxum est remoueant: Quod si angina terminetur per viam collectionis, ad saniem scilicet vel suppurationem, quatuor alias intentiones adiiciunt: maturationem, ruptionem, absterſionem, consolidationem: vt postea exemplis docebitur. Rursus quidam communem curationem (vt antea ostendimus) ad tres partes reducunt; nempe victus rationem, materiæ euacuationem diuersionemque, & fluxus inhibitionem: particularem vero, *vt diximus*, ad topica remedia tam intra quam extra adhibita. Rursus non desunt, qui ad triplicem scopum hæc referunt: in euacuationem, fluxus inhibitionem & diuersionem. Secundus debetur causæ coniunctiuæ, & hæc particularis curatio dicta fuit atque hæc denuo tres intentiones in se complectitur: primo repercutientia, & discutientia, secundo & tertio resoluentia, si per resolutionem terminetur: alioqui succedit maturatio, quæ & quatuor intentiones in se complectebatur, vt paulo ante meminimus. Tertius autem scopus vtique & causæ accedenti & coniunctæ communis est: atque hæc iterum duas intentiones habet, vt accidentium correctionem & regimen vitæ. *De his vide Garenavium, Gradum & Arculanum*: quamuis & hæc ipsa ex iis, quæ dudum diximus, per se nota sint.

OBSERVATIO XXII.

De angina admodum periculosa in prægnante, in qua musculi gutturis interiores & exteriores simul inflammati erant.

Scribit Hippocrat. mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale esse *libr.* 5. *aph.* 30. præcipue vero, *teste Galen. in Commento*, si cum febre sit morbus, necesse est, vt & ipsa sit continua. Idem Hipp. refert lib. eod. aph. 31. *Mulierem vtero gerentem sanguine misso ex vena, abortiri; & magis, si fœtus sit maior.* Experientia tamen quotidiana experti sumus, vtrumque non semper veritatem habere, quod neque talis morbus acutus in prægnantibus semper sit lethalis, & quod non semper aborsiat grauida sanguine misso: vt exemplis etiam, cum de febribus ageremus, ostendimus. Ita & nunc nouimus mulierem, quæ annum trigesimum sextum agebat, in sexto mense prægnantem: ad quam anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo in pago, cui Sylua nomen erat prope Delphos, decumbentem ex grauissima angina, in qua musculi gutturis interiores & exteriores inflamati erant, adeo vt pene suffocaretur, acciti fuimus, cum iam secundus dies ageretur, quo fauces præoccluderentur ob insignem tumorem, qui in parte colli dextra durus hærebat, superius etiam fauces occupans, & intus tum guttur, tum fauces simul comprehendens, cum febre continua & capitis insigni dolore vix spiritum trahens, gulamque præoccludens, vt neque potum neque cibum quamtumuis mollissimum deglutire posset. Cum nocte præcedente aluum per se deiecisset, & vena secta esset, quatuor vnciis sanguinis emissis, ne animi deliquium sequeretur in prægnante: deinde gargarismis aptis, prout tempus morbi suadebat, adhibitis; & inunctionibus in collo peractis, tum emplastris commode impositis, & cataplasmate conuenienti collo admoto, & venis etiam sub lingua sectis, tertio die tumor, qui intus latebat parum detumuit, vt deglutire potum potuerit. Rursus cataplasmate discutiente & parum emolliente, etiam adiuncto nido hirundinis, post meridiem spectauimus tumorem magis ad exteriora vergere, & cum iterum admoto emplastro conueniente, (cum melius transglutire posset) *mammæ* ℥ i. ß. *cum aquæ scabios.* ℥ ij. in nocte sumpsisset, ter aluum deposuit; & quarto die post alui subductionem melius alimenta liquidiora sumere poterat. Et cum aliquo modo tulisset syr. violarum & liquiritiæ, adiecto zaccharo penid. lambebat; rata fuit in septimo; febre quoque eam relinquente, cum ab astantibus pro deplorata habita fuisset.

Scholia.

Quod in angina in prægnantibus & grauidis commode venæ sectio fieri possit, hoc exemplum iam dictum satis demonstrat. Et quanquam angina non solum in prægnantibus, sed in aliis quoque medicum etiam doctum deterreat, & illi metum incutiat; non oportet animum deiicere, cum multi etiam quandoque curantur, qui pro deploratis relicti fuerint etiam à medicis præstantissimis: *vti euenit Beriuenio in quodam Alexandro Seruatio: cui neque rubor, neque tumor vllus intus in gula aut extra ostendebatur, sed aridum corpus & squallidum: omnia assumpta reiectans, spiritum vix trahens, & vox faucibus hærens, vt ne mutire quidem posset. Cum Beriuenius commoda adhibuisset præsidia, & sanguinem duxisset, & cucurbitulas naribus affixisset, & frictiones adhibuisset, aliaque præsidia, quæ & extrinsecus hominem iuuare poterant tantisper. Verum vbi malum his omnibus auxiliis non modo cedere aut leuari, sed in horas vehementius ac contumacius fieri aduertit, omni abiecta spe ægrum tanquam proxima nocte moriturum, Deo & naturæ reliquit. Hunc autem cum assistentes, velut iamiam spiritum exhalaturum, signo crucis ex more in auroram vsque singulis momentis consignarent ac munirent, ecce statim à summis ægri faucibus tam ingens ex adaperto intus abscessu purulentæ materiæ vis effertur, vt homine pene iugulato, catinulum, in quo recepta est, ad summum repleret labrum. Qua expulsa statim resumptus est spiritus, & æger, qui iam pro mortuo lugebatur, veluti ab inferis reuocatus paulatim conualescere cœpit, doneç integram consequutus est sanitatem.*

Cap. 104. *De homine pene iugulato ex abscessu gulæ.*

Memini

Historia cuiusdam qui vt abscessum perrupit.

Memini ego similiter, cum in Italia studii causa agerem, viros doctissimos in consultationē vocatos, qui de nobili iuueni angina laborante, penitus desperarent, cum abscessus intus in gutture lateret (*qui nequaquam scalpello attingi poterat*) prius æger succumberet, quam intus meatus rumpi posset; quod si vero per se rumperetur, spem curandi superesse: quod æger quidem clam audierat; iisque discedentibus, famulum ad se vocat; & laqueum in lecto sedens iniici iubet, atque manu per funem sese leuans; altera vero manu, digito in guttur immisso, exultans abscessum viperrupit, & reuocatis medicis, qui adhuc in vicinia erant, dicebat ruptum esse abscessum; si quid consilij superesset ad curationem eandem statim adhiberent: quare adhibitis detergentibus & deinde consolidantibus, ex insperato ad
6 cupitam sanitatem hoc modo peruenit. Non solum gutturis, seu laryngis & faucium, atque laryngis inflammationes: sed & tonsillarum quandoque adeo magnæ sunt, vt gutture occluso (vtraque videlicet tonsilla affecta vel gutture faucibus) nec cibus nec potus transmitti queat; vel non absque summa difficultate, *vt & Dodonæus supra illud exemplum observationis Beniuenii annotauit.* Tumores vero & quandoque ita augentur, præsertim ad suppurationem vergentibus inflammationibus, vt ore hiare nequeunte, dentes cohæreant, ac strangulationis periculum immineat. Abscessu vero rupto; copiosioreque erumpente pure (*vt & sequens exemplum ostendet*) solutio fit, & ore patulo, gutturis quoque meatus patet.

OBSERVATIO XXIII.

De angina periculosa per suppurationem soluenda.

3 Dictum est prius, quod angina sit periculosa, si post febrem fiat, vt aliquando euenit mulieri cuidam Delphensi quinquagenariæ, quæ in domo insigne crateris habente decumbebat. Ad quam cum ingressi essemus, atque inflammationem ingentem intus in gutture haberet; quæ & tonsillas ac vuulam occuparet, facta venæ sectione ex cephalica in brachio & lingua, & electuario lenitiuo cum decocto communi sumpto, gargarismata apta nihil iuuerunt, cum ad suppurationem malum tenderet: nam post quartum diem dolor, qui plurimum ægram afflixerat, sedebatur. Cum enim ex toto maturatur, feruor mitigatur ac dolor mollitur: cum enim remissiora sunt symptomata & perstant vltra quartum diem, tunc maturatio plerumque est exspectanda (*hoc in materia admista pituitæ sæpe euenit, præcipue si in externis communicet:*) nam & hæc tumorem quoque exteriorem experiebatur etiam intus ad abscessum tendentem. Et tuncamplius cum dissoluentibus contendere non oportet, sed concoquentibus & mitigantibus: quæ tamen ab astringente aliquo prorsus non absoluantur, & sic gargarismate vsi sumus ex decocto ficuum, cum spica, croco & melle, & fœnugræci & althææ, rosisque in exigua quantitate admixtis. Similiter emplastrum sequens maturatiuum nonnihil & rumpens extrinsecus admouimus: ℞. *althææ mundatæ* ℥ ij. *rad. liliorum* ℥ j. *ficuum pinguium num.* v. *foliorum maluæ* m. ij. *florum meliloti, chamæmill. ana* p. j. *cottis & contusis addendum hirundinis, farinæ hordei* m. ß. *olei chamæmill. amygd. dulc. butyri recentis ana q. s. fiat ad modum emplastri.* Eo vix ad horam collo imposito & maxillæ vsque ad aurem, intus ruptum est apostema: deinde solo abstersorio gargarismo vtens conualuit.

SCHOLIA.

SI angina ad suppurationem tendat, tunc quatuor intentiones curandi (*vt paulo antea diximus*) resultant, nempe maturatio, ruptio, abstersio, & consolidatio. In calida angina, concoquit, maturat, & in pus vertit gargarisma, *ex decocto seminis maluæ, passularum, myx. viol. radic. dulc. hordei mund. addita sæpa.* Emplastrum *ex radic. althææ, liliorum alborum aqua coctorum, addita axungia & butyro*: etiam *succus ater siliquæ Ægyptiæ illinitus.* In frigida *decoct. hyssopi, ficuum, muccag. sem. maluæ, caulium, ficuum, & butyri recentis cum decocto glycyrrh. ad formam lambitiui vel gargarismi.* Alii extrinsecus applicant emplastrum *ex cœpa alba vel porro, cum sæpa vel butyro, ex rad. ireos, althææ, caricis pinguibus, cum farina frumenti, lini, fœnugræci & axungia porcina oleo liliorum, & similib.* Aliud maturans & aperiens: *ficus aridas, cum aqua discoquito, & contrito*; addendo *farinam fœnugræci & fermentum molle*: vel *cæpam sub cinere tostam & tritam cum melle admiscere*: emollit, maturat, ac dissoluit. Dolorem sedant, maturant & aperiunt *decoctum fœnugræci cum palmulis & fœnugræco vel cum mulsa.* Facta maturatione, secunda succedit intentio, nempe apostematis ruptio: quæ modo cum medicamentis, modo manu chirurgica perficitur. Maturantibus itaque addimus aliqua acria, *vt hirundinis excrementa, vel cinerem, aut lupinum stercus, vel caninum. Radix lilii, galbanum, pix liquida*, abscessus rumpunt & facile maturant: fermētum quoque foris rumpit cum sale & oleo. Iam quoque plurimum ad ruptionem facit, vociferatio & fortis motus gutturis in transglutiendo, dura masticando, ac ea ipsa violenter transglutire, vt crustam panis: hæc enim sæpe contulisse compertum est. Quidam, vt empirici, si neque hæc iuuerint, candela cerea impingunt & rumpunt: oportet autem eam in guttur demittere & abscessum dirumpere, *vti facit Amatus in Græco quodam angina laborante tentandi causa: qui cum ceream candelam immisisset per os, repente pus effluere cœpit per os, & æger à tam seuo morbo liberatus est, cum medici eundem pro deplorato & strangulato reliquerint.* Alii hiante ore linguam deprimunt, cultrum ligneum acutum ingerunt (*si abscessum attingere possint*) in guttur, & tumorem disrumpunt, vel scalpello aperiunt: deinde pro no capite saniem expurgant. Non desunt, qui vbi tumorem in faucibus conspiciunt, cum vellicant vnguibus, aut ferro aperiunt, quidam etiam, si in tonsillis fiunt, vnguibus propriis dilacerant tunicam; & pus effluit. Alii spongiæ partem ad magnitudinem auellanæ suspendunt è filo, & ita ab ægro deuorari iubent: intumescit spongia, atque dum vi retrahitur, tumorem rumpit. Hoc alij bolo carnis salsæ semicoctæ ita suspenso & deuorato, dum vi retracto moliuntur. Hæc tamen omnia cum cautione facienda: Memini enim quendam tonsorem, sed temerarium, cui specillum (*tentam vocant*) immissum in guttur mulieris è manu sua elapsum per gulam in stomachum decidit; quæ postea multis annis tabida facta obiit: de qua aliquando dicemus, cum de vētriculi malis loquemur. Zoar antiquissimus medicus *lib. 1. suo Theisier cap. 13. & 14.* ferro quo modo incidantur, se in capra experimentum fecisse commemorat, sed hoc opus in desperatis anginis ex Antyllo docet Paulus *cap. 33.* Et Alexander Veronensis inquit: *Quidam in conclamata strangulatione, arduo remedio vsus est: nam trachææ inter annulum & annullum sub epiglottide dissecuit membranam*

am & respirandi modum inuenit ægrotante: donec sedata synanche, consuto vulnere, arteria persanaretur. Talis arteriæ incisio postremum in desperatis remedium est, quod etiam veterum inuentum fuit: ætate nostra, quod sciam, factum non est: Iacchinus tamen periculum fieri ait: alij vero temerariam eam curationem prædicant. Aperto vulnere caput ægrum inclinandum est, ne sanguis in pulmones demissus coaguletur. Ora vulneris aceto & aqua colluenda, ac exinde chalcantho profluuio sanguinis occurrimus: demum vlcus percurrandum est, sicut reliqua oris vlcera, mulsa & cadmia, vt *Galeno placet*: quoniam ad cicatricem perducit, sicut & lapis Phrygius vstus & lotus, & tritus imponitur cum melle. Sic Nicolaus Rota à Beniuenio cum ad mortem tenderet, ex angina curatus fuit: *Cum*, inquit, *intellexissem medicos quæcumque opportuna fuerant præsidia adhibuisse, cœpi ipse mecum cogitare, satius ne esset ægrum ipsum Deo & naturæ, vt cæteri medici, incuratum dimittere, an aliquod licet insolitum, vtile tamen, auxilium experiri. Verum adhortantibus his, qui ægro assistebant, consilium capio & locum altius sub ipsis maxillis, ac etiam supra collum incido: ex quo cum sanies multa prorumperet, adeo morbus leuatus est, vt faucibus ipsis spiritum simul & cibum cupientibus, facilis dein ad bonam valetudinem ægro ipsi daretur regressio.* Si autem per se rumpatur apostema vel abscessus, commodius scalpello aperiatur: æger capite prono etiam situandus est, vt aperto ore & capite deorsum inclinato pus commode, tum sanies egredi possit: imo subinde æger ipse aut medicus digito vel instrumento obtuso comprimant locum abscessus, vt sanies effluat per os, ne in gulam aut pectus dilabatur. Deinde succedit intentio, repurgandi & vlcus detergendi cum aqua mellis vel zacchari: veteres mulsa tergebant: alij hordei decocto cum melle. Quæ & subsequitur vltima intentio consolidandi cum linctu ex holo armeno & syrupo ros. vel melle, vel hoc gargarism. ℞. *aquæ decoct. rosarum rubearum, gallar. myrtill.* ℔ j. *rhuris, sanguinis draconis, sarcocollæ ana* ℥ ß. *syr. ros. ex ros. siccis* ℥ j. *misce, fiat leuis gargarisatio*. puluerem nonnulli addunt pilorum leporis combustorum & puluerisatorum ℈ j. misce.

OBSERVATIO XXIV.

De angina in pus mutata & ad pulmonem & pectus conuersa, ægrum pene suffocante.

IOhannes Themistocles Alcmarianus, cum annum quadragesimum fere compleuisset, capitisque morbis tum præcipue catharro obnoxius esset, in grauem & desperatam anginam sub finem Aprilis Maij anno millesimo quingentesimo quadragesimo sexto lapsus est, adeo, vt pocula sumpta per nares resilirent: aderat autem huic & dolor capitis & febris continua; per tres iam dies opera tonsoris & mulierc ularum remediis vsus fuit, donec suffocatio immineret: me tunc prius ex Gallia (*in qua tunc praxim exercueram*) in patriam reuersum, vocauit. Guttur autem, vti conspeximus, tam intus quam extra graui tumore afficiebatur: oculi vertebantur eidem, & valde rubebant prominentes; non aliter quam iis fieri solet, qui laqueo strangulantur, voce impedita, loquium quod eo tempore reseruatum erat, rubro colore tingebatur, pulsusque tensiuus raruſque apparebat. Tonsor, qui illi in cura astiterat, nihil aliud quam collo stercus ouillum aceto frictum iniecerat, venæ sectione tum diuersionibus prætermissis. Clysterem statim iniiciendum propono: verum ægro non admittente, glande aluus irritata est, & vena cephalica secta in brachio: & cum nec linctu, nec gargarismo vti posset, emplastrum quod leniret doloremque sedaret & resolueret, impositum est. Post meridiem atque sub noctem redij, cum amici suffocationem metuerent, ægrum sacerdotibus commendantes, qui eundem sacra iniunctione tanquam hinc emigraturum Deo commendarunt. Hora nona noctis denuo reuersus (*tales enim frequenter adeundi & inuisendi, ex Hippocratis diuinissimi decreto, vt tempori accidentibus, si quæ occurrant, subuenire liceat, vt in libello. De honestate constat*) sub lingua, cum eandem extendere non posset, libenter sanguinem detraxissemus: quod cum fieri non posset, eius loco tentauimus adhibere cucurbitulas scapulis cum scarificatione. Verum sedendo cum ex leui motione, oculi conuerterentur, faciesque in liuorem & viriditatem mutaretur, tanquam laqueo iniecto suffocationem denuo subiret, ab hoc genere remediorum abstinere coacti fuimus. Iterum emplastrum emolliens & resoluens nido hirundinis iecto, tumori imposuimus. Quarto die inuenimus tumorem aliquo modo laxiorem, & dolorem imminutum; quamquam nec deglutire, nec gargarisare posset. Cum enim ad suppurationem malum tendere videbatur, eo die, tum etiam quinto emplastrum magis, magis maturans imposui. Sexto liquida quædam deglutiuit cum difficultate; & ex cassia & diacatholico cum decoct. pectorali exhibita, bis aluum deposuit, multaque liquida & viscosa deiecit. Interea neque gargarisare, neque caput mouere poterat: quamquam postea ius pulli & serum lactis pitissando deglutiebat. Septimo autem die prius gargarismo vti potuit leniente & maturante: & cum à meridie tumor fieret laxior, febrisque minueretur, iam muturato apostemate, externo tumore imminuto, rupturam internam metuimus in noctem subsequentem. Quare ne ex multitudine materiæ in pectus forte illabentis suffocaretur, admonuimus vt capite decliniori decumberet, neque supine inter dormiendum subito in pectus irrueret, necemque subitaneam inferret; idque astantibus in mandatis cum dedissem, ne etiam dormirent, vel ægrum neglectim haberent, in multam noctem ad eum reuersus, postea discessi. Post mediam noctem, cum æger somno graui detentus supine cubaret & neglectim haberetur, eidem per se abscessus ruptus est, qui antea nullo modo attingi poterat: materia per asperam arteriam vnico momento in pectus defluxa, pulmonem & cor suffocabat, ægro subito à somno excitato, ob dolorem à duobus fortibus viris in lecto idem contineri non potuit, motuque vehementi inordinato clamans, se nunc suffocatum iri: non sine ratione, ex Hippocratis sententia, angina ad pulmonem versa, vt latius in scholio explicabimus, cito interficit. Cum itaque materia subito in pectus collapsa esset, potissimum inclinans in latus dextrum, cum tanta torsione, angustia & dolore, vt se iamiam suffocari continuo clamaret, Astantes me ex lecto reuocarunt: enema (*quod antea admittere noluerat, nunc vero dolore & metu mortis compulsus admittebat*) statim iniicere iubeo: quo & aluum mox deposuit, ad subitaneam materiæ retractionem, multaque fœtida & valde corrupta excrementa vna cum ventositatibus expulsis, deiecit; ita vt leuamen sentiret multoque liberius anhelitum ducere posset. Tunc quoque de vena basilica eiusdem

dem latèris in brachio aperientia mentionem feci: sed cum ob debilitatem non annueret, lotiuum medicamentum etiam adhibeo, ad materiæ purulentæ absterſionem (*ſi qua in gula aut ſtomachi vllis inhæreret*) ex decocto hordei communis & melle roſato, paratum. Deinde indesinenter absque vlla intermissione ad materiæ in pectus delapsæ disposition resolutionemque (nam hoc præsidium pro sacra anchora mihi solum relictum esse putabam) vt sequenti fomento vteretur, mandabam: ℞. *florum chamæmillæ, meliloti, ſummitatum anethi ana* m. j. *foliorum malvæ* m. ß. *ſeminis fœniculi: aniſi fænugræc. ana* ℥ ß. *fiat decoctio in aqua communi pro fotu*: panno laneo calide intincto & expresso, locus dolens continuo fometetur: quando astantes ab illa fomentatione abstinerent, æger quodammodo ex copia materiæ suffocabatur, ac dolore intolerabili augebatur. Rursus adhibito fotu tam in pectore quam in latere dolente, melius spirabat, & alleuiationem sentiebat. Locum quoque inunximus tam ante fotum quam post ex oleo chamæmel. anethino, liliaceo & axungia vituli ac felis simul commixtis, aluo prius irritata per clysterem, vt diximus, & absterſuo medicamento exhibito: hunc bolum quoque deuorandum dedimus. ℞. *caſſiæ recens extractæ* ℥ j. *pul. diaireos ſimplicis* ∋ ß. *cum ſacch. fiat bolus.* quo quatuor sedes habuit putridas, purulentas, muscosas multum tumque fœtentes pituitosasque & nonnihil biliosas; fotum & iniunctionem nondum relinquentes. Decimo die melius habere cœpit, vrina crassiore euadente, & materia in pectore prolapsa ad hepar per venas emulgentes in renes, & deinde per vrinam transmissa: eamque expulsionem adiuuando, hoc sequenti diuretico paulatim melius habere cœpit: ℞. *radic. fœniculi, petroſ. apij, glycyrrhizæ vaſa ana* ℥ ß. *hordei communis* ℔. j. *cicerum rub.* ʒ iij. *coquantur in aqua communi pro* ℔. j. *colaturæ addendo mellis roſa: colati* ℥ iij. *misce.* Pro cibo tunc ceruisiaria panata, exiguo butyro adiecto, zaccharo, & pauco vino immixto, commode vtebatur: & vndecimo die adhuc melius habuit. 12. die rursus ne materia in pectore remaneret, *cum* ℥ j. *diacatholici in* ℥ iij. *decoct. pectoral. soluti, addita* ℥ j. *mellis roſ. colati.* Tandem 13. die melius dormiens, ac sudore effluente ac pectore per syrupos pectorales repurgato per tussim 14. die fuit liberatus, & septimo die egregie curatus post apostematis eruptionem; neque empyemate in pectore subsequente: quod aliquando subsequi solet, vt in scholijs latius dicemus.

Scholia.

QVam periculosa sit permutatio anginæ ad alium locum, facile ex hoc exemplo præhabito cognoscitur. Si enim, *vt recte dicebat Meſue*, declinat in occultum corporis, sicuti est raptus eius proprie ad pulmonem & cor, interficit quidem: sed ad cor confestim præfocat, ad pulmonem non subito, sed in septem diebus; quos si effugiant, per suppurationem euadere possunt. Id quidem & diuinissimus Hippocrates testatus est, *aphor. 10. lib. 5.* sic dicens: *Quicunque ab angina liberantur is ad pulmonem vertitur, & in ſeptem diebus perimit; ſi vero has effugerint; ſuppurantur.* Galenus in Commento dicit hoc fieri ægro strangulato: & talis sermo est de transmutatione anginæ ad pulmonem: quod si septimam diem transeant, fluxione in pus conuersa fit suppuratio. Et tertio prognosticorum: *ſi in pulmonem conuerſio fiat, dementiam parit: ſumtque ex ea magna ex parte purulenti.* Si igitur anginæ tumor discutiatur sine sectione vel pure per os non exeunte, iam suppurata, & detumescit locus non facta manifesta euacuatione; signum est materiam raptam esse in alium locum: si vero ad pulmones, specialius ostendit pulsus magnus, vndosus cum tussicula; tum equidem peripneumoniam parat vel empyema, aliquando & pleuritidem; si ad pleuram rapitur, tunc pulsus durior erit; sed plerumque, *vt auctores ſcribunt*, in peripneumoniam mutatur: & procul dubio, quia aderat postea tussis, nisi hoc modo pus subtilius per fotum euasisset, materia in concauum pectus illapsa, æger in empyema transiisset. Verum cum antea dixerimus ad diuersa loca posse permutari, non solum ad loca iam dicta, verum etiam ad cerebrum rapitur materia: tum statim dolores capitis mentisque alienationes subsequentur & phrenitis. Si vero pulsus diuulsiuus fuerit, ad neruos factam esse conuersionem demonstrat, quod & spasmus neruorum denuntiat. Stomachi vero dolores nauseæque insolitæ ad ventrem materiam esse deriuatam, certum indicium est. At si denique pulsus misere subducitur cum cordis palpitatione, naturalis calor dissoluitur, cum defectu animi; ad præcordia materiam pestilentem peruenisse, nota est: Cum enim cor attingit, syncope subsequitur, tremor & casus virtutis, deinde mors cita. Si ad cutem, dolor in cute excrescit, durities minor, & rubor ad exteriora tendunt, si materia sit calida, potissimum cum remissione noxæ, quæ ab angina fiebat. Si itaque permutetur (quod cognoscitur, *vt diximus*, ex tumore delitescente & dolore euanescente) circumspiciendum diligenter ad quod membrum vertatur. Si enim in partem ignobiliorem vergat, quemadmodum ad cutem, adiuuanda erit permutatio, apponendo exterius emplastra attractiua: in quibus vt ponatur fermentum, ac emplastrum de sinapi solo, aut mollificantibus immixtis: cum enim tumor in extimis partibus se monstrauerit, ad eas partes trahendum est malum medicamentis attrahentibus, & cucurbitulis, etiam scarificatione adiurta sires vrgeat: & hoc opus vere dicitur translatio. *Et collum*, inquit Rhases, *epithemetur ex melle amaracino, & eſt remedium attractorium:* eius loco & nunc quidam sinapismo vtuntur vel vesicatorio, quod fermentum & cantharides recipiat, quo & nos aliquando commode vsi sumus. Si autem ad membrum nobile conuertatur, illud roboretur ne recipiat, sicut cerebrum aut caput, oxyrrhodino fronti ac temporibus admoto, vena cephalica secta, & eodem modo, vt phrenitis curatur. Si per gulam ad stomachum repat, materia repurganda, ne villis stomachi inhæreat, si ad spiritualia, ex basilica vena euacuatio perficienda, & venter leniendus, prout materia exigat: si ad cor rapitur, cor roborandum pectusque cordialibus iuuandum: quamuis tales fere semper occumbant: si ad pulmonem fit conuersio, curatur vt pulmonia. Ita nos cum subito pus in concauitatem pectoris sese recepisset, post diuersiones, fotu commode vsi sumus: & ne quid pectori inhæreret, etiam pectoralibus vtens, quæ tussiendo materiam expectorarent, commode iam dictis ingenijs curatus fuit. Interea (quod iam pene omiseram) ad detersionem vlceris in gutture, gargarismo detergente & abluente vsus, mox & consolidante. Deo auxilium nobis præbente, tandem curatus fuit. Ita, vt ex hac excellente curatione non exiguum honorem & amicorum copiam

Quam pernicioſa eſt permutatio anginæ ad cor vel pulmonem.

Signa permutationis.

piam & vulgi fauorem adeptus fuerim in primo aggressu praxeos meæ in patria: adeo, vt infinitis ex ciuibus nostris innotuerim: vtpote cum multis constaret de eiusdem vitæ discrimine; cum & senex medicus Æmilius cum audiuisset subito materiam ad spiritualia membra collapsam, mortem prædixerat; ita, vt huius felicis curationis apud multos percrebuerit fama, quod tam feliciter curationem absoluissem contra omnem fere hominum opinionem: licet naturæ forti, *iuxta Hippocratem*, nihil sit impossibile, cum & saniem per ossa expellat: quæ tamen licet fortis sit & mirabiliter operetur, eadem tamen sæpe medici adminiculo indiget: quemadmodum & in hoc ægro tamquam deplorato: vt enim melius fieret transpiratio per poros, opus erat fotu & vnctione & vt materia per aluum & vrinam auerteretur, similiter indigebat medicamentis hanc expulsionem iuuantibus; alioqui sine dubio æger cum natura forti succubisset, vel saltem ad empyema deueniisset: Ars enim, *teſte Hippocrate, cui & Galenus conſentit*, recte naturam operantem imitatur: hanc igitur adiuuare oportuit. Quibus intentionibus, facta suppuratione & ruptione, vlcus si remaneat in gutture, quomodo repurgetur & consolidetur, iam dictum est. Verum si Angina terminetur per induration-em, tunc partibus subtilibus resolutis & crassis remanentibus fit alleuiatio, & decrescit febris, ac reliqua symptomata minuuntur, & remanet tantum grauitas & dolor, ac impedimentum deglutitionis, aut anhelitus, longo tempore & fortasse per annum, & quia materia in lapidem mutatur. Sic Galenus *libr. de partibus interioribus refert, quendam diu tuſsi vexatum, viſcoſa quædam exſcreando; qui poſtea calculum grandini ſimilem extuſsiſſe cum conatu violento, vt pene ſuffocari videretur.* Hæc rarissime contingunt: sicut & alij quidã quasi frusta carnea strangulantia (*vt nos aliquando vidimus*) expectorauerunt cũ violenta tussi & sternutamento forti adiuta. Ita sororcula à me curata (*vt alias dixi*) lapillum sub lingua concretum expellebat. Si itaque apostema (*quod tamen rariſsimum eſt*) induratur, curabitur emollientibus exterius admotis: vt diachilo cum gummis, emplastro de mucilaginibus; fomentisque emollientibus, gargarismis quoque vim emolliendi habentibus, linctu quoque simul molliente: & summatim curabitur vt reliqua apostemata dura & scirrhosa. Si autem putrefiat, increscit febris, & cætera accidentia augentur, & partes putridæ, quæ sensui subiacent vel visui, liuent, fœtent ac nigrescunt, id plerumque fit ob multitudinem, aut materiæ malignitatem, si & locus viridis appareat. Hæc similiter rarissime fit. Si vero fiat, vniuersalibus remedijs insistendum; venis etiam sub lingua sectis, si consultum videatur: & locus scarificandus, qui iam putrescere incipit, modo illum attingere possimus, vt materia putrefacta & corrupta egrediatur vel absumatur. Deinde æger gargarisari debet cum aceto calido salito aut oxymelite, cui plus aceti immixtum sit, deinde reliquum curationis absoluendum, vt de aphthis exedentibus dictum est. Si vero interficit absque aliis supradictis terminationibus, quod neque resoluatur neque suppuretur, induretur aut putrefiat, tunc hominem occidit, vel qui corpus non nutritur, hoc ipsum deglutitione impediente, vel præfocatur anhelitu intercepto. Quamquam in quibusdam in angina, præcipue laten-

te, post mortem (*vt in lanione, vt refert Dodonaus cap. 18. in ſuis Obſerv. qui circa laryngem & fauces dolebat, & in deglutiendo cibo ac potu difficultatem habebat*) aperto corpore reperta est pulmonis substantia in pus conuersa, & ad vnum eius latus absessus pure quoque impletus. Nulla tussis huic antea fuerat molesta; neque sanguinis vlla sputatio præcesserat; sano validoque corpore eousque visus, eoque non gracili sed obeso. Idem in æstate anni 1565. diligenter annotauit multos augina & molesta ex capite destillatione correptos; præsertim ex his qui præcedente hyeme vel tussi vel raucedine laborassent, aut peripneumonia euasissent; plurimis horum posteaquam circa laryngem dolor remissior tandem desiisset, peripneumoniam succesisse, cum lateris dolore, non tamen pungente, & respirandi difficultate & pulsu molli. Horum non paucos intra non multos dies mortuos animaduertit; seniores euasisse & frigidiores. Horum autem pulmones vel purulenti fuere vel absessum habuere; iuxta vero laryngem, aut eius musculos, nihil occurrit, quod vel adesse vel adfuisse inflammationem ostenderet, satis quidem apparuit, pulmones male affectos, superueniente ac accedente è capite destillatione, reliqua symptomata succesisse; laryngem vero non primario, sed per sympathiam, siue consensum, laborasse. Verisimile vero & est, inquit idem, destillante humore asperam arteriam, eiusque ramos impleri atque distendi: deinde eodem ad alia vasa transmisso, à dolore liberari quidem asperam arteriam, ac eius supremum finem ipsam laryngem; pulmonis autem male affectas partes à dolore occupari: atque hoc modo ex angina in peripneumoniam per mutationem fieri. Subuenit huic morbo mox, si vires ferant, venæ sectio: ita enim citissime impetus defluentis humoris & auertitur & compescitur: deinde quæ lenire asperam arteriã & pulmonem queunt, ac sputi facilem exitum procurare: quibus & nos etiam postea vsi sumus, cum angina in pectus decumberet, quamquam statim expurgaretur, materia collapsa, vt neque empyema, vt plerumque fieri solet, tunc etiam dulcia, vt glycyrrhiza, eiusque decoctum conueniunt, vt vuæ passæ, vinum passum, aqua mulsa, vinum mulsum dilutum, si febris absit: & alia eius generis, quæ à Cælio Aureliano commendantur. Astringentium ac repercutientium in hoc morbo vsus inutilis: aceti vero etiam pernitiosus. Et ita omnem anginæ curationem absoluimus: quamquam alij addunt & correctionem symptomatum & accidentium, quæ eam subsequuntur, vt vehementiam doloris, difficilem deglutitionem & anhelitus attractionem; quibus & tertio adiungunt syncopem suffocatiuam. Dolor quidem corrigitur *anodynis, humidis quoque & mollientibus ac dolorem ſedentibus exterius admotis*: in calida *cum foliis malvæ, oleo viol. gallinæ pinguedine*: in frigida *dialthæa cum oleo amygd. dulc. cum butyro & croco, muccag. ſem. althææ, fænugr. cum oleo liliaceo, chamæmel. de meliloto; interius cum lacte tepido gargariſato cum ſyr. viol. & hord. decoct. viol.* & similibus, in calida, in frigida *cum decoct. mar. ficuum, flor. chamæmill. &c.* præcedente tamen venæ sectione, cum aliis iam dictis. Difficultas deglutitionis & anhelitus attractionis, si materia crassa viscida, cum decoct. aliqua ex dictis in materia frigida, addito oxymelite simplici: si subtilis sit humor, cum decocto in materia calida conue-

Accidentiũ correctio.

niente, adiectis ineraſſantibus, ſyr. viol. iuiubino & quæ magis expectorant. Syncopi occurrunt, *iuxta Aëtij mentem*, nempe ſuffocatiuæ, clyſteres acuti, ſectio venæ ſub lingua, & aliæ diuerſiones. *Reliqua vide apud Arculanum.* Nunc itaque ad alia genera præfocationis veniamus, quæ gutturi ac gulæ obtingunt, quæque è laqueis iniectis vel aqua immerſis, vel fumo ſuffocatis, quæque gulæ inhærentibus deuoratiſque obueniunt.

OBSERVATIO XXV.

De quodam qui laqueo iniecto collo ſe ipſum interfecerat: & de alio qui ſeipſum ſuſpendit.

SArtorem noui Alcmarianum (qui adhuc viuit dum hæc ſcriberemus) qui quotidie ceruiſia ſe implebat ebrioſus; cumque ob eam cauſam ab vxore obiurgaretur, neſcio qua furia exagitatus ſartor, miſer laqueo collo iniecto ſeipſum ſuſpendit. Quod cum videret vxor conuocauit vicinos, qui præfecto fune, vix ſpirantem ſartorem à laqueo liberarunt: cumque illi extinctum eum putarent, ſartor adhuc ebrius rauca voce inquit, *Non ſum mortuus*: & ſic vitam ſpirans, præſentibus omnibus riſum concitauit. At alterum noui, ſed (*pro dolor*) melancholicum ex deſperatione, qui cubiculum in altiori loco poſitum ſolus cum aſcendiſſet, cupam ceruiſiariam conſcendit, & funem trabi alligabat, colloque ſuo iniiciebat: deinde pedibus dimouens cupam, vitam ſuſpendio finire decreuerat. Verum mater, quæ tunc in inferiori loco domus erat, cupam cadentem cum audiret, ſubito cubiculum aſcendit, ſpectauitque miſera filium pendulum, mox conuocatis vicinis; qui & præfecto fune filium exceperunt ſatis annoſum: & is inter remedia (*dum nucem muſcatam, cinamomum, contrita, in os ſuffocati inſpirant*) reuixit.

SCHOLIA.

2 *Lib. 7. c. 3. De curatione quorundam præfocatorum.*

SI quis laquo ſuſpenſus fuerit, ita quod ex ore ſpuma exierit, *vt inquit Hippoc.* ſalutis locus relictus non eſt, & res in ancipiti habetur. *Aetate noſtra* (inquit Benedictus Veronenſis) *cuidam militi inter hoſtiles incurſiones id contigit, qui ligatis poſt terga manibus à duce Venetorum Franciſco Sforzia, ramo arboris & collo deligato fune* (à tergo enim dux ipſe militem ad arborem ſuſpendio delectam duxerat) *concitato equo, ſuſpenſus pependerat. Diſcedente duce, milites præfecto fune, vix ſpirantem militem exceperunt: qui inter remedia reuixit, & obtorto collo militiam ſemper exercuit.* Iis gargariſandum violaceum cum aqua tepente ſæpiſſime dari tradunt, ac ex ſimilagine liquidas potiones, aut ptiſana: & à multis abſtinere verbis ſuadent: Vel reuocantur, *iuxta Aetium*, aliquando ſuffocati, aceto ori infuſo cum pipere & ſemine vrticæ: verum difficulter tractari poſſunt vt admittant: cogere itaque oportet, ac ori infundere, vomitionemque irritare. Rubore autem circa collum diſſoluto, ſtatim reſpiciunt ac relaxantur: quare oleo multo calido & lana, aut cerato collum aſsidue circumcirca eſt amplectendum.

Lib 8. c. 49. De ſuffocatorum reuocatione.

OBSERVATIO XXVI.

De quibuſdam aqua fere ſuffocatis, & iiſdem ad vitam reuocatis.

INfantula ſupra duos annos nata, nondum tertium annum attingens, apud cereuiſiariã Delphis habitans, pro cuius cupis claues pro inſigni erant, anno 1564. Martio menſe in vaſculum aqua ſaponis plenum, in quo linteamina lata erant, cecidit: illaque aqua tota intus repleta, animam agere videbatur, alte dormiebat, ſtertebat, anhelitum vix trahens ſuffocabatur, murmure quodam obrepente oregmoni (*vt vocant*) ſimili, quale in morientibus apparere ſolet: adeo vt aſpera arteria oppleta vix aërem admitteret, foraſque expelleret. Ad hunc caſum accitus, iubeo vt decoctum hordei non excorticati, glycyrrhizæ & ſiccũ, adiecto exiguo butyro & ſaccharo, continuo obtruderetur; idq; tepide: & ita vomitu leui irritato, puella totam aquam ſaponicã cum euomuiſſet, illam paucis horis à ſuffuſione liberaui. Mater autem, niſi inhibuiſſem, vinum Rhenanum propinaſſet: quod equidem, naturæ amicum, non ſolum materiam venenoſam, quæ ſaponi ineſt, ad cor facilius perduxiſſet; verum etiam facile inflammationem & febrem induxiſſet. Pons ligneus qui è regione domus ciuicæ conſtructus, carie quaſi conſumptus, anno 1577. cum miles quidam in aquam inciderat, multitudine hominum tam puerorum quam puellarum, ſupra pontem ruentium aduolante, vt ſpectarent quid ageretur, ſubito in aquam collapſi, infiniti aqua obruti de vita periclitabantur, ad quos cum vocatus eſſem, ſalui euadebant, ſumpto decocto ex noſtro conſilio, florum chamæmillæ in cereuiſia decoctorum; quo ſudorem in lecto poſitis prouocauimus: inter quos erat filia Hugonis Iacobi pharmacopœi noſtri annos 20. nata, quæ etiam infantẽ dum in aqua iaceret, in vlnis habebat, diu extra mentem ſine loquela perſiſtens: quam veſtibus abſciſſis, cum ob humiditatem exui non poſſent, in lectum collocauimus calidum, & iuſſimus vt puella nuda eam amplecteretur: etiam decocto florum chamæmillæ cum ſe rediiſſet, ſumpto, hoc modo ſudorem euocauimus; quod & aliis commode fecimus, vt omnes ſanitatem recuperarint.

SCHOLIA.

NAufragos Aëtius vti ſuffocatos laqueo, ſimili modo reuocat, modo reſpiratio adhuc in eis ſeruetur. Prius autem, inquit, capiti eorum ſonum emittere conuenit (*vt nos quoque fecimus antequam decoctum florum chamæmillæ præberemus*) ac cogere, quo abſorptam aquam euomant, ſine pinularum ſeu digitorum irritatione: forinſecus vero manuum impoſitione iuuare oportet ventris firmitatem. Si quis item aquæ immerſus extinctæ animæ ſpeciem præberet, inquit Benedictus Veronenſis, cruribus protinus ſuſpendi debet: illud tamen ſubinde ſuſpectum eſt; quale etiam illud vulgare conſilium rotationis ſupra cupam, vt ſic aquam euomant: verũ talem motum ſic exanimes minus ferre poſſunt: ſed quod deinde refert eſt magis tutum, animam ſcilicet ſuſcitari hyeme, calido conclaui, ſuffitionibus bene olentibus; qualis muſcus eſt (*modo non ſint puellæ malis vterinæ obnoxiæ*) ac lignũ aloes, quod in deliciis nunc cremari ſolet, pretium eius in libras aureis binis, torno poliunt

poliunt lignum in baccas, quas ad ſacras orationes ſuperſtitioſe conſuunt: quale apud priſcos eſſet, non liquido comperimus: probatur gummoſum, ac graue bene olens ac nigreſcens, catioſis liguis ſimile, ad medicinas expetitur. Interea quæ cordi proſunt ſorbitiones, exinde ex cicetis farina cum lacte offerri ſolent. At ſalubrior eſt carnis eraticula, aut veru aſſæ ſuccus cum oui luteo. Quidam, poſtquam vires recollegerit æger, ſanguinem demitti iubent ex iecoraria vena, ac clyſteres ſingulis diebus infundunt. Sic ego aliquando præmanibus habui aliam puellam ſupra nouemdecim annos natam, quæ cum ex curru cecidiſſet in aquã putrem & cœnoſam, & eam non ſatis euomuiſſet, neque medicum adhibuiſſet, poſt duas ſeptimanas dolore inſigni in lumbis & renibus, & febre continua quamuis lenta ſine ordine augeſcente correpta fuit; ſanguine ex vena baſilica detracto & purgatione commoda adhibita, & ventriculo corroborato etiam conualuit. Memini ſuffocatos quoque in naui duos vel tres, in qua cereuiſia concluſa erat, cum exitum non haberet. Et ita iſtis diebus nautæ puerum habui ex fumo pene præfocatum, qui ſubito extractus quaſi mortuus, in domum cereuiſiarij deportabatur: quem & nos bonis odoribus recreauimus & reſtituimus. Ex fumo aliquando ſuffocatio obrepit, in iis ædib. qui carbone pro igne vtuntur admodum male olente, vel in loco concluſo, vt aër libere trahi non poſſit: quemadmodum narrat Matthæus de Gradi ſuo tempore Mediolani contigiſſe in duobus famulis eiuſdam pharmacopæi, qui hoc modo ſubito extincti fuere. Huius mortis cauſam Eraſiſtratus aſſignabat, quod non poſſent ſpiritum continere præ nimia ſubtilitate: contra Galenus, quod ſicuti cibi quidam, vt panis, olerum & ſimilium nobis familiares ſunt; quorundam vero, vt cantharidũ, leporis marini, qualitas nobis extranea eſt: ita & exiſtimat aëtis quandam nobis eſſe familiarem ac ſpiritui amicam qualitatem; aliam vero extraneã & corrumpentem ſpiritus. Cæterum vt vt res ſe habet, poterit fortaſſe & ex alio fumo non corrumpente fieri præfocatio. Et ideo Haly Practicæ ſuæ lib. 6. c. 4. inquit: *Qui autem ex fumo fuerit ſuffocatus & diſſolutus, ſi ab eius ore ſpuma exierit, nulla via eſt ad eius ſalutem: cui autem non ſic, violarum gargariſet oleum, & aquam tepidam, ſorbitionem ex ſuccure: atque à clamore arceatur, & verbis multis,* quod ex laqueis antea ſuffocatis vtile eſſe diximus. Curabitur quoque calidorum & impinguantium correctione, id eſt, multum nutritiuorum, vt quidam interpretantur. Pinguia quidem, vt mihi videtur, ob fumi acredinem præſcribunt. Suffitus quoque ex aromate cordiali frigidiſque admixtis conuenit: vt eſt nymphæa, papauer ob qualitatem manifeſtam fumo reſiſtentem, quæ calida & ſicca eſt. Quidam & hic poſt duos dies ſectionem venæ imperant. Tales autem & qui in aëre fœtido concluſi ſunt, ſtatim ad aërem apertum deducere oportet, & odoribus bonis reſtituere & reficere.

OBSERVATIO XXVII.

De muliere cui in tonſillis ſpina piſcium inhærebat, pene ſuffocationem inferente: & de altera quæ acum deuorauerat.

MVlier Delphenſis vetula cum ſpinam piſcis deuoraſſet, tonſillis inhærebat, vt pene ſuffocaretur: quæ neque vllo modo dimoueri potuit, neque potu largiore, neque cibis mollibus, aut oſſis aut magno panis bolo, cui aliquando inhærere ſolet. Quamobrem ecligmata emollientia ex muccagine ficuum, rad. althææ, ſeminis malmauiſci, vuar. paſſul. ſebeſten & iuiubarum cum ſyr. violaceo confecta vt continuo lamberet, imperaui. Deinde cataplaſmata toto gutturi circumducto, ſpinam raſcatione tandem euulſam reddidit At mulier illa quæ acum deuorauerat inſcia, gulæ infixa cum diu inhæreret, nullis remediis medicorum illuſtrium, neque noſtro conſilio poſtea vtens curari potuit; vt tandem miſera tabe obierit.

SCHOLIA.

MEmini quendam Alcmarianum, qui longo tempore cum valetudinarius eſſet, nec eum alij curare poſſent, & aciculam deuoraſſet, cum aliqua remedia adhibuiſſemus, quæ vias lubricas facerent, vt deſcenderet, aciculam poſtea deuoratam eminxiſſe quod minus admirati ſumus, cum & Langius id in iuuencula etiam eueniſſe ſcribat *lib. 2. epiſt. 40.* Sed & Alex. Veronenſ. refert *lib. 2. Anatomiæ ſuæ, c. 9.* mulierem Venetam, acum crinalem, qua cirri capillorum intorquentur quatuor digitorum longitudine, quam obdormiſcens in ore detentam deglutierat, decimo tandem menſe eminxiſſe. Beniuenius quoque *De abditis morborum cauſis cap. 20.* mulierem æneam acum & deuoraſſe, & poſt decem annos perforato ſtomacho extruſiſſe ſcribit: quam & ipſe vidit & curauit. Cæterum, ſi in aſperæ arteriæ extremum, atque ipſam adeo aſperam arteriam, aliquid eorum quæ deglutiuntur delapſum, tumorem induxerit, tuſſis prouocanda eſt, per acetoſam aliquam qualitatem, & ſternutatorium quoque naribus admouendum ex vehementi enim agitatione & inſtantia, ſpiritu ſimul expulſionem adiuuante, eiuſmodi conſueuerunt excerni. Si vero iuxta tonſillas (*inquit Aëtius*) aut iuxta principium ſtomachi ſeu gulæ, ſpinæ aut oſſa fuerint infixa, ita vt oculis ſubiaceant, atque plurima ſui parte extra tonſillas promineant, volſella apprehenſum extrahere oportet. Quum vero in inferioribus gulæ locis adhæſerit, hoc modo educatur; *Spongiam parvam reſina terebinthina madefactam, aut carunculam crudam recentem exſculptam, vna cum filo valido ipſi alligato, deglutire coge, & mox compreheuſam per alligatum filum rurſus extrahe.* Hoc enim modo ſæpe etiam id quod infixum fuit, ſimul extrahi conſueuit: conuenit etiam panis recentis interioris bucellas deglutiendas exhibere citra commanducationem; non tamen penitus diſſoluram. Quum ad fundum vſque ipſorum corporum penetrarit, neque extrahi potuerit, aqua mulſa gargariſanda exhibeatur, & cibi ſorbiles, velut ptiſana cum melle, aut halica ſimiliter: aut micæ aqua mulſa calida maceratæ offerantur: forinſecus vero ceruici atque vniuerſo collo lanam oleo calido imbutam imponere oportet ſimiliterque cataplaſmate calido laxante & deprimente collum contegere conuenit: velut eſt id quod ex ſemine lini cum aqua mulſa apparatur. Hoc enim ductu tum locus ipſe ſuppuratur, tum ſpina commota ſimul cum his quæ deglutiuntur, deducitur.

*Præfocatio ex ſpuma & conuulſione & ſtridore ve. cluſa erat. quo- catum, qui ſubito extractus quaſi morruus, in do- diebus nautæ puerum habui ex fumo pene præfo- mum cereuiſiarij deportabatur: quem & nos bo- nisodorib. recreauimus & reſtituimus. Ex fumo aliquando ſuffocatio obrepit, in iis ædib. qui carbone pro igne vtuntur admodum male olente, vel in loco concluſo, vt aër libere trahi non poſſit: quemadmodum narrat Matthæus de Gradi ſuo tempore Mediolani contigiſſe in duobus famulis eiuſdam pharmacopæi, qui hoc modo ſubito extincti fuere. Huius mortis cauſam Eraſiſtratus aſſignabat, quod non poſſent ſpiritum continere præ nimia ſubtilitate: contra Galenus, quod ſicuti cibi quidam, vt panis, olerum & ſimilium nobis familiares ſunt; quorundam vero, vt cantharidũ, leporis marini, qualitas nobis extranea eſt: ita & exiſtimat aëtis quandam nobis eſſe familiarem ac ſpiritui amicam qualitatem; aliam vero extraneã & corrumpentem ſpiritus. Cæterum vt vt res ſe habet, poterit fortaſſe & ex alio fumo non corrumpente fieri præfocatio. Et ideo Haly Practicæ ſuæ lib. 6. c. 4. inquit: *Qui autem ex fumo fuerit ſuffocatus & diſſolutus, ſi ab eius ore ſpuma exierit, nulla via eſt ad eius ſalutem: cui autem non ſic, violarum gargariſet oleum, & aquam tepidam, ſorbitionem ex ſuccure: atque à clamore arceatur, & verbis multis,* quod ex laqueis antea ſuffocatis vtile eſſe diximus. Curabitur quoque calidorum & impinguantium correctione, id eſt, multum nutritiuorum, vt quidam interpretantur. Pinguia quidem, vt mihi videtur, ob fumi acredinem præſcribunt. Suffitus quoque ex aromate cordiali frigidiſque admixtis conuenit: vt eſt nymphæa, papauer ob qualitatem manifeſtam fumo reſiſtentem, quæ calida & ſicca eſt. Quidam & hic poſt duos dies ſectionem venæ imperant. Tales autem & qui in aëre fœtido concluſi ſunt, ſtatim ad aërem apertum deducere oportet, & odoribus bonis reſtituere & reficere.*

Acus per lotium emiſſa.

Aenea acus perforato ſtomacho extruſa extrinſecus.

3 *Lib. 8. c. 50. De deuoratis in tonſillas ſpinis atque in aſperam arteriam delabuntur.*

OBSERVATIO XXVIII.

De quibusdã rebus solidis deuoratis & gulæ inhærẽtibus.

COncubina cuiusdam nobilis, cum in vltimo mense partus grauida foret, poma cruda immatura, quæ à diuo Ioanne nomen habent, cum auidius sine masticatione deglutiisset, gulæ ita infarcta sunt, vt nocte pene suffocata, voce quoq; in totum suppressa, anhelitu impedito, animã agere videretur. Ad quam noctu euocatus, speculo in os immisso nihil quicquam in gutture inspicere potui. Permansérat in tali angustia, & sine voce per duas horas: sed cum forte fortuna prope lectum animaduertissem poma illa cruda adesse, interrogaui, numquid ex iis quædam deuorasset? annuit autem, cum eloqui non posset, digitoq; monstrabat in gutture hærere: cum neque per os cereniam sumere posset, ea ipsa ad nares regurgitante, oxymel continuo lambendum dedi: quo ructibus emissis, tandem per continuum vsum oxymelitis pituita crassa per os exeunte mox poma incisa per acetum, in stomachum delapsa sunt; & anhelitum ac vocem recuperauit & præter omnium opinionem à præfocatione hoc præsidio liberata fuit.

Quemadmodum & altera rustica mulier, quæ vltra Sceldam fluuium commorabatur, annos supra quinquaginta nata, quæ & auidius frustum carnis fumo induratæ deuorauerat: quod cum non probe masticasset, & subito inglutiisset, œsophagum transire non potuit, gulæque infarctum & fortiter hærens, suffocationem pene inferebat: adeo vt neque tussiendo, neque verberando dorsum (quod & vulgares recte in tali casu facere consueuerunt) neque exire vel resilire aut descendere potuerit via œsophagi etiam præcluſa per tres integros dies, nihil edulij aut potus sumens, ex fame, sana existens, mortem exspectabat. Verum hæc ipsa omnis consilij expers me tandem accessit, & quæ contigerant apud eam narrat, cum rectè loqui posset, cum in partibus meri (vt vocant) paulo inferius frustum impactum esset. Cum neque specillo immisso, neq; candela cerea attingi posset, iussi vt follicula cassiæ lamberet, & lingua attereret, vt paulatim à folliculis cassia soluta leuiter in gulam dilaberetur: cumque à glande aluus soluta esset, & cataplasmate collo interiecto ex *folior. maluæ* m.iiij. *flor. chamæmill. meliloti ana man.* j. *radicis althææ* ℥ ij. *decoctis in aqua ad mollitudinem contusis, adiectis farinæ semin. lini, fœnugr. ana* ℥ ij. *& medietate nidi hirundinis, & olei chamæmill. amygd. dulc. & butyr.* quarto die cum tentaret pitissando ferum lactis, impetu quodam carneum frustum in stomachum dilapsum est: & supradictis præsidiis à dicto symptomate liberata bene deinde habuit. Cum hæc ægrotanti cuidam postea narrabam, is retulit cum persicum malum auidius deuoraret, nucleum seu lapillum gulæ inhærentem eundem obstruxisse; sed cum mox copiosiore potu vnico hausto vteretur, vi quadam demissum esse in ventriculum. At postmodum in longanone circa anum hærens, cum ingenti ventris dolore, adeo vt tribus diebus aluum minime deponere posset, tandem impetu quodam bombardæ instar, dum globuli emittuntur, per anum erupit simul cum excrementis: quamquam ab eo tempore plurib. annis pus excernens in perpetuas hæmorrhoides vel potius condilomata inciderit, ano ita per lapilli transitum læso. Cui tamen nunc pleuritide laboranti etiam à me curato, apta pro hoc symptomate pollicebar me adhibiturum remedia: verum nunc à pleuritide liberatus, ea neglexit, cum postea amplius me non accesserit, neque à me visus sit. Memini vero & aliam puellam annos 28. natam, 18. Septembr. anno 1582. particulam carnis durã & neruosam subito inglutiisse, eamque iisdem præsidiis à præfocatione fuisse curatam, cum die sequenti in stomachum delapsa esset. Ita quoque eodem an. 23. Decembr. filiam 23. annorum Regneri ministri Delphensis cognoui, quæ cum intestina bouilla dura & tenacia auide comedisset, gulam obstruxere, vt per tres dies nihil deglutire potuerit: sed glande aluo irritata, & collo prius inuncto oleo lilior. amygd. dulc. deinde cataplasmate iniecto, ab eodem malo, vti præcedentes, cum mortem omnes altantes timerent, liberata fuit nostra industria, Deo adiuuante.

Scholia.

IN hoc affectu gulæ vel œsophagus læditur: sed obstructione, cum nullo modo deglutitio fieri possit, sed nequaquam resolutione; de qua dictum est prius cum de paralysi loqueremur, scilicet laryngis & œsophagi: sed hic affectus morbum sequitur, nempe obstructionem in via. Plurima autem in gula persistentia multis modis hominem lædere possunt; imo & aliquando mortem inferre. Vt mulieri euenit, cui cum chirurgus probam (vt vocant) vel tentam cum in gutture laboraret, immisisset, vt paulo ante diximus, suo infortunio è manu dilapsa in gulam, postea in stomachum descendit longitudine octo vel plurium digitorum; sed aliquot annis ibidem permanens (*vt nos vidimus cum nostro collega Cornelio Heydio, cum illam per manibus haberemus*) tandem misere tabe obiit. Narratum est nobis aliquando, lignum ad digiti longioris crassitudinem & longitudinem deuoratum fuisse, & per annum in corpore retentum, deinde ab eodem viro qui illud deglutiuerat in templo sedente, torminibus ventris correpto, & in domum eunte, aluumque tunc excernente per sedem eiectum esse. Refert quoque Arculanus se vidisse os acutum gutturi infixum tandem in fine duorum mensium per cutem exiisse. Illud etiam memoria dignum videtur (*teste Beniuenio*) *Mulier præfocata cum ab omnibus pro mortua haberetur, & de eius potius funere quam vita cogitarent assistentes, paulatim quasi grauiore somno excitata, in molestam incidit tussim; qua cum diu agitata esset, duriores tandem carnis frustulum eiecit, & sanata est.* Ita & Iulianus medicus apud eundem vomitu frustum carnis ad paruæ pilæ magnitudinem, in quo vermis non secus ac bruchus in siliqua recludebatur, reiecit; & ad pristinam statim reuersus est valetudinem: hic tamen circa ventriculum cruciabatur prius. Frequentissimum quoque est (*teste Benedicto Veronense*) voracissimos quosdam, ossa & spinas, lapillos, denarium, aut panis frustum & similia deuorasse: quod pueris sæpe contingit, vnde dolor ac spiritus agitatio percipitur, & alterutra canalicula oppilata hominem exanimat suffocando, quoniam ij meatus vicinitate conueniũt: & quicquid per gulam transit immodicæ magnitudinis, arteriam quoque strangulat. Sic ego quoque meminí fratrem meum Theodorum Forestum tunc puerum existentem plumbum rotundum sed depressum, inter ludendum cum in ore teneret deglutiisse, tertio deinde die absque molestia denuo cum fæcibus per aluum reddidisse. Quod alicui mirum forte non videbitur, cum aliqui à prædonibus vel militibus obsessi aureos nummos comprimentes deuorent, quos postea rursus per aluum deiiciunt. Illud tamen magis admirandum, modo verum sit, quod narratur, quendam acumen cultri prærupti deuorasse, ac idem per posteriora reddidisse: quamuis existimarem ferrum rubiginem posse contrahere, quæ & intestina oblædere posset, licet rursus per fæces quæ continuo per intestina exeunt, rubigo auferri posset. Interea qualiacunque fuerint, quæ naturæ inutilia sunt stomachum & gulam in transeundo facile lædere possunt. Sic ego memini iuuenem quendam Harlemensẽ squillas viuas deglutiisse (*vulgares garnarem appellant*) easque non solum in stomacho hæsisse, & dolorem intulisse, sed tandem tabem & mortem. Licet aliquos nouerim, acanthios fluuiatiles (*vulgo* poschen *dicuntur*) duos deglutiisse viuos; tandem & tertium: sed sibi ipsi & præfocationem & mortem intulisse: quamquam & sacerdotem Alcmarianum quoq; nouerim, qui coctos, pinnis ablatis, sine noxa deglutierit. Verum tales helluones sunt, vt Bassus qui apud imperatorem Carolum halecem interaneis ablatis, aliquando cum ceruisia deglutiisse fertur. Verum videntur mihi tales temerarij: vt nuper quidam Alcmariæ, quem noui, tres Daleros cum ceruisia vnico haustu per gulam demisit, & tertio die iterum per aluum reddidit: quidam magna temeritate & insolentes & testes confractas, & vitrum contritum deuorarunt, ita vt eiusmodi guloſi se aliquid egregij præstitisse existiment. Quamquam vidimus vel vini guttam vel acetí ob acredinem ita asperam arteriam torsisse: quos veluti strangulatos excepimus, cum in alienum tramitem acris humor deerrauerat. Nonne stulti & temerarij iuuenes, qui in conuiuiis pro deliciis, imo gulæ inseruientes, nuces auellanas integras cum vino ingurgitant? immemores quod Anacreon poëta, vt fertur, acino vuæ passæ deuorato strangulatus sit: & Fabius senator Romanus in lacte pilo hausto. *Sic etiam matrona quædam* (vt testis est Benedictus Veronensis) *Brixiensis inuito filio pilulam assumere neganti, digito imprudens in arteriam compulit, qui protinus exanimatus in sinum iacuit.* Nonne & piscis spina sola transuersa, fauces occupans, spiritus agitationem facit? Iam & venena deuorata, *vt postea dicemus*, strangularionem faciunt. Verum quibus excutiantur ex gutture, iam dictum est: vt scapulis pugno percussis, tussi. De quibus vide Benedictum Veronensem, & Rhasem, & Arculanum: qui etiam plumbeum quoddam instrumentum describit multis foraminibus peruium retis instar, quo in gulam demisso, quicquid gutturi inhæret, attrahitur.

OBSERVATIO XXIX.

De crinibus vomitu eiectis & suffocationẽ inferentibus.

FIlius cuiusdam fabri laterarij, qui in cygno rubro Delphis habitabat, anno 1562. cum diu tõsillarum inflammatione & gutturis ac faucium inflammatione laborasset, multisque remediis vsus esset, & meam operam quoque frustra expertus esset, incidit in manus cuiusdam empirici: & epoto medicamento nescio quo enormi secessu, vomitu tum violento subsequente, crines conglomeratos magna vi euomuit, in tantam angustiam prius coniectus, vt se disrumpi & in partes lacerari clamaret. Erant autem crines rubri tam quam à barba rasa prius expullulante incisi valde curti, producti, mox in vnum conglomerati eiecti, & à vomitu amplius dolorem in gutture non sentiebat: adeo vt nunc sine dolore, quod prius facere non potuit, quæuis deuorare & deglutire potuerit, quamuis & rascatione per aliquod tempus (vt vidimus) per sputum eiusmodi minutos pilos per tres scilicet continuos dies expulerit, & nunc præter spem miraculose curatus: quamquam vulgares adolescentem 22. annorum veneficio seu incantatione affectum iudicarent. Quicquid sit, eiectis crinibus præfocationem gutturis amplius non est perpessus, & postea vxorem ducens recte habuit. At aliam iuuenculam noui, quæ singulis fere mensibus crines conglobatos vomitu admodum molesto deiiceret. 2.

Scholia.

NOn sine strangulationis periculo (*inquit Benedictus Veronensis medicus insignis*) euomuntur, quæ fidem excedunt. Vidimus mulieres duas socias & in ciuitate familiares, vna die malis, vt arbitrati sunt medicamentis potionatas, quæ monstrificis exagitatæ vomitionibus miraculum præbuere: altera acum crinalem ingentem, in modum hami implicatam cum capillo muliebri plusculo, cum resegminibus vnguium inuoluto, reiecit magnis conatibus, dum ea euomeret omni nixu, nihilo pene minus strangulata iacuit, quæ sequenti nocte obiit. Altera item capillamentum muliebre, vitri frusta, cum canis caudæ pilosæ tribus fruſtis arefactis, ita vt pene integræ caudæ quantitatem, si vna composita fuissent, facile adimplerent: Ter aut quater in eos conatus iacuit anxio hiatu pene suffocata & moribunda. Vnde, quæso Deum immortalem, eos efficaces effectus inuenerit mortalitas? Mox idem ait magorum esse commenta, de his eundem perlegito, tum Wierum ac alios qui de præstigiis dæmonum scripserunt. Strangulati tamen, quocumq; modo fiant, non sunt relinquendi sine præsidiis, cũ Aristoteles tradat quosdam strãgulatos in sepulchris reuixisse. His addere poteris ea, quæ idem Benedictus Veronensis scribit lib. 7. cap. 25. de remediis veneficiorum & inhærentis ossis vel spinæ.

Lib. 7. c. 25. De his quæ non sine strangulationis periculo euomũtur, & quæ deuorantur.

Veneficiorum vis incredibilis.

OBSERVATIO XXX.

De puero aquam fortem bibente, qui præ ardore in gutture suffocabatur.

APud Gandauum puer (*vt nobis relatum est*) cum aquam fortem insciꝰ bibisset, & gula præ ardore occluderetur, adeo vt suffocationis periculum immineret: medicus exhibuit muccaginem cotoneorum in potu: & puer præter multorum opinionem euasit. Refert Amatus quoque de muliere quadam, cui sublimatum ad internecionem datum esset illico id persensit, suffocationem incurrens & excoriationem: & euocato vomitu sana euasit. 1

Scholia.

OEsophagus tum gula iisdem fere morbis aliquando, vt ventriculus afficitur: quamuis eidem hi affectus magis peculiares sint, difficultas diglutiendi, excoriatio, inflammatio, apostema, vlcus. Cæterum impeditur aliquando deglutitio 2

De œsophagi, gulæ & veri affectibus.

ab iis, quæ deuorata gulam omnino obstruunt, de quibus nunc dictum est, ob anginam & inflammationem tonsillarum : vel apostema in iisdem locis, vel in gula, vt non possimus deglutire, neque cibum sumere, nisi eædem causæ vel affectus illi auferantur. Ita Ioannes Tiengius medicus percelebris Amstelrodamensis monacham quandam habuit præ manibus, quæ apostema in meri seu gula habebat, quæ vicesimo prius die perrupta fuit, vt demum cibum tunc deglutire potuerit : iniecerat subinde clysterem ex lacte dulci ad nutriendum, vitellis ouorum iniectis. Idem Amatus de angina occupante laryngem & œsophagum docet, quod per clysteres iniecta iuscula nutrire valent, Idem etiam Cornel. Celsus affirmat, & Abinzoar medicus illustris, tum Mauritiani medici id quoque sentiunt. Quandoque etiam deglutitio impeditur in resolutione œsophagi, *de qua egimus scholio, Obserua.* 88. *lib.* 20. in qua quidem cibaria deuorari possunt atque deglutiri quæ sunt consistentia, spissa : liquida nequaquam : rationem eius ibidem diximus, tum quoque curationem, iam quoque & Galenus de motu musculorum, vt & alij, œsophagum posse resolui dicunt : est autem vis oblonga & angusta ab ore in ventriculum ex duabus tunicis constans.

Deglutitio plurimùm ob causas impeditur.

Cent. 1. Curat. 100.

3 Is interdum satis contrahi non potest, vt cibum propellat in ventriculum, ac maxime potum, qui consistentiam non habet : nam cibum facilius potest transmittere, aliquando videtur cibus velut in lagenam demitti. Vtrumque signum est pessimum in febribus acutis, siue propter imbecillitatem, siue propter nimiam dilatationem, non possint deglutire ægri cum eo peruenerunt, fere sunt deplorati & solis prognosticis derelinquendi. Morbis hic quandoque fit à defluxione à capite: quod deprehenditur, si vel capitis grauitas, vel tensio colli, vel defluxio in aliquam oris partem præcesserit. Vacuato capite, pars ægra siccanda: cuius curationem apud Rondeletium videas. Adhibet pilulas de hiera, elephanginas ante cibum, syr. exsiccantes calefac. de hyssopo, è stœchade, mel. ros. anthosatum, abstinet ab aperientibus, vt de byzantiis, de quinque rad. ne attenuando fluxionem augeant : adiungit herbas, vt betonicam, saluiam, paralys. chamæpityn : adhibet cucurbitulas sine scarificatione, nisi pars affecta fuerit & inflammata : tunc etiam venam secat. Ad absumendam nimiam illam humiditatem œsophagi vtitur exterius admotis, vel oleo nardino, costino; & interius theriaca & similibus, vt apud eundem videre poteris. Nonnunquam post frequentes vomitiones & repletiones œsophagi pars infetior & os ventriculi sic relaxantur, vt cibus contineri non possit. His conueniunt remedia superiori contraria, nempe astringentia tam intus quam extra adhibita. Excoriatio vero & vlcus quamuis inter se aliquo modo differant (*cum excoriatio tantum dicatur summa pars decisa ; vlcus autem profundius penetret*) sæpe tamen ab iisdem causis proueniunt secundum magis & minus. Et ita excoriatio fit vel à causa procatarctica, vt veneno, vel acri, vel male manso, vel aspero vel osse deuorato : aut à causa interna, vt humore acri defluente à cerebro, vel vomitu reiecto : accidit & nonnunquam in febribus ardentibus siti diu tolerata, & ob caliditatem & siccitatem in actioribus factis humoribus. Indicia facile habentur ex sensu doloris, dum vinum aut iusculum aut quippiam aliud calidum bibatur. Si à causis externis facile ex relatu ægri habentur, quæ comesta, bibita vel deuorata sint : interna quoque, num acris fluxio, vel biliosus vomitus præcesserint, vel febris, quæ equidem causæ diligenter distinguendæ, vt pro diuersitate illarum curationem inueniamus. Et sic causa antecedens, siue externa, siue interna, primum auferenda est : vt si acris sit defluxio, ea curetur, vt dictum est de catarrho. Si igitur gula excoriata fuerit ex acri defluxione, valent. syr. & decocta incrassantia : deinde detergentia & posttremo siccantia & astringentia, quæ possunt excoriationem vel vlcus siccare. Interim tamen videndum est, vt recte admonebat Rondeletius, an morbus sit simplex, an compositus, an causam præsentem habeat, aliudue symptoma, quod curam ad se trahat : vt si vna cum excoriatione magna sit inflammatio, vel intemperies calida sicca : vel si quod inflammationem facit, adhuc adhæreat, caliditas enim & inflammatio, tum morbum, tum curationem, tardant. In magna caliditate medicamenta sint frigida, & quæ lentorem quendam habeant vt adhærere possint, & excoriationem non exasperent. Si inflammatio adsit, mittatur sanguis : deinde in principio detur cremor hordei mundati, quoniam minus terget, magis lenit, dolorem sedat : postea vtetur cremore hordei integri, quia magis terget, *vel decocto febesten, vel muccilag. sem. psyllij. cidon. ana* ʒ ß. *pap. albi* ʒ iij. *extract. cum aqua ros. addito pauco sacch. ad dulcedinem.* Præstantissimum quoque remedium est *ouum integrum agitatum, exiguo saccharo adiecto* : si est inflammatio aut dolor magnus, aut medicamentum venenosum deuoratum, ouum sit crudum : nam si coctum esset & assatum, deuoluceretur in ventriculum, & ita nil prodesset. His sæpe curatur lenis excoriatio. Commode etiam datur *syr. de pap. aut diacodium Gal.* cum volumus compescere fluxionem vel detergere : habet enim sapam & glyc. quæ detergent. Si propter immodicam siccitatem exsiccata sit, iisdem remediis erit insistendum, nimirum frigidis & humidis, vt syr. viol. gallinæ iusculo, aut pulli frigide sumpto. Venenum si sumptum est, atque ex eo strangulantur, præter vomitum remedia vnicuique veneno propria sunt adhibenda, vt de venenis dicemus, quæque ex tota substantia venenis repugnent : ideo prius diligenter inquirendum, quale venenum sumptum sit. Sic mulier illa, de qua diximus, cum iusculum sumpsisset, in quo sublimatum immixtum erat, cum ebibisset, saporem gustasse dicebat similem illi, quem æris rubigo ore relinquere solet. Memores igitur huius saporis tum alterius sint, quicumque veneno infici timet : quia certus est & indubitatus pro sublimati aut cuiusque arsenici, altera specie deprehendenda, is sapor. Porro lac huic veneno aduersari, & huius generis aliis, quæ erodendo interimunt, medici fatentur : præcipue Gal. *Comment. 6. libr. 6. De morbis vulg. enarratione quinta.* Interea qualecumque venenum sumptum sit, *vt Rondeletius docet*, iuscula sint pinguia. Si affectus sit citra affluxum materiæ, potest caliditas & siccitas admotis castigari, vt affundendo collum oleo ros. si calor vrgeat, viol. si siccitas, lac etiam tum sumptum tum admotum confert. Excoriatio à veneno si sit aut bilioso humore, neque aliud symptoma adsit, dentur quæ flauæ bilis acrimoniam exstinguant, & citra morsum detergeant : quale hoc est : *Recipe glycyr. rasæ* vnc. ij. *passul.* vnc. ß. *sebesten, iniubarum, prun. ana par.* xx. (ficus non conueniunt, quia nimis detergent, & aliquid habent acrimoniæ à lacte suo) *tamarind. elect.* ʒ ij. *quat. fera. frig. maior. & sem. maluæ ana* ʒ j. *flor. viol.* p. j. *fiat decoctio. de qua capiat quoque de* iiij. *cum* ʒ ij. *syr. ros. laxatiui* : & de reliquo capiat assidue lambendo. Sibilis post euacuationes adhuc in ventriculo restet (*quod ex amarore & nausea nosces*) deorsum trahenda est, ne partem affectam exasperet magis. Idem faciendum est in acri fluxione. Si defluxio sit à pituita salsa aliquid erit adiiciendum, quod pituitam ducat. Notandum est tum medicamenta, tum alimenta liquida, & actu frigida vel saltem temperata esse danda ; fugienda vero acria omnia salsa, amara, acetosa. Si vlcus fuerit profundius, magis tergendum & siccandum est : medicamenta eligantur, quæ citra magnam caliditatem siccent, & non habeant venenatam qualitatem, & quæ non sint ingrato sapore, nec multum medicamentosa : ob id metallica omnia sunt reiicienda, excepto alumine, bol. arm. conuenit, terra sigillata, farina hordei, orobi, cicerum, fabarum, radix panacis, cortex thuris, corallus, sang. draconis, pyra cotonea, quibus adiungenda sunt quædam viscida, vt patti adhæreant. Vsus suffituum non est improbandus ; quamuis videatur minus conferre, quam in vlceribus traheæ arteriæ vel pulmonis, sed fieri non potest, quin aliquid etiam gulam intret, dum in arteriam trahitur. Suffitus esto, qualem Rondeletius descripsit *cap. De catarrho.* Hactenus Rondeletius. Præter hæc potest & hirudo seu sanguisuga potu assumpta gulæ in hærere, vt antea quoque dictum est, *ex Galeni historia libro 4. De luc. aff. cap. 6, sub finem.* Verum cum Rhas. caput proprium scripserit de sanguisugis gutturi infixis *lib. 9. ad Almanz. c. 56.* adiectis signis, tum causis & curatione ; ad illud caput recurrendum erit, tum ad eius commentatores, vt Arculanum, & præcipue ad Mattheum de Gradi ; qui hanc rem ad longum præcipue tractauit. Iubent autem aquam gelidam in ore detineri : sic sanguisuga frigiditatem anhelando ad os repit ; & ita educitur. Mirabilem casum refert Gradus ad expellendum vermes, tum alia animalia, & serpentem : quicum in matrice mulieris esset (*modo verum sit quod scribat*) lac ad solis radios dilatatis cutibus in vase posuit : & hoc modo serpens exiuit. De sanguisugis autem & potu bupresti docte scribit Benedictus Veronensis medicus. Butyrum assumptum cum aceto ferro candenti calefacto auxilio est, & cimicum suffitione abiguntur, vel salem cum aceto bibendum damus. Dioscorides mali medici succo vtitur. Bupresti animal in Italia rarum, scarabeo simillimum vel cantharidi (*vt tradit Paulus*) stomachi & ventris dolorem facit vehementissimum, quo aluus intumescit, vt in hydrope, ac vrina non emittitur. Huic lac bubulum aut ouillum crudum medetur, lardum quoque, iusque, decoctum & potum prodest, aut muliebre lac : vel oleum per se potum, vt fiat vomitio. Verum cum hæc ad venena pertineant, de iisdem, tum aliis quæ gulam & œsophagum excoriant & suffocationem inferunt, de venenis, si Deus me superstitem fecerit, agemus. Interea ad sanguisugas & Bupresti, cum venenositatem in se contineant, Theriaca etiam sumpta à Gradu laudatur.

Excoriatio, vlcus.

Excoriationis causa.

Signa.

OBSERVATIO XXXI.

De apostemate Meri seu œsophagi sanguineo.

CAlidum apostema meri seu œsophagi rusticus patiebatur iuuenis robustus ; atq; eadem signa eidem aderant, qualia in angina esse solent : potum enim si deglutire conaretur, adeo in angustum deferebatur, vt eundem statim per nares reiicere cogeretur ; iacendo enim non penetrabat, & magis afficiebatur, ita vt sedere amplecteretur, quo & commodius expiraret, & aërem inspiraret, ac potum deglutire : eo enim sedente facilius cibus potusque descendebant, dolore tamen aucto in transeundo & deglutiendo : aderat autem dolor extensuus & pulsatilis, febrisque continua eundem exercebat, calore semper aucto. Enemate iniecto, cum per os difficulter medicamenta sumeret ; venam (*vt in angina*) aperire iussimus, sanguine moderate detracto ex vena cephalica, aliisque diuersionibus adhibitis, & frictionibus & cucurbitulis, oleoque viol. ros. & amygd. loco affecto inuncto & emplastro ex farina hordei, muccagine psyllij, cotoneorum, cum sol. maluæ & viol. adiecto oleo viol. & ros. in principio apposito, & intra spatulas : postea addendo his etiam quædam digerentia, *vt sem. althææ cum exigua farina seminis lini* : ita vt postea aliquo modo melius deglutire posset. Tunc cassiæ ʒ j. *cum seri lactis* ʒ iij. *assumptæ*, cum optime aluum deiecisset, pilulas quoque sub lingua refrigerantes & humectantes posuimus, vt paulatim ad œsophagum delaberetur : ptisanam etiam bibens ob febrem, & vtens pro nutritione tandem hordeato, hic mirabiliter curatus fuit. 1 2

SCHOLIA.

OEsophagus cibi potusq; raro (*inquit Fernel.*) morbis tentatur, quod in eo nihil quod perlabitur, diutius moretur aut tardet. At interdum vel intemperies, vel tumor aliquis præter naturam obstruens, ipse modo frigidus, modo inflammationis particeps, nonnunquam & vlcus, male afficit. Quum simplex est intemperies, esculenta poculentaque tarde delabuntur, toto œsophago æquabiliter affecto sine vllo angustiæ doloriue sensu, quod iis etiam commune est, qui nausea fastidioque cibi vix deuorare queunt. Si itaque fit à caliditate vel calida & ficca intemperie, aderit siccitas in ore, sitis & asperitas ; & refrigerio aquæ sumptæ iuuantur, si à frigida, neque sitis neque calor aderunt, si ab humida, os humidum, saliua multa ab ore exiens & multa sputamina, linguæque, albedo, à ficca oris & linguæ siccitas & sitis, & frigidi anhelatio. Verum si scirrhus aliusue præter naturam tumor durus ac frigidus œsophagi viam intercludat, difficilis quoque ac tardus transitus est ; sed cum partis cuiusdam angustia. Si vero à re solida nihil transit, *vt exemplo Obs. 28. huius libri ostendimus*, facile ex sermonibus ægri cognoscitur. Quum vere phlegmone inhærescit, præter vorandi tarditatem & loci angustiam, dolor quoque lancinans excruciat cum calore, siti magna, & febre, adsunt eadem signa quæ de angina diximus. Et si sit apostema sanguineum vel biliosum, eadem adsunt quæ de calida intemperie diximus ; dolor tamen magis pungitiuus in biliosо & in sanguineo, extensiuus, pulsatilis, vt dictum

3

Ab intemperie frigida.

4

A scirrho.

A re solida obstruente.

Ex phlegmone vel apostemate.

dictum est: si vero frigidum fuerit, febris nulla vel vix adest, dolor emissior magisque grauans; & quæ transglutiuntur plus in loco affecto manent. Interea considerandum num in tota substantia Meri sit nocumentum; tunc enim cibi non descendunt nisi cum angustia, dolore, & per interualla. Si in parte inferiori, descendit quidem, sed quando peruenerit ad partem affectam, non potest transmeare, ita vt infirmo videatur cibus ibidem permanere inuisceatus. Quod si tunc non fuerit apostema nec angina refertur ad intemperiem, quam sequitur tarditas deglutiendi & tarda penetratio, quæ in omnibus partibus meri est æqualis, & sine dolore, *teste Galeno: quem & Valescus, Gordonius & Constantinus sequuntur.* Vel enim fit vitio partium circumiacentium in membris vicinis, ob dislocationem spondylium, anginam, spasmum; aut malitiam rei quæ euomitur & expellitur à stomacho; aut ob illud quod transglutitur, vt iam ostendimus prius exemplis. Et ideo si fiat ex proprio vitio Meri seu œsophagi; propter tria iam dicta euenit: cur propter intemperiem nudam, aut apostemata, aut vlcera. Quamnis & alij quoque fieri velint à virtutis debilitate, in morbis vehementibus, vel in iis qui passi sunt morbos diuturnos, in conualescentibus vel senib. Si ex vlcere, iam diximus; si enim phlegmone ad suppurationem veniat, hinc tempore pus vel screatu, vel vomitione exit. Vlcus tandem his accedit, à quo dolor in affecta parte acerbior euadit, qui mirum in modum exacuitur, vel acre vel salsum vel acidum vel acerbum quippiam voretur. Omnis porro œsophagi dolor in spinam dorsi incumbit, in quam gula quoque reclinat, & adhæresci. Si ex dislocatione, sentitur dolor in collo, spondylibus, & spatulis, & non potest iacere supra dorsum; dolor enim occupat locum affectum. Si ex spasmo, os clauditur, dolorque occupat mamillam, thoracem ipsum ac pectoris partes. Si ex angina, propria eius signa aderunt. Ita quoque à vermibus (*vt quidam volant*) ex nocumento euomendi vermes, & de alia re deglutiua: ita quoque de veneno tum aliis exemplis superius enarratis reliqua internoscuntur. Et licet raro œsophagus inflammationem, apostema aut vlcus incurrat, si tamen tale quippiam patiatur, non potest fieri quin cor aut cerebrum aut vtrumque patiatur; cor quidem ob vicinitatem, cerebrum per colligantiam. Iam quoque vlcerationes tam in œsophago quam ore ventriculi valde pernicioſæ sunt, in iuuenibus & senibus lethales vt plurimum *teste Gal. 5. De loco affect. c. 4.* Ita & impedimentū deglutitionis ex mala intemperie frigida vel spasmo non recipit curationem, vel admodum difficulter, ægritudine existente confirmata. Si rigor aut tremor ægrum apostemate Meri laborantem occupet, ruptionem apostematis denuntiat & sanguis exiguus cum vomitu exiens, venarum rupturam notat ipsius Meri vel stomachi vel ex communicatione vlcerum eorundem. Vlcus in Meri à vulnere magna ex parte lethale *vt ex Auic. constat. cap. proprio.* Quod ad curationem attinet, quidam hic ante curationem passionum meri quædam generalia obseruanda volunt: vt cum meri & œsophagus & os ventriculi sint membra valde sensibilia, ideo neque fortia medicamenta aut mordicantia vel acria, aut acuta propinanda: ita & in eiusdem vlceribus acria, pontica, acerba, acuta interducenda, cum vlcus irritent; emplastra quoque si quæ apponenda, id quidem dorso fieri iubent. In apostemate calido cum repletione, nequaquam venæ sectio aut pharmaca omittenda, cibusque detrahendus; vt in angina dictum est, medicamenta quoque in ore detinenda, vt paulatim deglutita in gulam & œsophagum descendant ac ferantur. Vlcera præterea si curemus, medicinis consolidantibus & incarnantibus quædam viscosa & crassa adiungemus, vt efficacius sit & leuis effectus consequatur. Si morbus fuerit quoque ex sola intemperie, sola alterantia sufficient. Si vero cum materia (*quo & canon generalis existit*) illam ipsam concoctam expurgabimus. Si itaque intemperies calida in causa fuerit, frigidis alteretur: *syr. viol. nymphææ* vtatur *lacte acetoso hordeato, ptisana, lactuca, portulaca, & similib.* & collum inungatur *oleo cucumbrino, viol. muccag. psyllij, cotoneorum, & oleo viol. & similibus*; si sicca, victu humectante resumptiuo vtendum, *oleo viol. exterius inuncto, & amygd. dulc. sumatur fiat frig. syrup. viol. vtatur lacte & balneis*, eadem & his conferunt, qui ex debilitate hoc malo afficiuntur. Si à frigida intemperie, detur diairiis, diacalamenthum, rosata nouella cum melle ros. syr. de betonica, & inungantur oleo laurino, costino, aliisque similibus. In temperie humida valet decoctum hyssopi cum melle, & ad maiorem exsiccationem, si opus est, detur hiera picra, vel confectiones magis exsiccantis. Si adsit similiter materia calida & sicca, digeratur cum *syr. viol. ex infus. ros. & detur cassia fistula diaprun. simplex.* Et si sanguis fiat venæ sectio, dentur *syr. refrigerantes viol. de succo cucurb. cum herbis frig. lactuca portulaca.* Si vna adsit bilis, post syr. decocta humectantis purgetur, *cum syr. ros. laxat. ex infus. viol. manna &c. aliis, epithymetur collum, emplastretur emplastris, unguentis oleisq; infrigidantibus, viol. nymph. cucurbit.* De quibus vide Constantinum & alios. Si sit apostema sanguineum, curationem obseruationem præcedente diximus; si sit biliosum, curetur, vt iam paulo ante admonuimus, & sicuti diximus de angina biliosa: si frigidum sit apostema, post decoctum hyssopi cum melle & syr. prassino, purgetur, *cum diaphœnico vel syr. ex infusione rosarum pallid. cum agarico.* Deinde calida topica admiceantur, vt de angina pituitosa dictum est. Si vero apostemata tendant ad maturationem & suppurationem adiuuentur *cum decoct. fœnug. butyr. & similibus & emplastris maturatiuis iam sæpe dictis.* Et vbi ruptum fuerit apostema, repurgetur *melicrato, ptisana, cum melle ros. aut syr. ex infus. ros. commune*: & conglutinetur *cum lacte & bolo, in quo calculi candentes exstincti fuerint.* Si in vlcus transeat, curetur vt iam de vlceratione diximus; quamquam vlcera plerumque incurabilia sint, præcipue in senibus, *vt dictum est*: tamen pium erit vitam prolongare, iuxta Auic. etiam cum iis quæ de vlcere ventriculi dicemus. Si ab angina, spasmo, vel paralysi fiant, recurre ad capita propria, *de quibus antea dictum est*: Et si à dislocatione ortum habuerit malum, ea ipsa quantum fieri potest restituenda; ventosæ applicandæ & frictiones adhibendæ, tum ea quæ in dislocationibus fieri consueuere. Ita quoque si ob vermes difficultas deglutiendi originem habeat, dulcibus vermes alliciendi erunt atque amaris necandi, & ea conferent, quæ ad vermes valere scribemus cap. proprio. Si à scirrho, vti scirrhus curetur: & si ab obstructione (*vt iam docuimus*) eæ ipsæ erunt rollendæ, siue solida fuerint, vt exemplis prius demonstratum fuit, etiam de iis quæ gulæ inhærent aut

5 *Num in tota substantia vel in parte inferiori sit affectus.*

A partibus vicinis.

6 *Ex proprio vitio. A virtutis debilitate.*

Vlcus.

De dislocatione A spasmo.

Ab angina A vermibus vel alia re deglutita.

8 *Prognostica*

Quæ in curatione œsophagi seu meri obseruanda.

aut in ipsa finguntur. De veneno, tum iis, quæ gulam quoque excoriant, satis superque dictum est. Et ita omnes passiones Meri tum œsophagi absoluimus.

OBSERVATIO XXXII.

De Branchо vociſque raucedine diuturna.

5 CVm dictum sit prius de catarrho, si in fauces (*teste Gal. 3. de caus. symptom. & 6. De sanit. tuenda*) aut in larynga ex capite excrementa decidant; βράγχος à Græcis, Raucitas à Latinis nominatur affectio: de qua licet diximus *lib. 10. Obs. 134* tamen vnum atq; alterum exemplum curationis his adiiciemus. Nam principio vocem raucam efficit; procedente tempore paruam: si vero longius etiam procedat malum, totam adimit: vti euenit Mariæ Duystiæ Delphicæ mulieri, quæ cum vltra annū durasset, & ipsamet quasi medicastra, variis vsa esset remediis, curari postea non potuit. Hoc est quod Gordonius dixit, vocis raucedo si per annum duret, curationem non recipit, quæ autem fit à rheumate seu catarrho, nec ita curari potest nisi rheuma prius curetur. Et ita cum alia mulier post tres menses rauca ad nos accederet, hunc syrupum longum commode eidem præscripsimus: ℞. *vad. ireos, glycyr. ana* ℥ß. *caulium rub.* m. iij. *vngule caballinæ, hyssopi, betonicæ, scabiosæ, capill. ven. an.* m. j. *uuar. passul. enucleat.* ℥ j. *iuiubarum, sebesten. ana num.* vij. *dactylor. pinguium num.* iij. *carycarum siccar. num.* v. *coquantur in aqua vngulæ caball. pro* lib. j. *colletur, adde sacch. candi albissimi* ℥ ij. *sacch penid. mellis opt. despumati an.* ℥ j. *iterum bulliant ad consistentiam syrupi longi bis in die capiebat* iij. *vel quatuor cochlearia.* Deinde hoc modo fuit purgata: ℞. *pilul. auream. cochiar. de agarico an.* ℈ß. *cum succo caulium fiant pilulæ* v. *ter aluum deposuit, cum facilis solutionis esset.* Capiti ad roborationem & catharri suspēsionem cucusa hæc imposita est; ℞. *flor. ros. rub. exsiccat. malicis, sem. myrtill. nigellæ ana* ℥ß. *betonicæ siccæ p. j. crasso modo contusa & bombaci insperſa, & syndone cooperta & interſuta fiat cucusa rotunda futuræ coronali applicetur.* Deinde rursus sumpto syrupo cum pilulis supradictis, iterum purgetur: & hoc linctu quotidie vtatur continuo: ℞. *succi caulicum rub. depurati* lib. j. *mellis optimi* ℥ ij. *pul. glycyr. in pollinem redacti* ℥ iij. *sacch. albissimi* ℥ iij. *coquantur ad spissitudinem syrupi vel mellis, & facta clarificatione pulvis liqui. addatur*: quibus hæc optime se habuit. Altera quædam iisdem præsidiis vtens, modo ab iisdem abstinens, cum per annum raucedine laborasset, à mulierculis persuasa & aliis omnia remedia relinquens, ad Thermas quasdam Ochræ nuper inuentas (*vt audio*) cum accessisset: nescio quibus præparationibus vsa & sanguine in valde debili extracto, ex consilio medici, sed empirici, balneum aquæ adit, quamquam inter balneandum animo defecerit: & cum aquam balnei per os sumpsisset, pectus coarctabatur, pulmoque exurebatur, ac facta est inflammatio vehemens, & tandem hectica febre accedente, vix anhelitum spirans, domum misera reuersa, tabe obiit.

SCHOLIA.

DIctum est prius cum de catarrho ageremus, Branchon tertiam speciem esse catarrhi; quamquam & in hac specie sit symptoma excrementorum cerebri: præter faucium partes etiam aspera arteria tandem læditur, tum aliæ partes quæ vocem constituunt. Non desunt qui ad intemperiem hunc morbum pertinere velint, easdem causas & differentias cum coryza habentem, vt modo à bile, modo à pituita fiat; iuxta quem humorem etiam remedia variantur, præter illam vniuersalem curationem, quam communiter catarrho conuenire diximus. Sic alia præsidia in frigida, nempe si pituita abundet, præter totius & capitis prouidentiam detergentibus & siccantibus curatur, & aliquando astringentibus maxime in principio; & modo sunt liquida, vel quæ lambuntur, modo solida: *vt ex ficubus, passis vuis & melle potata vel gargarisata; ex sapa. succo brassicæ cum melle, ex croco, myrrha, thure & scylla aut capa cocta.* In calida vero, *glycyr. viriol. febesten, iuiub. sacch. solidius, quo ex sacch. candido & oleo amygd. dulc. conficitur & garg. ex lacte.* In calida etiam sistit & crassiorem reddit materiam diacodion. Iam quoque si raucedo fiat ob defluxum alicuius materiæ in tracheam arteriam, is humor coquendus & euacuandus: in calida, si & materia sit salsa, *syr. viol. de iuiubis*: si frigida, viscida & crassa, *melle ros. anthos. vel scyllino*: purganda *cum decocto pectorali*, vt de catarrho dictum est: prout materia sit calida vel frigida, illa erunt adiicienda, quæ non opus est repetere, quæ de catarrho tam calido quam frigido diximus, & de Coryza. Et si ad asperam arteriam confluit materia, eadem valent quæ ad tussim describuntur; præsertim arteriaca dicta: quod & Aëtius his verbis confirmat: *Asperæ arteriæ* (inquit) *extremum & subiacentem ipsi asperam arteriam, cum suis proprijs musculis, pellicula quædam sortiter complectitur, & ambit.* Quando igitur adfectio aliqua, siue iuxta eam ipsam pelliculam, aut circa extremi ipsius arteriæ musculos contingit, remedia, quæ vim medendi eam obtinent, arteriaca communiter appellantur. Afficitur autem pellicula hæc, aut ob nimiam humectationem, aut asperitatem, aut vlceratio- nem. Vocis enim nocumenta, videlicet eius interceptio, hoc est, non posse loqui, & raucitas in loquendo, ad plures causas consequuntur: aliquando quidem propter diuturnos ex capite defluxus; aliquando vero propter suppurationem thoracis & tabem. Sic Laurentio cuidam Alemariano non tantum vox fuit rauca & quandoque intercepta, sed etiam antequam moreretur, cartilagines asperæ arteriæ corruptas extussiebat. Ex vociferatione etiam magna & plurima, raucedo vocis oboritur, & ob frigidi & insueti flatus inspirationem, & ob plurimam ac insuetam potionem meraciorem. Verum hæ affectiones magnitudine inuicem distant: etenim vehementius humectis vocis instrumentis, vocis interceptio contingit: mediocrius autem rigatis, vox raucosa perficitur. Itaque qui ex vehementi clamore, amplius voce vexantur, consimile quidam patiuntur his, qui reliquis corporis particulis fatigatis & ex labore afflictis afficiuntur. Nam & pellicula quæ arteriæ extremum atque ipsam asperam arteriam ambit, per magnas vociferationes extra prolato spiritu perculsa inflammatur. Et iuxta arteriæ extremum, vltra hanc plagam, musculorum ipsum mouentium actio offensa, maiorem adfectionem operatur: musculi enim illi vocem operantes, ob magnas vociferationes non solum ab erumpente spiritu perculsi læduntur; verum etiam superextensi vehementer, maximum sustinent dolorem. Curatio autem horum

6

Lib. 8. c. 5. De arteriarum pharmacit.

Arteriacæ remedia.

Vocis læsæ causa.

7

Vox intercepta. Vox rauca.

8

horum coincidit cum his, qui alias particulas corporis habent fatigatas, balneum enim dulciũ & bene temperatarum aquarum magnopere iuuat omnes phonascos à Græcis appellatos, qui vocis exercitio magno vtuntur: citharœdos, inquam, & præcones & tragœdos, quum contendendo oblæserint vocem. His valent & *arteriaca* ad vocis asperitates in principio exhibita leniſſima: *gummi Arab.* ʒ ij. *tragac.* ʒ j. *saepe chœnicem* j. vide plura apud Aëtium. Quale & hoc est *ex brassicæ succo cum melle decoctum*, quod delingendum præbe; & confestim auxiliabatur. Habes & alia quam plurima apud Aëtium ex Oribasio, tum aliis ad asperitates & suppressam vocem. Laurentius Zasius verbi diuini concionator egregius, & præceptor meus, cum quotannis passionem dominicam pro populo concionaretur, sequens arteriacum, quod pro eo conscripsi, ad vocem instaurandam. egregie, vt fassus est, huic rei conferebat: *Recipe specier. diatrag. frig. in tab. sacchari penid. sacch. candi albiss. an.* ʒ ß. *nucum pinear. recentium macerat. in aquæ vaginæ caballinæ* ʒ ij. *amyd. dulc. depilat. num.* ix. *contusarum succi glycyr. recent.* ʒ iß. *syr. viol.* ʒ ii ß. *loch. sani & experti.* ʒ ß. *misce fiat linctus seu loch.* Plura quoque inuenies apud Benedictum Veronensem: *Vocis enim*, inquit, *instrumenta, vocalia dicuntur; sermonis vero, sermocinalia appellantur, veluti labia, dentes, lingua, vua, nares, illius vero guttur, epiglottis, ac vocales nerui ac lacerti, qui pariter affecti exilem vocem efficiunt: ex quibus nobiliores existimantur, qui aut referant guttura aut claudunt.* Vocales nerui incante præcisi (vt dictum est) aut detecti vocem auferunt, iidem calfacti vocem restituunt: sicuti angina grauis & periculosa est anhelantibus; sic & voci pariter infesta est & gulæ abscessus; ceruicis vertebræ luxatæ vocem statim corripiunt. In vniuersum cor cerebrumque si supra modum afficitur, vocem aufert. Iam quoque trachea arteria (*quam Græci spiritus ac vocis tramitem vocant*) capitis destillationibus exasperatur, aut vlceratur; vnde vox aut sermonis officium vel læditur, vel ex toto auferetur, tum tussis oboritur. Ex aquilone quoque scabra fit arteria, quæ tussiculam mouet (*vt Gal. scribit*) motus antecedit; sicut ante vomitiones, quoddam stomachi fastidium. Sunt & aliæ quæ in cibo assumpta arterias exasperant: qualis est *plumbi scobs, hydrargyron, lapis armenus, minium, cerussa, gypsum, calx & arsenicum, chalcanthum*: pari modo gulam & arteriam exasperant *auripigmentum, sandaracha, æris ærugo, chalcitis, & aluminis omnia genera, nuces rancidæ, aconitum, euphorbium, scammonium, radicula, ac vua taminia, hisque similia, quæ in venenatorum libris prosequemur.* Reliqua vide apud eundem remedia ad arterias exasperatas, & quæ ab ipso tum Paulo, Andromacho, Galeno, tum quæ Antonius Musa pro vocis studiosis scripserit, & quæ à Critone hypoglossida dicuntur. Quæ cum etiam ad tussim valeant; vti & bechica ad asperam arteriam exasperatam simul conueniunt & voci conducibilia habentur, de iis latius libro sequenti, cum de tussi agemus, dicturi sumus. Quare gutturis, gulæ tum asperæ arteriæ malis absolutis, hunc librum finientes, hinc ad pectoris pulmonisque vitia sequenti volumine transibimus.

Phonasci.

9

Lib. 8. c. 52. Ad inueteratas affectiones variæ arteriacæ.

10 *Vocis sermonisq; instrumenta.*

Finis Libri decimi quinti.

OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM

Liber decimus sextus.

DE PECTORIS PVLMONISQVE Vitiis ac Morbis,

PETRO FORESTO ALCMARIANO, REIPVB. Delphensis Medico, Auctore.

OBSERVATIO I.

De tussi ex frigida & nuda intemperie.

CVM aquilonia constitutio esset, vir quidam hyeme vrgente dum iter faceret, tussi eaque molesta correptus est, licet non valde violenta. Hic vero, cum auxilium à me peteret, in mentem mihi venit ex 2. *de causis sympt.* licet Gal. tussim, quandoque fieri scribat ex refrigeratione instrumentorum respirationis: ab eodem quoque ab intemperantiis eorundem instrumentorum fieri posse non negari: namque cum non de malignis tussibus (quas Hipp. aridas ac parum seu leniter irritantes, tum eodem sexto de morbis vulgaribus, tum *aphor.* 54. 4. *lib.* appellat) sermonem faceret, eas aut ob faucium, arteriæue asperitatem, aut instrumentorum spirabilium intemperiem oriri asserit: quam intemperiem interim frigidam esse testatur, vtpote in aquilonijs constitutionibus in quibus Hippoc. *aph.* 5. *lib.* 3. tusses ac fauces excitari asserebat: non propter aliud (*vt Galen. fatetur Commen. eiusdem aph.*) quam propter instrumentorum respirationi obseruientium intemperiem, & propter faucium asperitatem: aër namque admodum frigidus inspiratus interdum faucium asperæque arteriæ locos exasperat atque refrigerat: nonnunquam & toto pulmoni pectorique intemperiem affert: sæpius vero & ambo hæc contingunt: quapropter ex his arida modicaque tussicula (vt huic viro euenit) vexantur, quod quidem cognoui ex signo ab eodem Galen. sic descripto: *Cum æger spiritum attraheret, ad tussim prouocabatur, potissimum cum multus subito aër, ipsi loquenti ac oscitanti, ac ore spiritum ducenti intraret, sed cum per nares aerem extrinsecum attraheret in ædibus calefactis, tunc omnino parum aut nequaquam tussiebat.* Ideo nos consuluimus, vt in domicilio calido versaretur, & vini dulcis calido potu vteretur, partesque pectorales linteis calidis muniret: nam & animæ retentio, pedum calor & capitis, sufficienti remedio aliquando esse possunt. Si vero ex inæquali duntaxat intemperie ortum ducat: frigida ea existente, per calefacientia emendamus, *vt inquit Aet.* Hæc inquam tussis (modo non valde magna fuerit) ex spiritus cohibitione, *iuxta Gal. sententiam 2. de caus. sympt.* curari poterit. Quamobrem huic ægro inhibuimus frigidam inspirationem, frigidum quoque cibum ac potum: & vt in calidis locis versaretur, imperauimus, & vt calidis cibis, tum potibus vteretur: & summatim, vt thoracis partes à frigidis defenderentur, ac calidæ seruarentur, prius vnguento infrascripto inunctæ: ℞. *olei chamæmill. anethini, amygd. dul. lilior. an.* ʒ ij. *pinguedinis anseris, gallinæ, butyri recentis, ana* ʒ iij. *misc.* saccharo etiam enulato vtebatur: & breui conualuit.

SCHOLIA.

CVm in hoc libro rectè proposuerimus agere de pulmonis & cæteris thoracis vitiis, æquũ est, vt omnium primo de tussi agamus. Hæc enim cum omnibus vitiis ac affectibus pulmonis & thoracis fere semper copulatur. Vt in sternutatione cerebrum, in vomitu ventriculus, quod notium est, concitato quodam naturæ impetu expellere conantur: ita in tussi, partes thoracis simul insurgunt, concutiunturque musculi, vt vel quæ carni suæ molestæ sunt, in pulmonum arterias expellant, vel quæ in aspera arteria præter naturam continentur, foras eiiciant (non per contractionem, sed confertim emisso per eius interiores ductus, plurimo spiritu, haud secus ac si quis, quæ in fistulæ cauitate hærent, efflatione vehementer expurgare velit) siue humor aliquis impactus fuerit, vel corpusculum, vel intemperies liberum spiritum prohibeat: vel compressio diaphragmatis à tumore, aliaque causæ id præstent: de quibus postea latius. Et sic tussis est motus instrumentorum anhelitus, à virtute animali motrice, qua natura intendit expellere, quod in trachea arteria lædit, vel in propinquis membris. *Opifex sublimis*, inquit Galenus, *duplicem motum in animali constituit, vt contraria expellat, alterum sternutationis, alterum tussiendi.* Quædam animalia tussiunt, quædam numquam tussi vexantur, veluti boues: quoniam, *vt tradit Aristoteles*, humoris materia iis extra saliuari fluxu effertur. Tussis itaque, quam Græci βῆχα appellant, pertinet ad genus deprauatorum motuum; non à natura, sed à morbosa causa violenter facta. Est duorum generum, *iuxta Galenum 2. de causis symptom.* quorum vna est vehementissima efflatio, qua plurimus spiritus celerrime foras erumpit, ad quam pertinet vehemens & magna tussis: quales tusses fiunt ex destillatione à capite in asperam arteriam atque pulmonem, *teste Aetio cap.* 54. *libr.* 8. quas tusses malignas & contumaces appellabat, Paulus *cap.* 28. *libr.* 3. Aliud genus est, de quo iam exemplum posuimus, non adeo violenta, neque coacta, sed exigua, *vt Galen. 2. lib. de caus. symptom.* etiam testatur. Priorem autem sequi volunt morbum in via, nempe obstructionem viarum spiritus, quæ quidem valida est, vehemens, ac violenta, nec supprimi, seu prohiberi potest omnino ne eueniat, *Tussis causæ, id est,* vide de his 4. *de loc. affect.* Alteram vero, exiguam scilicet, sequi volunt intemperiem frigidam aut calidam: Trallianus addit, siccam & humidam: alij, vt Donatus, humidam cum Galeno non admittunt, eundem ad longum videas. Alij vero symptomatis causas, id est, morbos, multi generis esse volunt, *vt Iacchinus*: Primum, repletionem arteriarum pulmonis, quod est frequentissimum, estque ea obstructio ex puluere & aliis corpusculis, quæ mordicant. Secundum genus apud eundem est intemperies inæqualis, quamquam & humidam prorsus molestia carere vult, quibus additur & vitiosus humor. Tertium genus ad asperitatem reuocat, quæ ex siccitate ortum habere potest: & est vitium in tunicis: aliquando in summo gutture solum, vel in tota arteria ex causis branchi, fit & ex asperis corpusculis irruentibus cum aëre. Galenus hoc genus reducit ad obstructionem: sed Iacchinus potius ad noxam partis ad superficiem: quam natura lenem fecit, propterea quod in asperam impingit spiritus, non in lenem. De hac Galenus 1. *de differ. morb.* cum dicat tusses excitari ex faucium asperitate. Exasperant & acres humores, & medicamenta extergentia, 2. *de caus. morb.* Cuncta vero, quæ exasperant, dolorem faciunt, & continuum soluunt. Quartum genus mordicatio est, & omnino dolor partium: & videntur omnia ad vnitatis solutionem reduci. Siue enim ex asperitate, siue ex intemperie dolor excitetur, seu ob morsum humoris influentis sponte, vt in destillatione, vel extrinsecus, vt pipere, euphorbio, oleo præsertim acri. Hæc enim omnia eadem ratione tussim videntur efficere. Sæpe igitur vnus ex his morbus est, qui tussim facit, sæpe & varij iunguntur simul, quia & ab vno eodemque principio & causa, varios gigni affectus apparet. Partes autem, quæ in tussi afficiuntur, secundum aliquos, sunt respirationis organa, præsertim thoracis musculi. Verum (*vt docebat Iacchinus*) in hac re multum laborant Sophistæ, parum vero proficiunt: quoniam nec desinentes, nec distinguentes omnia confundunt. Si de symptomate solo quæritur, parum vtilis est quæstio, quoniam ipsi primo non debetur curatio, nisi ratio, cum causæ & morbi rationem obtinent. Ideo musculorum pectoris motrix est, quæ symptomate afficitur. At tussis apud medicos aliud quoque significat, quod nomine accidentis significatur, & cui remedia adhibentur: & sunt quatuor morborum genera iam dicta, quibus curatio debetur, quorum sedes requirimus. Hic ergo non vnam partem lædi videas, neque vno modo: Aliquando enim membra respirationi deseruientia, per se læduntur, vt musculi, septum, pulmo. Aliquando solum consensu quodam, cum in ipsis læsio propria non sit: vt cum iecinoris gibba phlegmone laborant: aut cum gula læsa est: nam coniuncta tracheæ, in consensum eam trahit, & tussim facit, similiter & cum fauces mordentur extrinseco vel intrinseco aliquo irritamẽto. Cum vero propriè afficiuntur, quæret quis, num semper pulmo afficiatur. Videtur autem Galenus dicere, aliquando musculis pectoris moueri, ad noxam propriam intemperiei pellendam, 2. *de sympt. caus.* Experientia tamen monstrat, quod nisi affectus pulmoni aliquo modo communicent, tussim non faciant: confossi enim latus tussiunt: propterea quod aut sanies decidit, & pulmonem tangit: aut

Tussis causæ multis generis.

quæ pars in ea afficiatur.

aut medicamenta, quæ iniiciuntur. Sed cur tuſſis ſicca in pleuritide accedit, cum pulmo adhuc non repletur? Similiter & tumores, qui in externis partibus thoracis eueniunt, tuſſim non faciunt. Contra vero ſtatim, vbi aërem frigidum multum inſpiramus, aut parte aliqua pulmoni attinente lædimur, fit tuſſis: ideo motus ille pectoris, vt ſeruiit in reſpiratione, ita in expurgatione à noxis pulmoni ſeruire videtur. Igitur obſtructio aſperarum arteriarum pulmonis tuſſim facit: & vulnera & morſus circa eas partes, & intéperies viſceris. Aër enim in ſimplici illa carne (quam *Aſſuſionem* dixere) non ſentitur. Quod ſi extrinſecus aër pectus refrigeret, certum eſt qualitatem illam frigidam ad pulmonem quoque velociſſime peruenire. Quamuis vero per motum hunc intendat natura expultrix noxas pellere, fruſtratur tamen ſæpe fine ſuo. Cuius ratio eſt varia: prima, quoniam nihil aderat obſtruens corpus, quod expelli poſſet: ſed intemperies, vel vlcus, vel affixum tuberculum: & dicitur tuſſis ſicca. Secunda cauſa eſt, quoniam materia eſt rebellis & contumax, non cedens impellenti, vt cum viſcida nimium eſt, & hæret, aut craſſa, quæ non facile per minores arterias præterlabi poſſit. Tertia, quoniam à ſpiritu diſſipatur, dum impellitur ob tenuitatem, quod accidit in aquoſa & tenui deſtillatione: Hæc ex primo epid. 4. de tuſſi arida Iacchinus quoque ſumpſit. Sed nunc aliud exemplum proferamus.

OBSERVATIO II.

De tuſſi ex intemperie calida.

1 SEcuti autem ex aëre circumfuſo frigido tuſſis generari poſſit, ita quoque ob vehementem æſtum, immodicamque ariditatem à circumfuſo aëre tuſſis oriti poteſt, quod iuueni euenit poſt deambulationem in ſole: qui cum etiam cibis calidis pipere conditis vſus eſſet, aſperitatem trachææ arteriæ incurrebat, & arida & exigua tuſſi afficiebatur, qualis & in febribus aliquando euenire ſolet. Contrariam igitur huic victus rationem ſuperiori præſcripſimus, tum medicamenta aliaq; omnia ad frigidum & humidum vergentia, cum huic ſiccitas quædam permixta eſſet. Dedimus autem ptiſanæ cremorem, leniéteſque cibos, tum potiones, propter aſperitatem, *ſyr. pap. de iuiubis cum muccag. gummi tragac. Arabic., extract. cum aqua vngulæ caballinæ, ſem. cotoneorũ.* Et gargariſma *ex lacte & electu. diatrag. frig. oleoque viol. & amyg.* pectus inunxi, quibus & hic breui reſtitutus eſt.

SCHOLIA.

2 *Cauſæ tuſſis* FRequenter tuſsit homo pluribus de cauſis, vt in ſcholio præcedente dicere cœpimus: à ſola intemperie, aliàs frigida, aliàs calida, ſiccitate trachææ vnde exaſperatur, vel ſi quid in eam fortuito inciderit aridum aut humidum, quoniam nihil aliud præterquam ſpiritus ingreditur. Offendunt extrinſecus nix pota, aut aqua gelida, vinum item, aër quoque, & quæ frigida pectori imponuntur, ferrea vel plumbea quibus vocis ſtudioſi vtuntur, aut nimium calefacientia exſiccantiaque qualis fumus & calx: vel iis qui aurum & argentum ex metallicis facere arbitrantur continuis venenatis vaporibus pectora replentur: cuiuſmodi & puluerum genera hinc lapidicidæ facili tuſsi afficiuntur, tum alij prædicti, & plurimi horum ſuffocati ſunt. Cauſæ vero horum affectuum ſunt expoſitæ fere. Nam obſtruentes dictæ ſunt deſtillatio, tuberculum, & quæ extrinſecus in arteriam incidunt: quæque intemperiem faciunt, externæ ſunt: quæ exaſperant, ſiccantia multum & extergentia, vt pulueres inter reſpirandum attracti, ſtis nimia in febribus, ita & in acuta, aut peſtifera febre, vel frequenter in pueris, cum boa vel papulis laborant, non ſine contagioſa febri, tum enim antequam puſtulas emittant, aſperrime tuſsiunt. Tuſsiunt & hepatici, hecticique quam importune, quoniam tuſsis ſomnum aufert. Addit *Hippoc. 6. Epidem. lib. 2. in eo aphoriſmo.* Siccæ tuſſes ex cibis & potibus exaſperantibus, cuiuſmodi ſunt auſtera nimis & acerba, quæ etiam mordent, aut acria ſunt intrinſecus incidentia, vt acetum, oleum vetus rancidum, piper, euphorbium. Sapor enim acutus aut acetoſus tuſsim excitat. Ex deſtillatione nibus nihil magis & frequentius, pituita acuta liquida, aut craſſo phlegmate, cum in pulmonis tramitem deſtillauerit. Fit quoque in his, quibus exeſa eſt columella, vel diuiſa: à compreſſione ſepti tranſuerſi, vt in tumoribus hepatis arida tuſsis: à liene quoque, vel à tuberculo innato in aliqua parte trachææ arteriæ vel pulmonum. Aëtius quoque fieri vult ex lumbricis ſtomachum infeſtantibus, & acri humore ipſum perturbante: ſimiliter & in his, qui ſtomachi morſum ſentiunt, ſed potius circa gulam irritationes à quacunque cauſa fiant: quibus Iacchinus adnumerat vermes in pueris: quam cauſam cum quidam ſcripſiſſent. Galen. nec negat, nec probat, dicit ſolum, cos non ſcripſiſſe, num ita fieri experientia an ratione compererint. Sed ipſi (*inquit Iacchinus*) loquebantur de ore ventris, quod non communicat arteriæ: nos dicimus de gula, quæ illi iuncta eſt, & experientia id monſtrat fieri aliquando. A materia igitur fit, cum aliquid in arteriam dilapſum eſt, ſiue ſit humor, ſiue corpus aliquod, vt mica panis, potus, aut aliud quoddam humidum, vt ſanguis, pituita, à capite, vt in catarrho, aut acri defluxione: à materia, quæ in pulmonem, vel in thoracem, vel tracheam arteriam, vt à ſeroſa humiditate, quæ in ſpatium reſudauit, ſicut in hydrope: vel à tenui materia, quæ ab inflammata membrana reſudat, vt in pulmonis inflammatione, quando materia in aſperam arteriam reſudat. Plura de cauſis videas apud Benedictum Fauentinum præceptorem meum in ſua magna Praxi. Tuſsis præterea alia ſicca eſt, alia humorem continet, alia recens, alia vetuſta. Celſus in duas tantum differentias redigit, in humidam & ſiccam. Verum hæc omnia exemplis clariora euadent.

OBSERVATIO III.

De tuſſi ex deſtillatione acri orta.

QVoniam igitur tuſsis non vnam, teſte Trallano, ſed multiplicem cauſam ſortita eſt, conuenit etiam nos omni ſtudio eniti, vt cauſam eius effectricem internoſcamus, diſcernamuſque. Nam apud omnes hoc in confeſſo notumque eſt, citra internotionem non poſſe recte curari. Exempium autem paulò ante attulimus de nuda intemperie calida: qui autem eam ſentiunt, aërem frigidum reſpirare deſiderant, iuuanturque magis aëris inſpiratu, quàm aquæ potione: & facies rubicunda magis & caput apparet. Quod ſi igitur ſola adeo nuda qualitas (*vt in præcedente*) fuerit: nihil pene aut nequaquam exſpuunt, ſin autem exſpuunt, ſputum ſalſam habet qualitatem, aut fumoſam, dolore, aut leuiter bilioſam, idque modicum admodum & tenue apparet. Nihil vero mirum etiam ex his, quæ præceſſerunt, hoc fieri poteſt, nempe inſolatu magna parte, balneis calidis, victuque calefaciente. Tales vbi materia acris ex iiſdem cauſis præcedentib. coaceruatur, in deſtillationes acres incidunt. Sic domina illuſtris de Abbenbroeck filia Domini de Bergen, cum fluxione tali acri laboraret, & ex deſtillatione rimas & puſtulas quoque in lingua haberet, & lacte tepido gargariſaret, iuſſi, & vt præſumpta caſſiæ ʒ j. *cum decoct. hordei mundati, viol. glycyrr.* ʒ iij, & *mandati, vt ſyr. viol. papau. cum decoct. hordei mundati, ſem. 4. frig. maior. maluæ ſumeret, & diatrag. frig. maior. maluæ ſumeret, & diatrag.* Deinde etiam & illa, quæ ad tabem conferunt, vt pulucrem Haly contra phthiſin. Hæc enim tuſsis, etiamſi initio leuis eſt, facile in tabem tranſire poteſt, valet & his diacodion iuxta Galenum, vt fluxio in principio inhibeatur. Poſtea etiam dedi *lech de pino cum ſyr. viol. papau. ſaxifrag. & ſimilibus.* Pro cibo vtebatur luteis ouorum, gallinarum aliis, teſticulis gallorum, piſcibus dura carne præditis, tum aliis à Tralliano deſcriptis, pro iis, qui ex tenui & acri fluxione tuſsiunt. Quib. remediis hæc & curata fuit: quemadmodum & vxor mea Eua Teylingia, mihi cariſſima: quæ ſub noctem, cum pauca materia adeſſet: ex acri fluxione tuſſiebat. Cui deglutiendum *exhibui vitellum oui crudum, cum ſacch. cand.* quod cum in introitu lecti ter quaterue deglutiiſſet, illico in principio tuſsis ceſſauit, neque aliis remediis opus fuit. Prætor Reni burchius, cum de tuſſi mentio fieret, dicebat ſe omnem tuſsim curare pomo excauato, & melle roſato impleto, ſupra prunas vinas aſſato & ſub nocte deuorato, quod ſeipſum ſemper, tum alios plurimos à tuſsi curaſſe iactabat.

SCHOLIA.

TVſsis licet ab omnibus & viſu & auditu, teſte Ariſtotele, percipiatur: attamen à quib. cauſis oriatur, id non omnibus, ſed medicis peritis, per ſigna quædam innoteſcit. Ideo diligenter æger percũctandus, quibus de cauſis tuſsire inceperit, vnde & ſigna ſpecialius diſtinguimus. Si ex nimia caliditate, tum in parte pectoris aut capitis, feruor quidem facilè percipitur, cum ſiti & fatiei rubore, tum aëre frigido gaudet, pulſus magis excitatur. Si enim ab intemperie calida fuerit, neceſſe fuit præceſsiſſe cauſas externas, vt in duabus obſer. præcedentibus oſtenſum eſt: aut ſaltem præcedentes in corpore, vt febrem ardentem, calfacientem. Si adſit ſimul materia calida vel deſtillatio acris, ea quoque facilè dignoſcetur ex iis, quæ de deſtillationibus acribus, & de rauedine diximus. Ex frigda vero cauſa ſigna iis contraria apparent, pallor faciei, frigiditas capitis ſine ſiti, cum & calida prodeſſe ſentiuntur, ſaliua aut aquoſa eſt aut aceroſa, & victus ratio his ſubſcribere creditur: Acidum enim, inquit Trallianus, magis quam amarorem ſentiunt, neque ſalſum exſpuunt. Præcedit hos potius frigiditas, quam ardor ſolis: item intempeſtiuorum balneorum, potuum, & ciborum frigidorum vſus. Si autem materia admixta, & quis ſit humor à capite deſtillans in fauces, aſperam arteriam, in pectus, vel pulmonem, & ex iis, quæ de deſtillatione & catarrho diximus, numquid lentus, viſcidus, pituitoſus, bronchiis infixus, vel acris, mordens, ſalſus, vel tenuis, vt aqua, etiam ex ſputo cognoſcemus: Si à bile, erit citrinum, ſubrubeum, aderit amaritudo oris, ſitis, tuſsis, moleſta, magiſque ſonora. Si ex ſanguine vel plenitudine, facies rubet, venæ tenduntur, pulſus grauis eſt & mollis, ſputum rubrum cum dulcedine oris. Sic ſi à pituita ſit, facies albeſcit, ſapor inſipidus, aut ſalſus, ſputum album, viſcidum, aquoſum. Sic tuſsis à ſola intemperantia ſicca eſt. Si ex materia quæ à capite fluit, vti coryza ſiue grauedo indicat. Si in pulmonis vias defluxerit, ſpirandi difficultatem facit, febrem inducit. Hinc ſi ab obſtructione ſit, erit vehementior & magis impetuoſa, & ſi ſigna alia deſtillationis adfuerint circa fauces, nares, oculos, vel etiam totum caput, aut ſonitus aliquis ſentiatur in pectore, certo id ſignificatur. Si ab aſperitate, cauſæ exaſperantes aderunt vel præceſſerunt. Si à morſu, iam dolor ipſe manifeſtat, & eo magis ſi de mordẽte aliqua cauſa certi ſimus. Si non ſit affectus obſtructionis, moderatiores tuſses ſunt. Porro tuſses, quæ ex influxa materia ſuperueniunt, ea re innoteſcunt, quod copioſa exſpuantur, ſed ex quib. particulis materiæ tranſmittantur, diſtinguẽdum, num à capite. Tunc n. irritationem quandam in vua vel aſpera arteria concitari neceſſe eſt. Si ex inflammatioue pulmonis, ex ſpirandi difficultate, febre acuta, lingua ſcabra, genis rubris & ſenſu grauitatis, vt latius de pulmonia dicetur. Si bilioſum exſpuatur ſine grauitate & anguſtia, ab eryſipelate pulmonis. Si ſtrepitus elidatur cum grauitate pectoris, ex pectore. Et ſi à pleuritide, ſigna huius præceſſerunt. Si ab vlcere vel tabe, huius ſigna quoque aderunt. Ita ſi tuberculum ſit in pulmone, accedet anguſtia maior & ſpirandi difficultas, modo ſubito, modo paulatim: nihil exſpuet. Strepitum aliquem aut ſtridorem ſuſtinebit: quæ euenire nequeant dum pituita incocta ſit & nondum rejiciatur. Si autem æger angustiam ſubito citra moleſtiam febris ſitimque multam percipit, ſtridorem autem quendam cum tuſſi experitur, interdum etiam humoris eductionem; craſſum viſcoſumque in pulmone humorem contineri, & ex capite, aut alia quadam particula, eo confluxiſſe liquet. Caput vero materiæ thoraci influentis cauſam exiſtere, inde manifeſte cognoſces, quod irritatio quædam & gargariſmus circa vuam præceſſit. Si ex vlceratione, ruptura, eroſione, propria habebunt ſua ſigna. Si & vitio ſtomachi, tuſſiunt in crapula magis quam in fame. Ex abſceſſu iecoris, lienis, ex propriis quoque ſignis. Vir quoque ex Tralliani hiſtoria (*vt antea quoque mentionem fecimus, cum de lingua loqueremur*) calculum exquiſite figuratum exſpuit. Meminit & Galenus aliquem non calculum, ſed grandinibus ſimilia exſpuiſſe. Cauſæ itaque primitiuæ, vti & externæ, ex relatu ægri & aſſiſtentium facile habentur, ex iis quoque, quæ præceſſerunt ſiue à puluere, fumo, cibo, potuque aut aliis rebus ortæ. Internæ ex intemperie & materia abundante, tum ex iis, quæ diximus, cognoſcuntur. Quæ per eſſentiam fiunt membrorum ſpiritualium & maximè pulmonis, habentur ex continua & laborioſa tuſſi. Quæ vero per conſenſum à toto poſt febrem conſequuta, cuius augmento augetur, & diminutione diminuitur. Si à capite per catarrhum dignoſcitur, ex ſignis catarrhi, defluentis modo per tracheam arteriam ad pulmonem, qui cum per naſum exire deberet, nunc in pectus defluat. Si ob ſplenem, hepar, ventriculum, aut ab aliis membris, id læſiones & dolores eorundem indicabunt, tum ſigna ex propriis locis petenda. Signa autem præſagientia tuſſim, ſunt corpora pectoris minus lata, collumque longum ac humeros eleuatos inſtar alarum habentia, debilia: & quæ cere-

Aliàſigna.

Ex fluxione capitis.

Ab inflammatione pulmonis, vel eryſipelatis.

A tuberculo in pulmone conflato.

Indicia vitioſi humoris in pulmone.

Hiſtoria de viro qui calculos exſpuit.

Signa præſagientia.

cerebrum debile ſortiuntur, malique regimjnis, ſenilia, tempore hyemali parata ſunt ad tuſſim. Vbi æſtas aquilonia, ſicca, autumnus pluuioſus, auſtrinus, tunc in hyeme, teſte Hippocrate, tuſſes exſpectandæ: & tempore boreali: quemadmodum & auſtrinum liquefacit borea ſubſequente, tunc tuſſis ſequitur auſtro dilatante, borea conſtringente, infrigidante, comprimente. Prognoſtica ex ætate: Tuſſes infantium deterrimæ, quod reſpirationem & ſomnum impediant & profocent, ſæpe & ex multa agitatione febres acutas & comitiales excitent: plurimi ergo pereunt. Senes vero ob ætatem non maturantur, & affectus eos ad mortem comitatur. Secundo ex cauſis: quæ ex deſtillatione acri, periculoſiſſimæ de tabe, præſertim in iuuene: Quæcumque igitur tuſſes ex deſtillante humore à capite oriuntur, ſiue ex alicuius ſpirabilium viſcerum vlcere, aut ex aliquo in iiſdem orto abſceſſu, ſiue ob ea, quæ vocantur empyemata, quæ ab *Hippocrat. ferinæ appellantur, lib. 9. de morbis vulgaribus*, omnes malignæ ſunt, vt Galenus eodem loco teſtatur, maleficæ & contumaces, vt inquit Paulus: Quæ autem à fixa cauſa obſtruente, difficillimam habet affectus ſanationem, & periculum tandem minantur. Et ideo validæ & vehementiſſimæ tuſſes nequaquam prætereundæ: nam vbi diu protelentur, propter vehementem thoracis motum ſputum ſanguinis ſuperuenire conſueuit. At cum nihil excreatur, materia intus putreſit, & febrem mouet, & putridæ materiæ aut hecticam, & ideo tuſſis diu perdurans & ſicca, reiectiones facit ſanguinis, aut ſaniem aut phthiſin quæ omnium teterrima eſt. Celſus quoque tuſſim propter faucium exulcerationem fere moleſtam eſſe aſſeruit: ſolent tamen (*vt ipſe inquit*) interdum per ſe quoque male habere, & vix cum vetus facta eſt, eliditur. Quæ in hydrope quoque ſuperuenit tuſſis, dira eſt. Cæteræ cauſæ faciles ſunt curatu, vlcere excepto: nam reliquæ tuſſes, quæ malignæ non ſunt (*ab his ſiquidem diuerſæ, ac exiguæ dicta*) periculum (*quantum in ipſis eſt*) non minantur: ſuntque curatu faciles. Tuſſis ex qua materia facile excreatur, qua pulmo lenior fit, ſalutaris habetur. Exemplum tradit Galenus cuiuſdam, qui ſubita tuſſi purulentum excutiebat tenue, deinde aliud craſſius: exinde ſanguinem; vnde corpus eius macie eliquata ſubſtantia conficiebatur, & mortuus eſt. Et ſe vidiſſe tradit quendam, qui pulmonis partem putris excreauit: & alium diutine tuſſientem, qui fruſtum pariter pulmonis exſpuerat, & ſubinde quaſdam veluti glandulas quotidiano excreatu. Tertio itaque prognoſticum habetur, ſi febris multum eam exaſperet. Si grauida mulier, de abortu periclitatur. Et libet tota ætate moleſtæ ſint tuſſes, ſenioribus tamen moleſtiores & periculoſiores, vt conſtat *Aphoriſm. 5. comment. 69. & 3. comment. 24. ex Galeno & 3. 31.* Quicumque in febribus ardentibus ſicca tuſſi moleſtantur, ij parum ſitiunt 4. *aphoriſm. 54.* conſule de his Galenum. Hepate quoque tumido facto, malum: *ex 6. aphor. comment. 16.* & tuſſis ex aqua intercute mala, Et qui gibbi facti ſunt ex tuſſi, ante pubertatem moriuntur, id quod nos in praxi ſæpe obſeruauimus. Quicumque tuſſi premuntur à frigido aëris ambientis, cauere frigida oportet, dicente Galeno 5. *aphoriſm. comment. 24.* Frigida, qualis nix & glacies, pectori inimica, tuſſes mouent. Quod vero tuſſes in aquilonia conſtitutione ac hyeme generari magis aptæ ſunt, decretum reliquit Hippocrat. *Aphoriſm. 5. & 25. lib. 3.* Nunc ad alia exempla curationis procedamus.

Prognoſtica.

OBSERVATIO IV.

De tuſſi ex materia viſcida pituitoſa, tam pectoris quam aſperæ arteriæ infarctæ.

ANdreas Petrus Sellius, vir conſularis apud Alemarianos, cum ad 64. annum peruenisſet, Anno 1547. menſe Octobri, tuſſi valida correptus fuit (*alioquin anhelosus*) ex materia pituitoſa viſcida, partim in pectore, partim in bronchis aſperæ arteriæ infarcta. Per ea igitur, quæ extenuant ſuccos frigidos, & craſſos, & diſcindunt, iuxta mentem Aetij, curationem inſtituimus: vtentes eodem victu, quem diximus catarrho ex cauſa frigida conuenire. Et hunc ſyrupum præſcripſimus: ℞. *ſyrup. de hyſſopo, de præſicis, de liquirit. ana* ℥ i ß. *aquar. hyſſopi, fœniculi, beton. ana* ℥ iij. *miſce, & à ieitno per triduum bibantur.* Deinde in diluculo ſolutiuum ſequens ebibit. ℞. *diacatholici* ℥ ß. *diaphœnici* ℥ ii ß. *diſſolue cum* ℥ iij. *decoct. pectoral. addendo ſyrupi de hyſſopo* ℥ ß. *miſce & quinquies aluum depoſuit.* Rurſus ſumpſit decoctum radic. ireos, inulæ, hyſſopi, glycyrr. adianthi, carycarum pinguium, etiam marrubij, ſyrupis vna cum melle roſar. ſuperius ſcriptis adiectis. Fiant quoque *rotulæ in tabul. ex ſpecieb. diairem. ſimplicib* ℥ ij. *vel* iij. *cum decocto ſumantur, & ſæpe in eo in ore detineat, & quod ſupereſt deglutiat.* Poſtea itarum pilulis infra ſcriptis illum purgaui, ℞. *pil. lul. de agarico, cochiar. de aſſaſeret, ana* ℈ j. *cum aqua hyſſopi*, fiant pilulæ vij. quæ circa noctis dimidium ſumantur. Interea & hoc linctu vtebatur, vel eius æmulo, cum baculo glycyrr. ℞. *loch ſani & experti* ℥ i ß. *diapenid.* ℥ ß. *ſpecier. diatr. calid. diairem. ana* ℈ j. *pinearum recentium macerataru in aqua vnciae caball. contuſarum* ℥ ij. *pilul. ſub linguæ* ℥ j. *ſyrup. de hyſſopo, de liquiritia ana* ℥ j. *fiat eclegma.* Pectus inungebat vnguento pectorali, adiecta dialthæa, & quia ex parte aſthmaticus, vtebatur inula cõdita. Modo per ſe vtebatur loch ſano & experto, modo eclegmate de pino: modo diatragacantho calido per ſe. Et ſic tandem à tuſſi liberatus recte valuit.

SCHOLIA.

QVoniam vero neque vnum duntaxat habet tuſſes ipſæ generationis modum, nec cauſam vnam, propterea pro cauſarum diuerſitate earum quoque curationem variari contingit. Cum enim conſtet ſymptoma eſſe & morbos ſequi, illius nulla eſt curatio, cum curatio ad morbum referatur. Sed illius ablatio erit, auferendo cauſam, ſcilicet morbum curando, qui illius tuſſis cauſa eſt. Nam vt morbus non tollitur, niſi cauſa prius auferatur: ſic neque ſymptoma. Nam vt Philoſophi dicunt, non tollitur effectus, qui fit, niſi auferatur cauſa; & ablata cauſa tollitur effectus, ſi morbus adhuc ſit in generatione & in fieri, & à cauſa dependeat fiente vel conſeruante. Interea, qui curaturus eſt hunc morbum, primum conſideret oportet aliquando affectum eſſe reſpiciendum, aliquando ſymptoma. Etenim tuſſis eſt ex his, quæ ad ſe aliquando vertunt curationem, etiam neglecta cauſa, non ſecus ac dolores: ideo quod rationem cauſæ obtineat aliquando & alia grauiſſima ſymptomata gignat & morbos. Ex tuſſi enim febres exaſperantur, tum motione, tum & vigiliis, quarum ratione etiam vires debilitantur, vt & motione ipſa. Nam tuſſis vehemens caput replet: videmus enim & venas capitis intumeſcere & faciem rubere, non ſecus ac vomitione. Verum tuſſis, vt dolor & alia ſymptomata, ſi tantum ſua vehementia moleſtent ægrum, tunc neglecta cauſa ad mitigationem veniemus, tanquam ad id, quod magis vrget. Mitigatur autem dolorem, id eſt, diſpoſitionem minuendo, vel ſenſum partis auferendo vel ſtupefaciendo ne tuſſi: aut qualia ſunt pilulæ de arnoglolſa, & cynoglolſa, & diaſpermaton: ſed iis non vtendum niſi cogamur: & cum cautione, vbi metus eſt, ne ex tuſſi rumpatur vena, ne vehementia præfocetur æger, ne acris catarrhus pulmonem erodat: Ideo non vtimur iis niſi in moleſtiſſima tuſſi & perpetua vigilia, vt ſyrup. papau. cum decocto palmularum, quod tutius eſt; vel pilula vna de cynoglolſa pondere ſcrupuli ſemiſſis: & horum vſus tutior eſt repurgato iam corpore, & thorace non ita pleno. Aliqui vehementer commendant ſyrup. myrtillorum ſedandæ & reprimendæ tuſſi: calidæ quidem cum iuleb. roſato: frigidæ vero cum decocto paſſul. aromatizato cum modica ſpica. Sed hæc eſt cura coacta: alia vero propria, quæ morbi cauſam tollit. Morbi itaque curatio pro cauſarum varietate varia quoque eſt. Quapropter ſi ex peripneumonia, pleuritide, empyemate, tabe aut ſimili aliquo affectu in ſpiritalibus inſtrumentis orto, (*veluti etiam diſpnœa ſeu aſthmate*) tuſſis fiat, ex eorum affectuum curatione (*vt in ſequentibus etiam exemplis patebit*) curabitur & ipſa. Si vero à morbo inſtrumentario incipiat, id eſt, obſtructione, ſi ea à re externa fit, ſponte ſua ſoluitur affectus: nam tuſſis cauſa ejicitur, niſi vehementer inhæſerit: quando & præfocari metus eſt, & aliqui viſi ſunt (*vt hiſtoriis eſt proditum*) non adeo, quod via clauſa eſſet ſpiritus tam exiguo corpore: ſed tanta & tam vehemens exſpiratio ſine intermiſſione ad præfocationem adducere poteſt: quod ad cor aër inſpiratus non perueniat (*vt recte dicebat Iacchinus*) præoccupatus à pulmone extra feratur. Nonnumquam in his, qui aqua præfocantur, plenus eſt aqua pulmo, & ex ſyncope, amiſſo ſenſu, non proritatur ad pulſionem. Si ex calida vel frigida ſola intemperie naſcatur, curationem eam duobus exemplis oſtendimus. In frigida, calidis vtendum extra admotis, fotu, vnguentis tum victu ex his, quæ actu & poteſtate ſunt calida: contra vero in calida: & hic quoque vtendum erit his, quæ hebetant ſenſum. Nihil enim obſunt materiæ, quæ non adeſt, & ex tuſſi periculum eſt in refrigeratis, vbi duriora vaſa ſunt affecta ne rumpantur: ideo admonebat hoc Hippocrates, cum frigidum diſruptorium appellet 6. *Epid.* In calida aërem calidum fumoſum declinabimus, ſomno & quieti indulgebimus, ac balneo aquæ dulcis, modo abſit febris: iam & aqua hordei, ſyr. viol. pap. muccag. pſyllij vtemur. In frigida imperabimus, vt vigilia ſomnum ſuperet; aërem calidum naturalem vel arte paratum eligemus, ſomnumque moderatum, ventumque frigidum & botealem vitabimus, iiſque præſcriptis vtemur, quæ temperiei frigidæ conferre exemplis docuimus. Si ab aſperitate, ſuccum tragacanthæ dabimus ciboſque lenientes, & potiones molles, vt diximus. Si ab acritudine, ſiquidem intrinſecus irruat, facile ſedatur obtundentibus frigidis & humidis, abluentib. aqua, mulſa, lacte. In tuſſi, inquam, omni, quæ fit ex cauſis primitiuis, omnibus modis illæ amouendæ ſunt: & quæ ex ſola intemperie, alteranda eſt. Et ſic etiam cauſa aſperitatis ſtatim tollenda, ſeu ex puluere, ſeu ex fumo oriatur: interea & in exaſperata arteria valent viſcoſa ſine

Mitigatio tuſſis ac doloris.

Cura alio tuſſis pro cauſarum varietate varia, ſed aliquando eadem.

Curatio tuſſis ab aſperitate.

mordicatione: quale eſt tragac. gummi Arab. oui luteum ſorbile, butyr. ſem. cydon. lac per ſe, mel paſſulatum, ſuccus iuiubarum, ficuum, dactylorum veterum non recentium, nam recentes exaſperant: hordeatum, lac amygd. penidia, zacchi. violatum. Si vero tuſſis fiat ex deſtillatione multis modis communicat cum cura branchi. Primum enim, vt ibi, totum vacuare, & à capite reuellere oportet: ſiquidem copia humorum adſit in toto. Vacuatio autem molienda iuxta qualitatem copiæ: nam vbi ſanguine æger abundat, præcipue circa capitis venas, & præſertim calida quoque fluxio appareat: expedit venam ſecare: mox purgatione vti pro qualitate humoris, vt iam ſæpe dictum eſt. Mox capiti proſpicere oportet, aliis præterea auertendi ingeniis: cuiuſmodi ſunt frictiones, quæ ab infernis incipiant, & ſemper ex ſupernis deorſum fiat: & cucurbitulis itidem. Mox, & ſi opus ſit, vtemur auerſione ad poſteriora pedes ſinapiſmum facta, prius abraſis occipitij capillis iuxta eminentiores partes. De hinc deriuatione vti opottet & tralatione. Defluatio quidem adnares fiat: tralatio autem ad cutim ſincipitis pet ea, quæ ſiccant. Hic tamen iam diuerſificantur remedia, pro natura materiæ & intemperiei. In frigida enim hæc acria ſunto: in calida vero ſiccantia citra calorem. Poſt hæc ad partem affectam deſcendendum: primum vero prohibere oportet, ne in fauces materia deſcendat: mox pectus expurgare iis, quæ defluxerunt. Ptimo igitur ſcopo ſatisfacimus ſi calida matetia ſit. Frigidis ſiccantib. cuiuſmodi ſunt trochiſci diaſpermatum, *de quid. 5. method.* Sunt enim in his ſemina ſiccantia & frigida vi; quatenus ſiccant, cogunt & denſant: quatenus frigida ſunt, caliditate mobilem humorem immobilem reddunt: huius generis eſt diacodion. Fit vero cum ſapa & cum zaccharo: & confectio ex ſucco nucum, pinulæ de cynogloſſa. Cum enim ſiſtere oporteat, ſi prohibere volumus, id faciunt ſiccando & refrigerando: cum vero & aſtringere partem quæ recipit; id aſtringentia faciunt; ideo & diacodion admiſcere ſolemus, bolum Armenum & zaccharum roſatum, quouſque materia ſenſibiliter influere à capite cernitur. In tuſſi igitur, quæ ab acri fluxione ac tenui fit, proba victus ratio inſtituta, qualem in catarrho calido deſcripſimus, conuenit: & in omni tuſſi ſpeciatim vtilis eſt, Celſi auctoritate peregrinatio, nauigatio longa, loca maritima & natationes. Sed in acri, iuxta Aetium, medicamenta conferunt, quæ vim refrigerandi, ſpiſſandi acrimoniamque obtundendi habeant, quorum copiam & apud Aetium & Paulum, & præcipue Trallianum, (*cuius quintus liber nihil aliud, quam de tuſſi agit*) inuenies. Materia itaque incraſſata cum ſyr. de papau. viol. & aliis, purgatio quoque adhibenda cum caſſia, manna, zacchar. viol. vel ſyr. ex pluribus infuſ. viol. deinde antidota in ore detinenda ex pap. diatrag. diapenid. piluliſque bechicis refrigerantibus, tum aliis ſupradictis, quorum formulas à practicis mutuabimini, & thorax oleo violaceo inungetur: quibus adiunges ea, quibus nos *Obſeru. 3. huius lib. in tuſſi ex deſtillatione aeri*, vſi ſumus. Habes & pulcherrima remedia ad acres fluxiones, apud Trallianum libro iam citato. Verum, quantum ad fluxionem ſiſtendam in frigida fluxione, quamuis non multus ſit fluxionis plerumque impetus: aliquãdo tamen propter tenuitatem & aquoſitatem vehementer fertur. Ideo iis ingeniis quoque vti oportuit: ſed erunt vi maiore ſiccandi prædita pharmaca, cuiuſmodi ſunt paſtilli, quibus vtitur Iacchinus;

Curatio ex deſtillatione repletæ.

8 Quæ calidæ fluxioni conferunt.

Ex acri & tenui deſtillatione curatio.

Quibus modis ſiſtitur fluxio à cauſa frigida.

ex thure, maſtiche, croco confectis, addito glycyrr. ſucco & tragacanthæ. Similiter & theriaca noua veſperi exhibita id facit, vel ſola, vel roſato zacch. admixta. Sequitur poſt, vt omni ingenio pectus expurgari iuuemus: impediri vero ſcimus expurgationem viſciditate, craſſitie, tenuitate humoris: his omnibus contrariis inſiſtemus, ſi viſciditas ſit, in quæ incidant, ſi craſſities, quæ extenuent: ſemper vero detergendi vi eſt opus, ne inhæreant. Sed quæ incidunt, inquit Hipp. nimis ſicca ne ſunto, ne magis glutinoſum faciant: ideo aquoſum oxymel eſt optimum, & ad craſſos aliquando mulſa iuuat humectando. Hic ſyrupi omnes ad calidum, vel frigidum, vel craſſum, vel tenuem materiam, conferunt: ſed parum valent, vbi non diu in ore detinentur. Modus vero applicandi communis erit omnibus faucium morbis, id eſt, vt diu in ore teneantur, & ſenſim dilabantur: ideo & conſiſtentia glutinoſa eſſe, opus erit, eclegmata vocant: aut aquea ſenſim dimittantur: ſemper enim aliquid in arteriam percolatur. 4. *meth.* Iam ergo hic multæ compoſitiones occurrunt, vt eſt
12 compoſitio Iacchini de terebinthina & ſucco praſſij & ſucco braſſicæ. Quæ vero in officinis confectæ ſunt, eſt loch ſanum, de pino, de ſcilla in viſcida materia: confectio ex iridis radice, & alia, quæ fortiora ſunt, in capite de aſthmate proponentur. Ex potionibus vero ſunt, quæ ex hyſſopo & marrubio & melle fiunt cum ficubus, & paſſis vuis. Pectus vero inungendum butyro & croco. Quod ſi materia aquoſa ſit, ſi frigida, ſiccantibus & calfacientibus vtemur: ſic enim craſſeſcens à natura per tuſſim expurgabitur. Pectus ergo iuuat concalfacere & cibis & potione actu calida vti, & paſtilli illi iuuabunt, & demum quæ calore innatum fouent: contra vero in calida, quæ ſiccant & aeritudinem tollunt, quæ dicta ſunt. Optimum vero eſt, quod glutinoſum reddit, quod eſt fluidum, vt confectio ex tragacanth. & ſuccus extragacanth. ſolus: & loch de zaccharo candi, & quod vulgo Sauoneam dicunt, delicatæ ſane confectiones. Confectio vero ex radice tuſſilaginis prodeſt in omni humore. Sic igitur vbi craſſus & viſcidus fuerit affligens humor, per ea quæ extenuant & diſcindunt, medebimur, ex Actij ſententia, eodem victu vtentes, vt de catarrho ex cauſa frigida diximus, & decocto glycyrrh. carycarum ping. hyſſopi & adianthi: & in craſſiore pituita adiecta radic. irid. inulæ, & herba ſcabioſa, & marrubio, & melle: vel *ſyrup. è glycyrrh. adiantho, hyſſopo, marrubio, melle roſ. ſcyllino, & ſimilibus.* & humore repurgato cum pilulis de agarico vel ſimilibus, *vt in Obſeru. præcedente diximus.* Cornelius Celſus laudat ouum ſorbile cum pauco ſulphure adiecto: alij vtuntur diahyſſopo. Plurima attenuatoria tam ſimplicia quam compoſita habes apud Trallianum & Actium, tum alios: qualia & præceptor meus Benedictus Faventinus in ſua magna Praxi ſcripſit. Tuſſi valida Cornelius Cannius ſacerdos Alcmarianus afficiebatur, vna cum pectoris anguſtia & ingenti dolore ſub dextro hypochondrio, annos viginti quinque natus. Hic cum bolum ſumpſiſſet, & ſyrapum ſequentem, ab omni dolore leuatus ſimul & tuſſi liberatus eſt. ℞. *caſſiæ mundatæ* ʒ vj. *diacatholi.* ʒ ij. *ſeminis dauci pul.* ϑ i ß. *agarici trochiſc.* ϑ ß. *cum zacchar. albiſſ. fiat bolus*: quatuor inde ſeceſſus habuit, multis excrementis vna cum ventoſitatibus emiſſis, dolor ſtatim ſedatus eſt, ſæpiuſque deglutito ſyrup. de glycyrrhiza, multa deinde expectorauit, & tuſſis ſedata fuit. In plurimis commode vſi ſumus loch de botryde, vel ficus aridas ad ignem parum toſtas, vt roridæ tantum eſſent, ſub noctem dum cubitum irent, deuorare iuſſimus: & hoc vnico remedio multi à tuſſe liberati ſunt. Conficiuntur quoque tabulæ ex botryde ad tuſſim.

Curatio tuſsis materia existente frigida & aquosa.

Si ex craſsis & frigidis ſuccis deſluentibus tuſsis ſit, curatio.

OBSERVATIO V.

De inueterata tuſsi, quæ per annum durauerat.

GErardus ædituus Alcmarianus ſupra ſexaginta octo annos natus, per integrum annum tuſſi validiſſima laborabat, homo admodum macilentus, vt vix per cubiculum incedere poſſet: ſubinde ventriculus etiam ructus emittebat: decoctum ſequens cum ſumpſiſſet, & purgationem, & eclegma, tuſſis ita ſedata fuit, vt rurſus in publicum exiret: ℞. *rad. glycyrrh. raſæ, fœniculi, petroſ. ana* ʒ j. *hyſſopi, capill. Vener. viol. bugloſſ. ana* m. j. *tuſſilaginis cum rad. flor. cord. ana* p. j. *radic. althææ, inulæ ana* ʒ ß. *ficuum ping. num.* 5. *prun. Damaſ. num.* x. *iuiubar. ſebeſten ana num.* vij. *paſſ. decraſtis vinaceis, hordei mundati ana* m. j. *ſem. aniſi, carui ana* ʒ ij. *ſem.* 4. *frig. maior. & minor. ana* ϑ iii ß. *fiat decoctio in* ℔ iij. *ceruiſiæ communis ad conſumptionem medietatis: maneant per noctem infuſa: fortiter exprimantur, addatur* ℞. j. *zacch. cand. & rurſus bulliant ad ſyrupi longioris conſiſtentiam. Capiat bis in die mane & poſt meridiem hora quarta pomeridiana* ʒ v. Deinde ℞. *diacatholici* ʒ vj. *caſſiæ recens tractæ* ʒ ij. *diſſol. cum* ʒ iij. *decoct. pector. addendo ſyr. de bugloſſ. viol. ana* ʒ ß. *miſc.* ſexies aluum excreuit, cum facilis ſolutionis eſſet: & febris hectica, quæ videbatur ſublatitare, deſiit, & tuſſis eclegmate ſæpius repetito etiam ceſſauit: ℞. *loch de pino* ʒ i ß. *diapenid. ſine ſpeciebus* ʒ ij. *ſyrup. viol. capil. vener. de ſiquir. ana* ʒ ß. *miſce.* pectus inunximus mane & ſero cum butyro recenti, & his ſanus euaſit prætermentem multorum, & bene ſe habuit: quanquam idem poſt tres annos anno ætatis ſuæ 71. pleuritide correptus eſt, cumque eo tempore non ſatis tempeſtiue ſibi conſuleret, ea ipſa pleuritis in ſuppurationem conuerſa eſt: qua etiam, viribus paulatim deſtitutus, ſenex obiit.

Scholia.

TVſſis ſicca vehementiſſime hominem vrgebat, quam emollit ſyrup. viol. cum ptiſana. Veteres medici (*teſte Alexandro, Benedicto, Veronenſi medico*; laſeris optimi paulum deuorandum dabant: plebi fabam ſine cortice coctam ex amygd. oleo. Prodeſt ex horto porrum, malua, vrtica in cibo ſumpta, aut allium ex lacte coctum: ſed addendum, modo non adſit febris. Apud eundem plura habes: tum apud Aëtium, ad veterem tuſſim. Plinius Secund. *libr.* 1. *capit.* 58. *ficus aridas coquit cum hyſſopo.* iiſdem fere, tum aliis, vtitur Aetius *libr.* 8. *capit.* 54. vbi & ſyluam medicamentorum ad veterem tuſſim & diuturnam inueniens. Quidam in inueterata tuſſi, ob humorum influxerant rebellionem, etiam ſuffumigiis vtuntur ex foliis belchij. Inter Veteres Trallianus, ex reſinæ terebinthinæ, auripigmenti, ſtercoris leporis pares modos in collyrium, inquit, redigito, & carbonibus abiegnis & terebinthinis fumum excitato ad triduum, ſi vires permiſerint, & affectus ex omnibus notis apparuerit frigidiſſimus, atque id, quod influit, tale ad amuſſim exiſtat. Nam in quibus calidus eſt affectus, talibus vti periculoſum eſt. Aliud ab eodem ſæpe expertum: thuris ſandarachæ, medullæ ceruinæ paria pondera in paſtillos leuigata. Cautione tamen opus eſt, vt materia in pectore vel natura, vel arte ſit imminuta reiteratis euacuationibus communibus & propriis: deinde quod abſit febris: tertio viribus conſtantibus: quarto ſtomacho ieiuno: quinto, vt in minima quantitate prius attentetur: ſexto, ſi ſequatur conſtrictio anhelitus, aut febris, corrigantur cum humectantibus, pectuſque dilatantibus & infrigidantibus, aut in actiuis temperatis, vt aqua hordei, glycyr. paſſul. & ſimilium cum iuleb. aut zacchato violaceo. Alij aut ſtatim à fumigiis iubent ægros ſumere aliquid quod egregie humectet, vt eſt aqua hordei cum butyro ouino. Fit autem fumigium per embotum aut canulam ore aperto ter quaterue in die, prout æger tolerare poteſt. Hæc autem volunt eſſe medicamenta extrema, quæ conferre dicunt phthiſi, aſthmati, empyemati, & proprie quando materia eſt ſubtilis & ſanioſa. Refert *Matthæus de Gradi cap. proprio.* ſe feliciter vſum fuiſſe fumigio Rhaſis in muliere 60. annorum, matre ſcilic. illuſtris Poëtæ Maphæi de Vegiis Laudenſis, quæ materiam catarrhalem quaſi ſanioſam longo tempore in pectore contentam habuerat, cum aliis remediis curari non poſſet, hoc fumigio intra quinque dies ſanitati præter opinionem reſtituta eſt. Deſcriptionem huius fumigij habes apud Rhaſ. 9. ad Almanſorem c. de tuſſi. Ad omnem tuſſim profunt pulmo ceruinus cum gula ſua arefactus in fumo, deinde tuſus ex melle, quotidiano eclegmate: cocta oua & trita cum melle. Ego ad tuſſim ſiccam & veterem & tabidos pleuriticos, aſthmaticos, & eos, qui valida tuſſi laborant, vtor hoc eclegmate: ℞. *ſucci tuſſilaginis ſeu farfaræ* ℔ ß. *muccag. ſe. althææ extracta cum aqua hordei* ʒ ij. *cum zaccharo penid. q. ſ. fiat loch.*

Historia Matthæi de Gradi.

OBSERVATIO VI.

De tuſsi puerorum.

INfans vnius anni, filiola Theori Verhochij cereuiſiarij Delphenſis, cum valida tuſſi afficeretur, quæ & nullis præſidiis mitigari potuit, tandem neſcio cuius mulierculæ conſilio mures cocti nutrix maſticabat, & pro cibo infanti dabat, quo remedio à tuſſi liberata eſt. At altera puella annos quinque nata, ex Perſinorum familia, cum validiſſima tuſſi longo tempore (*quam vulgus idiomate vulgari die kinchoeſt appellant*) detineretur, nec vllis medicamentis curari poſſet, alterius mulierculæ conſilio vtens, guttam vnam atque alteram ſumpſit aquæ deſtillantis à limace, exiguo ſale conſperſo (*hoc enim modo limaces in liquorem reſoluuntur*) quam cum cyatho ceruiſiæ communis ebibit, & ex incontinenti curata fuit. Inſulanus medicus quidem hoc eclegmate ad tuſſim puerorum commode vtebatur magno experimento: ℞. *rad. althææ bene mundatæ* ʒ iij. *coquantur in* ℔ j. *lactis vaccini, vel melius in flore lactis ad optimam diſſolutionem: tundantur, & cibro cremor excipiatur, addendo zacch. candi, zacchari penidiarum ana* ʒ iij. *miſce: tempore tuſsis vehementis detur cochlear vnum, deinde bis in die.* Hoc magna cum vtilitate vſus ſum, & raro me fefellit: quanquam ſubinde (*cum facile ſitum contrahat, ob lactis pinguedinem, neque diu eclegma duraue poſsit*) iubeo radices althææ in aqua farfaræ decoqui, deinde per ſetaceum, vt prius, extractis reliqua addo. Vtor quoque commode & vtiliter ad tuſſim non ſolum ſucco glycyrrhizæ vel radice ipſa recenti, verum etiam radice althææ zaccharo incruſtata, quam pharmacopœi noſtri in vſu paratam, vt habeant, iubeo.

Scholia.

MVlti (inquit Amatus) qui tuſſi veteri laborabant, experti varia medicamenta, hoc vno liberi facti ſunt. ℞. *ſulphuris viui vel communis cruda,* ʒ ß. *optime triti* ʒ ß. *beniuim* ϑ j. *in ouo ſorbili excipito, & ieiuno ſtomacho in aurora ſorbenda dato, vel poſt cœnam eunti dormitum*: Hoc n. remedio repetito, ſani omnes facti ſunt, vt ſæpe experti ſumus. Cæterum pueri qui abſque manifeſta, aut procatarctica cauſa, tuſſi ingenti cruciabantur, hoc alio ſanati ſunt: ℞. *ſucci petroſ. vulgari* ʒ ß. *lactis mulieb.* ʒ j. *pul. cumini* ϑ j. *miſce, & propina tepidum*: & illico pectus pueri hoc inunge linimento: ℞. *fem. lini. fœnug. rad. maluauiſci an. parum. in aqua incoque, & poſtea mucaginem illam excolatam butyro excipe, & calida pectus pueri inunge, & faſcia, breuique recte habebit.* His adde quæ Sebaſtianus Auſtrius ex Paulo, Rhaſe & Auicenna contra tuſſim, branchum & & coryzam *libello ſuo, de morbo* 34. *puerorum ſcripſit.*

OBSERVATIO VII.

De Aſthmate, per modum Conſultationis, pro M. Adriano Goeſio ſenatus populique Hollandici Aduocato.

MAlum, quo tua dominatio laborat, vir doctiſſime, crebram efficit reſpirationem citra febrem, qualis eſt iis, qui citatiore fatigati ſunt curſu, ob tenacium & craſſorum humorum copiam pulmonis branchiis, cartilaginibuſue infartam: conqueſtus enim mihi es de anhelitus difficultate, potiſſimum infeſtante, ſi per gradus vel ſcalas, altiora loca vel montes aſcendere debeas. Hoc quidem vitium ad aſthma pertinet: quod quidem ſenibus non tantum graue & moleſtum, imo vix curatur: verum nunc nondum eo proceſſit malum, vti anheloſis euenit, qui vix procedere poſſunt, & interdum etiam corporis partes, quæ ſupra thoracem ſunt, rectas habere coguntur, ſuffocari metuentes, niſi recta ceruice ſpirent. Et licet à catarrho, originem ſumpſiſſe videatur, cum deſtillationem prius ſenſeris, & ob hoc difficulter etiam in ſene curetur. Verum cum tantum in primo ſenio hæreas, rectè facis, quod conſilium tempori adhibeas: iacula enim præuiſa (*teſte Dino Gregorio*) minus feriunt. Proptereà neque ipſa curatio adeo leuis habenda eſt, neque omnino omittenda atque negligenda, tanquam omnia præſidia inutilia exiſterent: ſed omnibus modis elaborandum, vt huic malo quantum poſſimus reſiſtamus, ne incrementum recipiat, quod commode in primis fiet optima victus ratione, & vitæ regimine probe prius obſeruatis. Deinde iis medicamentis adhibitis, quæ aſthmatis ſuccurrere ſolent, & id curare valent. Aër igitur vitetur frigidus & humidus, niuoſus, pluuioſus, ventoſus. Victus ſit prorſus calidus & ſiccus: non tamen ita ſiccus, neque pharmaca ita ſicca, quin eadem talia ſint, vt viſcoſitatem & craſſitudinem humorum diſſecare poſſint, quum talia & humiditatem quandam habere oporteat, Gal. *auctor.* 7. *de compoſ. med. ſecundum locos.* Cibi igitur ſint leues, Celſo teſte, & ſorbitiones. Vtendum igitur carnibus perdicum, auicularum montanarum, gallinarum, pullorum, phaſianorum, ſternarum, caponum, potius aſſis, quam elixis: interea & elixis cum pauco hyſſopo, oreoſelino

thymo, calaminta, aut fœniculo, aut reliquis eiuſmodi extenuantibus. Piſces vitandi omnes, quantum fieri poteſt, niſi ſaxatiles potius ad ſaporem concedantur. Vitabis in genere fructus, ac omnia, quæ craſſos & lentos humores procreare poſſunt. Vini potus, iuxta Galenum, tibi conuenit ſubſtantia tenuis: nec exiguus eius potus tribuendus erit, imo multus, vt ipſe inquit: nam humectatione multa opus habet, quo facilè efferatur per tuſſim, id quod in bronchiis continetur. A ceruiſia craſſa abſtinebis, ſed pro potu ſi mulſa vti cupias aliquando, vel melicrato cum cinamomo clareti inſtar, concedo. Somno autem moderato, præcipuè nocturo vtere, cuputque in lecto ſublime habeas: id & Celſus iubet: & diuturnum fugias. Præſtat autem anheloſos altioribus ſtramentis, thorace atque capite ſubleuato, loco lucido atque calido decumbere. Clyſteriiſque aluus ducenda, vel glande irritanda. Præſertim vbi natura eadem humecta non ſit. Prodeſt & ambulatio lenta, penè vſque ad laſſitudinem: frictio quoque multa, præcipue inferiorum partium, vel in ſole, vel ad ignem, & per ſe ipſum, & per alios vſque ad ſudorem. Exercitio vti quoque debes ante cibum, & nequaquam ſubito, quod complures hac ratione exſtincti ſint. Animi perturbationes fugiendæ, maxime vero mœror, & ira. Præter cibos ſuperius dictos, quidam commendant aliquas carnes à proprietate anheloſis conferre, vt bubonis, ericij, vulpis, vt habetur apud Gradum: ſed noſtratibus non ſunt in vſu. Quod ad medicamenta, breuiter me his quoque expediam: alia rationem habent materiæ contentæ in pectore, alia vero eius, quæ fluit, & adhuc fluxibilis eſt, & nondum fluxa. Et ſic non minus capitis ratio tum catarrhi habenda, quam pectoris aut pulmonis, & membrorum ſpiritualium, quippe cum curatio aſthmatis quid commune obtineat cum aliis morbis: nempe vt redundantia humoris hæc vitia procreantis abſumatur & cibo aboleatur. Secundo, cum proprium quiddam obtineat, vt ſi ab humoribus craſſis ac tenacib. oriatur, malum per extenuantia & extergentia medicamenta curetur. Omnium primo igitur vniuerſalem euacuationem inſtituemus. Sed quia craſſa difficulter ſoluuntur, prius materia coaptanda ad expulſionem cum decoctis conuenientibus *glicyrr. marrubij, hyſſopi, herbarum capill. ſcabioſæ, betonic. paſſul. caryc. & ſimilium, adiectis ſyr. de hyſſopo, præſio, de glicyrrhiza, oximelite, vel ſyrupi per ſe dandi.* Deinde vna vniuerſalis euacuatio adminiſtranda. Sed quia ſolſtitium hyemale tranſiit, & in hyeme ſumus, & in ſene, potius pharmaco vtendum, quam venæ ſectione: à purgatione leui incipiendo, vt hoc modo. *℞. agaric. optimi* ʒj. *rhabar. ſelecti* (quia dominatio tua hepar calidum habet) ʒß. *zinz. alb.* ϑj. *ſchœnanth.* ϑß. *infunde per noctem, facta prius leni ebullitione in* ℥v. *decoct. pector. mane fortiſſ. expreſſ. adde ſyr. de liquiritia* ℥j. *electuarij lenitiui, diaphœnici ana* ʒij. *miſce: detur in diluculo. Vel ſi mauis pilulas,* ℞. *pilul. de agarico* ʒj. *rhab. optimi* ϑj. *cum aqua fœniculi, fiant pilulæ vij.* Præterea cum etiam adeſt catarrhus, vnde & aſthma, duo præcipue membra in curatione reſpicienda, nempe cerebrum tanquam mandans, primo vero & pectus tanquam recipiens. Primo membro, nempe cerebro, debetur exſiccatio ac roboratio, nec humor catarrhalis generetur: mox & humoris incraſſatio, vel potius ſuſpenſio, ne amplius fluat, poſtea vt humor diuertatur, & per aliam viam fluat. Si itaque catarrhum fluere ſentias, fiat ſacculus ex ſale toſto cum furfure, & capiti imponatur, ad capitis exſiccationem & roborationem. Vt a. incraſſetur, ſi opus eſt, detur pil. vna ex olibano in introitu lecti, alij ex olibano fumum recipiunt per os: illud tamen aſthmaticis ſuſpectum. Quæ autem auertunt humorem fluentem: ſunt hæc: ſuccus maioranæ vel betæ per nares attractus, vel radix gentianæ naribus impoſita, cucurbitulæ quoque ſcapulis admotæ. At ſuſcipiens membrum trachea arteria, pulmo, pectus, præter communem purgationem etiam pectoris cum agarico, proprio quoque remedio indiget, quodque materiam in pectore exiſtentem expurget, extenuet, tergat, & partim per ſputum expectorationem educat, qualia ſunt decocta rad. helenij, iridis, hyſſopi, praſſij, vngulæ caballinæ, ſcabioſæ, ficuum & vuarum paſſularum. Ecleg-mata de pino, de botryde, loch fanum, loch de caulibus, loch de pulmone vulpis, etiam ſcyllinum. Interea & pectus inunges cum oleis calfacientibus, liliaceo, irino, vng. dialthæa, pectorali. Quibus cum vſus fueris, cum in Hagam Comitis acceſſero, ſi malum non ceſſerit, reliqua medicamenta addam: cum ad alios euocamur, te quoque inuiſam. Hæc pauca pro tuo affectu annotaſſe ſufficit. Ex noſtro Muſæo Delphis 23. Decem anno 1559.

Petrus Foreſtus Alcmarianus, Delphenſis Reipubl. Medicus.

Scholia.

Aſthma eſt affectus, qui reſpirandi difficultatem cum magno conamine præ ſe fert, *Latini* crebrum anhelitum, vel anhelationem dicit. Nomen eſt à ſymptomate ſumptum, etenim ſpecies eſt vitij in reſpiratione: & eſt actio depraua-ta, non ſecus ac tuſſis, & ſternutamentum. Mouet enim natura, ſed irritata à cauſa præter naturam, & morboſum affectum ſequitur. Qualis autem ſit vitioſa reſpiratio, deſcribunt, quoniam creber eſt, inſtar eorum, qui vehementer ſunt moti. Creber autem dicitur, vbi exigua quies intereſt inter vtrumque motum, dilatationis & depreſſionis pectoris. *Galen. aph. 6. comment. 46.* Multæ, inquit, ſunt ſpirandi difficultates, ſed ſolam illam Hippoc. conſueuit Aſthma nominare, in qua contingit ſatis crebrum anhelitum tum fieri: eſtque difficultas reſpirationis, qualis iis, qui diu cucurrerunt, ex quo ἀάσθμαίνειν, anhelare, id quod in curſibus & vehementioribus exercitiis fit. Vide de his plura apud *Galen. 7. de compoſ. medic. ſecund. locos cap. 6.* Dicuntur autem tales, qui citra febrem denſe reſpirant, dicuntur tales anheloſi ſeu ſuſpirioſi, Aëtio & Paulo teſtibus, & Galeno auctore 3. de difficultate reſpirationis. Intera ſpirationis difficultas, ſi modica eſt, δύσπνοια Græce dicitur. vide Gal. *lib. 4. de loc. affect.* vbi ἄπνοιαν, quaſi non ſpirationem dixeris, dumtaxat à quauis alia reſpirationis oblæſione ſeiunxit. Sic & Galenus lib. De difficultate reſpirationis, tum etiam *6. de morb. vulgar.* cum Hippocrates δύσπνοιαν ſpiritum denſum crebrumque licet, non valde difficilem reſpirationem, intelligit, à reliquis ſeiunctam, aſthmate videlicet & orthopnœea. At cum vehementior ſit, & ſpirare æger ſine anhelitu & ſono non poteſt, tunc ἄσθμα vocatur: ſi vero accidat in ſpirando, vt non niſi recta ceruice ſpiritus trahatur, tunc ὀρθόπνοια nominatur, eſtque hæc maxima, vt ægri iacentes ſuffocentur. Hæ inquam tres differentiæ communicant, quod videlicet febre careant, vt patet 3. *de morb. vulg. & 6. eiuſdem.* De his noſter ſermo eſt, & non de iis, quæ cum febre fiunt, ad alias videlicet ſeu inflamma-

tiones ſpiritualium, ſeu reliquarum partium ſubſequentes, ſic enim difficultas reſpirationis fit & anguſta quoque peripneumonicis, ſuppuratis, & pleuriticis, ſed cum febre, à quibus facile diſtinguuntur prædictæ anhelationes difficiles, quæ ſine febre fiũt, & ideo facile diſtinguuntur. In quibus etiam non facultas ipſa reſpirationem efficiens, neque vſus per ſe afficiuntur, ſed inſtrumenta ipſa, & inter ea aſpera ipſa arteria, quæ in collo & thorace continetur, ſeu eius propagines, quæ in pulmones diſtribuuntur: id quod ſæpius accidit, ſunt enim ſtrictiores, propterea promptius obſtruuntur, ac conſtringuntur, ſeu anguſtiores reddunturquemadmodum liquet 4. *de loc. affect. de compoſ. med. ſecund. locos. & comment. aphor.* 26. *lib.* 3. quamuis non ſemper huius ſymptomatis cauſa, ſiue morbus ipſe in fiſtulis aut canitatibus pulmonis conſiſtit, vt experientia conſtat. Anno enim, inquit interpres Hollerij, 1549. menſe Septembri, monachus quidam in collegio vulgo de Arras, breui aſthmate interijt, corpore diſſecto abſceſſus repertus eſt, in vena arterioſa & ſine pari, integris omnino pulmonibus. In quodam (*nomine Bruio*) aſthmate mortuo plumo tanquam ſpongia, imbutus multo humore pituitoſo, inuentus eſt. Similem fere caſum cum ſuperiore refert Dodonæus de difficultate reſpirandi cum ſuffocationis periculo, *cap. 19. in ſuis Obſ. in medicinalib.* de quodam nobili defuncto, in cuius pulmonis inferiore ſede ac baſi, qua ſepto tranſuerſo incumbit, reperti ſunt abſceſſus duo, vnus in dextra, alter in ſiniſtra parte, per meatus pulmonis purulentus ferebatur humor, qui inſciſſo pulmone ex ipſis profluebat. At Beneuenius, *de abditis morborum cauſis, cap. 61.* corpus etiam incidit in orthopnoico, in quo inuenit non parum atræ bilis & ſanguinis nigrioris in eius corde coijſſe: vnde etiam per venas diffuſus, non eſt mirum ſi corrumpente eo ſpiritum ipſum, hominem ad feſtinam mortem deduxerit: quod etiam auctore Galeno alias contigiſſe nouimus. Interea quod quis difficulter ſpiret, tres cauſas ponit Galen. 4. *de loc. affect.* vel ex vitium imbecillitate, dum ſpiritus ex ſolis naribus emittatur, & narium pinnæ manifeſte per inſpirationem contrahi videntur: vel auctо in corde & pulmone calore, calido frequenti ſpiritu exſufflante. Vel ob ſpiritualium inſtrumentorum anguſtiam, toto thorace magna ex parte celeriter & frequenter dilatato, ſed nec ſpiritum efflant, nec calidum emittunt, vt illi faciunt, qui ob cordis vel pulmonis calorem, muſculis thoracis maxime agentibus, difficulter ſpirant. Hic vero agimus de ijs, qui ex ſpiritalium inſtrumentorum anguſtia difficilem ſpirationem habent: ita vt cunctæ iſtæ affectiones, de quibus paulo ante diximus, ad ſymptomata referantur functionis voluntariæ, reſpirationis inquam, non quidem ablatæ, ſed oblæſæ vt in apnœa quidem debiliter ſeu imbecille, aut interim quoque deprauate, & in orthopnœa, licet raro. Separatur autem vna ab alia quibuſdam proprijs indicijs. Namque in ea, quam dyſpnœam nomine generis appellauimus, ſpiritus duntaxat denſus, iſque modice citra ſonum & anhelationem apparet. In aſthmate vero ſeu anhelatione, præter ſpiritus denſitatem maiorem, æger ſine ſono & anhelatione, inquit Celſus, ſpirare non poteſt. At in orthopnœa, nedum ſpiritus crebritas maior percipitur, ſed ita affecti, nonniſi recta ceruice ſpiritum trahere valent, & cum decumbunt, ſeu iacent, ſuffocari ſeu ſtrangulari videntur. Symptomata autem hæc ad morbum in via ſuccedunt, quamuis interdum viæ ipſæ obſtruantur, per quas aër inſpiratur: interim conſtringuntur ac coarctantur pro cauſarum diuerſitate: de quib. poſtea agemus: atque hæc omnia exemplis illuſtriora enadent.

OBSERVATIO VIII.

De viro pituitoſo dyſpnœa paulatim correpto.

Vir annos quadraginta natus, obeſus, & pituitoſus, cum in hyeme, tempore niuoſo, iter faceret, paulatim anhelitus difficultatem incurrebat. Erat a. huic ſpiritus quidam denſus citra tamen ſonum & magnam anhelationem, ita vt potius dyſpnœa laborare videretur, quam aſthmate: nam calidò tempore hic iuuamen ſentiebat, veluti thermarum vapore, vel ſi in cubiculo paulo calidiore ſederet, melius ſe habere fatebatur. Verum cum hic pituitoſus eſſet, & non ſine catarrho, ne in aſthma aut grauius malum incideret, huic imperauimus, vt in aëre calido & ſicco verſaretur, & exercitium leue, nempe ambulationem lentam ante cibum, ad laſſitudinem fere conteſſimus, & ſomnum moderatum, & vt diuturnum vitare præcepimus, vinoque tenui vel aqua mulſa aut cinamomi, in qua aliquid praſſij, vel hyſſopi incoctum eſſet, loco potus vteretur, mandauimus, & ad materiam frigidiorem concoquendam, *vt oxymelle ſimplici comp. & ſyr. praſſij & hyſſopiacũ aquis hyſſopi, betonicæ, praſſij, vel decoctо ſimiliter vteretur, iuſſi.* atque mox illum purgauimus cum diaphœnico. A venæ ſectione, quia in hyeme eramus, nec ſanguine abundaret, abſtinuimus. Poſtea vtens *zacch. enulato, etiam theriaca veteri* ʒ j. *cum vino, & victu calfaciente & exſiccante, etiam aſſumptis* iij. *aut quatuor guttis deſtillationis aniſi cum vino*, ab hoc ſymptomate probe curatus fuit.

Scholia.

A Primitiua cauſa, nempe ab aëre frigido, hæc dyſpnœa ortum habebat, poſtea etiam accedente catarrho cum pauco humore, pituitoſo in pectus collapſo: ſed facile ceſſauit malum, ſicuti enim dyſpnœa, ita & aſthma & orthopnœa ab iiſdem cauſis oriuntur: quanquam aſthma à grauioribus, & orthopnœa, à leuioribus vero dyſpnœa. Aſthma itaque, tum reliquæ dictæ affectiones, multas cauſas habere poſſunt, licet à Paulo vna tantum aſſignetur, quæ quidem potiſſima exiſtit. Poteſt namque anguſtia hæc citra febrem excitari, aut à tuberculo copiam iuxta aſperam arteriam orto, eamque coarctante, aut à lẽtis craſſiſve, ſeu multis ſuccis in bronchijs ipſis exiſtentibus, aut eiſdem ab aliis partibus ad eadem delatis, ipſam aſperam arteriam obſtruentibus: alij volunt cauſam eſſe tuberculum aliquod crudum in pulmonibus genitum. Nam & Gal. *aphoriſ. 46. lib. 6.* fieri ſignificat aliquando à tuberculo nato in ſpina, vt in gibbis: quod ſi magnum eſt & durum ſiue crudum, aſthma facit, ſi non ita durum & aliquid deſudat in arteriam, tuſſim. Aliquando etiam ſuppuratur, & interimit. Si fuerit in collo, aſperam arteriam contrahit, in dorſo, pulmonem & vicina corpora, ſub ſepto, & renes & lumbos, vrina quoque intercipit. Malum quoque hoc quandoque generat fumus argenti viui, aër cauernarum, à quibus metalla effodiuntur: ab ijs enim vaporib. contingit

pulmonem nimium exſiccati: vt & ex metallorum cuniculis, ex nauis carina, vbi multa corrumpuntur: dirum n. odorem emittit triticum, quo ſuperuenientes multi ſuffocati ſunt: etiam in nauibus occluſis cereuiſia onuſtis aut in furnibulis, quib. cinnabaris factitius, aut ſimilia conficiſolent, aut arſenicum, argentum viuum, vel reliqua metallica ſublimantur. Si ſit à reſiccatione, vt in aurificibus, chymiſtis, fabris ferrarijs, & ſimilibus, quibus addi poſſunt, inunctiones & remedia à morbo Gallico. *Rhaſ. libr.* 4. Continentis adiecit pectus ſtrictum & paruum pulmonem: Qui natura talem conſtitutionem habet, iugiter (inquit) fit aſthmaticus, vel ſi quid incaute in ſpiritalem fiſtulam, veluti in alienum tramitem, exciderit, vt refert Benedict. Veronen. de quadam Lucretia Veneta, quæ nucem Ponticam in pulmonis fiſtulam imprudenter admiſit. Victus quoque intemperantia, nec non corporis craſſities, otio aut natura contracta, anheloſos ſubinde facit. Omnium autem frequentiſſime fit à pituita craſſa & viſcida, quæ in aſperæ arteriæ ductib. inuiſcata hæret, ſiue aliunde influat (*quo tempore ſæpe ſubito ſpirandi difficultas oritur*) ſiue ibi genetati ſint: ſæpe enim ſpirandi inſtrumenta (*vt nunc diximus*) ſui mali principium habent, cum ſcilicet multæ ſuperfluitates in ipſis generantur, quæ aliquando tempore, vi caloris, in pituitam vitream aut gypſeam permutantur, hinc quoque tempore in grandinem atque calculos degenerant: tales enim aliquando calculos ex pectore tum pulmone expulſos eſſe dixmus *lib.* 14. *ſcholio Obſ.* 26. cum & in aſthmatico fruſtum carneum eiectum vidimus, de quo eodem loco mentionem fecimus: quem & nos probe curauimus, qui & poſt carnem illam eiectam melius multo ſpirare potuit. Neoterici vero cauſam huius procatarcticam eſſe volunt, caliditatem vel frigiditatem aëris, caſum, percuſſionem, nimium corporis motum, fumigium argenti viui, & quemcumque odorem pectus conſtringentem. Antecedentem vero dicunt eſſe malam intemperiem, frigidam, coarctantem vel obſtruentem, vel materiam pituitoſam in pulmone vel eius bronchijs infarctam: & cauſam coniunctam volunt eſſe humores infarctos in arterijs & venis pulmonis. Signa per ſe tum vniuſcuiuſque generis per ſe ſatis patent, tum ex iis quæ ſcholio præcedente diximus. At ſigna cauſarum probe ſunt diſtinguenda, ob curationem. Si ſit ex tuberculo, inter reſpirandum ſtertere videtur: nihil exſpuit, malum ſemper augetur, circa arterias pulmonis grauitas ſentitur, veluti Antipatro medico contigit: demum temporis diuturnitate aſperas pulmonis arterias coarctans ſpirandi difficultatem facit. Iam quoque ſine manifeſta à capite fluxione, ſine ſputo aut humida tuſſi illud patiuntur. Si vero ſtertendo ſtrepitum fecerit reſpiratio, lentorum craſſorumque humorum pertinaciter impactorum, multitudinem pulmonis bronchia infeſtare, indicium eſt. Sed nec generatim verum eſt, quod ex humore craſſo aut viſcido ſemper fiat, ſæpè n. vidimus (*inquit Iacchinus quoque*) à tenui deſtillatione fieri, & ratio dictat: quoniam omnia corpora, quæ replent, ſpiritum impedire poſſunt: ſic his fieri dixi mus, qui metallica tractant, qui etiam aliquando præfocâtur, vt Galenus in Cypro accidere dicit circa chalcanthi venas: ſic & carbonum fumus præfocat. Videntur igitur hæc fieri potius qualitate attracti aëris, quam quantitate: vt autem externus aër hoc efficit, ita & vapor venenoſus internus. Sed adhuc quæritur, qua ratione fiat hic creber anhelitus? An quia multum refugit eius reſpirationem, ideo crebro ad inſpirandum reuertitur ob neceſſitatem? tandem vero præfocat, cum nihil inſpiratur, vel cum cor refrigerare nequit, quia non admittitur? Hoc euenit etiam in aëre cauernis incluſo, & ita putreſcente. Hæc facile habentur ex cauſis prægreſſis & ſermonib. ægri aut aſtantium. Iam quoque vehementiſſimo aſthmate prehenduntur laborantes ex vtero. De ea quæ mulieribus accidit cauſa, nihil forte inconuenit dicere: quod afficitur pectus per conſenſum vteri: etenim genitalia pectori multum conſentire Gal. ait, 1. *epid.* 13. & cauſam ibi exponit: ideo ab vna parte ad alteram abſceſſus fieri ait facile. Cognoſcitur a. ex proprijs ſignis: ſi ex deſtillatione, quam primum ab anguſtiæ ſenſu quis difficulter ſpirauerit, id vel à cerebro, vel à vicinis ſedibus in pulmonem irruentem fieri, portendit, idque ſæpius ex manifeſta cauſa accidit, proprijs deſtillationis ſignis exiſtentibus: pinguiretenim (*vt inquit Theodorus Priſcianus, libr.* 2. *ad Timoth. c.* 12.) & frigido phlegmate pulmonibus adhærente, cauernæ vel meatus, quibus naturaliter ſpiritus redditur, & accipitur, concluduntur: & ex hoc impedimento ſuſpirium, vel anhelitus moleſtiſſimus naſcitur, vt ſedendo magis, quam iacendo reſpirent. Verum ſi prædictæ affectiones ex alijs quibuſdam præter iam dictas cauſas, interdum oriantur, vt ab hepate, ſplene, ſtomacho, vel diaphragmate inflammatis, vel pulmonem diſtendentibus, vel à ventoſitate, vel quouis modo per conſenſum, vel à vertebris diſlocatis, vel gibboſis, vel à vaporib. ſanie, cruore, ſanguine trumboſo, vel ab angina, peripneumonia, pleuritide, empyemate, aut ex tumore aliquo abſceſſui ſimili in pulmone genito, ſeu aliis eiuſmodi, licet de his nunc non ſit ſermo, ex proprijs tamen prædictorum affectuum notis interſtinguendæ ſunt, potiſſimum quod non citra febrem erunt, cum & de his poſtea acturi ſimus in proprijs quoque ſuis locis, vt de ſanguinis ſputo, pulmonia, pleuritide, & empyemate, &c. Nos nunc ægre ſpirantes intelligimus ſine febre, cuius rurſus exemplum adferamus.

OBSERVATIO IX.

De Aſthmate difficili, hereditario, antiquo & periodos habente ex ſuccis craſſis & viſcidis.

ASthma plurimas differentias in ſe continet, cum aliud nouum ſit ac recens, aliud rurſus ſine periodis, aliud vero periodos habens, diuturnum quoque & antiquum: quale Iuſta Teylingia, vxoris meæ ſoror, matrona mehercule proba, patiebatur, per certas periodos, tempore potiſſimum pluuioſo, niuoſo magis & nebuloſo, cum difficili anhelatione, adeo ſonora, tanquam per filtulam aër cum magno conamine exſufflaretur, vt etiam extra cubiculum ſubinde ſonitus exaudiretur. Inſuper & hoc malum erat hæreditarium: pater enim eius Auguſtinus Teylingius hoc eodem malo afficiebatur, vti & duo fratres Bartholomæus Teylingius Prætor Alcmarianus, & Auguſtin. Teylingius iunior frater. Filia quoque eiuſdem Iuſtæ, virgo. Ideo peius malum erat, & hæreditarium, & diuturnum: & quia iam ætate ſatis prouectiore, difficulter in talibus aſthma curatur. Etenim de ſignis prognoſticis difficultatis illud commune eſt, quod in ætate decrepita non ſanantur, neque diuturnæ iam, propter magnam infirmitatem, quam viſcus contraxit, ſicut nec diuturni dolores articulorum, nec aliud malum vllum eiuſmodi quod ad multam infirmitatem partem trahat: propterea in iis, qui male formato ſunt pectore, vt anguſto thorace, vel in iis qui natura ad hunc morbum inclinant (*vt hic quidem, & morbo hæreditario, viſcus imbecillum ſiebat, & à leui cauſa lædebatur ob anguſtiam malo ſæpius repetente & diuturno, ex frigidis humoribus orto*) ita in valde ſenibus ſi excitetur, *iuxta aphor.* 40. *lib.* 2. *ex commento Galen.* eos fere comitari ſolet ad mortem. Hyeme magis corripiebatur: nam, Cælio Aureliano teſte *lib.* 3. *cap.* 2. magis grauat atque premit hæc paſſio mulieribus viros, & iuuenibus ſenes atque pueros, & durioribus corporibus natura teneriora hyberno tempore atque nocte magis, quam die vel æſtate. Omnes autem iſti, de quibus diximus, aſthmate laborabant ex pituita viſcida & craſſa, arteriam tracheam, tum pulmonem canitatemque pectoris implente, ſimul & tuſſi quandoque grauiore pituitoſum quid exſpuentes, modo difficili anhelatione tantum ſine tuſſi. Fratribus vero, qui iuniores erant, vena tempore veris commode fuit ſecta, idque ex Pauli & Celſi, tum Galeni decreto, cum vires venæ ſectionem admitterent, quæ à Cælio & Priſciano quoque laudatur. Reliquam curationem, quæ plurima cum tuſſi communia habet (*vt in cauſis & affectus naturæ communicat*) poſt totius corporis prouidentiam abſoluimus cum iis, quæ materiam viſcidam & concoquerent, & deinde euacuarent. Interea prius diſtinguendo aliam eſſe curandi rationem in iis, qui iam in acceſſione ſunt, aliam in tempore medio, cum hoc malum periodos haberet. Ideo tempore medio & ante acceſſionem diligenter victus rationem inſtituimus, vt cibos concoctu faciles ſumeret, & qui tenues ſuccos gignerent, & vt omnem cruditatem vitaret: in ea enim caput pituita repletur, vinumque modice ſumptum, tenue, aquoſum, & pallidum, quod minime caput tentaret, conceſſimus, & vt aërem clarum cligeret, mandauimus, à paludibus ſemotum, ſiccum, apricum, inſolatum, & exercitium ante cibum. Per intervalla pilulas ex hiera ſimp. vel compoſ. de agarico & aſſaiceret (*quæ neque diagridium neque myrobal. reſiperent*) exhibuimus. Aliqui & hic ſingulis menſibus vomitum laudant, præſertim ſi facile vomant, alioqui præſtat per aluum purgatione vti. Deinde etiam decoctis extenuantibus & expectorantibus (*capite prius quoque expurgato & roborato ob catarrhum*) vtebamur: & ſyrupis pectoralibus, prius quoque auerſione & diuerſione facta cerebro: & poſt pilulas dictas etiam theriaca, cuius vſus (*viz & diacalamimbes & oxymelitis ſcillini*) eximius eſt præ omnibus, vt prorſus à periodo liberare queat. Dum extra paroxiſmum eſſet, ad nares quoque materiam deriuare contendebamus. Vtebantur omnes oxymelite ſcillino, inula campana condita, & ſimilibus. In acceſſione (cauſam antecedentem inſpicientes) ſi copia ſanguinis adſit in corpore & magnitudo affectus ſuadeat, venam ſecamus communem, vt in duobus fratrib. fecimus, mox purgamus, ſed prius leni purgatione, quæ à capite attrahit, & à ſuperioribus reuellit, vt eſt hiera cum agarico: qua purgatione vſi ſumus in his duobus, tum multiere. Vniuerſo corpore repurgato, caput etiam reſiccauimus: deinde & pectus repurgauimus, ideo & oxymel aquoſum dedimus, hyſſopo incocto. Non deſunt qui commode terebinthinæ ʒ ß. exhibeant ex oleo amyg. dul. pectus & aluum ſimul purgant. Ioch etiam de ſcilla dedimus, & confectiones quæ ex helenij radice conficiuntur; tum loch de pulmone vulpis. Sed & huic matronæ egregie contulit, quod vrgente ſpiritus difficultate, ptiſando ſumpſerit aliquot guttas vini ardentis è vino Rhenenſi per deſtillationem deputati (*vulgus aquam vitæ vocat*) vel cum ſub noctem ſumeret bucellam paruam panis macerati in tali vino. Poſt materiam paratam & inciſam ac concoctam fratribus quoque egregie profuit apozema ex folijs ſenæ, & agarico, cum herbis pectoralibus aperitiuis: ſumebant ſubinde & rad. althææ conditas, & enulæ, vti & vinum enulatum egregie quoque contulit, (*poſt ſectionem venæ & purgationem*) M. Adriano Wentzio conſiliario, cognato noſtro, qui pectoris & interſcapulij dolore afficiebatur, & aſthmate ex compreſſione diaphragmatis, oris ventriculi repletione, vt aliquando in via ſiſtere deberet nec progredi poſſet, ob anhelitus difficultatem: qui noſtro conſilio vtens, tum Martini æditui Amſtelrodamenſis, iſtis & ſimilibus remedijs bene ſe habuit. Hic tamen poſt aliquot annos in platea concidit ex aſthmate, & ſubito mortuus eſt. Solebat enim bis in anno ſeſe purgare, noſtro conſilio, quod cum iam intermiſiſſet, quanquam admonitus, ſubito exſtinctus eſt.

SCHOLIA.

Signa cauſarum.

Signa prognoſtica.

PRima differentia, ſcilicet, dyſpnœa (*Celſo teſte*) diutius trahitur, duæ vero inſequentes, aſthma & orthopnœa videlicet, acutæ eſſe conſueuerunt: ob vehementiſſimas etenim acceſſiones interdum ægros ſtrangulare ſolent, id quod dyſpnœa proprie dicta, nequaquam efficere valet, cum modica in ea conſiſtat ſpirandi difficultas, ſi aſthmaticis quoque deliquium animi frequenter ſuperuenit lethale augurium facit. Et quibus gibbi ex aſthmate (*teſte Hippoc. Aphoriſm.* 47. *lib.* 6.) aut tuſſi fiunt ante pubertatem moriuntur: vti euenit filiæ Iodoci Franciſci cereuiſiarij Delphenſis, quam longo tempore ante me Henricus Vergerius medicus Haghanus in curatione habebat: atque cum ego deinde etiam accitus eſſem, curationem impoſſibilem eſſe diximus: quando enim magis confirmatur, tanto eius cura, ſecundum Auicennam, difficilior eſt. Ego enim plurimos tales vidi, vt etiam Gradus fatetur, nunquam curatos: licet etiam cum magna diligentia tractarentur. Ideo quædam in eadem puella, vt matri & huic complaceremus, tentauimus, ſine ſpe tamen curationis: cum illi, qui non ex tuberculo, ſed ex ictu aut caſu gibbi fiunt, melius reſtituantur, vel ſi reſtitui non poſſint, diutius viuant. Sic ego memini in Iuſta Neoburchia cognata vxoris meæ Alcmariana: quæ cum decimum ſeptimum annum ageret, ex caſu facta eſt gibboſa, idque paulatim, cum propter pudorem parentibus ſe cecidiſſe non indicauerit: cumque chirurgum non aduocaſſet, gybbus tandem inualuit, vt parentes tunc prius animaduerterent, cum tota incuruaretur filia, alioqui pulcherrima. Cõuocatis tunc medicis atque chirurgis, reſtitui non potuit, vt ob gibbum, quamuis nubiles annos habens, vitam cælibem deinde tranſegerit, factaque paulatim aſthmatica diu vixerit cum magna miſeria, vſque ad annum 38. ætatis ſuæ: tunc ex aſthmate in pulmoniam lapſa, mortua eſt. Maximum enim periculum imminet, eum aſthma in febre acuta euenit, vel vna cum aſthmate iungitur. Etenim à calore febris, modo ſi ſuapte

ſi ſuapte natura ſit difficilis ſcreatur, multo redditur difficilior ſiccatione plurima. Præterea cum ea egeat multa inſpiratione frigidi aëris, hæc autem ob anguſtiam fieri nequeat, breui periclitari vim vitalem eſſe neceſſarium. Adde quod febris irritatur maxime: minimum vero febri adiuncta lædentur, qui ex aquoſa pituita id patiuntur: nam craſſeſcit & exſcreatur: tunc vero maxime periclitantur, cum viribus ſunt inualidis: cito enim in ſyncopen aguntur & mortem. Proximos igitur morti iudicabimus, cum inæquales admodum ſunt pulſus, præſertim ſi intermittant, idque in iuuene. Hæc ex adiunctis affectibus. Ex pituita frigida ortum malum, ſuperueniens febris ſanat, & varices quoque enatæ id curant. Imbecilles aſthmatici non diu viuunt. Id malum quoque ſi vertebrarum vitio contingat, ſi introrſum id fiat, nunquam ſanatur: atque is morbus, vt iam diximus, in peripneumoniam tranſitum facit: & ſi diuturnus eſt, ægrum ad hepatis læſionem deducit & hydropem: & qua periodos habet, præter opinionem ſubito ſæpe interficit. Quamuis in pueris permutatione ætatis ſæpe curetur, ob victum calidiorem & materiæ frigidæ conſumptionem: quæ huius mali cauſæ exiſtebant, cum & creſcentibus anhelitus organa melius dilatentur. At periculum maximum imminet, cum omnes muſculi intercoſtales, ſuperiores ſcapulæ & omoplatæ trahuntur, virium imbecillitas, vehemens calor, anguſtia partium ſpiritualium conſpicitur. Vbi omnes aut plures concurrunt, æger morti proximus eſt: vbi duæ, non facilè ſeruari poteſt.

OBSERVATIO X.

De Orthopnœa.

1 ORthopnœa adeo graui ſubinde laborabat M. Hieronymus presbyter Alcmarianus, & vxoris meæ auunculus, vt in ipſa acceſſione adeo difficilis fieret reſpiratio, vt etiam in platea, ſi exacerbatio contingeret, ſtaret toto tempore acceſſionis parieti innitens, vt ita anhelitum traheret. Poſteaquam acceſſio conquieuiſſet, melius reſpirare potuit, & quocumque libuit abire. Attamen cogebatur leuiter incedere, alioqui facile periodus reuertebatur. Hoc autem malo multis annis detinebatur: quem alius Medicus ante nos curabat. Malum aliquando adeo inualeſcebat, ſubinde reuertentib. paroxyſmis, vt cum parieti alicuius domus, primum obuiam factæ inclinans, erectus ſtare cogeretur, à pariete ſeſe mouere non poſſet, etiamſi domus fuiſſet cõbuſta, donec acceſſio quieuiſſet. Multa huic remedia fruſtra adhibita fuere, cum tempore iuuentutis apud amicos crapulæ vtcumque indulſiſſet, cum etiam Veneri, concubinam domi alens: quam cum relinquere nollet, malum frequentius recurrebat, anno 1548. ſub finem Decemb. atrociſſimo obrepente paroxyſmo, ita vt per duos integros dies & noctes corpore erecto in pedes ſtare cogeretur, imo ſuſtentari à duobus robuſtiſſimis viris: alioqui laſſus ſi ſederet, ſuffocationem incurrebat. Hic cum me antea cum medico alio
2 in conſilio adhibuiſſet, primo die cum hoc malo tam ſæuo corriperetur, eundẽ alium medicum ad ſe vocauerat: cumque eo tempore ego apud dominum de Schagen ex hydrope periculoſe decumbentem agerem, ab eo reuerſus ægrotum inuiſens ita miſere paroxyſmo diuturno detentum animaduerti, ſpirationemque tremulam adeſſe, pulſumque inæqualem ac valde inordinatum, ſæpiuſque intermittentem ac deficientem; tandem & languidum magiſque tardum, ita vt ſubinde ſyncopen incurreret. Iam quoque ſpiritus paruus, tardus & frigidus ex ore prodibat: certum indicium, ægrum non diu ſuperuicturum, pulſu quoque ex tardo in nimis crebrum, & valde languidum permutato: ita vt amicis aſtantibus mortem præ foribus adeſſe prædixerim, medico tamen altero ſpem ſalutis ægro pollicente, quod is breui ſanaretur. Cæterum cum paroxyſmus adeo violentus & atrox continuos quatuor fere dies permaneret, atque ipſe fatigatus, amplius ita erectus à viris ſuſtentari non poſſet, mortem breui adfuturam pronuntiaui, ex præſagio doctiſſimi illius Leonelli practici, cuius verba ita habent: Anhelitus per os & nares exiens frigidus, mortale: & in aſthmate ſeu orthopnœa anhelitus tardus & paruus, vel frigidus, vel ſyncopis, vel ſi cogitur ſuper pedes ſtare, quia anhelitum habere non poteſt, mortale. Hæc cum adeſſe viderem, vt ſi quæ agẽda eſſent ægro hic emigraturo, id conſultum iudicabam, cum presbyteris curatio deſperata eſſet: quare extrema inunctione peracta, lecto nunc incumbens cum amplius ſtare non poſſet, mox exſpirauit: ex cuius augurio non minorem honorem habui, quam ſi ægrum curaſſem. Ita quoque Franciſcus Guilhelmus de Bodegem, cognomento Heerius, vir circiter octoginta annos natus, ſingulis fere noctibus hoc eodem malo preſſus, recta ceruice ſpiritum trahebat difficillime. Ab hac quidem moleſtia ſubinde per mẽ & Cornelium Ericiũ anno 1559. ſubleuatus, quamquam per totam noctem prius ſellæ inſidere cogeretur, ſæpe apozemate incidente ſumpto & pilulis agarico ad ʒ ß. tres pilulas conficiendo aliquot dies, miraculi inſtar orthopnœa ceſſabat. Attamen in ſene, cum tempore paroxiſmi vel pituitoſum quid vel viſcidum, modo etiam cruentum quid exſpueret, citius acceſſio terminabatur: alioqui, ſi nihil exſpueret, protrahebatur. Extra paroxyſmum nunquam tale quid cruenti vel viſcoſi exſpuebat. Hic tamẽ poſt aliquot menſes paroxyſmus reuertentib. cogebatur rurſus ſellæ inſidere: & ſi ſe ad lectum componeret, mox redibat acceſſio. Quid multis? poſt annum vnum, poſt ſonitum campanæ nocte indicantis, incendium in vrbe eſſe (*ſcilicet noctis, 10. die Aprilis anno* 1560.) experrectus & territus, in paroxyſmum vehementiorem incidit: adeo vt antequam ex lecto euocatus illum adirem, eundem (*quod antea ſæpius de morte inopinata in ſene prædixeram*) ſuffocatum ac mortuum repererim. Libenter autem mortuum corpus ſecuiſſemus, cum cauſam mortis vel tuberculum, vel abſceſſum in pulmone arbitraremur: ſed amici id admittere nolebant.

SCHOLIA.

QVid ſit orthopnœa, iam antea diximus, cùm non niſi recta ceruice in ea ſpiritus ducatur. Cauſas eaſdem habet cum aſthmate, licet efficaciores: eſtque ſymptoma multo periculoſius aſthmate. Fernelius adeo lentum humorem habere quandoque putat, vt in grandinem concreſcat, atquæ hæc rurſus in calculos veros, quibus interdum diſſectos pulmones confertos deprehendit, alios præduros, alios ſolidos in caſei ſubſtantiam concretos, incipientes, alios gypſea duritie, omnes quidem propria cyſti obductos. Ita vir quidam Fernelio occurrebat, qui quoties exercitatione incaleſcebat, concitata tuſſi calculoſè pulmonib. edebat præduros, eoſque excreabat hordei modo, modo piſi magnitudine. Bona tamen is valetudine fruebatur, præterquam quod paulo difficilius reſpirabat, & in medio thorace grauitatis cuiuſdam pondus percipiebat. Apud Brielenſes quidam per quatuor annos ex pulmone tabe laborans, quatuor vel quinque lapillos ad piſi magnitudinem fere albos induratos calcis inſtar exſpuebat, vt nos vidimus. At vir ille apud Dodonæum, 36. plus minus ætatis annum agens, orthopnœa laborabat, cuius acceſſio ſubinde ſingulis menſib. quandoque rarius, & bis aut ter in anno, inuadebat, & per humidam frequentius, quam per ſiccam aëris conſtitutionem: cui & difficilis in acceſſionib. erat reſpiratio, ſtabat toto
6 tempore menſæ aut tabulæ alicui manib. innitens: efferebatur, ac profluebat ex ore humor lentus viſciduſque: cibum vix, potum ægre admittere potuit: ſæpe toto acceſſionis tempore ſtans, abſque cibo & potu cõplures horas tranſigebat, acceſſione finita libere ſpirabat, & quocumque libuit abibat: quatuor aut quinque milliaria quandoque vno die pedes perfecit, ſed decumbere non valuit: quotieſcumque enim iacere conabatur, mox omnia circa reſpirationem moleſta. Noctu ſedendum illi erat in ſedili aliquo, nec aliter ſomnium capere aut conquieſcere illi integrum erat. Agarico purgatus, viſus eſt melius habere, ſed ad exiguum tempus. Profuit etiam ſubinde diacyminon & diaſpoliticon. Vbi
7 autem conſenuiſſet, ſponte & abſque vllis remediis à moleſta orthopnœa liberatus hic eſt: ceſſantib. multo tempore exacerbationibus, tandem periculum iacendi fecit: quod cum citra incommodum ſuccederet, relicto ſedili, in lecto per noctem decubuit. Tenax erat humor, aſperæ arteriæ ramulos obſtruens, ac meatus intercludens: quo ſuperabundante, morbi acceſſio contigit, quæ tantiſper duranit, donec portio eius per os expurgata eſſet. Sed cur intermiſſionis tempore iacere, aut in lecto decumbere non fuit integrum: An quia non omnis humor excretus & decumbendo minus liberi ſunt pulmonis meatus, atque coarctari ſic contingit, & idcirco quoque à lento humore facilius obſtrui? Decumbentibus enim pulmo (vt Gal. 4. de loc. affect.) in ſe concidit: erecto vero thorace non amplius ſeipſum grauat, tunc enim omnes aſperæ arteriæ propagines dilatari contingit, & interiorem pectoris regionem augeri: vt in commentarijs
8 Prorrheticon idem ſcribit. Idem Dodonæus narrat de mercatore quodam etiam iuuene, correpto ſimili orthopnœa, in quo nullum remedijs genus intentatum relictum eſt, ſanguis ſæpe detractus, & frequenter purgatus: bibebat & aquam fontis Leodienſis, ſed nullo ſuccedente fructu, tandem calculo in renib. doloribus ac podogra correptus, ab orthopnœa liber factus, decumbere potuit, cum antea aliquot non paucis annis, in ſedili ſomnum capere debuerat. Cæterum curatur orthopnœa, vt aſthma: venæ ſectio adhibetur vti in aſthmate, ſi vires admittant: materia deinde digeritur, prout tenax eſt. Verum licet ea ſint adhibenda, quæ humorum craſſitudinem ac viſcoſitatem attenuent, incidant: & detergant, ea tamen rurſus tuſſim mouent, vt ex 7. de comp. med. ſecundum locos & 5. de ſimpl. med. facul. conſtat. Bechicis etiam opus erit, ſed non iis, quæ materiam incraſſant, verum opus habent multa humectatione, vt melius expectorent: quale diximus eſſe melicratum, oxymeli, & ptiſanam, & ideo etiam Aëtius à multum calidis, tum Galenus, abſtinebant, ne calore viſcoſiores & glutinoſi humores difficulter auellerentur, vitando & refrigerantia & aſtringentia. Ideo & ſcillam aſſam cum melle laudabant, nos ſyr. de hyſſop. glycy. de praſſio, med. roſ. antea laudauimus. Deinde purgationem ex caſſia, agarico trochiſ. & diaphœnico. Poſtea & clyſteres validiores ad aluum eluendam: quales & Donatus commendat, mox & diapenid. diahyſſop. diaireon. Extrinſecus cataplaſmata, iuxta Paulum, Aëtium, ex ficubus, hordeacea farina & loſſacea cum reſina & melle imponenda: vel vnguentis & vaporib. calidioribus vtendum: quorum copiam inuenies apud Guainerium cap. proprio: is iubet abſtinere à fumigijs, quæ arſenicum continent. Non deſunt; qui & vſtiones & cauteria laudant: quale & ab Aëtio deſcribitur *lib.* 8 c. 57. *de Aſthmate*. Si ex tuberculo, eadem fere conueniunt, quæ in cruda, viſcida, pituitoſa, vt Galenus Antipatro (4. *de loc. affect.*) præſcripſit, qui grandines expellebat, quamuis tandem mortuus. Si per conſenſum, vt à materia venenoſa vel vaporibus venenoſis curatio eiuſdem eſt cauſæ abſceſſio: vt ſi ab vtero, eidem ſuccuratur. Si à cauſis externis, vel ab aëre corrupto amoueatur, excitentur: vinum ſorbeant vel aquam cinamomi: ſi ab internis abſceſſibus, illi quoque curentur: ſi à venoſitate, reſoluatur: ſi ex gibbo recurratur ad chirurgiam. Reliquum curationis apud alios auctores longo ſermone inuenies.

OBSERVATIO XI.

De cruenta ſputitione ſæpius recurrente.

MOnachus quidam ex Diui Franciſci ordine, iuuenis annum trigeſimum agens, ſputo cruento quotannis fere, tum deſtillatione, Alcmariæ afficiebatur. Huic ſtatim, cum eum adiiſſem, venam internam baſilicam tundere iuſſi: Deinde aluo ſoluta cum caſſia, cui pulueris rhabarbari exiguum adiectum eſſet boli modo. Etiam per os decoctum herbæ acetoſæ, plantag. polygoni, portulacæ cum ſyr. ex portulaca commode propinaui. Inſuper eclegmata ſæpius guſtabat ex ſyrupo myrteo, portulaca, bolo armeno vero & terra ſigillata, ac zaccharo penidiarum inſperſis captiti quoque ob deſtillationem, qua frequenter laborabat, quæque tuſſim incitabat, cucuſa impoſita ex maſtiche, roſ. ſiccis, ſandraca. Quibus remedijs hic probe curatus fuit: quẽadmodum & alter Alcmarianus, qui in vere potiſſimum ſolitus erat ſputo cruento laborare, idque ex plenitudine quadam. Huic vere incipiente ſtatim ſanguinem detraximus, mox & alijs commodis remedijs exhibitis, optime conualuit, cui & anno ſequenti antequam ſputum appareret, vere quoque incipiente, cum ſanguis detractus eſſet, in poſterum ab hoc malo præſeruatus fuit. At valde cuidam tuſſienti, cum ſputum ſanguinis redderet, poſt venam ſectam ad vncias quatuor, imperauimus, vt paulatim lambendo, hunc linctum deglutiret, quod egregie profuit: ℞. *conſeruæ roſæ, antiquæ, electuarij diatrag. frig. an.* ℥ j ß. *boli arm. veri, loti cum aqua roſa.* ʒ iij. *amyli* ʒ ij. *excipiantur cum ſyr. iuiubino & myrteo, & fiat eclegma*. Multis quibus ſputum valde copioſe reddebatur, neque medicamina iuuabant, drachma vna philonij Perſici, cum aqua plantag. & portulacæ ante cibum propinata profuit: vti & ius frigidum decoctorum ziziphorum, in quo candens ferrum

ferrum extinctum fuerit: omniaque actu frigide ſumenda.

Scholia.

3 αἱμοπτοϊκὸν. αἱμόπτυσις. αἱματόπυος.

SAnguinis excretio quæ à Græcis αἱμοπτοϊκὸν, & αἱμόπτυσις, & αἱματος πύησις, nuncupantur, à Latinis ſanguinis exſpuitio, ſeu reiectio, ſeu cruenta ſpuitio dicitur. Dicũtur n. αἱμοπτοϊκοὶ, ἀνωφορικοὶ Græcis, quaſi ἀνωφέροντες, ſurſum ferentes, qui ex inferioribus partibus per os ſanguinem reiiciunt. Et ſic cum ad tuſſis genera quædam facile ſanguinis ſputum accidit, inſuper & ad diſrupta tubercula, ideo de hoc affectu quidam poſt tuſſim agunt: quidem affectus ineuitabilem ſæpe mortem inducit, non quidem ſubitam, ſed diu miſere contabeſcente corpore. Et quod ad hunc affectum attinet, cum multiplex ſit, vt de ſanguine profluente naribus diximus, & cum ſymptoma ſit potiſſimum in excrementis, cum excernatur id, quod non debet, & ea parte, qua non debet, ideo & hæc cruenta ſpuitio, non modo inter alias ſanguinis expulſiones, verum etiam inter alios præter naturam affectus difficilior exiſtit: nam peſſimorum longorumque morborum magna ex parte cauſa redditur, Alexandro *teſte cap.* 1. *lib.* 7.

4 Qui præter naturam affectus ſit cruenta vitioſa.

Nam quælibet ſanguinis eruptio toto genere præter naturam eſſe cenſetur, ex excepto ſanguinis flore, qui mulierib. ab vtero defluit, cum videlicet, modum in quantitate non exceſſerit: vt 3. de cauſ. ſympt. Gal. teſtatur. Nulla enim excretio ſanguinis à natura eſt inſtituta, excepta ea, quæ per menſes fit. Quod ſi 5. Aphor. 33. ſolum profluuium è naribus laudatur, intelligit Galen. comparatione aliorum, quæ ex ore fiunt: quoniam ex eo, aut nulla, aut facilè euitabilis noxa adeſt: neque quantum in ſe eſt (*vt etiam doctiſſimus Iacchinus medicus annotauit*) noxam facit, ſed fere multitudine excretionis. Sed de ſanguinis profluuio narium prius dictum eſt. At hic affectus (de quo nunc loquimur) ex ore quælibet ſanguinis excretio eſt. Sed rurſus ſanguis ex ore profluens, de multis partibus euenire poteſt, vnde & Prognoſticon quam maximè euariat & curatio: hinc primum oportet diſtinguere, quæ ſit pars quæ afficitur, & qua ſanguis profluit. Pars igitur hæ ſunt, iuxta Galen. 4. de loc. affect.

5 Partes affectæ ex quibus ſanguis per os excernitur.

(*quem & alij Græci cum Arabes ac Latini ſectati ſunt*) nam aut è gula, ventriculo, aut ſpiritali buspartibus, thorace videlicet, pulmone, ſeu aſpera arteria, aut ex faucibus & gurgulione, vel ex ipſo proprio ore, ſeu ex gingiuis expellitur: per narium etenim communes palati meatus in os deſcendere poteſt: ſecundo à faucium venis: tertio à lingua & gingiuis, *vt libr.* 14. *Obſerv. oſtendimus*: quarto ex pectore, vel pulmone, venis, arterijs: vel ab arteria ipſa: quinto è ſtomacho, qui etiam diſtinguitur, quoniam vel à liene eſt, vel à iecore, vel à meſenterio. Vidimus nos & ab vtero menſibus repreſſis ſanguinem per os regurgitaſſe, vt ſuo loco ſumus dicturi. Illud tamen animaduertendum, vt inquit Cælius Aurelianus cap. 9. libro ſecundo, quod differt fluor ſanguinis à ſputo, quod neque fluor ſanguinis ſputus dici poteſt: paruam enim materiæ ſignificationem ſputus refert, fluor plurimæ neque ſputus ſanguinis fluor, ſupradicta ratione: Paruam enim materiam ſanguinis ex gingiuis, aut vena, aut faucibus emiſſam, ſputum magis quam fluorem rectè nuncupamus. Differt ergo fluor ſanguinis ſputo ratione plurimæ aut exiguæ quantitatis ſanguinis ac partium diuerſarum, ex quibus profluit. Hæc omnia exemplis infra dicendis clariora euadent: etiam methodus diſtinguendi affectam patrem illuſtrior fiet.

In quo differt fluor à ſputo ſanguinis.

OBSERVATIO XII.

De cruenta ſanguinis floridi ſpuitione ex vena rupta pulmonis per tuſſim validam.

THeodoricus de Loey, Regius conſiliarius, annum 32. agens, cum apud Haghanos ſanguinem floridum valida tuſſi exſpueret. (Nieuenius medicus in curatione aſsiſtebat) me atque Cornelium Ericium collegam meum ad conſultandum de huius ſputi origine vocauit. Ex ſignis tunc præſentibus vnanimiter concluſum eſt, hanc ſanguinis ſpuitionem cum valida tuſsi originem ſuam habuiſſe à vena pulmonis diruptа. Ideo ter ſanguis per vices exigua quantitate ex cubiti vena interna detractus eſt, iuxta Galeni decretum 5. methodi medendi. Verum cum non perpetuo, ſed ſubinde talem reiectionem ſanguinis pateretur, imperauimus, vt æſtum, ſoles, ignem, puluerem, thermarum æſtuationes, ſulphuratas aquas, frigora, niues, ſeptentrionum flatus vel Euri calidiores vnice vitaret: mœrorem præcipue, cum gener eiuſdem Adrianus Leydius Penſionarius Delphenſis tabe laboraret, in cuius ædibus hanc ſpuitionem contraxerat. Inſuper conſuluimus, vt declinaret iras, iurgia, contentiones, clamores ac vigilias, minimeque purpuram & coccum, ex Galeni ſententia, intueretur. Acria quoque omnia & ſalſa & amara & ſupra modum acida in cibis damnauimus: licet & conceſſerimus moderate vuam acerbam, citrea & mala punica medini ſaporis, pruna & acria cerаſa, ſimiliter & thus Syriacum in condimentis, panem quoque ſimilagineum, oryzam far, punicum, milium, lentem, fabam & amylum: carnem agninam, vitulinam, veruecinam, hœdinam, omniumque inteſtina, iecora, pulmones, cerebella, perdices, coturnices, phaſianos, attagenes, turtures, turdos, merulas, pauones, pullos, alaudas, & his ſimilia, ſed in parua quantitate: nam abſtinentia hos iuuat in principio, ne abſceſſus immineat: præterea & cotonea mala, quemadmodum & pyra & ſorbas, & mora admiſimus: cum & alij meſpila & palmulas, & myrti baccas extollant, & ex hortis portulacam, cucurbitam, endiuiam, lactucam, cichorium ſine aceto. Lac item decoctum exempto butyro, quod & macie confectis prodeſt: quidam & in eo commode candente ferro vtuntur. Dedimus & caſeum recentem (*nam ſine ſale valde efficax habetur*) & oua ſorbilia poſtea, triticeamque pultem ex eodem lacte: alij ex vino auſtero dant, vetulam tamen minime prodeſt: quibus addunt & vinum rubrum in parua quantitate, modo febris abſit, poſtea admixta aqua ferrata & cœleſti. Valde damnauimus & Venerem & crapulam & famẽ: ſomnum autem longiorem conceſsimus, & vt erecta ceruice dormiret, aut in latus incolume, iuſſimus. Et ita proba victus ratione huic ſymptomati congrua præſcripta, & adhibitis remedijs incraſſantib. ſanguinem & refrigerantibus, *vt ſyr. de portulaca, myrtino, ex pap. cum aqua plantag. & vngulæ caballinæ, & decoctis & eclegmate, ex ſyr. de portulaca, diatrag. frig. & bolo armeno vero, prius repurgato ex* ℥ j. *caſſia &* ℈ j. *rhabarb. pul. in bolo*, bene habere cœpit, rotulis quoque paulatim inore detentis & deglutitis, in hunc modum præſcriptis: *℞. amyg. dulc. vitarum prius repurgatarum: amygdal. an.* ℥ j. *gummi tragac.* ℥ß. *gummi Arabici, boli armeni veri, an.* ʒ ß. *lem. plantag. portul. pap. albi an.* ℈ j. *pulueriſentur, ſoluantur cum aqua vngulæ caballinæ, equiſeti plant. adiecto zacch. q. ſ. fiat confectio ſolida in rotulis* ℥ ij. *ponderantibus.* Interim à melle & zacchari vſu nimio abſtinere iuſſimus: nam huius vſum frequentem nocere auctores inuenere. Dedimus in maiori copia conſ. roſ. Quibus cum vſus aliquantiſper fuiſſet, quæ ſanguinem ineraſſant, infrigidant ac moderate reſtringunt, & glutinationem quandam habent, optime habuit. At poſt aliquot dies id victus genus pertæſus, dum & ſorbitiones ex hordeato amygdalato relinqueret, & liberaliore victu præter noſtrum inſtitutum vteretur, & minus conuenienti, rediit ſputum cruentum, ita vt omnino relictis noſtris remediis alium medicum, alioqui doctiſſimum, ad ſe vocauerit, qui cum Nieuenio (*vt nobis poſtea relatum eſt*) diſputationem coram ægro iniit, & non venam ſed arteriam pulmonis ruptam eſſe propoſuit. Quod ſi ita res habet, inquit Nieuenius, æger proculdubio moriturus eſt. Cæterum de venis aut arteriis ruptis, licet copioſior ſanguis erumpit atque ſpumoſus, calidior ac reliquo ſanguini ſimilior, is clarus ac tenuis reiicitur. At nos aliam differentiam in ipſis deprehendimus: ex arteriis dilucidior ſubito & leui cauſa effertur ſpumoſus, antecedente quodam caliginoſo vapore: qui licet in parte externa ſaliendo videatur exire. Id minus in pulmone cernitur: ſed ex pulmonis materia vniuerſus ſanguis ſpumoſus ex omni parte videtur ſubrubicundus. Sed cum noſtra deinde & Nieuenij remedia relinqueret: ſola alterius medici opera vſus eſt. Verum cum & ille poſtea parum proficeret, ſputo ſanguinis ſæpe redeunte, eundem quoque reliquit, & tandem ſpretis omnium optimorum medicorum præſidiis, ſuo more vixit, ita vt tandem in tabem inciderit: tunc demum Amſtelrodamum profectus, adiit quendam Empiricum valde famoſum apud vulgares in lue Gallica curanda. Nobilibus quibuſdam ex curatione cuiuſdam Grandij, quem à morbo Gallico reſtituerat, innotuerat: hunc conſiliarium tam tabe confectum hic curandum receperat, qui ſibi (proh dolor) male conſulens, breui admodum tempore in huius Empirici manibus occubuit.

Scholia.

Vt videlicet diſtinguendi affectum pater.

QVoniam à diuerſis partibus ſanguis rejicitur, diligenti methodo pars affecta erit diſtinguenda, vt egregie nos admonuit Galen. Ideo operationes læſas primo conſiderabimus, ſi quæ ſint, quæ ſenſibiliter lædantur, vt motus præui, cuius ſint, exempli gratia, reſpiratio: num concinna ſit, & ſecundum naturam, an contra ſe habeat, ſi enim vitioſa ſit, aliquod ex inſtrumentis illis ſeruientibus laborare eſt neceſſarium, arteriam ſcilicet vel pulmonem, vel thoracem, vel ſeptum. Poſtea excrementa ſpectabimus, atque in primis excernendi modum: num cum tuſſi, an ſine ea fiat. Qui enim cum tuſſi fit, ex membris ſpiritui deſeruientibus educi videtur: & ratio eſt, quoniam vias ſpiritus ingreditur, & eas occupat, vnde irritatur natura ad propellendum, & hoc ſignum ſatisfacit quibuſdam, vt Rhaſi & Auicennæ, ſed ſignum eſt inefficax. Etenim (*vt Gal. 4. de loc. affect. habet*) is, quia faucibus fit, omnino à capite deſcendit, tuſſim facit: id etiam nos in praxi ſæpe obſeruauimus: vnde plurimi tum vulgares, tum medici fruſtra ſunt perterriti. Idem præce-

ptor meus Benedictus Fauentinus cap. proprio nos admonebat ex decreto Galeni, cum ſanguis aliquãdo ex cerebro & gurgulionis partib. internis affatim deſcendat, & ſubito gutturi irruens (*quod caput eſt aſperæ arteriæ*) tuſſi moueat, & deinceps tuſſiendo per os educatur: quo fit vt ſanguis is à ſpiritali inſtrumenti cum tuſſi exeat, nullo diſrupto in eo vaſe, ita vt inſtrumenta ſpirationis primogenia affectione non lædantur, ſed ſolo defluxu materiæ à cerebro ad ſpirationis vias: ideo diligenter nos adhortatur præceptor meus: vt illud diligẽter notemus, cũ viderit præſtantiſſimos medicos, hanc eruptionem periculoſiſſimam fore pronuntiantes, vt exeſa vena in organo ſpiratiõnis vel pulmone, prædicãt inde phthiſin ac mortẽm, cum tamen altero aduentante die æger ſanus euadat; medici iudicio errante, ipſoque in vulgi fabulam conſidente. In contrarium & illi labuntur, qui ſanguine à pulmone prodeunte, & cum aliquid ſanguinis ad nares regurgitatur ſanitatẽ promittunt, non diu poſt phthiſi ſubſequẽte ac morte. Atque is error peior eſt priori. Quare hoc vnico præcedente ſigno iã dicto non erimus contẽti, conſiderabimuſque affectionem, num per conſenſum pars aliqua ſit affecta, vt caput, & num ex aliquo loco oris, aut gingiuarum (*vt antea oſtendimus*) ſimplici exſpuitione exſpuatur. Quod ſi quid per nares feratur, clariora res erit: caput vero vel calefactum, vel omnino dolens hoc mittere ſolet, & quamuis ſubito ex gurgulione in pectus irruere poſſit, vt nunc diximus, verum ex dicendis patebit, qua via id interſtingui valeat, quamuis nonnunquam etiam accidat, vt pluribus ex ordine diebus (*quemadmodum & antea meminimus*) quiſpiam ſanguinem exſcreet & emungat, idque citra capitis vel dolorem vel grauitatem præſentem, ſiue præteritam, neque aliquo præcedente ictu, propter deforatam hirundinem in ea oris parte adhærentem, qua ad nares foramen tendit. Quare hanc partem, & totum per naſes meatum accurate, & ſæpius conſiderare oportet, præterita quoque ſemper interrogando: namque ex his rei ipſius veritatem facile conijcies: eadem ratione ex ventriculo quoque epota hirudine, cruor euomitur: verum is ſiue ex ventriculo, ſiue ex naribus, ſiue ex ore feratur, tenuis erit, ſanieique ſpeciem refert, eodem Galeno teſte. Cæterum ſi per conſenſum in pectus ſanguis prolabatur, ſicuti intuenti ad ſolem hirudo affixa faucib. inſpicitur, vt & ſanguinolentæ fauces & gurgulio, ſi inde excidat: ſed & tuſſis leuiſſima erit: ſolum enim leuis quædam gutturis proritatio eſt: motus vero excernens ſcreatus: cognoſcimus autem, non poſſe ex tuſſi adeo leui quippiam ex pectore educi. Quod ſi ſine tuſſi, vt ſcreatu, vel vomitu, ſtatim certo ſcimus, ex pulmone aut pectore non eſſe, & ita arguere negatiue eſt validus. Diſtinguere igitur, num ex faucib. an ex pectore eueniat, conjectura certa non eſt: ideo ſæpe medicos inter ſe certare videas, vt Iacchinus referebat. Verum idem mox addit. Sed ex multis præcedentibus conjicitur, præter operum læſionem, quam diximus, puta ex affectibus capitis, partium oris & pulmonis vel pectoris, neque enim ſubito ex his fertur ſine aperta cauſa. Cæterum ex faucibus & gurgulione (*vt libro præcedente oſtendimus*) ſcreatu effertur: vel ipſis primario affectis, aut per conſenſum à cerebro ſanguine ad ipſas partes contingit. Verum ſi à capite (*vt & Donatus ex Galeno annotauit*) deſcendant, præter id, quod ſcreatu, ſeu tuſſim interim injicitur, aderit ipſius palati titillatio, ac frequens exſcreatio, irritantur ægri ad

Ex hiſtoria.

15 Tuſſis præcipue conſideranda in ſanguinis ſpuitione.

16 Ex faucibus & gurgulione.

A capite.

tuſſim, licet non valde tuſſiant: præſertim vbi quippiam ſubito gutturi irruat: aderitque capitis grauitas, aut calor, aut frigiditas, aut dolor. Ex dolore vero ſedes affecta dignoſcitur, vt circa fauces & guttur: dolor, pruritus, titillatio, ſi ex partibus capitis aderit & aurium ſonitus, faciei rubor, venæ frontis emicant, vertigineſque accedunt, præceſſitque nimius capitis ictus, frigiditas vel calor, ſeu ebrietas, interim conſueta per nares ſanguinis excretio cohibita. At ſi abſque his cum
17 ſcreatu ſanguis educatur, fauceſque ſeu gurgulionem ſanguinolenta inſpexeris, atque veluti exulcerata, eas partes per ſe affectas eſſe nō dubitabis: de quibus & antea diximus, de gingiuis ſanguifluis, veluti ſi ſimplici exſpuitione ſanguis expellatur, ex ore ſeu gingiuis profluit, vt recenſuimus,
Ex ore & gingiuis. nec minus ſenſus dijudicat. Interim vero accidit, vt à capite per gulam, ſeu ſtomachum ſanguis in ventrem defluat, vomituque rejiciatur. Verum præter id, quod cuncta iam dicta capitis ſymptomata præcedunt, ſanguis hic leuis, æqualis, atque immixtus erit, nec adeo craſſus, & colore nigro, &
Ex ſtomacho. cum exſcreatione ſtatim ſe in linguam infert, rotundus, facileque rejicitur per ſputum. Sed de aliis partibus ad ventriculum facilis, & certa eſt agnitio. Nihil enim ſine vomitu ex eo ferri poteſt. Si enim è ſtomacho eductio fiat, præterquam quod vomitione excernitur, non magna erit ſanguinis eruptio, graciles etenim ſūt ſtomachi venæ, vt inquit Aëtius, & cum nauſea quoque ſanguis effertur, ac in deglutiendo mordacitas percipitur, maxímè ſi adſtringentia aut acria deglutiantur. Si
18 vero ex ventriculo educatur, nauſeæ plurimæ co-
Ex ventriculo. mitantur & vomitus: & ſi à cibo ſumpto eductio contingat, ſanguis cibis permiſtus, aliquando etiam pituita & bile efferetur, ac ſi hepate vel ſplene ſanguis in ventrem deferatur, & ex eo demum vomitione expellatur: in alterutro viſcere aderit tumor, ac dolor, ipſeque ſanguis grumoſus, ac niger erit, & magis ſi à ſplene, ac ſi ex pectore, ibi dolor aliquis erit. His ita ſpiritalia inſtrumenta (*vt paulo ante diximus*) diſtinguimus, ſed adhuc
Spiritualia membra affecta quomodo diſtinguenda. certi non ſumus (*vt rectè dicebat Iacchinus*) quænā pars laboret ex his. Quod igitur ad actiones attinet, exigua nota & obſcura haberi poteſt, clarior vero ex excrementis: primum ex modo. Nam tuſſi minor multo ex aſpera arteria; vehemens & diutina ex pectore, medio modo quæ ex pulmone; ſemper enim è longinquiore ſpatio motus quoque diuturnior eſt, ſi eadem facultas moueat, maior etiam vis, quoniam per anguſtiores vias pertranſire debet, extremas ſcilicet bronchiorū ſciſſuras. Deinde ex qualitate eorum. Nam ſpumoſus ſanguis efficax coniectura eſt, quod per pulmonē prouenerit, & eſt ſignum Hipp. 5. *Aph.* 13. vbi vero Galenus ait, non eſſe ſignum pulmonis abſolutè:
19 Nam ſæpe, inquit, eductus eſt è pulmone, ob externas cauſas irrūpentes, benè coloratus & plurimus ſanguis: vnde eum à vaſe rupto educi eſt verſimile: ſed ſignificat, inquit, eſſe vlceratam veram pulmonis carnem. Et quidem in animalib. diſſectis apparere, incidenti eius ſubſtantiam, eiuſmodi ſanguis emanare ſpumæ ſimilis, id eſt, bullis exiguis plenus, & albicans ex rubro. *At.* 4. *de loc. affect.* dicit Galen. efficax eſſe ſignum. Cæterum eſſe efficax ſignum eſt (*vt ſentit Iacchinus*) ſi ex ſpuma de pulmone arguamus, ſed non negatiuè: quoniam à vaſis pulmonis ſpumeus non educitur. Aliud vero ex colore ſumitur, qui tamen obſeruari debet, cum in præſenti educitur aſtante medico. Etenim, qui ex pulmonis vaſis, benè coloratus
20 eſt, inquit, *Galenus* 5. *aph.* quo verbo & ſpumeum excludit & pectoris: ſpumeus ēnim benè coloratus non eſt, quoniam albicat: qui vero pectoris, benè coloratus non eſt, quoniam nigricat: At qui in pulmone, egregie ſanguinis naturam refert, quoniam eſt maximè elaboratus, & florentem illam purpuram repræſentat: tali enim ſanguine nutritur, *vt* 5. *de vſu par. habetur.* Præterea ſanguinem à pectore latum, neceſſe eſt liuidum exſpui, & admodum alteratum, quod à longinquis aduenit: etenim & extra vaſa fertur, & in bronchiis diu manet, vnde & trumboſus fit, & color mutatur. Ille vero tenuis, & floridus, quod cito educitur, & tali ſecundum naturam colore eſt. Attamen iuxta Iacchinum, dubitatur primo, num ex ſpumeo ſanguine efficaciſſime ſignificemus pulmonis vlcera, quoniam Auicenna dicit, etiam ex pectore talem educit, & ex arteria: vnde multum laborant expoſitores: ſed reuera niſi iungatur aliquando pituitoſum ſputum, non repræſentat ſpumam, neque vndique quaſi ſpuma quædam viſitur: magis tamen ex calore & colore diſtinguitur, *vt Galenus quinto meth. & ratio dictat.* Propterea quod è vicinis vaſis egreditur. Dubitant & de thrombis, & fabulantur multa. Etenim non coagulatur, niſi in bronchiis, vt quærendum non ſit, quomodo coagulatus ſubeat poros pulmonis. Ad exercendi etiam modum attinet conſiderare, num facile vel difficile, ſic enim conjicimus ex pectore, vel pulmone: vt ſi confertim fluat, ex pulmone potius: contra ex pectore, mox ex doloribus, exiguus in pulmone eſt, aliquando nullus, vbi caro eius interna afficitur. In pectore dolor adeſt obmēbranoſam & muſculoſam ſubſtantiam. Sed hue vſque concludimus, excludentes pectus: ſed num ex arteria, vel pulmone? Signum primum erit ex modo excernendi; nam exiguus eſt, qui ab arteria & leui tuſſi educitur. Secundo ex doloris ſitu. Ex ſpiritalibus itaque partibus, licet tuſſi ejiciatur ſanguis, inueſtigandum tamen erit, num ex thorace, pulmone aut aſpera arteria eductio fiat: nam que ſit thorax affectus erit, neque multus, neque ruber ſanguis erit, ſed nigricans ac grumoſus, ac minus calens, ceu è longinquo veniens. Dolores inſuper circa eum: intenſiores ſunt, cum ad ipſum multi adueniant nerui, quibus facile dolores percipi poſſunt: muſculis præterea oſſibuſque thorax abundat, vt inquit Gal. Interim ſanguis, qui ex thorace effertur, fœtidum odorem de ſe præbet, & aliquando pure admiſtus eſt. Si vero ſpumans & ſubalbidus, floridus, feruens, confertim, multuſque circa dolorem (*vt Cypriano medico collegæ nostro, viro, qui postea ad tabem deuenit & mortem*) aut eo multo remiſſiore exiſtente, cum tuſſi ſanguis rejiciatur, pulmonem affectum eſſe notum eſt, ex eiuſdem Galeni ſententia, *tum* 4. *de loc. affect. tum* 5. *meth. medendi.* Eſt namque pulmo laxus & ab affectione tutus, à 6. duntaxat neruorum cerebri coniugatione duos perquàm tenues neruos per eius membranam diſperſos excipiens, qui haud quaquam per viſceris profunditatem extenduntur. At ſi paucus ſit, quid cum tuſſi ſanguis afferatur, ægrique doloris ſenſum iuxta aliquam arteriæ partem percipiant, ſitque ſanguis ſic quodammodo pure permiſtus, aderitque etiam paucitas ſputi, ac tuſſi non valida, aſpera arteria affecta erit. Hæc prius conſideranda, antequam curationem inſtituamus. Quæ, inquam, omnia clariora euadent exemplis infra dicendis.

OBSER-

OBSERVATIO XIII.

De ſputo ſanguinis ex compreſſione & vena rupta in thorace.

TRibus modis, vt iam alias diximus, è vaſis ſanguis profluit, aut eorum oſculo aperto, aut ipſis ruptis, aut eroſis. Quod ſi ex vaſorum ruptura fiat, ex multi ſanguinis fluxione ac confertim facta deprehendimus: idque ab externis vel internis cauſis: vt ſi quis ex alto, vel in ludo, vel certamine ceciderit: aut cum alter ſub alterum cadit, vel ex inanimatis corporib. aliquod graue, vel lapis vel lignum hominem offenderit: item cum ira cum exclamatione præceſſit: citharœdis quoque ac tragœdis certantib. acuta vehementique voce vaſa interdum rumpuntur, vbi vehemēter clamare conantur, non præmiſſa pulmonis lenitione per præcedentes exclamationes, vt teſtatur Galenus. Et quod ad cauſas externas attinet, quarum nunc vnum exemplum adferemus, facilè ex iis, quæ præceſſerunt, & ſermonibus ægri percipiuntur. Sic anno 1566. menſe Maio cum currū regeret Leonhardus Nicolaus Delphagius ruſticus, equis concitatis, ex curru excuſſus eſt, atque intra murum circa thoracem compreſſus, vt duæ coſtæ quaſi confractæ ac compreſſæ fuerint, ſputo ſanguinis ſubſequente, eoque nigricante ſatiſque grumoſo & minus calente, vt quilibet facile conjicere poſſet in thorace venam aliquam ruptam eſſe, tuſſi valida ſuperueniente. Chirurgus hanc primo tractabat. Verum cum circa tertium diem dolor ingens thoracem occuparet, & tuſſis ſatis valida eſſet, minuſque ſanguinem cum ſputo redderet, neque venæ ſectio facta eſſet, neque vllum medicamentum exhibitum, & iam tertius dies eſſet, quod alium non depoſuiſſet, libenter clyſterē iniecíſſem, & in eo ſtatim venam ſecuiſſem, cum nunc prius ad illum accitus eſſem: quamuis id ab initio prius factum oportuerit. Clyſterem noluit admittere. Ideo vt dimidium huius potionis ſtatim à meridie (cum eo tempore vocatus eſſem) ſumeret, mādaui. ℞. *caulium rubr. faniculæ artemiſiæ, ongalæ, cabball. caryophyllatæ, an.* m.j. *capill. Ven. polytrichi, hordei mundat. an.* m.ß. *ſem.* 4. *frig. maior. ſeminis nigellæ, an.* ℈ ij. *folior. ſenæ* ʒ ß. *rhabarb. ſelecti* ʒ j. *ſchœnanth.* ℈ j. *uuar. paſſul. enucl.* ʒ j. *liquiritiæ raſæ* ʒ ß. *bulliant in aquæ communi pro* ʒ viij. *huius fortiſſ. expreſſ. dimidium capias, in quo diſſolue electr. lenit. diacatholicon. an.* ʒ j. *mumiæ* ℈ j. *ſyrup. infuſ. roſ. oxymellis ſimplicis* (ne ſanguinis in pectore gumoſus fieret) *an.* ʒ ß. *miſc.* Fuit autem exhibitum ſtatim à meridie: multaque excrementa putida & male olentia, inſtar ſanguinis cōcreti, deiecit: dolore thoracis nōnihil ſedato. Mane tamen (ne febris ſubſequeretur, & propter ſputum cruentum) ſecta fuit vena ex vena baſilica in brachio, è regione coſtarum dolentium. Si in principio aduocatus fuiſſem, ſtatim poſt venæ ſectionem, id quod ſequitur dediſſem. ℞. *mumiæ* ℈ j. *rhab. torrefacti, boli armen. ſpodij, terræ ſigill. an.* ℈ ß. *ſyr. cydon.* ʒ ß. *aquæ plantag.* ʒ iij. *miſc.* hanc potionem cōmendat vnice Guainerius cap. proprio in ſputo ſanguinis ex caſu, offenſione vel percuſſione. Cæterum die ſubſequenti cum dolor adhuc in pectore hæreret, reliquum potus ſumpſit, ʒ ij. *ſenæ adiectis, & expreſſioni ſyrup. capill. ven. ad* ʒ j. *immixto,* & ter plurima excreuit, & dolor ſedatus eſt, ſputo ſanguineo ceſsāte. Poſt inunctionem prius olei roſ. & myrtei, poſtea & olei hypericonis, chamæmillæ, coſtis in fine adhibuit chirurgus oxycroceum: & bene habuit.

Pet. Foreſt. Tom. 2.

SCHOLIA.

HAud noui (inquit Alexander Trallianus) an alius æque difficilis ſit affectus, ac ſanguinis exſcreatio. Non enim ipſa per ſe, dum immoderatam vacuationem inducit, vitam adimere conſueuit, ſed peſſimorum longorumque morborum magna ex parte cauſa redditur. Quare incumbendum eſt, vt vitium hoc prius internoſcamus, vnde cauſam traxerit, & quo in loco inciderit: atque ita curationem tentemus, neque eam differamus. Quippe mora & dilatio cum in omnibus morbis nociua ſit, tum vero magis in ſanguinis eductione plurimum nocet. Scire hic ante omnia conuenit, ſanguinis reiectionem tribus de cauſis palam excitari, vaſorum ruptura (aliqui ῥηγμαχασμὸν Græcè appellant) cuius nunc exemplum poſuimus, aut eroſione (Græci διαβρωσιν vocant) vel cum ore referantur (Græci nominant ἀναστόμωσιν) vel cum ſanguis raritate ſua tranſcolatur ſudoris inſtar (Græci ἱδρῶτα dicunt) vt etiam antea de ſanguinis narium profluuio annotatum eſt. Ruptura itaque vaſorum vel in pectore, vel in pulmone facilè cognoſcitur, vt nunc exemplo oſtendimus, ex aliqua cauſa primaria ſeu externa præcedente, caſu, ictu vehementi, aut ſi pondus aliquod graue æger ſuſtinuerit: aut etiam à cauſa interna, quam nūc hic addemus, ab ingenti frigore, in quo æger verſatus fuerit, aut ex plenitudine ſanguinis; aut ex flatibus deſcendentibus. Poteſt enim (*teſte Galen.* 4. *de loc. affect.*) nulla ex prænarratis manifeſta extrinſecus adueniente cauſa, vas aliquod, tum in cæteris corporis particúlis, tum in pulmone diſrumpi, ob ſanguinis abundantiam, vel per ſe, vel vna cum crudo vel frigido & flatuoſo ſpiritu venas extendente, cum videlicet vas ipſum extenſioni reſiſtit, aut ob frigus à vicinis partib. contractum, aut ob innatam intemperiem, quemadmodum & ipſa aqua frigida, Hippoc. auctoritate venas frangit 4. *Aph. lib.* 5. verum non per ſe (vt docte etiam annotauit Altomarus) ruptiones facit, ſed quia venarum tunicas frigiditate ſua duras, & extendi contumaces reddit, & vt rumpatur paratiores efficit. Erit igitur ruptionis cauſa, aut interna, vt quiuis vehemens motus, aut humorum abundantia, ſeu ſanguinis copia, vt diximus: vtriſque vero commune exiſtit ſanguinis effuſio repente. At quæ ſanguinis reiectiones exeſo vaſe eueniunt, diabroſin Græci vocant: Primum ſane (*inquit idem Trall.*) inde cognoſces, quod exſcreationes paucæ fiant: deinde cum vaſa magis exeduntur, multæ ſimul vacuentur: poſtea vero & quod præceſſerit, aut deſtillatio aut falſorum, & valde acrium eſus, aut triſtitia immoderata aut inedia. Idem Paulus ait, quod præcedat acrium prauorumque ciborum vſus, vel inedia. Quod ſi etiam (*inquit Trall.*) cum ſanguine carnoſæ quædam particulæ ſiue membranoſæ permixtæ appareant, ſine dubio ſanguinis reiectionem particulis, quæ reſpirationi inſeruiunt, exeſis fieri exiſtimandum eſt. Exeſo itaque vaſe ſputa cruenta non cōfertim, ſed paulatim per interualla rejiciuntur. Solet enim, teſte Galeno, præcedere ſanguinis exſpuitionem exigua ſputa atque acres in pulmonē à capite fluxiones, ſi ab eo ſanguis profluat: temporis vero diuturnitate, multi ſanguinis inter tuſſiendum eruptio fit, *vt* 5. *meth. &* 4. *de loc. affect.* & potiſſimum ſi nulla præceſſerit ex prænarratis externa cauſa: quocirca diligenter conſiderare oportet, num quippiam ſpumoſum ſimul educatur:

id enim efficaciſſimum erit indicium, quod proprium pulmonis parenchyma fuerit exulceratum, haud ſecus ac ſi bronchi pars quædam aut arteriæ, aut venæ tunica ejiciatur, eædem ipſius pulmonis partes exeſæ ſunt, quemadmodum *aph.* 12. *lib.* 5. *& prædicto* 4. *lib. de loc. aff.* ſcripſit Gal. Sin autem ore vaſis adaperto ſanguinis exſpuitio venerit, primum ſane inde notatur (inquit Trall. & Galen. ante illum quoque meminit, vti etiam Paulus poſtea) quod nihil eorum, de quibus prius dictum eſt, præceſſerit, ſed potius calidioris, humidioriſque victus, & frequentium balneorum abuſus: item ex eo quod æger in calidioribus ædificijs præter conſuetudinem, aut loco calidiore immoratus fuerit. Nam ſi horum prædictorum aliquod adfuerit, ſputumque ſanguinis modicum & paulatim fiat, ſanguinis curſum patefacto vaſorum ore accidiſſe cognoſcitur. Hac igitur ratione cauſam, vnde ſanguinis eductio initium traxerit, internoſcere potueris: locum verò vnde profluit, iam ſatis ſcholio præcedente enarrauimus. Quod ſi plura de cauſis & ſignis deſideres, perlege caput proprium præceptoris mei Benedicti Fauentini in magna ſua Praxi. Nunc aliud exemplum interponamus, vt ita melius quid certi de hoc malo minime contemnendo prædicere poſſimus, antequam curationem vniuſcuiuſque abſoluamus.

Si ex vaſorũ veſeratione fiat, ſigna & cauſæ.

8

OBSERVATIO XIV.

De ſputitione cruenta ex acri catarrho, pulmonis vaſa, deinde & ſubſtantiam exodente, cui in fine etiam bronchia aſperæ arteriæ in pelum ejiciebantur.

1 IVuenis Alcmarianus ſupra annos triginta natus, cum ex deſtillatione acri erodente vaſa pulmonis, longa ſpuitione cruenta laboraſſet, & variis vſus eſſet medicis, in fine etiam me vocauit, cum bronchia aſperæ arteriæ vna cum ſputo cruento in peluim rejiceret; aliquando particulas ſubſtantiæ pulmonis corruptas. Cui mortem prædixi: nam cum ad eum veniſſem, vix per octo dies ſuperuixit.

Scholia.

2 REctè dixit Galen. *lib.* 4. *de loc. affect. ca.* 6. ob auctam eroſionem ſæpe plurimum ſanguinem inter tuſſiendum fuiſſe reiectum: atque non pauci ſic affecti pulmonis quaſdam particulas ſimul cum ſanguine reiecerunt. Quocirca diligenter conſiderari oportet, an ſpumoſum quippiam educatur: Id enim efficaciſſimum fuerit indicium, quod ex pulmone facta ſit excretio. Haud ſecus ſi branchi pars quædam, aut arteriæ, aut venæ tunica, aut etiam pulmonis ipſius caruncula ejicitur. Quæ cum viderem, mortem prædixi, præter id, quod reiectioni ſanguinis vlcera pulmonis ſuperuenire ſolent ac conſueuerunt, vt idem eodem loco dicebat Galenus, quæ etiam plerumque & per ſe lethalia ſunt. Scribit Dodonæus pictori cuidam, cum valida tuſſi non ex vaſe aliquo rupto aut ex pulmonis vlcere: ſed ab ipſa pulmonis ſubſtantia ac parenchymate ſanguinem nigrum adeo ſpumoſum eſſe reiectum, vt concretus & vndequaque porоſus ſpongiam aut pumicem referre videretur: in quo reperta fuit pulmonis pars nigricans & ſphacelo corrupta, in qua magnus & profundus ſinus. Et ichthyopolam quoque, tum ceruiſiæ coctorem, eundem ſanguinem exſpuiſſe narrat, atque pulmonem eodem affectu corruptum fuiſſe: pictoremque plus quam menſem ſuperuixiſſe: ceruiſiæ coctorem bis euaſiſſe ſed in tertia exſpuitione ſubito periiſſe: veluti & ichthyopola, qui & in ſanguinis ſputo defecit. De huiuſcemodi ſanguinis ſputo ſenſiſſe videtur *Hippocrates Aphoriſmor.* 13. *lib.* 5. Quicumque *at*, ſpumoſum ſanguinẽ exſpuunt, iis è pulmone eductio fit. Nam qui ex vaſe diſrupto, aut vlcere profunditur, haud quaquam ſpumoſus apparet. Fatetur Galen. in commentariis ſe ſæpius vidiſſe ſanguinem plurimum bene coloratum exſpui, quem ratio, ait, dictat ex aliquo pulmonis vaſe prodire. Sed hunc ſpumoſum, fuiſſe non addit. Spumoſus ſanguis, vel, *vt Hippocrates ἀφρώδὴς αἷμα*, naturam ac figuram eius retinet, vnde abſceſſit. Pulmonis ſubſtantia laxa, rara, & poroſa eſt; talis & ſanguis, quem cum tuſſi profuſum ſcripſimus: cui parenchymatis partem coniunctam & commixtam fuiſſe apparet. Hæc Dodonæus. At iuuenis noſter etiam vlcus in pulmone habebat, etiam bronchos exulceratos, quas cum tuſſi, & pure, & ſubinde ſanguine admixto reddebat, & non diu poſt ſuperuiuebat. Conſiderare igitur oportet, ex qua cauſa ſanguinis fiat reiectatio, & qualiſcumque fuerit affectus, vt eiuſdem curationem ſtatim aggrediamur, propter imminens (vt Paulus admonebat) ex immodica euacuatione, periculum: ſiquidem copioſe euacuatus ſanguis, quemadmodum in his, qui iugulantur, mortem infert præſentaneam: ſi affectus remanet, in tabem tranſire minatur. Cæterum prognoſtica ſigna, primum ſecundum Galen. & alios rectè ex natura affectus diſtinguemus: eroſio n. grauius malum eſt quoniam minus glutinationem ſuſcipit: eſt enim neceſſarium cauum vlcus eſſe ac ſordidum, quod eroſum eſt; aliqua enim tunc carnoſa portio, tum membroſa periit. Namque ſanguinis euacuatio (*Paulo teſte*) quæ fit exeſis vaſorum tunicis, nunquam commode cadit, facitque valetudini, etiamſi ex pulmone non fiat; etenim grauiſſime nocet, vt Celſus dicebat. Simpliciter vero affectus reſudationis minus eſt periculoſus: nam aſtrigentibus facilè ſiſtitur Gal. auctore 5. method. Et huic in ſalubritate proximus eſt affectus apertionis: nam vacuato multo humore ſiſtitur: quamuis ſæpe multitudine lædere poſſit, & etiam, quod non conuenienti regione vacuatur à natura. Aggregari enim & vacuari per eas partes commodum non eſt: tũ ob tuſſim, quæ neceſſario ſequitur tum ob partem, quæ facile afficitur ſi mala qualitate aliqua ſanguis ſit præditus. At diuiſio continui ex aliis cauſis mediam naturam obtinet: nec enim periculoſa eſt, vt eroſio, nec ſecura adeo, vt apertio, & exſudatio: Simpliciter tamen periculoſus admodum eſt morbus; quoniam Galeno teſte, non facile glutinatur vulnus in his partibus, ob perpetuum motum. Quod ſi vulnus iam inflammationem ſenſerit: vnde & pus contraxerit, tunc multis modis periculum augetur: nam expurgari pus oportet, idque tuſſi, vnde & continue vulnus dilaceratur motu illo violento: ideo, inquit, exigua ſpes ſalutis eſt. At in cruento vulnere ſpes eſt aliqua ſanitatis: ex ſede quoque affecta ſecundo magnitudinem periculi conjiciemus. Ex pectore enim minus periculoſum profluuium, *vt Galenus affirmauit*: primum quod venarum vulnus, quod paruæ ſint, facile coaleſcit: neque enim impedit ſanguinis copia: quod ſi non ſanatur primum, vt dicebat Iacchinus, ſed vlcus faciat; at hoc periculum non adfert, vt vlcus pulmonis. Nã & magna quoque pectoris vlcera ſanantur, & reſtituitur caro,

Bronchot.

3 *Cap. 24. Obſerv. med.*

apud Ioh. Bertram. Donat.

4

5

6

caro, vt nos multis exemplis vidimus: Vlcera vero arteriæ ob ſiccitatem facile ſanantur: plurimum enim ex eroſione fiunt. At eroſio ſanatur, vbi puredo facile ſiſtitur. Siſtitur vero facile, vbi ſicum prævalet, ideo 5. *meth.* eiuſmodi partis vlcera ſanari ait. Hic autem cum bronchia tuſſi redderet æger, tabe obiit; vbi vero iam phlegmonem contraxit vulnus, coniectura eſt ex tempore, primum, ex quo laborauit, mox ex febre, quæ neceſſario ad phlegmonem ſequitur, ob viſceris calorem & cordis vicinitatem, præſertim ſi pulmo ſit. Demum & quod ſanguis paucus, non florens, ſanieb. admiſtus effluit, vtpote qui iam putreſcere incipiat. Hinc Hippoc. dicebat *Aph.* 15. *lib.* 7. à ſanguinis ſputo, puris ſputum malum eſſe: nam purulentum ſputum (*vt Galen. in commen. refert*) non omne ſputum ſanguinis ſequitur, ſed quod malignum exiſtit: tale autem omnino eſt ex pulmone, ex quo proueniente ſanguinis reiectione, ea quæ inter tres dies non curatur, phlegmone deinde adueniente, omnino incurabilis affectio erit, potiſſimum ſi ex eroſione ortum ducat, *eodem Gal. teſte* 5. *meth.* Ideo difficilis eſt iudicanda curatio eorum, quibus à pulmone ſanguis profluit, ex Sorano, non impoſſibilis omnino: hoc intelligendum eſſe puto, quod ſtatim curetur non ſubſequenter phlegmone. Veluti rurſus cuilibet patere poterit, ſanguinem ex ore gingiuis profluentem è cæteris minimum periculoſum eſſe, quemadmodum ſi ex faucibus, interioribuſque partib. proceſſerit, & metus maior eſt, & cura maior adhibenda, Celſo etiam auctore: at ſi ex thorace ſanguis profluat (vt iam dictũ eſt) minoris eſt periculi, quam ex pulmone, *vt edocti ſumus* 5. *meth.* & 4. *de loc. affect. ex Gal.* Quod fit (*vt etiam Celſus teſtabatur*) quod modo minus, modo plus periculi habet ſanguinis exſpuitio: etenim ex capite veniens fluor generaliter eſt curatu facillimus: ex ſtomacho vel ventre aut faucibus, curabiles fluores approbat vlceratione factos curatione difficiles: ita & grauior atque difficilior, qui ex pulmone fluit; ob iuge ſpirationis officium; vt videre quoque licet apud *Cælium Aurelian. lib.* 2. *cap.* 12. Cur vero à 18. anno vſque in 35. vaſa pectoris & pulmonis rumpantur & ſanguinem fundant, vide ad longum Benedict. Fauentinum præceptorem meum de ſignis prog. hæmoptoicæ paſſionis: qui hanc cauſam tum alios aphoriſmos ad ſputi ſanguinis reiectationem pertinentes, longo ſermone explicat.

7

8

OBSERVATIO XV.

De quibuſdam ex caſu, ſputo cruento laboramibus & curatis.

1 SImon monachus, portæ Egmondanæ Abbatiæ cuſtos, qui à vulgaribus Griſeus abbas vocabatur, eo quod Abbatem quaſi regere dicebatur, ex curſu equis concitatis prolapſus, rota per totum pectus circumducta, animam quaſi agere videbatur, ſanguinem ex pectore extuſſiens. Medicus, qui primo accitus erat, venæ ſectionem prætermiſit interpoſitis aliquot diebus, cum & ego accitus eſſem, venam libenter aperuiſſem, ſed quia valde debilis erat, neque venæ ſectionem admittere volebat, mumiæ & ſpermatis ceti, an. ʒß. cum cereuiſia butyracea propinaui, pectore inuncto oleo roſ. & myrteo, puluere myrtillorum aſperſo, vti & Amatus fecit in D. Alphonſo Alecaſtrenſi, ſupremo apud Iulium Pontificem Maximum oratore grauiſſimo, qui intra domum, quam trans Tiberim habitabat, ex equo calcitrone ccciderat, ex caſu in coſtis verſus ſpinam dolebat: quem locum, etſi nullus in eo appareret tumor, aut liuiditas nigritieſve; ex oleo myrtino, adiectis pulueribus myrt. & roſ. inungi fecit, ac faſcia optime faſciari: ſequenti vero die ſimile modo, quum circa eundem locum doleret, internam eiuſdem lateris, vbi erat dolor, aperire fecit venam, & ex ea ſanguinis vncias quinque fluere permiſit: à qua ſanguinis miſſione paulatim conualeſcere cœpit, donec integram conſecutus eſt ſanitatem. Sic iuueni Leonhardi Cornelij cereuiſiarij filio euenit, qui cum ebrius currum regeret, pede à temone gliſcente, à curru prolapſus eſt, vtraque rota per ventrem ac pectus circumuoluta: ita vt in domum ſemimortuus deportaretur. Ad eundem cum nocte accitus eſſem, in ventre inferiore potiſſimum dolebat, & in hypochondrio dextro: ſanguinem extuſſiebat, qui proculdubio ex pectore prodibat. Illico poſt caſum bilioſa vomuit: & ab aſſumpta ptiſana, quam præbueram, & cibũ crudum, vt ebrius, & potum quoque euomuit. Locum dolentem inunximus oleo roſaceo, cum neque liuor exterius, aut quid luxatum appareret. Mumiam & ſperma ceti cum ebibiſſet, non retinuit. At mane crapula edormita, & experrectus ad ſe rediit. Venam brachij dextri internam ſecari fecimus ad vncias quinque ſanguine extracto; & egregie profuit. Venit mihi tunc in mentem ægrotus ille apud Galenum, qui in palæſtra graui plaga accepta, fere duas cotylas ſanguinis exſpuit, qui ſtatim ſecta vena & adhibitis iſtis remediis conualuit, & in poſterum ſuperuixit. Verum cum noſter hic iuuenis etiam in ventre doleret, commode poſt venæ ſectionem enema injicere mandauimus: aliiſque remediis aptis, etiam per os ſumptis, hic, vt etiam monachus præcedens, curatus fuit. Quemadmodum & alius ruſticus dies, Ysbrandus Paingius dictus, annos ſupra 56. natus vir robuſtus: qui cũ in Pago Limenſi dicto, non procul ab Alcmaria fœnum in horreum ſeu granaria, ſpicas cum ariſtis conderet, è ſcala prærupta cecidit ſupra pectus, & colliſus ſyncopen incurrebat, quem omnes moriturum putabant. Ingenti dolore cum circa pectus afficeretur, & ſanguinem exſpueret, ad eum accitus: illico hoc quod ſequitur exhibui: ℞. *mumiæ, ſpermatis ceti an.* ʒiß. *decoct. pectoral.* ℥iv. *mellis roſ. oxym. ſimplicis, an.* ʒß. *pauco adiecto, butyro.* quam potionem cum retineret, vena quoque ſtatim ſecta fuit in brachio: pectuſq; inunctum *oleo roſ. & myrteo*, & alia commoda remedia adhibita, & hic priſtinæ ſanitati fuit reſtitutus: vti & Vincentius monachus apud regulares Alcmarianos portæ cuſtos, qui ſimiliter ex ſcala in pectus ceciderat, & ſputione cruenta afficeretur, poſt ſectam venam, puluere quoque adhibito ex mumia & rhabarbaro, quo Guainerius vtebatur. Elidæus præceptor meus Bononiæ ſequentem puluerem dabat cum decoctione pullæ nigræ in ſanguine coagulato à caſu aut percuſſione, vt vidimus: ℞. *mumiæ, rhab. ſelecti, an.* ʒj. *rub. tinctor.* ℈j. *miſc.* ſæpe enim obſeruatione cõſpeximus periculoſa ſigna in ſanguine conglobato in pectore aut pulmone hærente, cum extrema frigore corriperentur, & venarum pulſus interciperetur, anhelituſque creber fieret, anima exitialiter deficiente. Nec mirum hoc alicui videri debet, quod humor naturæ familiariſſimus, tam ſubito affuſus ſpeciẽ veneni gerat. Ideo in ſputo ſanguinis, ſiue ex caſu, concuſſione, collapſione aut vulnere, aut etiam alio modo oriatur, quatuor ſemper timenda ſunt: primum, nec nimis ſuperfluat, ſecundum, nec ſui

2

3

4

5

multitudine ſubito ſuffocet: tertium, ne in alique parte coaguletur: quod maxime obſeruandum eſt, ſi ex percuſſione fiat. Quartum, ne ſequatur vlcus propter ipſius ſanguinis conſtrictionem & putrefactionem, aut quia vulnus non conſolidatum, fiat vlcus. Sed quia hæc etiam ad chirurgiam pertinent, de iis latius ſuo loco dicemus: quamquam hæc exempla hic potius ponere libuit, cum omnes iſti prædicti etiam ſputo ſanguinis laborarent, & recte curati fuerint.

SCHOLIA.

6 CVm vero ad profluuium ſanguinis factum & ad cruentam exſpuitionem acceſſerimus, & iam certi ſimus de affectu, quem varium eſſe diximus, atque diuerſam cauſam habere, non vnam & eandem curationem poſtulat, neque vnã victus rationem, ſed quodammodo diuerſam: Nam aliter curatur ſputum cruentum ex diſruptione, cuius nunc exempla poſuimus, aliter vero ex apertione vel reſeratione vaſorum: aliam quoque curationem exit eroſio, de qua vltimo dicemus; cum priores duo affectus communem, quaſi victus rationem deſiderent, de qua pauca quædam adferemus. Aër itaque frigidus, & ad ſiccum parum vrgens confert, calidus & humidus declinandus: qua ratione & auſtrini flatus vitandi. Æſtate ad frigidum inclinet, hyeme vel ſinere vel temperatum eligere oportet: calidum enim qualecunq; fuerit, ſanguinem fluere facit, *Aphor. 7. lib. 5.* Potius in obſcuro loco degant ægri, & res atras inſpiciant & fuſco colore: lædit enim purpuræ aſpectus, præſertim ſplendidæ. Somnus moderatus hic locum habet, præſertim nocturnus, diurnus vero fugiendus: caputque cubantis in ſublime tendat, præſertim, ſi ex ſpiritalibus ſanguis profluat, neque conclaue calidum & incluſum exiſtat, aut mobile. Motus vero omnis interdicatur: non loquantur, reſpirationem cohibeant quantum poſſunt, quanto magis tuſſim? niſi vbi pectus expurgare opus ſit. Hic enim magnopere conuenit quies, ſecuritas, ac ſilentium, Celſo teſte Idem & *Gal. 5. methodi medendi* vult, vt motum ac exercitium, præſertim vbi ex ſpiritualibus ſanguis profluxerit, declinent, atque vt magnam ac frequentem reſpirationem vitent, imo ſenſim reſpirent, ſemperque ſilentium agant, ac reliquam omnem quietem eligant. Animi affectus immodicos omnino fugiant, iram præſertim, pariter & Venerem. Nam omnes animæ vehementes motus nocent, quum & ſanguinem & ſpiritus moueant, quæ conuenit eſſe immota. Quare (vt paulo ante diximus) ſomnus iuuat, ideo aliquando eſt prouocandus: non tamen ita, vt alte diu dormiant, ob ſanguinis coagulationem in bronchiis, vnde poſtea non niſi multa tuſſi educatur. Alui quoque excrementa quotidie natura aut arte, clyſterib. præſertim lenibus, excernantur. Quod ad cibum potionemque attinet, eligendi ſunt, qui emplaſticam vim habeant & refrigerẽt, eodem Galeno auctore. Atq; ſi valentior ſit æger, omne fere nutrimentum circumcidendum erit; ſin aliter, ſorbitionis, quod ſatis eſt exhibendum, potiſſimum vbi pulmonis vas fuerit diruptum. Sit autem (inquit Alexand. Trallian.) omnis cibus, qui & leuiter aſtringat, & mediocrem vim obturandi habeat. Cremor igitur alicæ aut ptiſanæ hic eſt idoneus. Longe autem melior, valentiorque erit ſorbitio, ſi amyli frumentacei, & mali cotonei paulum cremoribus ſimul incoquas. Hoc namque & obturabit magis, & leuiter aſtringere poterit: quod etiam maxime in iis requirẽtur, qui ob rupturam vaſorum exſpuunt. Inopia vero ptiſanæ, etiam eo vtantur, qui apud Romanos vocatur farris cremor, vel eo, qui ex ſimilagine ipſa violenter decocta factus eſt. Item micæ panis tepida aqua imbutæ, & ouorum lutea, ſi quid aliud, his ſunt accommoda. At neque ſorbitiones, neque aliorum ciborum quippiam ealidum offerre conuenit, ſed omnia potius ſint temperata, & ad frigidius declinantia; etiam actu, licet non vehementer (vt & Aëtius admonet) neque nimiam humectationem inferre debeant: pyro quoque vel alio pomo auſtero incoctis, vel mali punici granis immixtis. Item placenta ſuminalis, iuxta Trallianum, non alienus his cibus eſt; ſed & ipſa opitũrali poteſt, ſi abſque ſale & multo oleo confecta fuerit. Ex olerib. aſſumant ægri maluam, ante citra ſalem prope elotam; item lactucam decoctam, in poſcam aquoſam ipſam intingentes, ſimiliter intybum & portulacam & arnogloſſam, etiam Paulo hoc ipſum cum Trallliano iubente. Horum inopia poſt ſeptimum diem etiã gallinas non admodum pingues ſumant: quin & perdicum, attagenarumque pectora comedant, nec non gallorum teſticulos. Etenim præterquam quod valenter breui tempore nutriant, augeantque vires, adhuc etiam læuigandi obturandique facultatem obtinent: Quod, ſi venter copioſiora excerneret, aſſi quoque citra ſalem ſumantur: ſic namque comeſti ventrem non perturbant, cum id, quod ſeroſum in eis eſt, inter aſſandum abiecerint: & præterea etiam ſuauiores redduntur. Iam anſerum non adeo veterum alæ offerantur, nec non ventriculi ouaque ipſorum, abiectis albuminib. Etenim cum probe nutriunt, tum obturandi facultatem habent: ſed non ægre concoquuntur, vt quidam calumniantur. Vbi ſanguis etiam exſpui deſierit, etiam pedes ſuum, & piſces ſaxatiles, aceto inter coquendum adiecto offerantur: ex leguminibus autem halica, & chidron admodum decocta, eaque ipſa ex longiore interuallo, & quum non vehementer ægri febricitant. Nam vbi febris abeſt, etiam ſi lac ſimul incoctum ipſis dederis, nihil nocebis: præſertim iis, qui etiam per ſanitatem aſſumere conſueuerunt. Ex fructibus pomaceis exhibeantur, qui modice aſtringant, vt mala præcipue cotonea decocta, pyra, ſorba, meſpila, etſi admodum ſiticuloſi fuerint ægri, etiã pepones, & cucumerũ medulla, vuaque penſilis exhiberi debet. A ficub. bellariis, piſtaceis, maxime amygdalis & malo punico abſtineant: raro autem nuces pini & vuas paſſas ſimul aſſumant, eaque ipſa poſt ſanguinis reiectionem. Potui autem aqua tepida per totum morbi curriculum exhibeatur, eaque non calida, ſed temperata. Quod ſi diu tepidæ potioni inſiſtere nequeant, imbecilles ſe ventriculos habere dicentes, concedendum ipſis etiã paulum omphacomelitis, aut hydroroſati, aut hydromeli ex cotoneis, ſemel aut bis aſſumere debent: in aliis horis rurſus tepidam, aut poſcam aquoſam. Hæc *Trallianus de cibo ac potu.* Eadem fere & Paulus habet, quamuis is pro potu, ſi febre careant, concedit vinum aquoſum modicum alioqui, ſi febris adeſt, dat hydromeli Sybariticum. Verum Iacchinus doctiſſimus. Quod ad victum attinet, non expedit, inquit, hic catalogum ciborum numerare: quod quidam faciunt: cum, dum ſymptoma vrget, & quouſque ceſſet, ſæpius integram inediam ſeruare expediat. Multa ergo frustra inter ſe diſputant de acribus, de aceto, de carnibus, quæ omnia præter propoſitum ſunt. Vel enim nihil dandũ eſt, ſi vires ferunt, vel ſola ſorbitione,

tione, & ea exigua contenti eſſe debent. Nec enim augere ſanguinem, ſed minuere expedit: & morbus maxime vrgeat ab initio. Extreme ergo tenui victu eſt vtendum, & ſic Galen. facit, quando halicam vel ptiſanam propinat. Potu vtemur medicam vim habente. Illa vero diligens ciborum diſquiſitio iuuabit forte in præſeruando, ſoue etiam ea alijs profluuijs. At in hoc eſt inutilis, præſertim, ſi ex ruptione fiat. Nam poſt priuatim de eroſione dicemus. Hæc Iacchinus. Interea ſi malum non ſtatim curetur, victum conuenientem, vt nunc diximus, adhibebimus. Et quod ad alia remedia attinet, cum ſanguis ob rupturam vaſorum ſurſum eruperit, vena cubiti iuxta Trallianum omnimodo ſecari debet, non quidem vna vice, verum duab. aliquãdo tribuſve horis interpoſitis tentari: præſertim ſi primaria cauſa ſanguinis copia fuerit, aut ſpiritus multi & flatulenti collectio, vel vas aliquod fuerit ruptum ex caſu vel offenſione. Sic & Galen. cubiti venam internam ſtatim ſecare præcipiebat *lib. 5. meth.* & poſt ipſum Paulus & Aëtius, bis terve gratia diuertendi. Si venæ in conſpectum non veniant, Alexander etiam ex talo commode mittit, cum ad longiores partes diuerſio fiat. Hollerius vero viribus integris, internam brachij anguſto vulnere mittit modica quantitate, ſed bis aut ter vna die, aut duabus detrahi iubet: ſi plenitudo in cauſa eſt, largius, ſi ſuppreſſis menſibus, vena cruris aperienda: Vnde Rondeletius diſtinguit à qua cauſa fiat. Si ob rupturam venæ, maiorem quantitatem ſanguinis vel vnica vice vel iteratis vicibus: Poſtea danda ea, quæ vim aſtringendi habent. Cauſa quoque diuertendi, artus omnes fricandi vinciendique imo vincula brachijs & coxis ad articulos, & in eiſdem frictio adhibenda. Etiam aliqui cucurbitas hypochondrijs affigunt, ilibus atque inguinibus: & ſanguiſugas pectori affigunt. Sanguine detracto iuxta Trallianum ægrum conquieſcere cogemus, compellemuſque ne magnam reſpirationem edat: Vbi vero reſpirauerit, aquoſam poſcam ipſi ſuperſorbere præcipiemus, quo, ſi quis in viſcere trombus, id eſt, cruor concretus latitet, reſolutus exſpuatur: atque hoc nihil vetat bis terue horis facere, vt idem Gal. aſſerit. Poterimus autem eiuſdem *poſcæ* ℥ iij. *vel* iiij. *aut ſaltem* ij. qualibet vice exhibere. Quod autem in bronchijs ſanguis cogatur aliquando, manifeſtum eſt experientia. Quod etiam coactum apprime lædat, imo accidentia praua efficiat, omnes norunt: & ponitur inter venena: igitur ſtudendum eſt, vt educatur. Quoniam vero non facile educeretur, ſi trombus foret ob craſſitiem, ideo medicamentum propinamus ex his, quæ trombos diſſoluunt. Etenim cum non niſi tuſſi educi poſſit, ſtudendum eſt, vt quam minimus motus fiat. Poſcam igitur dilutam & tepidam exhibet: dilutam ne acetum proritet; tepidam vt melius operetur. Patet autem, vt Iacchinus quoque annotauit, quod & ſenſim dimittenda eſt, vt in viſcus aliquid eius penetret. Auicenna dicit & quandoque Galenus ponit, quaſi ſemper eodem vtendum ſit. Hic vero in vſu aceti contendunt auctores. Sed errant, inquit Iacchinus, ex Auicenna & Auerrhoe, qui poſcam legunt acetum cum aqua: ignari eſſe eam miſtionem, quæ potui iucunda ſit: vnde experientia monſtrat, quod tuſſim non facit. Eſt autem neceſſarius vſus ab accidentia dicta. Mirum vero videbitur, ſi Auerrhoes non viderit, neceſſe eſt medico, vt contrarijs ſimul indicationibus ſatisfaciat, præligendo eam, quæ magis vrget, & alteram non negligendo, quod & hic facimus. Canere enim oportet grumos, & ſi ſunt, diſſoluere, neque exſpectare, donec eorum euidentes notæ adſint, & ſymptomata grauia inferant: quando etiam valentioribus vti oporteret, vt coagulo leporis, vel hœdi, quibus vis ineſt maxime diſſoluendi, vt omnes teſtantur, & acerrimum eſt viribus. At poſca mitiſſima eſt, quod maxime ſane experimur, dum bibimus. Et ſcimus eam in internis vulneribus ad glutinationem maxime facere: ita etiam bibita faciet, vnde tantum abeſt, vt eius vim pertimeſcat Galen. quin potius etiam ad medicamenta glutinantia propter eius deductionem vtatur. Eſt ergo tunc ea vtendum, cum iam magna parte fluere ceſſauit, quod cognoſcitur, quia rarius fluit, & iam colore non adeo floridus eſt. Hæc de pulmone. Nam ſi malum in arteria ſit, vel in pectore, nihil obſtabit, quin tuto vtaris. Non ergo, vt Auicenna ait, quandoque vtendum, eſt; quo pectus expurgetur, vt Gal. voluit. Hæc Iacchinus. Nos vero ad ſanguinem congelatum commoda dedimus mumiam & ſperma ceti. Donatus etiam poſt poſcæ aſſumptionem commendat pul. ſequentem, ℞. *rhabar.* ʒ j. *vel* ʒ iiij. *mumiæ gr.* v. *vel* vij. *rub. tinctor.* iiij. *vel* iij. dabat cum aſtringenti vino rub. aut aqua plantaginis, exiguo aceto iniecto. Hoc medicamento non ſolum concretus ſanguis reſoluitur, ſed foras propellitur atque expurgatur, ruptumque vas ſeu reſeratum ſanatur. Quanquam mumiam & ſperma aceti Langius *lib. 2. epiſt. 31.* his verbis vituperare videtur. Si (*inquit*) præcipiti ex abrupto, vel equo, caſu vel violenta corporis ſuccuſſione, aut venæ in pectore, vel ſub cranio ruptura, aut iugi ſanguinis in ventriculum vel pulmonem deſtillatione, putridi cruoris, grumos in corpore coaceruari conieceris; ne viroſo cruoris habitu cor cerebrumque infeſtetur, operæ pretium erit, hoc pharmaco deiicere grumos, ac per lotium aut aluum expurgare: non, vt vulgus chirurgorum imperitum aſſolet, carbonibus tiliæ, aut Arabum mumia vel ignoto veteribus ſperma te ceti, ſed ſubſcripto puluiſculo. ℞. *rad. angelicæ* ʒ ij. *coaguli leporis* ʒ ß. *ſuccini* ʒ ß. *farinæ orob. rub.* ʒ ij. *exacte contuſa cribro excernantur, ac de illius puluere ſarragine* ʒ j. *diſſoluatur in ſtillatitio chærefolii, aut gingidij liquoris* ʒ iij ß. *& oxymelit.* ʒ j. *fiat hauſtus.* Oxymel quippe, vt Galen. compertus eſt per ſe abſque adiuncto hauſtum, ſanguinem concretum diſſecat, expectorat, vel per lotium prolicit: quem poſtquam oxymelite incideris, tum commode ex aloe & rhabar. catapotijs per aluum expurgabis. Quod Paulus quoque Ægineta his verbis ſuadet. Sanguine inquit, circa ventriculum concreſcente, coagulum leporis porandum dabis: aut ex cinere ficus lixiuium, addita aqua chærefolij aut thymum, vel thymbram cum aceto, quos lacte *ἀγρίῳ* aut aloe quoque euacuabis. Qui autem hoc puluere vti velit, poteſt; licet eos optimo ſucceſſu in præcedentibus ægris ſpermate ceti & mumia vſi ſumus; quibus & præceptores mei in Italia vſi ſunt. Poſt hæc procuranda eſt omni ingenio glutinatio cum emplaſtris & aſtringentibus: quorum prima illa ſiccant ſolum ſine aſtrictione, vt multa terræ genera & lapidum, vt Lemnia terra, & bolus armenus, & alia eiuſmodi. Aſtringentia & nota ſunt, tum ſimplicia, vt ſymphyti rad. decocta ex Trallano, portulacæ ſuccus vel herba ipſa vel rubi fructus, tunica glandis putamini ſubiecta, polygonij ſuccus, & alia infinita, tum quædam compoſita, vt troch. de terra ſigillata, de ſpodio, & ſimilia:

Victus ratio.

Vinæſectio.

Reuellitiones ſanguis ob rupturam, cuius ratio.

Reuellitiones.

Poſca.

Ioannes Langius.

Lib. 3. ca. 37.

ſimilia: nam aſtringentibus etiam emplaſtica adiungimus, cum ſine morſu ſiccent. Trallianus quoque tum Paulus ac Aëtius, externis quoque remediis vtuntur; etiam ſuperfuſionibus thoraci extrinſecus accommodatis per lanas ex roſaceo, aut melino aut myrteo cum aceto modico, aliiſque vt apud eoſdem videre licet.

OBSERVATIO XVI.

De vena rupta & tuſsi in pectore.

MAxime verendus videtur caſus, cum ex tuſſi vena rumpitur in pectore, magis vero & in pulmone: quod maxime euenit, vbi refrigeratæ ſunt partes pectoris, & inde tuſſis: nam hic contrariæ oriuntur indicationes, ſiſtendi ſanguinem, & tuſſis ſedandæ. Quod equidem cum contigiſſet cuidam mercatori Delphenſi, Philippo Vergoeſio dicto, fratri Prætoris Delphenſis, in foro frumentario habitanti, 5. Septem. die, anno 1571. cum nocte præcedente ex frigore contracto tuſſiret, vena in pectore rupta eſt, & ſemiſcutellam ſanguinis extuſſiit. Vnde terrore perculſus, Cornelium Heydium, collegam meum ad ſe vocauit: ſed is cum in Hagham-Comitis ad alium ægrum accitus eſſet, me vocarunt; & ſtatim baſilicam venam in brachio dextro aperire iuſſi, ſanguine moderate extracto. Deinde, vt ſequenti condito vteretur, mandaui, cum & ego eodem tempore Hagham-Comitis accedere cogerer. ℞. *conſerv. roſ.* ℥ j. *diatrag. frig.* ʒ ij. *boli arm. veri* ʒ j. *cum ſyrup. ex roſ. ſiccis, fiat conditum*: quo cum vſus eſſet, & poſt venæ ſectionem, cum ex Hagha ſtatim à prandio rediiſſem, melius habuit, ſanguinis ſputo non amplius apparente. At ſub noctem hora decima cum vehementius rurſus tuſſiret, ſputum ſanguinis rediit; ita vt tunc Heydium ex lecto, tunc me quoque vocarit. Cum etiam catarrho tunc laborare quoque videretur, & vrinam vtcumque tinctam haberet, cum renum calore, & aliquantulum biliioſus eſſet, etiam melancholicus, & calorem quendam ſentiret, licet non febricitaret, inleb. ſequens ad ſanguinem reprimendum & reſtringendum præſcripſimus. ℞. *aquæ burſæ paſtoris, pl. antag. portulacæ, an.* ℥ iiij. *aquæ vrnulæ caballinæ* ℥ ij. *lapid. hæmatiti. ſubtiliſſime pul.* ʒ j. *boli armeni veri pul.* ʒ ß. *ſyrupi myrtill.* (qui etiam ad tuſſim facit) ℥ iij. *miſce, fiat inleb. capiebat frigide ſæpe cochlear vnum atque alterum in nocte*, quo remedio minus ſanguinem exſpuebat. Pectus verò inunximus linimento ſubſequenti. ℞. *olei myrtill.* ℥ j. *olei viol. roſ. an.* ℥ ß. *olei amygdal. dulc.* ʒ ij. *ceræ albæ modicum, fiat linimentum*; 8. *Septembr. diatrag. frig. in tabulis fuſo cum aqua roſ.* ſæpe vtebatur pro tuſſi. Et quia ſputum ſanguinis tum vix apparebat, capiebat ſubinde myrobalanum vnum empeliticum conditum. Et glande ſequenti, cum aluum non deponeret, eam irritauimus. ℞. *Pul. ſpecier. hieræ picræ* ʒ ß. *trochiſc. alhandal.* ϑ ß. *ſalis & mellis q. ſ. fiat glans.* Reneſque ac lumbos inunximus vng. roſ. cum autem ex glande ſtercora dura deiecciſſet, decimo die Septembris hanc potionem ebibit. ℞. *folior. ſenæ, myrobal. indor.* (quia valde melancholicus erat, & ante à longo tempore lienoſus fuerat) *an.* ʒ ij. *myrobal. citrinor. rhab. ſelecti, an.* ʒ j. *ſem. aniſi* ʒ ß. *ſchœnanthi* ϑ ß. *infunde in* ℥ ix. *aquæ fumariæ per noctem, facta prius ebullitione, deinde fortiſſimæ expreſſioni addendo ſyr. myrtill. de epithymo, an.* ℥ j. *clarificetur, & fiat potio pro* ij. *doſibus.* vna adhibita, probe ventrem deiecit 13. die Septembr. Propter catarrhum, ne ſputum ſanguinis quoque rediret, ſæpiſſime vtebatur conſer. roſ. ad libitum. 14. Septemb. tam ad ſomnum conciliandum, quam ad tuſſim ac catarrhi increſſationem, hordeato vtebatur. Verum eodem die rurſus in maiori quantitate rediit ſanguinis ſputum. Quo valde denuo perterritus æger ac multum melancholicus, ſibi metuebat de phthiſi. Quamobrem imperauimus, vt ex decocto ſequenti ſæpe ſumeret. ℞. *rad. conſolidæ maioris* ℥ j. *burſæ paſtoris, portulacæ ſaniculæ, pyrolæ, polygoni, an.* m. j. *ſem. end. aceioſ. portulacæ, vrticæ, an.* ʒ j. *fiat decoctio, vt artis eſt in aqua comm. pro* lb j. *colaturæ addendo* ℥ iij. *ſyr. myrtill. clarificetur, & fiat iuleb.* Loco ſem. vrticæ ego libenter vſus fuiſſem ſucco vrticæ, qui pro arcano habetur contra ſanguinis ſputum, vt collegæ meo referebam ex Amati hiſtoria *Cent. 6. curat.* 4. Nam omnes, qui ſanguinem ex pectore reiectarunt, & à Medicis tanquam deplorati habiti ſunt, ſolo vrticæ ſucco ebibito conualuerunt: poſt multa enim machinata remedia, nullum remedium ita contulit, vt ſanguis hic cohiberetur, ac ſuccus vrticæ, quem ad quinque vel ſex dies ebiberunt. Singulis namque diebus, ſingulas quatuor vncias ieiuno ſtomachobibebant, imo & ipſam vrticam incoctam iure pulli aut veruecis ſæpe comedebant: ex iis alter prædicti Bucignolæ nepos erat; alter vero Raguſæus, Patritius quoque. Vrticam hoc munus conficere poſſe, difficile creditu eſt, Dioſcorides tamen de ea ita inquit: Vrticæ folia profluuia narium cum ſucco ſiſtunt (quod & nos experti ſumus) trita impoſita; & vltimo vrinæ ſuccus, gargarizatus vuam reprimit. Maluit tamen Ericius ſemine vti; quamuis idem fatebatur ſe ſucco vrticæ fluxum in vulnere reſtrinxiſſe. Seniori tamen hac in re nolui ita reſiſtere, quamuis libentius ſucco vſus fuiſſem. Verum, cum ex præſcriptis remediis ſputum ſanguinis nondum ex integro ceſſaret, & catarrhus ad pectus etiam defluere cum tuſſi: vnde vena licet conſtricta & conſolidata de nouo aperiebatur, & ſanguinem fundebat; ideo & hanc cucufam vna præſcripſimus. ℞. *flor. roſ. rub. flor. nenuphar. an.* p. j. *ſem. coriand. præpar.* ʒ j. ß. *ſandaracæ, maſticis, an.* ʒ j. *ſamal. mbr. citrin. an.* ϑ j. *pulueriſentur omnia craſſiuſcule, & bombaci inſpergantur, & ſindone rubra cooperiantur, & fiat cucufa rotunda interſuta, ſuturæ coronali applicanda.* Decimo ſexto Septembris cum ſputum ſanguinis nondum ceſſaret, ſequens eclegma præſcriptum eſt. ℞. *conſeruæ roſ. veteris* ℥ j. ß. *gummi tragacant. albiſſ. ſoluti in aqua portulac.* ʒ j. *boli armen. veri* ϑ iiij. *trochiſc. de ſpodio, de carabe, de terra ſigill. an.* ʒ j. *ſem. portul. contuſæ* ϑ ij. ß. *cum ſyrup. myrtil. fiat eclegma.* capiebat cum baculo liquir. ad libitum: ſubinde & cochlear vnum ſyr. de portulaca, non qui fit ex ſucco end. & ſem. portulac. qui valde muccilaginoſus eſt, neque illi tum aliis multis placet, ſed qui ex ſolo ſucco portulacæ & zaccharo clarificato paratus eſſet. Viciſſim hoc ſyrupo vtens, tum conſer. roſ. & portulaca, in cibis etiam viridem maſticando ac deglutiendo, tandem ſputum ſanguinis deſiit, & optime habere cœpit. Hic tamen poſtea melancholicus, & rurſus catarrho acri deſtillante in pectus, tabem incurrebat, ac phthiſi obijt ſexto Martij, Anno 1572.

SCHOLIA.

SAnguinis autem reiectatio, quæ ex apertione ſoſculi alicuius vaſis contingit per ea, quæ dilatatum

dilatatum os obturant, curari debet, *Galeno auctore 7. de compoſit. medic.* ſecundum locos. Obturant autem oſculum (vt etiam Scholio præcedente diximus) dilatatum medicamenta, quæ vim habent adſtringendi: eius vero (vt etiam exemplis antea oſtendimus) quæ ex vaſis ruptura fit, curatio per eiuſdem conglutinationem perficitur: atqui conglutinatur ruptum per eadem medicamenta aſtringentia, & quæcunque ipſis in compoſitione miſcentur citra mordacitatem reſiccantia, & glutinoſum quiddam habentia, vt & antea dictum eſt; quæ idcirco, quod ex lenta, craſſaque ſubſtantia cõſiſtunt, meatus obſtruunt, & Græci ἐμπαστικὰ vocant, *vt 5. method. med. & 4. & 5. de ſimpl. medic. facult. liquet.* Id vero in vtriſque prius animaduertendum (*vt Donatus quoque Præparationem admonuit*) numquid cauſa ruptionem aut apertionem efficiens deſierit, vel adhuc maneat: namque ſi deſierit, primum ſiſtere ſanguinem expedit; poſt verò (*vt inquit Galenus eodem 5. method. med.*) perruptum vas aut reſeratum, ſanare eo conglutinato vel obſtructo. Si autem permaneat efficiens cauſa, vt pote abundantia, ea quidem primo vacuanda erit: etenim manente ea, vas etiam plus rumpitur, aut reſeratur: hinc ſanguis reprimendus, moxque vlcus ipſum vaſis, vel eius apertio curanda. Deſinente igitur effectrice cauſa, primum ſiſtere ſanguinem expediet, Galeni decreto, poſt vlcus ſanare: obturato quidem, quod perruptum eſt; auerſo autem atque aliorſum tranſlato, quod per id ferebatur: quando ſi id eo, quod inter initia, impetu confluat, oſculumque vaſis pari modo pateat, citius plane moriatur animans, quod profluuio laborat, quam ſanguis ceſſet effluere. Siſtitur porro, qui è vaſis profluit ſanguis, aut propterea quod amplius non confluit, aut quod occluſa diuiſio ſit, ſeu conniueat id, quod reſeratum eſt, vel propter vtrumque vt inquit Galenus eodem *lib. 5. method. medendi*, id quod ipſe dicit tutiſſimum. Hæ quidem ſunt communes curandi indicationes cuiuſuis cruentæ exſpuitionis, ex diuiſione ſeu apertione vaſorum cuiuſlibet partis: eſt inſuper & aliud commune omnium internarum partium affectarum, vt idem Galenus *lib. 4. method. medend.* aſſerit, vt ea eligantur, quæ animalis naturæ maxime ſunt familiaria, ſiue ea cibi ſint, ſiue medicamenta, fugiantur reſpuanturque huic contraria. Interea partes affectæ aliquo modo priuatim curationem variant. Si ex refrigeratis ſpiritus inſtrumentis ſanguinem reiecerint, his è veſtigio ſanguinem vena ſecta extrahere conuenit, vt Scholio præcedente diximus, bis eodem die, vt Galenus *l. 5. method.* docuit; alioqui, modo ætas vel vires non prohibeant, paulatim euacuatio facienda, vt etiam Aëtius admonet: deinde & ligationes, & frictiones peragendæ. Diximus autem hunc caſum, ſi ex tuſſi vena rumpatur, partibus pectoris refrigeratis, ob contrarias indicationes curatu difficilem eſſe. Nam quæ tuſſim à frigore ſedant, neceſſe eſt calida ſint, vt inſpiratio & ea, quæ extrinſecus calida applicantur ad intemperiem tollendam. Quanquam in hoc noſtro ægro etiam catarrhus aderat, neque intemperies ita frigida. Calida itaque ſanguinem fluere faciunt, vt ſupra diximus. Galenus igitur hiſtoriam ponit iuuenis, qui tuſſiens ex refrigeratione pectoris ſanguinem exſcreauit. Curà verò fuit hæc: primum enim procurauit, vt ſanguis ſiſteretur, quod magis vrgebat, ſecta vena, & vinculis & frictionibus: mox medicamento ſoporante, diaſpermaton eſt vſus: ſecunda itidem detraxit. Sed pectori mox emplaſtrum ex tapſia appoſuit, ad tollendam intemperiem pectoris, ſed diu morari non ſinebat, ne multum calfaceret. Noui ego medicum quendam alioqui doctum, qui cum ægro ſuo ceratum calidum pectori applicuiſſet, & peregre profectus diutius cum reliquiſſet, pectus adeo exulceratum fuit, vt ad interiora vlcus pertranſierit, & æger non diu poſt obierit, quo factum eſt, vt deinceps ille Medicus omnem auctoritatem amiſerit. Alio ſimiliter die Galenus appoſuit, licet etiam tunc non diu morari ſinebat: itaque per interualla, & vacabat ſymptomati tuſſis, & ſpatium naturæ præbebat, vt glutinaret; nec adeo calfaciebat, vt venam aperiret: & ſemper medicamentum diaſpermatum dedit vſque in quartum diem. Sed dices, qua de cauſa? Reſpondet Iacchinus, vt tuſſis ſymptomati occurreret, ſenſum heberando, & ita proritationem; & vt ſanguinis fluorem ſiſteret. Deinde ad Tabias miſit pro ſiccanda magis cicatrice, vt firmior eſſet. Si ex aliis cauſis eadem vaſa rumpantur aut reſerantur, etiam tunc vena incidenda eſt: ex mente Galeni, Pauli & Aëtij ac Tralliani, vt Scholio præcedenti diximus: artuſque fricandi & vinciendi, atque poſca tepida exhibenda, mox medicamenta emplaſtica & aſtringentia. Illud tamen perpetuo ſeruari debet ex Galeni decreto, *l. 4. method. medend. & 7. de compoſ. med.* ſecundum locos, quod congruenti menſura prædictis medicamentis, in his qui ex pulmone, aut thorace, aut aſpera arteria ſanguinem reiectant, miſceantur tum calida, tum tenuium partium exiſtentia; quamuis vaſorum rupturæ ac reſerationi ſint infeſtiſſima, gratia ſcilicet diſtributionis ipſorum medicamentorum: etenim aſtringentia & viſcoſa, ac tenacia ſibi ipſis vias præcludunt: quare opus habent facultate ipſis viam ſtruente, ac præparante. Quapropter omnibus medicamentis, quæ thoracis & pulmonum vlceribus ſunt deſtinata, mel admiſcendum erit: eſt namque ipſum veluti inſtrumentum quoddam digeſtionis eorum in corpus, ac celeris tranſitus: veluti vehiculum, vt patet eodem 4. *lib. method. medend.* Quod ſi ex acri deſtillatione, vel ex catarrho vena aperiatur vel reſeretur, aliter curandum erit, & catarrhus prius tollendus erit, vt exemplum ſequens docebit.

Si ex aliis cauſis eadem vaſa rumpantur, aut reſerentur, curatio.

Documentum Galeni.

OBSERVATIO XVII.

De ſputo ſanguinis ex catarrho oborto, potius inſipido quam acri.

TVſſis aliquando ex catarrho deſcendente à capite in pectus vel pulmonem, ſputum ſanguinis inducit: quod equidem bifariam contingere poteſt; vel enim ex tuſſi fit continui ſolutio ob partium diſtenſionem, vel quoniam catarrhus erodens ſit, ideo vlcus facit. Si enim inſipidus ſit catarrhus, ſola tuſſis cauſa eſſe videtur: vti iſtis diebus iuueni euenit, vt ex tuſſi cum catarrho tamen inſipido, ſanguinis ſputo laboraret; & quia plenitudine hic iuuenis aliquo modo laborabat, & ſatis robuſtus erat, venam incidere iuſſi; moderate tamen ſanguine extracto in cubito. Ad diuerſionem quoque à capite, poſtquam leuiter purgatus eſſet cum pil. ex aloë & rhab. etiam cucurbitulas ſcapulis admoueri iuſſimus cum ſcarificatione, etiam vinculis membris extremis iniectis, & adhibitis frictionib. & capite maſtiche & olibano inſperſit. Præceptor meus etiam cauterium adhibebat capiti, eoque ſic

ſic roborato theriacæ ℈ ij. *dabat cum ſucco arnogloſ. vel portulacæ.* Nos autem ad conſtrictionem dedimus *lapidis hæmatit. curioſe læuigati, & in puluerem tenuiſſimum redacti* ℈ ij. *cum aqua ſola tepida, & egregie contulit*: hoc enim modo Trallianus dabat in iis, in quibus ſanguis copioſe (*vt hic*) non euacuabatur, alioqui in his, qui largius ſanguinem reiiciebant, cum ſucco mali punici & granis, vel cum ſucco polygoni dabat. Hoc enim modo ſine theriaca aliiſque pretioſis antidotis multos curauit, lenibus vtens medicamentis, & præſertim lapide hæmatite. Dat autem ex eo ita læuigato, vt ſit aëreus & vento perſimilis, ℈ iiij. *& paulo amplius minuſve.* Exhibuit etiã iis, qui pus exſpuere inceperant: ac mirum eſt, quomodo vlcus exſiccarit ſanaueritque vt non amplius pus generaretur, neque æger à tuſſi infeſtaretur. Ideo etiam in catarrho acri corrodente vtebatur. Spectauit autem & alium quendam ex his, quibus vas exeſum erat, non modo particulas quaſdam ex faucibus, ſed etiam aſperam arteriam exſpuentem: ac mirum, quomodo in hoc quoque lapis hic maximam efficaciam indicauerit: nam & hic curatus eſt, illo ipſo non admodum etiam ſperante. Exhibuit autem ægro potui medicamentum frequentius, vt commodius diſtribueretur. Quare, cum crebro ipſum bibiſſet, tandem ſumere ipſum faſtidiuit. Excogitauit autem huiuſmodi rationem: redactum in teniſſimum puluerem panniculo lineo impoſuit, & diligenter ipſa vndequaque conſtrictum, colligatumque in poculo, quod vinum odoratum modicum haberet, ſuſpendere permiſit, idque per totam noctem iam inde ab ipſo veſpero: extraxit autem tenuem aëreamque eius partem, vt æger ſolam vini qualitatem perciperet: ex hoc bibere, quantum mane bibere ſolebat, ei præcepit. Atque hoc ſane agendo, bibendoque continue, ſanitatem recepit. Hoc autem morbo liberatus, idem præſeruationis cauſa facere pergebat, bibebatque donec etiam corpore probe permutato, conſueta agendo viribus ſe conſtare ſentiret. Hæc de lapide Hæmatite, hactenus à Tralliano viſu & vſu comprobata, hic recenſere nobis vtile viſum fuit: cum & nos hunc lapidem cõtritum in tenuiſſimum pollinem cum aqua plantaginis vel burſæ paſtoris ſæpe tranſfuſum, & deinde colatum, vt aqua rubedinem acquireret, accepimus, immixto ſyrup. de portulaca vel myrtillo: ac ita ad ſanguinis ſputum commode exhibuimus.

Scholia.

4 SI itaque inſipidus catarrhus ſola tuſſis cauſa fuerit, facile cognoſcitur, & etiam facilius curari poterit. Si vero ſalſus vel amarus, & flauum quid exſpuitur, de eroſione ſuſpicio eſt. *Error multorum.* Galen. autem poſuit vtriuſque affectus curationem, ac primum eius qui ex ſola tuſſi fiebat, vt in illa nobili Romana. Nec enim illa eroſione pulmonis reiecerat. Nam hi, vt mos habet, inſanabiles ſunt, & curam nullam admittunt, niſi vt vita prolongetur. Et errarunt multi in hoc (vti etiam Iacchinus doctiſſimus annotauit) quia crediderunt hiſtoriam illam & curam conuenire eroſioni ex catarrho: vnde fruſtra de multis dubitant circa eam curam, quomodo appoſuerit capiti calido, toties calidum emplaſtrum. Et ego alias (inquit idem Leonardus Iacchinus) de hoc dubitabam: & reſpondi, laborare Galenum contra ſymptoma. Sed reuera optima eſt curatio, quæ tollit cauſam, nec lædit: quoniam ſiccat & calefacit: in capite laborante deſtillatione, eſt vtile: vbi ſi eſſet arrodens catarrhus, profecto malum eſſet. Mirum non conſideraſſe hunc locum Veteres, qui hiſtoriam referunt, quaſi catarrhi erodentis. Meſue & Rhaſes nullam hiſtoriam æque admirantur, & colunt: cui tamen morbo medeantur prorſus ignorant. Vnde iuuenis ille, qui tunicam gutturis exſpuit, ex catarrho erodente id paſſus eſt: neque in hoc hanc curam poſuit, ſed longo tempore curatum: nempe ratione, quam poſtpoſuit: quoniam ſucci vitium corrigere oportuit purgatione, & alimentis, idque non poteſt, niſi longo tempore fieri. Quod hiſtoria mulieris ſit catarrhi frigidi & humidi, patet: primo: quia cito ſanata eſt: ergo non eroſione. Præterea eroſionem dicit eſſe inſanabilem. Præterea etiam poſt agglutinatum vulnus, ad caput tapſia vtitur, vt pateat non aduerſus ſymptoma pugnaſſe, ſed aduerſus cauſam. Quod ſi dicas, cum præcauet catarrhum acrem, & erodentem, adhibet capiti tapſiam: Reſpondetur, poteſt eſſe ſine calida capitis intemperie: ſed potius cum humida, cum reliquum corpus plenum eſſe vitioſis humoribus, qui caput petunt. Sed ſi eſſet ex capitis intemperie, hoc non fieret. Verum ad catarrhum prius accedamus: atque curationem ex Galeno ita inſtituemus. Primum itaque, vt in eiuſmodi aliis affectib. ſanguinem mittere decreuerat, quod id morbus exigeret, tum ad minuendam materiam catarrhi, tum ad reuulſionem, & deriuationem à parte. Sed alia diſſuadebant, nempe quatridui inedia: forte vero & gracilis erat, & æſtiuo tempore, & alia aderant contra indicantia: ſat nobis eſt affectum id exigere. Poſt modum qui eam dimiſerat aliis reuulſoriis ingeniis vtitur, clyſtere acri, ſcil. & vinculis, & fricat calfaciente pharmaco, vt puta ſinapi ex aceto. Hæc enim auerſio maxima eſt. Huc vſque auerſio: mox ad cauſam tuſſis proximam accedens, raſo capite emplaſtrum ex columbino ſtercore impoſuit, ex recenti, inquam, in turribus collecto, cui maxima vis in eſt calfaciendi & ſiccandi, & attrahendi catarrhum ad extimam cutem. Hoc vſus per horas tres eſt, ne ſcil. exureret nimium. Sed caput pro tempore idoneo operimento contegit, hoc eſt, quatenus externo aëre non læderetur, mox in balneum duxit. Hic vero dignum conſideratione eſt, quomodo in balneum ducat eos, quibus ſanguis profluit, cum vniuerſum calidum promoueat profluuia 5. *aphor.* & priuatim balneum ea augeat. 1. *ad Glauc. c. de accid. & in hiſtoria Metonis* 3. 1. *Epidem.* ad ſanguinis profluuium augendum caput lauat Hip. Præterea in fine curæ, dicit in balnei abſtinentia cum continuiſſe, vt ſcil. ſiccaret. Reſpondetur: Primum, quod reiecerat exiguum erat; itaque ruptum vas erat exiguum: ſed potius timor erat futuri, quam præſentis affectus. Præterea inedia præeuacuata ea non videbatur timor fluxionis, & ideo reſtiterat. Vel dicito, non eſſe eandem rationem laborantis pectoris, & capitis. Calidum enim balneum caput replet, ideo ſanguinem è narib. profluentem proritat. At à pectore reuellere videtur: nõ ſecus atque alui profluuia ab inteſtinis. Hic nota ſolum lauat, cum capiti emplaſtrũ apponit. 6 Et Auicenna dicit, propter medicamen, id eſt, ad tollendam acrimoniam eius, non vngit caput, ſed lauat: quoniam vnguenta plus morantur & humectant; & quia quod attractum eſt, exhalare non ſinit, 6. *de ſanit. tuend.* Vt ergo frictione vti potuit, cur non & balneo? Cæterum hæ reſpon-
ſiones ad logicam quidem diſputationem vtiles

forent, ad medica vero præcepta inutiles. Neque enim quid reſpondendum ſit; & quomodo dicta auctorum, vt aiunt, ſaluanda, ſed quid vtile præceptum ſit, exquirimus. Non igitur Galenus nobis id, vt præceptum ſtatuit, ſed viſum illi eſt, vtile eſſe eo tempore. Cauſas autem particulares, quibus motus ſit, non refert: non lauat tamen caput, nec vngit pingui, ne humectet. A balneo nutrit ſola ſorbitione, quod inediam ferre non poterat: poſtea auſterum quid propinat, tum ad tollendam euaporationem ad caput, & vt alius probe concoqueret, & deiiceret; ſed & ad morbum id facit. Veſperi dormituræ theriacen dedit nouam intra menſes quatuor, vt ſomnum induceret: quod tum ſiſtit profluentem ſanguinem, & fluxiones ſiccat, & craſſat: vnde non facile inſluunt ad pectus. Iam his catarrhus finitus videbatur: ſed multa erat in pectore materia, quæ expurgari deſiderabat, quod ex ſonitu deprehendit, & ex reſpirandi ſpecie, quæ angu-
ſtiam vaſorum monſtrabat, ſed timuit tuſſim concitare. Itaque quod ab initio fecerat, ſeruauit in taciturnitate & quiete pectoris; & iiſdem reuulſoriis poſtridie vſus, veſperi theriacen dedit paulo minus. Tertio die quietem etiam imperauit: ſed mane mel coctum exhibuit, vt pectus purgaret: ac paulo largius cibum dedit, & frictione eſt vſus. Quarto mane dedit theriacam vetuſtiorem, id eſt, in ætate vigente: & mel copioſum dedit mane: quoniam non erat ad ſoporem inducendum, ſed pectus purgandum. Rurſus quia feruor prioris medicamenti capiti impoſiti deſierat, iterum admouit. Quinto ad purgandum pulmonem conuertit ſeſe, ſcilicet cum eclegmatis, quæ tuſſim excitant; & capiti ceratum ex thapſia impoſuit: mox conualeſcentium victu eſt vſus: ſed à lotionibus abſtinuit: nempe vt ſiccaret corpus, nam & dum ægrotaret, ſolum prima die & quinta lauit. Hic nugatores ſuſpectam habent maxime quatuor menſium theriacam: & quoniam gloſſare, id eſt, peruertere iis moſeſt ſcriptorum verba, dicunt intelligi ab eo tempore, quo incipit fermentari. Sed hæ nugæ ſunt: imo & duorum menſium exhiberi poteſt. Debebant Galenum legere cur ſic dabat, vt in ea vis adhuc opij vigeret. Et nos ſic vtimur. Hæc Iacchinus: cuius verba hic inſerere commodum nobis viſum fuit, cum hanc Galeni hiſtoriam egregie declarent: quam ſi legere libeat, habes eam 5. *libr. method. medendi*: & alteram hiſtoriam de alio adoleſcente, cui non ex deſtillatione, ſed ex refrigeratis ſpiritus inſtrumentis orta tuſſis fuerat, cum ſanguinem & ipſe ad dimidiam heminam reiecisſet: cui ſtatim venam Gal. incidit, & poſtridie bis, vt ſcholio præcedente dictum eſt. Habes & eodem lib. de altero adoleſcente hiſtoriam quoque, circiter decem & octo annos nato, qui cum multis diebus ex deſtillatione laboraſſet, primum quidem ſanguinem floridum cum tuſſi exſpuit, non ſane multum: poſtea etiam tunicæ ipſius pariem, quæ tegens intrinſecus arteriam, in fauces & os per ipſum arteriæ caput (larynga vocant) aſcendit. Videbatur autem Galeno tum ex craſſitudine eius coniectanti, tum ægri ſenſu ipſius laryngis eſſe interna tunica. Quin etiam læſa illi ex eo vox eſt, atque hic quoque longiore quidem tempore, ſed tamen ſanatus eſt.

Vide Gal. hiſtoriam.

11

OBSERVATIO XVIII.

De deſtillatione acri à capite in pectus cum tuſſi, ex qua vena pulmonis corroſa fuit cum ſanguinis cruenta ſputitione.

VIr quidam annos circiter quadraginta excedens, cum longa deſtillatione acri laboraſſet, neque ſatis tempeſtiue de remediis cogitaret, & tuſſi valida afficeretur, tandem ſanguinem ſubito exſcreauit ſpumoſum, rubrum, humiditati cuidam admixtum: quamquam vltimo paucus, viuidus, nulli rei admixtus exiuerit, quem ex vena pulmonis vel prope pulmonem exiſtente, effluxiſſe exiſtimabam: aſſidua enim humoris deſtillatione à capite in pectus vena quoquo modo corroſa intelligenti illa tuſſi aperta fuit, vnde ſanguis ille effluxit: tunc enim prius me vocauit, cum iam macilentus & extenuatus ex longo morbo præcedente: ſanguinem hic mittere auſi non fuimus, cum ad hecticam tendere videretur. Et quamquam deſtillante acri humore, præſertim ad pulmonem aut pectus, toti corpori conſulendum ſit, quo ſiſtatur eroſio Galeni auctoritate 5. *meth. med.* Interea Paulus & Alexander præcipiunt caueri debere ſanguinis miſſionem; præſertim vbi admodum acris fuerit deſtillatio. Nam magna ex parte corpus eorum, qui ex eroſione ſanguinem reddunt, gracile ac perſiccum eſt, quale hic erat, cum & diutius male habuiſſet, ideo ſanguinem non detraximus. Si autem ab 2 initio iam prius ſanguinẽ exſpuiſſet, Galeni auctoritate fretus (*eod. 5. lib. method. med.*) vbi validus fuiſſet æger multique ſanguinis, ſtatim à principio ſanguinem detraxiſſem: id quod nec Alexander, nec Paulus negarunt. Et ſi parum ſanguinis habere videbuntur, ij ad quendam ſuccum probiorem victus ratione reduci debent, deinde ſanguis detrahendus, ſi res ita ſuaſerit. Verum hic cum ſub noctem acciti eſſemus, vt ſequens ſumeret mandaui: *ſyrup. pap. myrtini, ana* ℥ ß. *boli armeni orientalis* ʒ ß. *miſc.* mane cum ſputum ſalſum ſentiret, atque hic vitioſus ſuccus corrigendus eſſet, atque primo alterandus & cõtemperandus, licet omnino longo tempore opus ſit, vt Galenus dicebat, quo ſucci huiuſmodi temperentur, & corrigatur vitium. Cum & tales ægri ſanguine decocto ab initio (quod nunc prætermiſſum erat, cum diutius laboraſſet) tum reficiendi ſint, tum purgandi ac rurſus poſt purgationem reficiendi. Quæ omnia tempus habent: Poſt exhibitum hunc ſyrupum, ℞. *ſyrup. violarum. papaver. myrtin. ana* ℥ ß. *aquæ decoct. hordei* ℥ iij. *dedimus* ℥ j. *caſiæ recens extractæ cum ſero lactis. Deinde ad ſanguinis ſputum, boli armeni veri* ℈ ij. *cum lacte.* Poſtea etiam lac caprillum dedimus, cum de phthiſi metueremus: nam tales maxime lac requirunt, qui maxime inſanabiles ſunt; præcipue, vbi à capite aliquid defluxerit. De quo Alexander in hoc Gal. imitatus. Omnes autem, inquit, lacte vtuntur, molli recentiq; caſeo, præſertim caprillo aut bubulo. Eſt valde accõmodum à balneo aquæ dulcis ſumptum. *Gal. 7. meth. med.* vult, vt calens à mammillis ab ægris ſugatur: & vt mellis tepidi pauxillum immiſceatur, ne in ventriculo cogatur aut concreſcat. Verum, licet multis & aptis remediis vſi ſimus poſt ſemiannum tandem mortuus eſt ex tabe.

Sno-

Scholia.

4 Si ex acri deſtillatione cum tuſſi, cruenta ſpuitio contingat, medicamentorum copiam, & cap. de deſtillatione tum de tuſſi, requiremus. Illud tamen perpetuo in eorum exhibitione ſeruandum, vt quæ magis familia ac leuia ſint, eligamus, vitemuſque acriora, calidiora, ac ſicciora: quæ inſuper non ſemel tantum propinabimus, quin imo bis & ſæpius, vbi oportet: nam longo tempore (vt diximus ex Gal. auctoritate) omnino opus eſt, vt ſucci contemperentur, & corrigatur vitium; potiſſimum ſi ex eo in pulmone eroſio facta fuerit. Quapropter Galenus eos, qui plane deplorati non ſunt, omnes ſeruari fatetur, per hæc tria, per ſanguinis videlicet miſſionem & purgationem, & ea, quæ caput roborant: non enim in huiuſmodi affectibus à paruis auxiliis incipiendum eſt, veluti Eraſiſtrato viſum fuit: nam in morbis, in quibus periculum non imminet, à paruis auxiliis incipiendum eſt: quod ſi nihil profecerint, aggredienda maiora ſunt. At vbi periculum maximum impendet, à maximis quoque auxiliis exordiendum eſt: Nam ad vltimos morbos vltima prorſus remedia maxime valere Hippocr. decretum reliquit. Ea de re non immerito ſtatim circa initia venæ ſectione (ſi nihil prohibeat, at hic in noſtro ægro prohibebant diuturnitas mali, macies, & vires deiectæ) ac purgatione vtendum, nec minus & capiti conſeſtim proſpiciendum, ne ex eo in pulmonem aut pectus aliquid defluat: in quem vſum conducit ſi ʒ ß. infraſcripti puleris, ex Donati ſententia ſumatur: ℞. *ſem. hyoſcyam. & pap. alb. an.* ϑ ß. *ſem. coriand. præparati* ʒ j. *cort. thuris g.* ij. *maſticis g.* 4. *pul. hirundinis præparati* ʒ ß. *zacch.* ℥ iiij. Tépus autem ſumendi eſt poſt duas vel tres horas ante ſomnum à cœna, vel pilulas duas deuorent ex pilulis de cynogloſſa Nicolai, loco medicaminis, quod diaſpermaton à Galeno prius appellatum diximus, quo is vtebatur. Is quoque thapſiam (vt ſcholio præcedente retulimus) capiti imponebat: alij ſinapiſmo aut ignito cauterio vtuntur. Sed aduerſus Galenum Trallianus ſentit, & Galenum redarguit: quanquam Donatus eundem contra Alexandrum Trallianum defendit, non vt temperiem capitis calidam curaret, ſed vt humiditatem acreni, quæ à capite defluebat partim exſiccaret, partim etiam ex interioribus foras traheret, & per cutim euacuaret, idque etiam in principio, ne materia deflua ad pulmonem, & tuſſim excitet, ex quo maius periculum, quam propter reuulſionem & exſiccationē. Quam rem etiam docte prius Iacchinus ſcholio præcedente, & ad amuſſim interpretatus eſt. Vbi vero hæc pericula non impendent, in calida fluxione poſt redundantium humorum vacuationem, ea quæ infrigidant, pro eius alteratione capiti admouere hæſitatet nemo, & nō calida; cum, ſi caput ex calida intemperie male habet, talia medicamenta noceant; Vt igitur temperamentum melius reddamus, præſtat ipſum roſaceo perungere: atque æſtatis tempore præſtantius erit, eo quod ex crudo oleo, quod omphacinū vocāt, componitur, vti: quemadmodum idemmet Gal. præcipit 6. *de ſanit. tuenda*, damnans medicamentum, quod ex thapſia & ſinapi componitur, cum ex calida capitis intemperie fluxio fiat; eoſque balneari iubet, frequenti balneo potabilis aquæ, quo & calidos vapores, qui in capite ſunt, euocemus, & totum capitis temperamentum melius reddamus: nec minus balnēum ipſum prædictis, *lib.* 5. *meth. med.* commendauit. Prædicti quoque ſunt (*eodem Gal. teſte*) qui maxime lac requirunt, neglectoque eo omnium ſunt inſanabiles, præcipue vbi ex capite aliquid in pulmonem defluat. Alexander quoque de lacte imitatur Galenum, *vt obſer. præcedente ſub finem* diximus. Horum auctorum loca ipſa perlegere poteritis, cum Galenus & Alexander de ſputo ſanguinis curando nihil intactum reliquerint. Si autem lactis quantitas ab ʒ iij. *ad* vj. *pro diuerſa corporum natura*, ætate & conſuetudine, ac reliquis: melius autem vel roſacei mellis, quo & ego vti ſoleo, quarta pars, aut medietas vnciæ vnius. Hoc modo & Donatus vtitur.

Quando à paruis, & quando à magnis auxiliis incipiendum eſt.

Galenus defenditur cōtra Alexand.

OBSERVATIO XIX.

De quibuſdam ex vaſorum exeſione ſputo cruento laborantibus.

GOdefridus Petrus Beaumontius cereuiſiarius, annos (plus minus) 59. natus, cum aliquando diu aſthmate laboraſſet, tandem tuſſi valida correptus, etiam febre continua ſatis, vt de phthiſi metus eſſet, tandem & ſputo ſanguinis correptus eſt: quod eum in notabili quantitate cum febre prodiret, multum ſibi metuebat etiam de tabe, quanquam prius ſputum non purulentū, ſed pituitoſum vna cum ſanguine extuſſiebat; poſtea vero ſubinde nigriuſculum, ita vt ex eroſione venæ pectoris prodiret, cum pure quaſi tandem permixtum. Tale autem ſputum cum febre ſolet eſſe ſemper ſuſpectum: nam febris putredinem & corruptionem maiorem argnit: & quamuis maius periculum inducit ſputum ſanguinis arterialis quam venalis, etiamſi ſine febre fluxerit, ſuſpectum habeatur: tamen omne ſputum ſanguinis, ſi cum tuſſi ex pectore aut pulmone erumpat, cum febre & ſine febre, malum ſemper eſt: deterius tamen ex pulmone, vt mox alio exemplo docebimus; & magis ex ſubſtātia ipſius, cum ducat ad phthiſin: quod ex pectore eſt, ſanatur: quidem velociter: ſin minus, habet malitiam vlceris pulmonis, cum fiat fiſtuloſum frequenter rediens cum ſanguinis ſputo. Ad hunc in principio accitus cum febricitaret & valde tuſſiret, & nondum ſanguinem exſpueret, ſed materiam putidam pituitoſam, & aliquandiu etiam lenta febre correptus eſſet, vt longo tempore foras prodiret: vbi enim magis cœpit febricitare, me vocauit menſe Maio, propter febrem; & quia quotannis conſuetus erat ſanguinem mittere, quamuis paulo macilentior, tamen multi ſanguinis. Poſt acceptum bolum ex caſſia, aluo ſatis ſoluta, die ſubſequente vena baſilica in brachio ſecta fuit, & pro tuſſi ac febre continuo lambebat ex ſyrupo viol. nam maciem contraxerat, & de tabe metuebamus. Deinde ex hoc decocto tam ob febrē, quam ad vitioſos humores contemperandos his in die ciathum ſumebat. ℞. *corticum rad. cichorij, dentis leonis, glycyrrh. raſæ, an.* ʒ ß. *flor. cord. p.* j. *vngulæ cab. ſeubeochij, folior. viol. aceioſæ, cichor. capill. ven. polytrichi, ana* m. j. *hordei mundati. p.* j. *ſemin. quat. frigid. maior. an.* ʒ j. *prun. damaſc. nu.* 9. *vuar. paſſul. enucl.* ʒ j. *vuar. corinth.* ʒ ß. *iuiubarum ſebeſten. recent. an. nu.* 5. *fiat decoct. in aqua communi pro* ℔ j. *colatur, & adiecto rurſus zaccharo candi dicto, ad melliorem ſaporem, denuo ebulliant ad modum iuleb.* Interea quoque pro tuſſi & calore febrili ſubinde capiebat ex tabulis diatrag. frig. Sub noctem ſumebat hordeatum in hunc modum concinnatum. ℞. *hordei*

℞. *hordei mundati p.* j. *amygd. dulc. depilat.* ʒiß. *ſemp. pap. alb.* ʒ j. *ſem.* 4. *frig. maior. mund. an.* ʒ ß. *fiat hordeatum pro* ℔ j. *ſaccharo parum dulcoretur*, vt artis eſt. Hoc multis diebus ſub noctem ſumebat: interea leuiter cum purgauimus cum ſyr. roſa. pallid. & ſero lactis. Et rurſus apozema, vt ſuperius, adiectis ſcabioſa, pulmonaria & hyſſopo, vt ſputa meliùs exirent: & cum dormire non poſſet, tempora inunximus vng. populeo, & oleo pap. & mandragoræ ſimul mixtis, & vtebatur ſuo diatragac. Et cum ad menſem Iun. perueniſſemus, & in lumbis doleret, eos inungi iuſſimus vnguento roſato. Poſtea ſanguinem extuſſiebat: primo quidem rubrum, poſtea pituitæ immixtum, deinde etiam purulentum, vt de corroſione venæ ſuſpicio eſſet, ſputo aliquot diebus perdurante: quamuis his tabulis frequenter vtens tam pro tuſſi, quam pro ſputo cruento, etiam ſubinde conſerua roſ. accepta cum exiguo bolo immixto & ſyrupo myrteo, tandem ſputum ſanguinis deſiit. Tabulæ tales erant: ℞. *ſpecier. diatrag. frig.* ϑ ii ß. *boli armeni veri prius pulueriſati* ϑ j. *ſem. port.* ϑ ß. *diſſolutis in aqua vngulæ caball. q. ſ. ſaccharo. albiſſ.* ʒ ij. *admixtis, fiat confectio in tabul.* Interea ſi aluum non deponeret, glande tantum irritauimus, abſque alia purgatione. Et vbi ſputa minus prodibant, hoc ſyrupo longo ſæpe vtebatur, alioqui tabulis ſuis vel conſerua iam dicta, ſi magis cruentum eſſet. *glycyr. raſæ* ʒ iij. *vngulæ caball. pulmonariæ, ſolior. viol. hordei mundati, an.* m. j. *ſemin. quatuor frigid. maior. an.* ʒ i ß. *vuar. paſſul. ab avillis vepurg.* ʒ j. *vuar. corinth.* ʒ ß. *dactyl. pinguium nu.* 3. *iuiubar. ſebeſten recentium, an. num.* 5. *fiat omnium decoctio in aqua communi pro* ℔ j. *col. dulcoretur ſaccharo candi, & fiat ad modum ſyrup. longi, rurſus ebulliendo.* Continuabat & ſuum hordeatum ſub noctem. Quib. tandem cum multorum admiratione, cum in fine pro tabido quaſi haberetur, fuit curatus. Eodem modo fere Machthilda Alphonſa mulier Delphenſis, non tamen fabricitans, tertio quoque anno incidebat, licet vetula, in ſanguinis ſputum ex corroſione venæ pectoris cum catarrho ſalſo: quæ & iiſdem fere remediis fuit curata, magis tamen aſtringentibus, cum ex eroſione hæmorrhagia profuſior contingeret: tunc enim iis vtendum medicamentis vehementiſſimis, quo ad vehemens eius impetus frangatur: reliquo vero tempore iis vtebamur, quæ celerrime eroſionem lenire poterant, & modice ſiccarent, & vlcera ad cicatricem ducunt: quare & puluere lapidis hematitis (de quo prius dictum eſt) vtebamur, radice ſymphiti condita, & bolo armeno & terra Lemnia vera, quam & egregie iuuabant rotulæ ſequentes. ℞. *boli armeni veri* ϑ ij. *ſpecier. diatrag. frig.* ϑ i ß. *cum aquæ vngulæ caballinæ & portulacæ, adiectis* ʒ ij. *ſacchari, fiant rotulæ ponderantes* ʒ ij. & quotidie tres pluresue rotulas capiebat, & fuit curata. Quamuis hæc ipſa cum annos ſeptuaginta attingeret, rurſus ex catarrho ſalſo incidit in venæ pulmonis roſionem; ita vt ſanguinem rubrum ac purum & ſpumoſum exſpueret, poſtea vero vna cum ſanguine etiam purulentam materiam, idq; longo tempore, vt tandem etiam tabe conſumpta, ex eodem malo ſæpius recurrente, vitam valde vetula finierit. Eodem modo Dauid Georgius longo tempore aſthmaticus, diu in ſella ſedens, ſputum cruentum extuſſiebat valde nigrum: multis tamen adhibitis remediis, & hic quoque ſenex tandem obiit. Cyprianus vero medicus, & collega meus, qui poſt obitum Cornelij Ericij in eius locum ſucceſſit, in ſputum ſanguinis ex eroſione venæ pulmonis incidit, & longo tempore laborabat, & aliquando floridum ſanguinem & copioſum ac ſpumoſum profundens, cum vſus eſſet multis ac variis remediis, aliquando vena videbatur conſolidata, & cicatricem contraxiſſe: poſtea rurſus ex tuſſi vehementiore particulam ſeu cruſtam cicatricis, cum in peluim expectoraret, denuo ſputum ſanguinis violentius ſubſequebatur, & deuorato ſubinde diacodio, & aliis medicamentis aptis paulo conſtitit ſanguinis ſputum: verum cum ſæpius malum rediret & exaſperaretur, materiam quoque purulentam longo tempore expellens, hic tandem tabe etiam conſumptus, nullis remediis ad tabem valentibus illi conferentibus, extremum diem clauſit.

Scholia.

7 QVi vero ex eroſione laborant, ſi quidem iam ſanguinem reiicere cœperint eroſa vena prorſus inſanabiles eſſe videntur. Et quanquam prior noſter æger curatus fuit, hoc Dei quoque beneficio factum exiſtimamus, cum ab omnibus fere, qui illum inuiſebant, pro deplorato haberetur: & quamquam mulier illa vetula bis per me curata fuerit, etiam ter, tamen in extrema ſenectute, cum malum ad pulmonem ſerperet, illa quoque, licet in extrema ſenectute, obiit. Et alij duo reliqui ex vena eroſa mortem quoque incurrerunt. Quod autem tales ſint inſanabiles, ratio dictat: cum ſanguis erodens & vitioſus ſit, ex prauis ſaniebus admiſtis. Eiuſmodi autem corpora breui & facile attemperari nequeunt, quoniam temperatio non fit, niſi vacuatione & renutritione. 9. *method.* Hæc autem longius tempus exigunt. Quare cum cauſa erodens cito tolli non poſſit, opus omne medici fruſtrabitur: plus enim proficiet ea exulcerando & erodendo, quam tu attemperando. Præterea cum catarrhus à bronchiis ad venas peruenire debeat, ſiquidem exulceret, & interim inter mediam pulmonis carnem, qua venæ circumdantur, exulceraſſe veriſimile eſt: ſed nec ipſum venæ corpus ſubito quaſi ictu quodam fecit, ſed ſenſim erodit, itaque vlcus eſſe purulentum neceſſe eſt, & inflammatum. Quare, vt impoſsibile fere erat talia ſanare, ita & vlcera ex eroſione non poterunt. Præterea reſarcire carnem oportet, eſt enim cauum vlcus: id autem breui fieri non poteſt. Si qui vero ſeniores ſunt, & ſicco corpore, hi in longius tempus perdurant, vt euenit huic vetulæ, & Danieli Georgio Meliſſæo. Et, vt apud Arabes legitur, vitam multo tempore protrahere poſſunt: & quidem multos vidimus, præter hanc vetulam, qui vſque in extremam ſenectutem vixerint. Ita ſoror M. Iacobi Muſei Dordraceni, cum ſputum ſanguinis ex vena pulmonis pateretur, ac quaſi pro mortua haberetur, nec vllis remediis reſtringi poſſet, ita vt frequenter ſyncopen incurreret, vt ex profuſione ſanguinis pro deplorata quaſi haberetur, cum fruſtra medicorum quorundam opem experta eſſet, me tandem vocauit, ac Dordracum acceſsi 4. Iulij die, ann. 1576. quam reperi vires plane habere exhauſtas: ideo ad reſtringendum ſanguinem hæc præſcripſi; *Recipe rad. ſymphyti conditi* ʒ j. *ſanguinis draconis, lapidis hæmatitis. an.* ϑ j. *boli armen. veri* ϑ ii ß. *terræ Lemniæ veræ* ϑ j. *pul. ſpecier. Haly contra phthiſin* ϑ ii ß. *diatrag.*

frig. in tabul. ℥iij. *conſer. roſ.* ℥i ß. *pulueriſanda pulueriſentur, vt alcohol. ſeu in tenuiſſimum pollinem, & radices piſtantur, ac omnia probe ſimul miſceantur cum ſyr. de portulaca, & ſyr. myrtil. q. f. & in eclegma coëant, ſumat cum ſpus. liquirit. ad libitum, modo ſumat particulam vnam rad. ſymphyti.* Atq; hic puluis paretur:

9 ℞. *boli arm. veri* ℈ ii ß. *lapidis hæmatitis* ℈ j. *terræ Lemniæ veræ.* ℈ ß. *coral. rub. gr.* vij. *fiat pul. ſubtiliſſimus ad modum alcohol. & diuidatur in tres partes, & vna pars exhibita fuit cum vino rubro vel ceruiſia.* quibus eo tempore vena fuit conſolidata, ita, vt ad tempus quaſi videretur curata, ac deinde domum reuerſus ſum. Verum poſt menſem vnum atq; alterum redibat ſputum ſanguinis : ſed iis remediis rurſus deficiebat ſputum, vt poſtea per ſemiannum deinde redierit, & tandem tabida & macilenta euaſit : conſuluimus tunc *vt ſubinde* ℥ j. *pul. Halycontra tabem cum laſte ſumeret* : modo cum ſyr. viol. vel iuiubino : & præcepimus, vt amygd. dulces recentes conditas, ſæpe comederet, & vt pro tuſſi ſubinde radices althææ ſaccharo incruſtatas ſumeret : atque ita cum multis deinde & commodis remediis vteremur, ad vitam ſolũ conſeruandam, adhuc tabida per tres annos ſuperuixit, & macie ac marcore tunc conſumpta obiit. Et ita plurimos vidimus ad extremam fere ſenectutem peruenisse, quanquam aliquos etiam iam conſiſtentes ætate periiſſe conſpexerimus. Quibuſcunque tandem partibus ex vaſe exeſo reiectio ſanguinis fiat, per renutritionem eroſorum curabimus, *Gal. auctore 7. de compoſ. med. ſecundum locos.* Renutriuntur autem corroſa (vt ipſe inquit) per cibos boni ſucci, & pharmaca carnem gignentia (ſarcotica à Græcis appellata) ea de re (vt teſtatur Alexander) non amplius medicamentis, aut cibis admodum aſtringentibus, aut acidis, ſed potius eis, qui contemperare & alterare humoris, qui eroſionem excitarit, acrimoniam poſſunt, vti oportet, niſi profuſior hæmorrhagia fuerit : nam tunc iis, quæ vehementiſſime aſtringunt, vtendum medicamentis eſt, quoad vehemens eius impetus frangatur, vt auctor eſt *Galenus quinto meth. med.* Quapropter ptiſana ægros alere conuenit, aut alica, ſeu reliquis cibis, quibus nihil adſit, aut ſalſum, aut acidum, imo nulla alia qualitas, ſed è contra, quæ magis implentem obturantémque ipſam reddere queant, ex mente Alexandri : velut eſt amylum frumentaceum. Ex oleribus competunt intybum, cichorium, buglоſſum, lactuca: procedente vero tempore, vbi vires infirmas habeant, citra ſalem offerre expedit carnes gallinarum, pullorum, caponum, perdicum, phaſianorum, ſturnorum, turdorum, ac reliquarum montanarum auium : interdum hœdorum, ſeu caſtratorum, vt ita dixerim, aut ſuillorum pedes cum ptiſana decoctos aſſumant, vt ſummatim dicam, cibis vtantur boni ſucci, vt antea etiam diximus, qui etiam humoris influentis acrimoniam obtundere, & craſſiorem reddere poſſint : potiſſimum vbi ex acri deſtillatione pulmonis ſeu thoracis eroſio fiat, ab acidis, ſalſis, potiſſimum veteri caſeo præſertim caprillo aut bubulo (vt Alexander inquit) commode vti poſſint, tanquam vtili exiſtente. Pro potu aqua vtantur decocta cum ſemine coriandrorum præparatorum, pauco cinnamomo, aut glycyrrhizæ radice : vino quoq; (vbi aſſueti fuerint) vti aquoſo, aut parum rubeo ſubſtringenti conuenit. Reliqua peragenda (quod ad deſtillationem acrem attinet corrodentem) vt dictum eſt ſcholio præcedente.

Cruenti ſputi ex vaſorum exeſione curatio.

10

11

OBSERVATIO XX.

De ſanguinis ſputo vehementiore & violento, cum copioſo pure.

APerus de Diick capitaneus, cum militiam diu ſequutus eſſet, & intemperanter vixiſſet (vt milites ſolent) & præter id quod multum vini ſæpe ingurgitaſſet, ſæpe ſcamno, nequaquã lecto incumbens, longo tempore ſic pernoctaſſet, vt in lecto poſtea vix dormire poſſet. Homo procerus & alioqui robuſtus, circa 42. annos natus, cum eſſe otio dediſſet, militiæ pertæſus, nunc œconomi quaſi officio functus (Galli *concierge* vocant) incidit ex tuſſi vehementiore (cum aliquandiu prius circa thoracem dolorem perſenſiſſet) in enormem exſpuitionem cruentam, adeo copioſam, vt totam peluim ſanguine impleuerit, cum pure admodum male olente, vt vix aliquis in cubiculo apud ipſum permanere poſſet, vt abſceſſus in pectore eſſe coniicerem, ad eum in nocte accitus; ita, vt quotidie fere peluim plenam cum ſanguine, & pure expectoraret. Cui ſtatim lotiuum medicamentum ex decocto hordei communis cum ſyr. ex infuſ. roſ. communi exhibui ad deterſionem puris : & iuſſi vt hanc ptiſanam pro potu biberet : *Recipe hordei mundati p. j. glycyrrh. raſæ* ℥ij. *uuar. paſſul. enucleat.* ℥ j. *fiat decoctio in aqua communi* ℔ j. *& parum ſaccharo candi dulcoretur, ſemel ebulliendo* : quo vtebatur pro ſiti : plurimum enim ſitiebat, & non ſine febre erat. Et quia valde tuſſi afficiebatur, ſæpe capiebat fruſtum vnum ex diatrag. frig. in rhombis ſeu rotulis concinnato, & ex eclegmate ſequenti, vt ſputum non ſolum cruentum & purulentum, ſed & pituitoſum ſubinde melius expectoraret : ℞. *ſyr. de liquir.* ℥i ß. *ſyr. capill. ven.* ℥ j. *loch ſani* ℥ ij. *ſyr. viol.* ℥ ß. *fiat eclegma, & ſumat cum bacillo liquir. ad libitum.* Cum autem aluum non probe deponeret, & hoc lenitiuum ebibit : ℞. *electuarij lenitiui* ℥ vj. *diacatholici* ℥ ij. *diſſolue cum* ℥ iij *aquæ vngulæ caballinæ, ſyrupi ex infuſ. roſ. capill. ven. an.* ℥ ß. *miſce.* & accepit in diluculo. Poſtea magis febricitauit ſub noctem, erátque febris ſatis continua : & quia robuſtus erat, tam ob ſanguinis ſputum, quam ob febrem, venam ſecuimus in brachio dextro ex baſilica vena, ſanguine vtcumque extracto, & videbatur paulo melius habere. Decocto ſequenti vtebatur : *Recipe hordei mundati* m. j. *vngulæ caballinæ* m. ij. *glycyrrh. raſæ* ℥ iij. *uuar. paſſul. enucleat.* ℥ ij. *uuar. corinth.* ℥ ß. *ficuum nu.* 5. *fiat decoctio in aqua communi pro* ℔ j. *col. adde ſyr. iuiubini. pap. viol. an.* ℥ j. *ad contemperandam acrimoniam, miſce.* Et ſemper bibebat ex ſua ptiſana loco potus. Et pro tuſſi vtebatur diatrag. frigido in tabulis, & poſt aliquot dies etiam hoc eclegmate : *Recipe ſyr. iuiubini.* ℥ ij. *ſyr. de liquir.* ℥ ij. *ſyr. capill. ven.* ℥ ß. *ſaccho penid.* ℥ iij. *diatrag. frig.* ℥ ij. *miſce, fiat linctus,* ſumat cum baculo liquirit. ad libitum : & quia dolebat in pectore, totum thoracem inunxit cum oleo amygdal. dulc. & longo tempore ſub noctem (ne ex acrimonia materiæ & ex pure fieret vlcus cauum, & ad pulmonem procederet) vtebatur amygdalato in hunc modum parato: ℞. *amygd. dulc. depilat.* ℥ ij. *ſem. quat. frig. maior. an.* ℥ ß. *cum aqua farf. fiat amygdalatum pro* ℔ j. *dulcoretur parum cum ſacch. perlato.* Quibus remediis cum videretur euaſiſſe, & melius habere, poſt menſem ſubito rurſus incidit in ſanguinis ſputum

4 ſputum copioſum floridum, ita vt ſuſpicio eſſet ex vena pulmonis corroſa cueniſſe, cum maximo impetu, vt totam peluim impleret. Quare coacti ſumus aſtringentibus vti, & dedimus bolum armenum verum bis aut ter ad ℥ j. cum vino Gallico rubro adſtringente, & vtebatur continuo decocto aſtringente in hunc modum: ℞. *rad. ſymphiti* ℥ j. *bellidis minoris, pulmonariæ, vngulæ caballinæ, portulacæ, plant. ſ. g. an.* m. j. *ſem. acetoſæ, portulacæ an.* ℥ j. *fiat decoctio in aqua communi, pro* ℔ j. *colaturæ adde ſyrupi de portulaca, myrtill. an.* ℥ i ß. *miſc.* continuo etiam ſumebat *ſyr. de portulaca* : & portulaca continuo in cibo ſuo vtebatur, etiam conditis ex conſer. roſ. veteri, rad. ſymphiti conditi, adiuncto bolo cum ſyr. de portulaca : & tandem ſputum ſanguinis ceſſauit : hac etiam confectione in tabulis frequenter vtebatur: ℞. *ſpecier. diatrag. frig.* ℈ ij. *boli armeni veri* ℈ j. *diſſolutis in aqua vngulæ caballinæ, adiecto ſacch. albiſſ.* ℥ i ß. *fiat confectio in tabulis.* Poſtea cum minus ſputum cruentum exiret, & tamen adhuc valde tuſſiret, ſubinde tenuo capiebat ſolum ex diatrag. frig. in tabulis, etiam ex hoc ſyr. longo bis terue reiterato : ℞. *vngulæ caball.* m. ij *caulium rub. pulmonariæ, veronicæ an.* m. j. *uuar. paſſu. enucleat.* ℥ j. *uuar. corinth.* ℥ ß. *fiat decoctio in aqua vngulæ cab. pro* ℔ j. *dulcoretur ſaccharo albiſſ. & iterum bulliat ad conſiſtentiam ſyrupi longi.* Poſtea rurſus parum ſanguinis cruenti reddebat, & ne rediret, ſemper ſub nocte vtebatur hoc hordeato: ℞. *hordei mundati* p. j. *amygd. dulc. depilat.* ℥ i ß. *ſem. quat. frigid. maior. mundat. an.* ℥ ß. *fiat hordeatum pro* ℥ x. *dulcoretur parum cum ſaccharo perlato* : ℞. *conſeruæ borag. roſ. an.* ℥ iij. *manus Chriſti cum perlis* ℥ ij ß. *ſyr. iuiubini, myrtini, ana* ℥ ij. *miſce.* ſumat ad libitum, etiam poſt aſſumptam confectionem in tabulis ex diatrag. frig. cum bolo (& quia adhuc ſanguinem expectorabat) cochlear vnum atque alterum ſubinde ſumebat ex decocto ſequenti: ℞. *rad. conſolidæ maioris* ℥ j. *pyrolæ, bugulæ, vngulæ caball. polygoni. an.* m. j. *liquiritiæ raſæ* ℥ ß. *fiat decoctio in cerniſ. communi pro* ℥ ix. Interea fuit idem decoctum reiteratum, & vtebatur omni die ter aut quater ℥ ß. *conſer. roſ. veteris*: & pectus inungebat ac locum dolentem oleo amygd. dulc. & myrteo: & ſæpiſſime ſumebat particulam vnam rad. conſolidæ maioris conditæ. Quibus intra duos menſes (morti deſtinatus & ab omnibus pro deplorato habitus) curatus fuit. Quanquam poſtea poſt aliquot dies cum foras exiiſſet & bene ſe habuiſſet, Dordracum profectus eſt ad celebrandas filij nuptias, & cum rediret, ac curru Yſelmondam perueniſſet, flumine traiecto, pedeſtri itinere Delphos venit, defatigatus, & iterum in ſanguinis ſputum cum magno impetu hæmorrhagiæ incidit : qui tamen, cum de eius vita alij ac ipſe deſperaret, iiſdem remediis ſupradictis conualuit. Et quia poſtea adhuc tuſſi afficiebatur, poſt eclegmata conuenientia, vt ſubinde lacte caprillo vteretur (ne in phthiſim incideret) conceſſi. Atque his probe curatus, etiam nunc ſane viuit, dum hæc rurſus recolligeremus anno 1590.

9

Scholia.

7 SEdandæ tuſſi, cui ſputum ſanguinis eſt admixtum, medici egregie commendant ſyr. myrtil, quo & nos in hoc ægro frequenter vſi ſumus. Valet etiam ſyrupus de portulaca in ſanguinis ſputo, & loch de portulaca, quo frequenter præceptor meus Elideus Bononiæ vtebatur, cum philonio perſico : nam (vt memini) idem Bononiæ ad puerum quendam vndecim annorum vocatus erat, qui ſputo cruento laborabat : cui (me & aliis ſtudioſis præſentibus) ex vena hepatis cum ſanguiſugis extraxit vncias tres ſanguinis; & poſtea eidem præſcripſit, vt ſæpius hoc electuario vteretur : ℞. *philonij perſici* ℥ j. *loch de portulaca* ℥ ß. *dedit etiam diatrag. frigidum cum bolo, quibus remediis idem ſanatus fuit. Matthæus Gradius dat* ℈ iiij. *philonij perſici vna vice.* Hiſpanus medicus inſignis Bononiæ dabat coralli rub. pul. ℥ j. *cum aqua arnogloſſi. Gisbertus Horſtius Præceptor meus Romæ in noſocomio Mariæ Conſolationis dabat* ℥ j. *vel* ℥ i ß. *lapid. hæmatitidis ſubtiliſſ. pul. cum ſucco granat. vel virgæ paſtoris. Benedictus Fauentinus Præceptor meus dabat ſtercoris muris pul.* ℈ ij. *cum aqua plantag.* Hæc mirabilem effectum habent conſolidandi venam ruptam, vel quando cum impetu ſanguis erumpit. Vbi autem ſimul vlcus vel abſceſſus adſunt, vt in hoc noſtro ægro præcedente prius erat, opus quoque abſterſione, & vt materia ex pectore educeretur : quod etiam exemplum ſequens docebit, cum etiam ex ſputo cruento materia viſcida adeſſe poſſit, vel etiam pus, quæ & expurgari & detergeri debent, atque poſtea rurſus cum impetu fluens aſtringi debebat.

8

OBSERVATIO XXI.

De mulere ſanguinem putridum, nigrum, & viſcidum ab eroſione venæ thoracis exſpuente.

MArgareta Anna Suskenia dicta, mulier annos triginta quatuor vix excedens, quæ Alcmariæ in platea Homilia vocata habitabat, Anno 1546. in fine Veris in pectoris quandam anguſtiam ac dolorem collapſa eſt : & tandem longo tempore ſanguinem putridum, nigrum aliquando & pituitæ admixtum expectorabat, quæ proculdubio ſymptomata originem habuere ex vena in pectore corroſa, prius etiam catarrho vtcumque falſo & corrodente prægreſſo, vt ab ipſa poſtmodum intellexit : verum cum ita miſere vitam traxiſſet ſine medico, tandem cum phthiſin metueret, me accerſiri iubet. Ad hanc cum intraſſem, & eandem reperiſſem ex hoc diuturno malo progreſſo, valde debilem eſſe, venam non ſecui, ſed leuiter omnium primo eam purgaui, cum caſſia extracta in bolo, & loco venæ ſectionis altero die ad materiæ catarrhalis diuerſionem cucurbitulis ſcapulis cum ſcarificatione applicari iuſſi, ſanguine mediocriter extracto. Præterea cum copioſa materia in pectus illapſa eſſet & valde tuſſiret, ſputum ſanguinis inhibere noluimus, neque eius impetum impedire, & ſubito reſtringere : ſed potius nobis viſum fuit vtile, iis vti, quæ ad expectorationem facerent, & cum ſanguis, quæ exſpuebatur in pelui reſeruatus, craſſus eſſet & niger, viſcidus quoque nonnihil cum pituita mixtus, non tantum opus erat mundificatione, verum etiam leui inciſione ob pituitam : inſuper & quadam leui lenitione, tum abſterſione, vt ſputum commodius exiret, & ſimul materia detergeretur, ne vlcus tantum ex ea oriri poſſet. Quare & hunc ſyrupum poſt ventris deiectionem ex caſſia propinaui: ℞. *ſyr. viol. iuiubini, an.* ℥ j. *ſyr. de liquiritia, de hyſſopo, ana* ℥ ß. *aquæ fœniculi, hyſſopi,*

hyſſopi, ſcabioſæ, ana ℥ ij. *miſc. pro* ij. *doſibus*: & quia ſatis ex bolo alnum depoſuerat, & aluus poſtea non ita dura reſiſteret, purgationem aliam non exhibui: ſed vt melius ſputa exirent & detergerentur, rurſus & hunc ſyrupum ebibit: *ſyr. de liquir.* ℥ ij. *mellis roſ. colati pro maiori abſterſione, ſyr. de hyſſop. ob pituitam tenaciorem, ana* ℥ ß. *aquæ fœniculi, borag. hyſſopi, ana* ℥ ij. *miſce. pro duabus vicibus.* Vtebatur quoque inunctione vnguenti pectoralis, noſtræ deſcriptionis. Erat autem in quotidiano vſu apud Adrianum Dodonæum pharmacopœum noſtrum, quod ita conficitur: *Recipe olei amygd. dul.* ℥ iiij. *butyri ſine ſale.* ℥ iij. *axungiæ gallinæ, olei chamæmill. viol. ana* ℥ ij. *axungiæ anatis, medullæ crurium vituli, vel bouis* ℥ j. *ceræ albæ.* ℥ i ß. hic cera alba magis conueniebat ob aliquam roborationem & aſtrictionem quam citrina, vt paulo poſt dicemus) *muccilag. ſeminis pſyllij, lini fœnugræci, althææ, an.* ℥ i ß. *gummi tragacanthi; arab. an.* ℥ ii ß. *conficiesic: gummi tragac. & arab. ponantur in ſ. q. aquæ viol. poſtea colentur per cribrum, & addantur vnguento poſt concuſſionem & permixtionem muccilaginum & vſui reſeruetur.* Valerius Cordus ſimili quodam vtitur, cuius hæc eſt deſcriptio: ℞. *muccilag. ſem. pſyllij, tragac. gummi arab. ſem. lini. fœnugr. ana* ℥ j. *adipis gallinæ, medullæ vituli, butyri recentis loti cum aqua viol. ana* ℥ i ß. *olei viol. olei amygd. dul. ana* ℥ j. *ceræ albæ q. ſ. fiat vnguentum:* mitigat dolores pectoris & tuſſim, digerit, maturat, facilitat ſputum & reſoluit pleuritidem. Loco autem vnguenti pectoralis, cum Delphis in vſu non ſit, vtimur commode vnguento reſumptiuo, quod apud eos ita conficitur: ℞. *axungiæ porcinæ recentis* ℥ ij. *axungiæ, gallinæ, anſeris, anatis, ana* ℥ j. *œſypi humid.* ℥ ij. *olei viol. chamæmill. anethini, ana* ℥ j. *ceræ albæ* ℥ iij. *gummi trag. ſem. cydon. muccil. ſem. lini, althææ, ana* ℥ iij. *ſem. fœnugræci,* ℥ ij. *gummi arab.* ℥ ij. *fiat vng. ſecundum artem.* At alij duo pharmacopœi ſeniores relinquebant gummi arab. & muccilag. cydon. quo & nos communiter vtebamur. In iſtis vnguentis relaxantibus, Rondeletius ponit ceram citrinam, vide plura apud eundem in ſua Officina. Sed in hac muliere potius alba addi debuit. Cæterum inuncto pectore poſtquam & ſubinde bolo cum diatrag. frig. vſa fuiſſet, ſanguinem minus exſcreabat: ſed ob materiam muccoſam quaſi purulentam, ideo & hoc eclegma continuo lambendum dedimus: ℞. *diatrag. frig. in tabul. ſaccharicandi ana* ℥ ß. *loch de pino* ʒ vj. *loch ſani.* ʒ ij. *ſyr. de liquir. q. ſ. fiat eclegma*; deinde continuo vtebatur tam pro abſterſione quam conſolidatione conſerv. roſ. duorum annorum: valet enim egregie, vti & ſaccharum roſ. quo ſolo mulierem tabidam Auicenna curauit. Quibus quidem remediis & hæc mulier, cum omnes eam tabe affectam & conſumptam iudicarent, etiam victus ratione probe obſeruata, quam deſcripſimus ſcholio præcedente, cum multorum admiratione curata fuit.

Scholia.

QVod ſi adhue non eſt factum vlcus tunc cum catarrhus deſcendit, poteſt hic prouidentia adhiberi, ſiſtendo catarrhum acrem, vt paulo ante diximus, vel eo modo, vt cap. de catarrho ſcriptum eſt. Quod ſi illa in principio fuiſſent peracta in hac muliere, non ita diu laboraſſet, & malum eo progreſſum non fuiſſet: quamuis nunc cum maiori periculo euaſerit. Nam & in catarrho & in eroſa vena corpus purgabimus educentibus excrementa acria, ſiue biliosa ſint, ſiue exuſta: vel ſerum putrefactum, & temperabimus ſanguinem, & in hoc purgatio ex ſero lactis iuuat: & potus poſtmodum lactis, & balnea & cætera, de quibus dictum eſt, quæ temperant acritudinem. Aliquando tamen nec in pectore, nec in pulmone eſt malum, ſed in aſpera arteria ſit vlcus ex catarrho, quod ſane inſanabile non eſt. Cur autem potius hac parte ſanetur, cauſa eſt, vt ſimiliter annotauit Iacchinus, primum quod medicamenta facile applicantur, tum extrinſecus vlcus ſiccantia, tum intrinſecus, ſenſim delapſa: & ſunt ea, quæ addiximus ad cruenta ſananda, tum emplaſtica, tum linctus, vt conſolidæ maioris radix, & portulaca, & terra lemnia: ſi ſordidum, extergente & ſiccante eſt opus. Secundo, quoniam pars natura ſicca eſt, ideo leuiter putredinem ſuſcipit. Situs quoque facit lubricus, vt non facile ibi figantur acres humores. Hinc Galenus recitat multos ſanatos libr. 5. method. med. ſed præcipue eos, qui ex febre peſtilenti in hoc inciderant mali, quod erant ſicca vlcera & ſcabici ſimilia, vnde exigua ope ſanabantur. Hæc autem eſt vlceris curatio. Quod vero talia eſſent vlcera, ex ſputo monſtrabatur, quo cruſtulæ educebantur. Maxime vero ad horum ſanationem facit, quod ſane euenit iis, qui ſunt corpore adhue vegeti, ſiccare oportet, & curare cura catarrhi acris & erodentis, cum ſiccantibus & temperantibus ſanguinem. Sed hos ſecuritatis gratia, ad Tabias & lactis vſum demittebat Galenus, vt loco citato ad longum videre poteris. Videtur autem collem talem deſcribere, qualis ille eſt apud Iacchinum in ſua patria, S. Iuliani dictus, apricus, non procul à mari, & herbis ſiccißimis conſitus, vnde lac idoneum. Dicit autem Galen. Tabias in imo maxime ſinu eſſe, qui inter Surrentum & Neapolim conſpicitur: magis tamen in latere, quod ad Surrentem pertinet. Reliqua vide apud Galenum loco citato. Sic enim Galenus omnes, qui primo die ſe illi curandos permiſerit, ſanauit: qui vero poſt duos aut tres, non omnes curauit: ſed aliquibus eorum inſanabile vlcus fuit. Quotquot autem phlegmone ſic occupauit, vt iam febricitarent, horum nullus eſt in totum perſanatus. Sed qui poſtea ſic per omnia præſidia rite tranſierunt, vi ſiccaretur vlcus, ij tantum ſaltem lucri fecerunt, vt illud nec vltra progrederetur, nec maius fieret, ſed ſiccatum, ac callo duratum, longiore vita frui hominem ſineret. Sed illi, qui vlcus in pulmone habebant, inſanabiles eidem videbantur.

OBSERVATIO XXII.

De ſanguinis ſputo per periodos recurrente.

VIr quidam annos quadraginta, vel paulo minus habens, bona conſtitutione, minime febricitans, conquerebatur, ſe iam ter ſanguinis ſputo vero inſtante laboraſſe, abſque tamen pectoris dolore, cum tuſſi exigua. Quem rogaui nunquid ſanguis è naribus fluere ſoleret, vel num aliquando hæmorrhoidum fluxione laboraſſet. Quod cum didiciſſem & ab eo intellexiſſem, cum nunc ſputo laboraret, quando me accedebat, illico ſanguinem extrahere iuſſi ex brachij vena interna, & bene habuit. Venit mihi tunc in mentem ſimilis caſus apud Amatum *cent. 2. curat. 13.* deſcriptus de Angelo de Prato ſingularis doctrinæ viro: qui hæmorrhoïdes ſolitus erat habere, & copioſum ſanguinem emittere: qui ſanguis per remedia adhibita ex toto cohibitus fuit. Vnde veris ſtatuto tempore ſanguinis reiectatio illi ſuperueniebat, cui poſt venam internam brachij ſectam, cum bene haberet, deinde imperaui, vt ſingulis ſequentibus annis antequam morbus ipſum inuaderet, venis hæmorrhoïdalibus dictis hirudines admoueret, ſanguinemque traherent quoad deciderent: qua ſane diuerſiua euacuatione, homo abſque ſanguinis ex pectore reiectione, ſanus & incolumis perſeuerabat. Idem quoque conſului, vt noſter æger faceret.

Scholia.

ERat hæc anaſtomoſis, quam euenire diximus, vbi fuſus ſanguis, & ita ruens in venas, & replens tandem minores, ora aperit, vel natura proritata, ſicut profluuia menſium euenire ſolent: quibus in mulieribus ceſſantibus, vt ait Hippocrates, mala euenire ſolent: ita & hæmorrhoïdibus conſtrictis his euenit, & ita hæc anaſtomoſis ſimili ratione contingit, quod nos pluries vidimus. Curatio eadem eſt, qua vtimur in ſanguinis profluuiis aliis. Primum igitur reuulſione valida vti licet, non adeo leui, vt in rupta. Sed ſi à multitudine fuſio facta ſit, vtemur ad remota valde. Fit autem reuulſio non modo, ne multus nimium vacuetur ſanguis, ſed & quia per regionem conuenientem non fertur: ideo tametſi vacuatione eſt opus, at ea tamen non facienda eſt via, ſed alia vtemur. Vtemur etiam aliis reuellentibus, quæ dicta ſunt. De hinc & apertioni medebimur, hoc autem fiet adſtringentibus tum ebibitis, tum foris appoſitis, & ſunt ea omnia, de quibus ſupra mentio facta eſt. Hic & diapedeſis curatur: poterit & æger ſimili modo purgari, vt de eroſione dictum eſt, interea ſanguis magis retinendus & glutinantibus & obſtruentibus, quam obtundentibus acrimoniam. Solet enim hoc fieri vel ob venæ raritatem, vt diximus, vel ob ſanguinis tenuitatem, & ob id laudantur alimenta, quæ emplaſticam vim habent, & obſtruentem, vt polenta cum lacte, & omnia, quæ ex lacte & farina parantur.

OBSERVATIO XXIII.

De ſanguinis ſputo ex ore & gingiuis profluente.

SAnguinem ex ore & gingiuis ſimpliciex ſpuitione diximus poſſe expelli, quod & ſenſus diiudicat, cuius exemplum poſuimus *obſ. 17. lib. 14.* Ita etiam mulier maniaca, quæ Delphis in aggere nouo habitabat, anno 1565. cum epulidas nigras tumidaſque ac plumbeas haberet, ex ore, gingiuis & palato ſanguis continuo emanabat. Chirurgus carcinomate affici, & noli me tangere, affirmabat. At nos hæc infraſcripta cum adhibuiſſemus remedia, mulier maniaca & melancholica curata fuit: *Recipe, flor. borag. ſummitatum lupul. cochlear. bekabungæ, naſturtij aquatici fumariæ, an. m. j. ſem. aniſi* ʒ i ß. *rad. fœni. petroſ. cichorij, an.* ℥ j. *glycyrr. raſæ* ℥ ß. *folior. ſenæ* ℥ j. *epithymi.* ℥ ß. *polypod. querc.* ʒ vj. *vuar. paſſul. enucleat.* ℥ ß. *coquantur in aqua communi pro* ℔ j. *ſient infuſa per noctem, & colat. adde ſyr. de epithymo* ℥ ij. *ſyr. de fumoterræ.* ℥ j. *miſce pro* iij. *doſibus matutinis*, quibus quotidie ad minus ſexies valde melancholica & copioſa excrementa deiecit: *Recipe, plantaginis, equiſeti, biſtortæ, bekabungæ, ana* m. j. *flor. roſ. rub. cochleariæ, aua* m. ß. *coquantur in aqua ſervata pro* ℔ i ß. *aluminis*, ʒ iii ß. *ſemel ebulliant & iterum colentur, addendo mellis roſ. colati* ℥ ii ß. *ſyr. ſceletybici noſtri* ℥ j. *miſce.* quo gingiuæ fortiter abluantur, vt ſanguis corruptus egregie defluat. Demum hoc linimento gingiuis ſanguifluis inunctis non amplius ſanguis effluxit: *Recipe, Succi bekabungæ* (alij cæpæam vocant) ℥ ij. *ſucci cochleariæ* (alij telephium eſſe putant) ℥ j. *ſucci fumariæ* ℥ ß. *balauſt. roſ. rub. exſiccatorum & pulueriſatorum, an.* ʒ ß. *pul. ſalniæ ſiccæ* ϑ j. *aluminis ℔ſti* ϑ ij. *mellis q. ſ. fiat linimentum.*

Scholia.

QVanquam hæc ad Scutbuttum malum pertinet, de quo ſuo loco dicemus, ſi idem malum fiat abſque ſcurbutto, exiguum eſt: nam vbi ex gingiuis ſanguis exit vel ſpuitio cruenta ſequatur, portulacam manducaſſe (Celſo auctore) ſatis eſt, vel os ad gingiuas colluemus cum ſtipticis acetbis & gingiuas roborantibus, vt decocto plantag. roſ. gallar. portul. balauſt. ex gargariſmis, vel ex iis linimenta parata adhibebimus. Si ex ore ſanguis fluat, proderit continuiſſe eo merum vinum, ſi id parum proficit, acetum, quo & lingua ſecta, ſi ſanguinem nimium profundat, iuuat, adiecta aqua. Celſus, ſi impetuoſe ab ore profluat, cucurbitulam occipitio admouet: ſi id mulieri euenit, inciſis inguinibus admouenda. Conueniunt & collutiones ex aſtringentibus cum vino rubro. Alij ſanguinem etiam mittunt ex vena humerali, alioqui in talo in mulieribus ſi menſtrua non ferantur. Si verò ex locis circa fauces aut gurgulionem ſanguis feratur aut per palatum, gargariſare iiſdem oportet, & aſtringentia fronti & capiti admouere, & ea quæ ex naribus ſanguinem fundentibus accommodantur, *Paulo teſte.* Et ſi ſanguis ex gutture fluat, ſæpe ad rem fecit ſola portulaca manducata', proſunt & gargariſmata conſtringentia, de quibus ſatis dictum eſt, cum de malis gutturis loqueremur, cum & de ſanguiſuga gutturi inhærente diximus. Si à capite ſanguis feratur, multuſque ſit, qui defertur, euacuatione opus erit, ex Aëtij ſententia, vel per nares vel vena ſecta, deriuando ad propinqua, aut ad longinquas partes diuertendo: frontem quoque acacia & tempora illinemus; & cucurbitam occipitio, ex Cælij Aureliani ſententia, apponemus. Et licet nihil periculi adferat, ſi tamen vires deiicit, cephalica incidenda, & gargariſmis aſtringentibus vtendum, & cibis ſtipticis & vino rubro. Si autem defluat à capite ad pulmonem, curabimus, vt prius dictum eſt de ſpuitione cruenta ob deſtillationem.

OBSERVATIO XXIV.

De vomitu ſanguinis.

SAnguinem è iecinore aut liene quandoque per ventriculum vomitione reiici, teſtatur Galenus lib. 5. cap. 5. A quocunque autem viſcere, ſiue à quacunque parte in ventriculum influat, ſemper cum moleſtia, violentia, magna virium

proſtratione, ac λειποθυμίας euacuatur: frequenter enim in ipſa vomitione, ægri deficiunt, veluti Guilhelmo Iohanni Prætori Alcmariano, auunculo vxoris meæ, contigit, qui cum vina calidiſima in ſecundis nuptiis filij ſui largius bibiſſet Anno 1574. ipſo D. Auguſtini Feſto ſubito ſublatus eſt, cum ingenti impetu ſanguinis, neſcio quot heminas infra & ſupra deieciſſet. Nos autem cum Oudtgero Medico ſeniore Amſtelrodamenſi ad eum ingreſsi, venam cauam ex multitudine vini acris ruptam eſſe exiſtimauimus, cum tantum ſanguinis profudiſſet, vt & integram ſitulam repleuiſſet. Facile quoque deficiunt ægri, præſertim ſi ex iecinore efferatur: veluti etiam accidit cuidam M. Guilhelmo Braſſerio Theologiæ Licentiato Delphenſi, cui ſanguis ab hepate ad ventriculum deferebatur, & ex eo demum vomitu expellebatur. Huic enim dextrum hypochondrium dolebat, & tumor aderat, ſanguinemque modo grumoſum, modo purum euomebat. Hic bis à me curatus fuit, cum plus quam tres heminas ſanguinis tam ſupra quam infra deieciſſet. Hic autem vino admodum calido & potenti delectabatur, cui valde indulgebat, quamuis per me admonitus, vt ab eiuſmodi vinis abſtineret. Cæterum his admonitionibus poſtpoſitis, apud amicos cum largius iis vteretur, tandem in idem malum cum tertia vice prolapſus eſſet, & per ſuperna ac inferna ſanguinem adeo copioſe profudiſſet (non aliter quam bos iugulatus ſanguinem effundit) & cum magno impetu indefinenter euomuiſſet, mox è vita ſublatus eſt.

Ioannes Bekellus Delphenſis vino repletus cum ex menſa ſaltaſſet, incidit in vomitum ſanguinis enormem, vt pluſquam ſex vel plures heminas ſanguinis euomeret, adeo vt pro mortuo haberetur: fuit hic tamen per me curatus, quanquam poſtea ex nimio illo ſanguinis vomitu, cumque ſanguinem copioſe ſimul per anum excreuiſſet cum magno impetu, hepar debilitatum fuit, neque bonam victus rationem obſeruans poſt vnum atque alterum menſem cepit venter intumeſcere, neque tunc mea opera, nec aptis remediis vtens, tandem ad hydropem deuenit, & Medicum quendam Paracelſicum ad ſe vocauit, qui ei ſanitatem pollicebatur, variis & multis præſidiis vtens, iiſque vehementiſſimis, in dies in peius vergebat, & venter quotidie in maximam molem increuit, vt iam aſcite confirmata laboraret, viribus paulatim abſumptis, tandem poſt ſex menſes alium Medicum adhibuit: cum nec ille aliquid proficeret, me tunc in conſilium vocarunt: etiam alio Chirurgo præſente, qui vna cum Medico altero paracenteſin proponebant, qua & ſalutem ægro promittebant, quam ego tamen admittere nolui, certis rationibus adductus, cum vires iam proſtratæ eſſent, & cum ſanguis prius copioſe & ſine menſura effuſus eſſet, vnde poſtea aſcites, & nunc vires deiectæ, vt æger ex lecto ſe mouere non poſſet, quin animo deficeret, validis medicamentis prægreſſis: & ideo nequaquam paracenteſin fieri debere, nec tantam tyrannidem ſufferre poſſe dixi; & ſi fieret in homine in partibus ſuperioribus iam macie conſumpto, facie nigra, temporibus collapſis, quod intra 24. horas mortem ſubiret. Itaque cum paracēteſin, nequaquam admittere vellem, me reliquerunt. Interea tamen abſtinent ad tempus à paracenteſi: quam poſtea apud ægrum vrgentes perfecerūt; ſed cum vtriuſque ignominia, adeo, vt cum aqua profuſa altero die æger exſpirauerit, ita, vt prædictionem meam veram fuiſſe, proh dolor: parentes ſerius experti fuerunt. Qui vero à vomitione ſanguinis in aſcitem prolabuntur, ex eadem pereunt. Ab hac autem neminem, etiamſi ſanguis ex liene fundatur, Dodonæus quoque ſeruatum nouit: cum idem referat mulierem quandam poſt frequentes vomitiones in aſcitem incidiſſe, quæ licet ſanitati reſtituta videbatur, & ab aquoſo humore liberata; paulò tamen poſt, denuo ſanguinis vomitione ſuperueniente, extincta eſt. Ita & alius quidam vir ex frequenti vomitu ſanguinis aſciticus factus fuerat: per prominentem vmbilicum laneo filo ſiue licio tranſmiſſo; aquoſus humor ſenſim affluxerat, ſed nihilominus non multo poſt mortuus eſt. Quibus verò ex liene ſanguis funditur, raro in prima vomitione deficiunt, ſed vel recurrente ſubinde ſæpius vomitione, pereunt, veluti cuidam accidit, cum tertia vice, vomitione ſanguinis ex liene vtcumque copioſa, laboraſſet, & hic quoque obiit. Qui cum vino Hiſpanico libenter vteretur, admonui illum, vt ab eo abſtineret, alioqui eum, cum bis atque ter à vomitione curatus eſſet, ea redeunte, moriturum: quemadmodum eidem, non obtemperanti noſtris monitis, contigit. Verum Andreas Monachus in Abbatia Egmondenſi, Anno 1550. menſe Auguſto, iuuenis annos viginti tres natus, in vomitum enormem ſanguinis cum incidiſſet, plus quam tres integras matulas ſanguine puriſsimo repletas vomuit. Quod equidem multi mecum & famulus Pharmacopœi Alcmarianus viderunt. Cum aluum non redderet, ad diuerſionem glãde indita aluum depoſuit: & quum debilis eſſet, ſanguinis vomitione violenta exiſtente, ita vt nulla ſanguinis detrahendi (quod nonnulli præcipiunt) occaſio relicta eſſet, diuerſiones, veluti brachiorum ac crurum frictiones, adhibuimus, & vnice laborauimus, vt vires conſeruarentur & lapſæ repararentur: nam tales (vt iam diximus) creberrime in ipſa vomitione, & citiſsime deficiunt. Et hunc ſyrupum ebibit: ℞. *ſyr. ex roſ. ſiccis: de end. an.* ℥ j. *ſyr. de cichor. cum rhabar.* (ne in grumum ſanguis conuerteretur) *ſyr. de portulaca, an.* ℥ ß. *aquar. end. potul. plantag. an.* ℥ ij. *miſc. pro* ij. *doſib.* Cum autem plurimum ſitiret, *capiebat ex ſyrup. de ribes, & rob. de ribes, & ſyr. viol.* Poſtea verò, cum & ſanguinem concretum euomeret, & plurimum augeretur noluimus ſubito ſanguinem aſtringere: ideo aquam decoct. hordei communis dedimus cum ſyrup. ex infuſ. roſ. communi pro abſterſorio medicamento. Sed paucis horis interiectis, cum iterum copioſe ſanguinem euomeret, hanc potionem ebibit: ℞. *Syrup. ex roſ. ſiccis, ſyr. cydon. an.* ℥ j. *mellis roſ. colati* ℥ ß. *aquar. plantag. ſcabioſæ, vngulæ caball. an.* ℥ ij. *miſce pro* ij. *doſibus.* & pro paulatina reſtrictione ex hoc condito vtebatur: ℞. *conſerv. roſ. antiquæ* ℥ j. *conſer. bugloſſ. capill. vener. an.* ℥ ß. *pul. ſpecier. trionſ.* ℥ ß. *trochiſc. de carabe* ℥ j. *cum ſyr. myrteo, ex roſ. ſiccis. q. ſ. pro condito.* Quibus cum ſanguis nondum reſtringeretur, & rurſus integram matulam euomeret, & animo fere deficeret, quaſi iam moriturus, vltima inunctione munitus, vt hinc emigraturus, attamen hanc potionem infraſcriptam dedit: ℞. *mumiæ* ℥ j. *ſuccі equiſeti* ℥ j. *aquæ plantag. equiſeti, an.* ℥ i ß. totum frigide cum ebibiſſet, ſanguis reſtrictus eſt, neque amplius vomuit: ventriculo quoque exterius inuncto cum oleo myrteo & cydon. aluo deinde ad quatuor dies adſtricta remanente. Et cum debilis eſſet, neque ex lecto moueri poſſet, medicamentum aluum mouens aut leniens per os dare minime auſus fui, ne vomitus ſanguinolentus denuo rediret, quare iniecto clyſtere, ter quaterque aluum depoſuit, in hunc modum parato: ℞. *iuris galli decrepiti,* ℔ j. *caſſiæ mundatæ* ℥ j. *olei amygdal. dulc. viol. an.* ℥ i ß. *ſalis* ℥ j. *miſce pro clyſtere*: quo ter quaterue excrementa prius dura, mox mollia depoſuit, cum maxima alleuiatione, virtute roborata, vomitu non amplius ſubſequente. Cæterum cum parum tuſſiret, & minus dormiret, ne iterum in vomitum incideret, eclegma ſequens ad libitum ſumpſit: ℞. *Syrup. myrtini* ℥ i ß. (ſedat tuſsim & vomitum compeſcit) *ſyr. pap. ſyr. iuiubini. an.* ℥ ß. *muccag. cydon. extractæ cum aqua vngulæ caball.* ℥ ij. *ſyr. viol. de liquir. ana* ℥ iij. *diatrag. frigid. in tabul. ſacch. penid. an.* ℥ ii ß. *probe mixtis: fiat loch.* Interea in ore ſubinde tenebat modo ſacch. candum, modo diatrag. frig. in tabulis, eaque paulatim deglutiebat. Pro ſomno inducendo tempora illinebat oleo pap. mandrag. granis tribus opij adiectis: & eclegma ſequens ſub noctem ſumpſit: ℞. *Succi flor. nenuph. albi depurati, ſyr. pap. an.* ℥ i ß. *miſce.* Quibus remediis tuſsis ceſſauit: neque vomitus rediit, fuitque miraculi inſtar curatus. Quamuis poſt duos annos paneratice viuens, vt mihi poſtea relatum eſt, ex catarrho acri ad tabem tandem deuenit, & cum fruſtra à Gallo Medico (nam ad eum illo tempore non accitus fui) ſanaretur, phthiſi obiit.

At vxor Iacobi Schot mercatoris Delphenſis, cum febre ſatis continua laboraret, & dolorem in hypochondrio dextro ſentiret, ſanguinem tandem euomuit, modo concretum, modo magis purum, & per inferiora ſanguinem quoque deiiciebat, mulier valde obeſa. Ad hanc vna cum Buſennio doctiſſimo collega meo menſe Decembr. Anno 1584. accitus, cum ſatis robuſta eſſet, illico venam in brachio dextro ad diuerſionem, & etiam ad febrem ſecari vna iuſſimus, mediocriter ſanguine extracto, & ſatis contulit. Hypochondrio dextro ceratum admonuimus ex vnguento ſantalino, cui pauxillum olei chamæmill. roſ. & anethini: ob dolorem, admixtum eſſet; pauca cera alba, & exigua reſina adiecta, vt melius adhæreret. Et cum poſtea ex ſanguinis reiectione valde debilis eſſet, ſumebat ex his tabulis bis in die ℥ i ß. vel ter. ℞. *ſpecir. diarod. abb.* ℈ iß. *ſpec. trionſ.* ℈ j. *ſpec. diamargar. frig.* ℈ ß. *diſſol. in aqua boragin. & portul. adiecta ſacch. albiſſ.* ℥ i ß. fiat confectio in tabulis. Poſtea & hypochondrio dextro ſolum ceratum ſantalinum apponebatur: & hoc condito (redeunte ſubinde vomitu, & cum per inferiora ſanguinem exeerneret) vtebatur: ℞. *Conſerv. roſ. antiquæ* ℥ j. *diacydon. ſine ſpecieb.* ℥ iij. *ſpecierum trionſant.* ℈ ij. *ſpodij* ℈ j. *marg. ſubtiliſſime tritarum* ℥ ß. *ſyrup. cydon. q. ſ. fiat conditum*: vtebatur pullo cocto portulaca adiecta, & nodulo ex rhu obſoniorum iniecto: iis potiſſimum ſumebat, vel eiuſdem colaticium. Cum circa ſtomachum etiam doleret, hanc mixturam capiebat, quæ & hepati conueniebat: ℞. *conſeruæ abſinthij Romani* ℥ j. *conſer. folior. a cetoſæ* ℥ ß. *ſpecier. diarod. abb. ſpeciер. trionſ. an.* ℈ j. *fiat mixtura.* Similiter & hãc poſteacapiebat: ℞. *conſer. fol. acetoſæ, conſ. abſinthij Rom. an.* ℥ ß. *conſer. bor. roſ. an.* ℥ ij. *ſpec. diar. abb. avom. roſ. ſine muſco. ſpecier. trionſ. an.* ℈ ß. *fiat mixtura.* Et febris eam relinquebat: & vomitus ceſſijt, tamen ſubinde tunc ſumebat ex ſyrupo mẽthaceo, & quia hæc valde obeſa eſſet, ne in hydropem incideret, ad hepatis roborationem & eiuſdem deobſtructionem fotu quoque vſi ſumus, in hunc modum parato: ℞. *menthæ, flor. roſ. rub. an. m. j. abſinthij Romani p. j. ſem. myrtill.* ℥ j. *coquantur in aqua communi & vino rub. pro* ℔ j. *poſt colaturam addendo acet. roſ.* ℥ ij. *miſce.* ſumebat & ad roborationem ventriculi ſyr. menthaceum & byzantinum, duo cochlearia bis in die. Et cum poſtea adhuc dolore ventriculi afficeretur, & toto ventre, cum lubricâ aluum haberet, ad roborationem vẽtriculi: ℞. *vnguenti ſtomach.* ℥ ß. *oleicydon. roſ. an.* ℥ ij. poſtea & huic linimento guttas 3. olei Caryoph & olei cort. limonis, ad meliorem odorem odorem adiecimus. Cum circiter menſem decubuiſſet, cum multorum admiratione ſanitati fuit. reſtituta Ob debilem ſtomachum ceratum vltimo ex ſola maſtice vtriuſque noſtrũ conſilio ventriculo impoſitum fuit.

Scholia.

12 *Vomitus ſanguinis ab hepate.*

BRaſſetio ac Ioanni Bokello, ac mulieri vomitus ſanguinis, & per inferiora eiuſdem deiectio, procul dubio ab ipſo hepate originem habuere: nam in dextra parte (vbi hepar ſitum eſt) aderat dolor & tumor, cum & ſanguis ipſe grumoſus ſubinde exiſteret, atque in ventrem, ſeu ventriculum deferretur, cum etiã copioſe & cum impetu expelleretur: ſanguis n. ſi è ſtomacho educatur, præterquam quod vomitione excernitur, non magna eſt ſanguinis eruptio: graciles etenim ſunt ſtomachi venæ, vt inquit Aëtius: & cum naſea quoque ſanguis effertur, ac in deglutiendo mordacitas percipitur, maxime ſi aſtringentia aut acria deglutiantur, vt antea dictum eſt, & ſanguis quoque aliquando cum cibo, modò etiã cum pituita aut bile permiſtus, effertur. Hoc modo Theod. Foreſtus frater meus (cuius mentionem quoque fecimus in lib. Obſ. de febrib.) ſanguinem cum cibo & pituita, ſed in exigua quantitate euomebat, hic & melancholia hypochondriaca multis annis laborans, à me curatus fuit. 13 Alius ſanguinem ex liene, in vẽtriculum delatum euomebat, grumoſum & magis nigrum, qualis à ſplene in ventrem fertur. Scribit Dodonæus, ſe multos cognouiſſe ſanguinem vomitione ex liene reiicientes: qui pallentes fuere, & in quibus ſæpenumero ſiniſtro hypochondrio tumidus ſplen manifeſte (vt in illo qui ſanguinem copioſe ex liene euomebat) ſentiebatur, ſed ante vomitionem: nam ex vomitione, exonerato iam ſplene, ſubſederat tumor, nec deprehendi poterat. Plerique horum tertia aut quarta vomitione, vel etiam frequentiore (multis inter ſingulas menſibus, vt plurimum intermedijs) petierunt: ſic & æger ille, de quo in obſ. præcedente dictum eſt, poſt tertiam vomitionem, alij poſt crebras vomitiones in aſcitem lapſi, tandem & mortui ſunt. Refert a. idem Dodonæus vnum aut alterum ſuo conſilio poſt vnicam vomitionem ſeruatum, & quidem frequenti abſinthij quoquo modo vſu, vt in ſuis Stirpium hiſtoriis cap. de abſinthio ſcripſit. 14 Verum Boxellus noſter ex copioſo vomitu ſanguinis aſciticus factus, neque paracenteſis vllo modo profuit, cum ſtatim poſt eandem peractam obierit: ita neque in viro illo, de quo meminit Dodonæus, qui à frequenti vomitu ſanguinis aſcitem incurrerat, per prominentem vmbilicum laneo filo tranſmiſſo, licet aquoſus humor ſenſim effluxiſſet, quicquam profluit, cum &

Ex ſtomacho

Ex liene.

poſtea mortuus fuerit: illius enim lien ſanguini concreto ſimilis, ſubſtantiæ ſoliditatem haud retinens, facile in partes ſolutebatur: quandoque ſiquidem, cum venter amplius diſtendi nequit, vmbilicus foras irrumpit, & in tumorem attollitur, aquoſo diſtentus ac repletus humore, quod ὑδρόμφαλος Græci ὑδρόμφαλον appellant: & tunc quidem per hunc laneo filo tranſmiſſo, vel etiam eodem ſcapello aperto, humor effluit, nullo ſubſequente fructu alio, quam quod æger à diſtentatione ventris pauco tempore liberetur. Prius enim quam vmbilicus erumpat, iam interna viſcera corrupta ac putrida ſunt; proinde ſanitas nec expectari, nec ſperari poteſt, multo minus in noſtro Boxello paracenteſis auxilio eſſe potuit, non ſolum hepate corrupto, ſed viribus ad extremum collapſis: 15 quare etiam ſtatim ab effuſione aquæ intra 24. horas: vti prædixeramus, obiit. Nam vt Hipp. prorhet. lib. 2. Eum, qui ab hydrope, ſiue aqua inter cutem correptus eſt, & ſuperſtes eſſe valet, bonis viſceribus præditum eſſe oportet. Præterea vt omnes Medici ſentiunt, in talib. (multo minus in iis qui vires proſtratas habent) vtilis eſſe poteſt paracenteſis: imo adeo periculoſa eſt, vt mox mortem inferat, vt huic noſtro ægro contigit, vti prius prædixeramus; ex quo prognoſtico nos honorem habuimus, alij vero infamiam. Quia ſanguinem ex iecinore reiiciunt, raro euadunt, & ij multo minus, qui vino largiore, eoque potenti vtuntur; vt iam exemplis conſtat; à ſplene quoque raro liberantur. Ita & Hadrianus Schoonhoueus Delphenſis hypodidaſcalus: cum ſanguinem grumoſum & nigrum per internalla euomuiſſet, poſtea in tabem incidit, à qua euadere non potuit: quem & collega meus Cornelius Heydius curabat. Quicunque ſanguinem copioſe vomunt, etiam tuſſiendo, & largiore vini potu, raro curantur. Sic miles quidam, iuuenis annos natus 29. cum integras noctes dieſque more militum vino calidiore ſeſe impleuiſſet, & frequenti coitu ſupra modum ſe fatigaſſet, vena in pectore ei rupta eſt, adeo vt tuſſi integram conchiam ſeu peluim tonſoriam ſanguine quem vomebat, repleuerit: & ſimul in febrem continuam inciderit ac delirium: ita vt nulla remedia quantumvis apta adhibita iuuare potuerint: vnde non din poſt mors ſubſequuta eſt, delirio eidem 16 ad finem adhærente. Cæterum, quod ad curationem attinet, venæ ſectionem ad diuerſionem in exigua quantitate, vel etiam repetiram valere diximus; his quidem vena incidenda eſt (modo vires ferant, vt in muliere fecimus) in cubito ſtatim baſilica dicta, ſi ex hepate in ventrem deferatur. Si à ſplene, incidenda erit vena, quæ inter parnum & annularem digitum in ſiniſtra manu eſt: ſic namque probe & proprie auxiliaberis. Hepati vero quidam etiam ventoſam ſiccam imponunt ad ſanguinis retractionem: ſed in corpore plethorico non facile adhibenda; & præſtat vincula partibus extremis iniicere. Primo ad inferiora, poſtea ad ſuperiora, deinde ad ſtyptica & 17 adſtringentia veniendum, de quibus ſatis dictum eſt, & prout vas magnum ruptum eſt, eo magis adſtrictoriis vtendum: etiam topica adſtringentia membris ipſis adhibenda, tamen cum cautione, non ante diuerſionem. Si ex ſtomacho ſanguis feratur: venæ ſectio quoque ad diuerſionem iuuare poteſt, tum alia iam ſæpius dicta. Interea conſiderandum, numquid ſanguis in grumum concreſcat, & peſſima accidentia inferat. Etenim non ſolum in ventriculo, ſed etiam in pectoris cauo vel pulmone ſi conglobetur, ſtatim pericu- loſa ſymptomata apparent; extrema frigore cor- ripiuntur, venarum pulſus intercipiuntur, anhelitus creber fit, anima exitialiter deficit, mirumque quod humorum naturæ familiariſſimus tam ſubito effuſus ſpeciem veneni gerat, tunc illico diſſoluendus erit ſanguis in grumum congelatus, iiſdem remediis, quæ ſcholio obſ. 15. huius libri recenſuimus.

OBSERVATIO XXV.

De menſtrua purgatione vomitu proiecta.

MOnacha iuuencula 25. annum agens apud D. Vrſulam Delphis, certis menſium temporibus, vomitu menſtruum ſanguinem per ſuperiora reiiciebat. Ad eam cum accitus eſſem, vitib. deiectis erat, circa lumbos valde dolebat, ac pecten intumuit, adeo vt vrina in totum fuerit ſuppreſſa: aderat & dolor intentiſſimus in renes iniſtro, ita vt aſtantes de futuro abſceſſu metuerent. Cum a. per plures dies aluum non deieciſſet, & ſanguinem euomuiſſet, ad diuerſionem & etiam deriuationem ex rene, clyſterem iniicere iubeo. *Recipe iuris pulli decocti, cui pruna, vuæ paſſæ. & feminis aniſi exiguum incocta erant,* ℔ j. *caſſiæ mundatæ pro clyſteribus* ℥ j. *olei oliuarum, amyg. dul. chamæmill. an.* ℥ j. *ſalis communis* ʒ j. *ſalis gemmæ* ʒ ß. *vitellum vnius oui, miſce pro clyſteri.* Quo aluus non ſolum ſoluta eſt, ſed facta diuerſione vomitus pro eo tempore ceſſauit, & menſes ex vtero more ſolito fluxere: atque hoc vnico remedio præter ſpem conualuit. Interea; cum antea ſingulis menſibus vomitio hæc ſanguinolenta redire ſoleret, ne fieret recidiua, conſului: vt nouilunio inſtante, antequam vomitio contingeret, venam in talo, ſeu ſaphenam dictam incidere iuberet, ſanguine vtcumque extracto. Verum nelcio qua ignauia illud ipſum fit prætermiſſum: ita vt poſt menſem idem vitium recurreret, adeo vt non ſolum ſanguinem menſtruum euomeret, verum etiam cibum nullum continere poſſet, & quod peius fuit, vrina in totum fuit rurſus ſuppreſſa, ac aluus adeo reſtricta, vt per octo dies nihil exereuerit. Eo autem tempore eram vocatus ad ægrum leydis decumbentem, atque hæc ipſa aliarum monacharum perſuaſione, vt opinor, medicum Empiricum & tonſorem ad ſe vocauit: is diaphœnicon per os exhibet, ſed cum aluus eo medicamento non ſolueretur; ſororculæ pharmacopœum accedunt, qui & clyſterem prius à me deſcriptum iniicit, ſed eundem per ſuperiora & os reiecit. Tranſactis deinde duobus diebus me reuerſum accerſiri iubent: cumque adillam ingreſſus eſſem, & intellexiſſem vndecimum diē prægreſſū, quo aluū non depoſuerat, ſtatim balano indito eam fruſtra irritabam; quare decundo enemate iniiciendo admonui. Hic mater Monacharum ab empirico edocta clyſterem admittere noluit, nam ſi eo vteretur, eam morituram prædixerat. Cui reſpondi: niſi illud fiat, vere morietur, cum iam 12. dies eſſent quod aluum non depoſuiſſet, neque vlla medicamenta per os, neque cibum retinere poſſet. Quare fingebam me diſceſſurum, cum apta remedia adhibere non poſſem. Quibus dictis, mater cœnobij admiſit, & enema ſequens iniectum eſt. *Recipe decoct. ſuprafcripta,* in qua bullierint parietariæ, foliorum

foliorum maluæ, florum chamæmill. meliloti. an. m. j. ℔ j. *Caſſiæ mundatæ pro clyſterib.* ℥ j. ß. *zacchar. rubr.* ℥. ß. *olei chamæmill. amyg. dul. an.* ℥ j. *olei anethini oliuarum an.* ℥ ß. *ſalis gemmæ* ʒ j. *ſalis communis* ʒ. ß. *vitellum vnius oui, miſce pro enemate.* Quo probe aluum depoſuit, primo ſtercore duro reiecto, mox excrementis mollioribus ſubſequentibus: & rurſus ceſſauit vomitus, ac aperti ſunt menſes, & egregie cum noſtro honore conualuit: & ex noſtro conſilio, periodo menſium inſtante, vena tali cum ſecta fuiſſet, poſtea nunquam hoc fœdo malo laborauit. Et nunc cum libertas religionis acceſſiſſet, viro nupta multas proles peperit, & adhuc ſuperſtes eſt, & bene valet, dum hæc recolligerem, anno 1591.

Scholia.

4 Vtilitas de- monſtratur de muliere vo- mente ſan- guinem pro menſibus.

CVm hanc Monacham curarem, in mentem mihi venit hiſtoria illa Beniuenij de muliere menſes vomitione rejiciente, quam lib. De abditis morborum cauſis cap. 41. in hunc modum recenſet: Vrgebatur mulier acerbiſſimo capitis dolore, propterea quod menſes non prouenirent; verum his demum vomitione propulſis, illico ſublatus eſt dolor. Sed cum id iterum iterumque ac ſæpius factitaſſet, abhorrens tandem mulier ab huiuſcemodi vitio, auxilium noſtrum expoſcit, qui ſola ſanguinis miſſione ex venula, quæ ſub talo eſt, & menſtrua ipſa ex naturali loco rite profluere coëgimus, & quod ſequens eſt, mulierem ipſam priſtinæ ſanitati reſtituimus. Memorat & Dodonæus de quadam virgine in hunc modum. Ab vtero autem ſuppreſſis menſibus raro item ſanguinis vomitio ſuperuenit. Virgini vero cuidam mihi obſeruatum, quæ in ipſa vomitione grauiter laborauit: poſtea vero idoneis adhibitis remediis, & ſanguine ex interiore vena prope talum detracto, cum menſtrua purgatio ſucceſſiſſet, bene ſe habuit, quod apho. 34. *ſect. 5. Hipp.* docet. Mulieri ſanguinem euomenti, menſtruis erumpentibus ſolutio. Idem affirmat Ioan. Langius epiſt. 40. lib. 1. Interea mulieres & virgines, quibus ſuppreſſi menſes, minus à ſanguinis vomitione periclitantur, quam viri, quibus à iecore aut liene effertur; neque enim viſcera harum corrupta ſunt, vt exemplis ſuperioribus demonſtrauimus, & ſuperueniens menſtrua purgatio, ab omni periculo eas vindicat. Attamen vbicunque viderimus mulierem ſputo ſanguinis laborare, non tamen ſtatim inferemus (vt nuper quidam Empiricus faciebat) ab vtero eſſerri, quemadmodum contigit Alcmariæ muliei cuidam, quæ puerpera exiſtens, poſt tres ſeptimanas à partu dolore ingenti in pectore afficiebatur circa latus ſiniſtrum, & ſputum cruentum per tres quatuorue ſeptimanas valida tuſſi ejiciebat. Medicus qui eam prius tractabat, ex vtero venire dicebat; quamuis ille, cum ea à partu bene purgata eſſet, originem morbi non intellexerit. Vnde cum ſemper in peius vergeret, vt eo tempore agerem in Schaga oppido apud Dominum de Schagen ex hydrope decumbentem, me reuerſum vocarunt, aderat huic & febris lenta: & cum mulier antea valde craſſa & obeſa, nunc ob dolorem gracilis euaſiſſet, & in partu bene purgata, cum ſanguis nigrior eſſet, conieci ex pectoris vena rupta eueniſſe, cum & ſecreto mihi relatum erat, tandem cecidiſſe, & percuſſionem à viro paſſam, quod ob honorem ſubticuerat. Cum autem dolor lateris ingens eſſet: & valde debilis eſſet puerpera, & ſanguinis detractionem abhorreret, & iam tempus mali etiam progreſſum eſſet à venæ ſectione abſtinuimus: ſed fotu ſequente vſi ſumus. *Recipe florum meliloti, flor. chamæmill. an. p. j. ſem. maluæ, lini ana* ʒ j. ß. *ſemin. anethi, fœnugr. an.* ʒ ß. *coquantur in aqua communi, & fiat fotus*: & deinde inungebatur locus dolens infraſcripto linimento *Recipe vnguenti noſtri pectoral.* ℥ j. *olei amyg. dul. chamæmill. ana* ℥. ß. *miſc. quo dolor ſedatus eſt.* Et deinde optime dormiuit, quod ante plures dies nocteſque minime poterat, & cruentum ſputum minui cœpit, & melius expectorabat, & reſpiratio facta eſt liberior, dedimus etiam ſtatim ℥ j. *caſſiæ in bolo, etiam exhibuimus mumiæ ſpermatis ceti, an.* ϑ j. *rubiæ tinct.* ϑ. ß. *cum ceruiſia*, & poſt duos dies ceſſauit ſputum cruentum, quamuis cum poſt vnum atque alterum diem rurſus rediret, cum ſputo pituiſo admixto, decoxit flores chamæmill., & nepitam in cerui ſia communi, in qua nodulus rubiæ tinctorum, & *mumiæ ana* ϑ iß. *pendebat*, quam bibebat bis in die: quibus egregie curata fuit: paucis poſtea ſumptis expectorantibus, ob pituitam paulo viſcidam, quam in fine expectorabat. Et ita cum tribus fere ſeptimanis ab alio medico perperam curaretur, intra pauciſſimos dies à me ſanata eſt. Tota itaque curatione cruentæ ſpuitionis abſoluta, nunc ad huis finitimos affectus accedamus, qui etiam per modum reſudationis ſanguinis ſputi, & cruentam ſpuitionem terminantur: vt eſt pleuritis, & peripneumonia, de quibus deinceps agemus.

OBSERVATIO XXVI.

De pleuritide.

COrnelius nauium confector, vt fortis & robuſtus, annos natus fere 36. mali regiminis, qui & ſubinde potabat, menſe Aprili, cum paulo intentius naues reparaſſet anno 1546. in pleuritidem lapſus eſt; ad quem 4. die priùs accitus fui: coſtas ſuperiores multum dolebat, dolore quidem pungente & acuto, cum quo multum tuſſiebat, & ſputum ſanguineum emittebat, continuo vero febricitabat, & vt paucis referam, omnia patiebatur, quæ in graui comperiuntur pleuritide. Quæ cum animaduertiſſem, cum eodem die aluum ex ſe depoſuiſſet, illico venam baſilicam eiuſdem lateris, vbi dolor erat, ſecare feci, ſanguiniſque vncias octo extrahere, in homine ſanguineo, qui procul dubio putridus, & omni corruptione affectus erat, ac ex phlegmone defluxerat, à qua ſanguinis miſſione dolor non nihil euanuit, qui tamen ſub noctem ex parte redibat: ſed fotu ſequenti plurimum mitigatus eſt, loco affecto ſimul inuncto *℔. flor. chamæmill. meliloti, maluæ, an. m. j. ſem. fœnugr.* ℥. ß. *fiat decoct. in aqua communi, pro* ℔ j. *pro fotu, cum ſpongiis expreſſis*, vt artis eſt. *Recipe olei amyg. dulc. chamæmill. ping. gallinæ, butyri recentis. an,* ℥. ß. *ceræ citrinæ modicum fiat vng.* Vnde & dolor ita ſedatus eſt, vt ſi tuſſiret, minime, vt antea, dolorem perſentiret. Interea vtebamur lambitiuo in hunc modum parato. *Recipe ſyr. iuiubini. viol. an.* ℥ j. *ſyr. deliquir.* ℥. ß. *diatrag. frig. in tab.* ℥ iij. *miſc. fiat eclegma.* Die ſequenti eum purgauimus cum ℥ j. *diacatholici, ſeri lactis* ℥ iij. quo quinquies aluum depoſuit: & cepit melius habere, & facilius exſpuere, *lambitiuo ex ſyr. iuiub. & glyrr. adiecto zacch. penid. vtens.* & ita paucis dieb. hic ſanus euaſit. Pro potu ptiſanam confectam ex hord. mund. paſſulis & glycyrrh. capiebat.

Scholia.

Scholia.

3 NVllus eſt morbus adeo decantatus, vt pleuritis. Etenim Hippocrates lib. de acutorum victu, fere huic vni dicauit priores, quando eo vtitur pro exemplo in inſtituendo libro primo; & rurſus libro ſecundo priuatim curationem exponit ordine. Quod factum etiam Iacchinus putat, eo quod frequentiſſime euenit, multamque inuehit difficultatem ſymptomatum. Argenterius medicorum conſultationem deſcribens, pro exemplo pleuritidem ponit: in quo totam conſultandi rationem comprehendit: nobis ſatis erit pauca hic adferre, cum & Galenus in libro de conſtitutione artis, inter omnes morbos pleuritidem pro exemplo ſumit: in quo demonſtrat, quonam pacto morbi & pars affecta cognoſci & curari poſſint: quod ideo factum exiſtimo, tum quod frequentiſſimus ſit & inſignis hic affectus, tum quod multas differentias, cauſas & ſymptomata obtinet; præbendique rationem difficilem oſtendit; & denique plurima poſtulat præſidia. Nomen vero quamuis à coſtis deductum: quaſi coſtalem morbum dicamus. Latini tamen à ſitu partis dolentis, lateralem morbum vocarunt. Vt fere ſi nomen, quod per ſe nullum priuatim affectum ſignificat, ſed communem, inſtitutione poſt modum fit, vt particularem quendam morbum ſignificet, quemadmodum phrenitis à phrenib. & nephritis à renibus, ita & pleuritidis nomen à latere ſumptum, quoniam eſt in membrana ſuccingente coſtas, & quia paſſio eſt in ea parte, propterea pleuritis à loco appellatur, & vt rem breuiter explicemus, nihil aliud eſt quam inflammatio eiuſdem ſuccingentis coſtas membranæ, *vt apud Galen. 5. de loc. affectis & 4. de cauſis pul.* videre licet. idem & 2. de criſibus & ſexcentis aliis in locis teſtatur Galenus: quem etiam ſectati ſunt Paulus & Actius in propriis capitibus, ad quem lectorem relegamus. Conſtat igitur in exquiſita pleuritide membranam, quæ coſtis ſubtenditur, affectam eſſe. Inſuper cum notas habeat cum phlegmone, erit morbus magnitudine, intemperie, ac ſoluta continuitate: ea ratione ex neceſſitate ſymptomata habebit, tumorem præter naturam, ruborem ac dolorem: quorum duo, tumor, videlicet & rubor, nunc ſub ſermonem non cadunt: relinquitur ergo dolor ſolus, qui ad coſtas firmatur pungenſque ſit. Cuius notas etiam nullo narrante, methodo ex natura affectus, & partis affectæ accepta, facile accipere eſt. Primum enim membrana neceſſitate quadam dolorem 5 punctorium ſentit, & hic dolor membranarum à materia in vno loco collecta, diſtenditur ad partes vicinas ob membranas, modo ad iugulum pertingens, modo ad infernas coſtas, quæ hypochondria attingunt. Et ita primum ſignum ſumitur à doloris ſpecie: nam dolor affectum ſignificat, ſpecies ſedem. Rurſus aliud ſignum ab accidentibus ſumitur, ſpiratione ſcilicet: nam ea membrana quod annexa ſit ſpiritalibus organis, ea quoque organa neceſſario vna afficit. Fit autem ſpiratio parua, quod æger cohibet pro dolore multum pectus eleuare, atque ideo fit frequens; nam frequentia minimum percipit dolorem, multum vero: ſiue multum eleuet pectus, ſeu velociter eleuet. Superuenit & neceſſario febris ob affectus naturam: nam phlegmone (vt recte etiam annotauit Iacchinus) conſiſtens in vicina cordis parte: præſertim ad aliquam magnitudinem aucta febrem faciet acutam & vehementem, pulſus quoque ac febrem ſunt velociores, frequentiores & maiores, & ob partis naturam quæ neruoſa eſt, duriores, & ſpecies pulſus eſt, quæ veluti ſerrat tactum. Tenſio enim arteriis communicatur, vnde ſpecies ea duritiei fit, quæ tenſiua dicitur, non quod vaſa ipſa induruerint. De pulſu tamen 5. *de loc. affect. cap. 3.* ait Gal. pulſus paruos facere, & ratio dictat. Hæc ergo eſt contradictio. Aperte n. de conſtit. art. dicit pulſant μεῖζον ἢ σφόδρα. lib. de cauſ. pul. ob tenſionem: inquit, minor eſt, quam febri conueniat. Igitur ſic ſolues. Sed maior eſt, quam ſibi ſano conueniret, non ſic reſpiratio, quoniam voluntaria eſt, & ab animante prohibetur. Tuſſis quoque ſeiungi ab affectu non poteſt, quod aliquid neceſſario per membranam affluat ab initio: & ita pulmonem afficiat, vnde ad tuſſim proritetur: ſed non ſemper exſcreant: ideo quia dura membrana eſt, vnde parum affluit, vel quia materia praua eſt, & contumax ſolutu: vnde fit, vt proritare quidem poſſit, ſed nihil ſenſibile educere: & tuſſis hæc ſicca dicitur. Hæc itaque ſunt propria & inſeparabilia ſigna, quoniam ex natura rei conſequentia ſunt. Cæterum quamuis tuſſis ab affectu ipſo ſeparari non poſſit: ſcreatio tamen poſt tuſſim inſeparabilis quidem minime eſt, ſed magna ex parte ſit. Verum ſi exſcreet, colorabitur ſputum neceſſario, licet non ſemper eodem colore inficiatur, ſed pro diuerſa natura excrementi in inflammata parte contenti, diuerſus exſcreationis adſit color, vt in cauſarum dignotione dicemus. Nam cum in inflamata parte multa ſimul ac tenuis fuerit humiditas, & ipſa pars rara: plurimum ex ea foras effluit; cum vero contra fluxus paueus craſſuſque, & ſpiſſum corpus fuerit, minime ad tuſſim irritat, & nihil ſpuunt, veluti & cum prouenit copioſiſſimus, tuſſiunt plurimum: nec pauca exſpuunt, vt patet eodem lib. de conſtit. art. At cur modo dolor ad clauiculam perueniat, & interdum ad hypochondria, inter aſſidentia morbi lateralis ſigna refertur: fieri enim poterit admodum parua inflammatio ad medium coſtarum, vt neutram ad partem efferatur: quandoque vero magna, in qua ad vtramque perueniet, tum propter læſæ particulæ naturam, tum inflammationem, quæ dolorem efficit extenſiuum vt prius dictum eſt: neceſſario tamen vnum quodpiam ex prædictis conſequetur, vt vel ſurſum ad clauiculam, vel inferne ad hypochondrium dolor erumpat. Ad idem quoque genus aſſidentium pertinet, quod æger facilius in latus patiens, quam in alterum decumbat: nam euenit interdum quod minus dolore afficiatur, ſi in non affectum latus decumbat: interdum vero, ſi in vtrumque decumbat, ſimiliter dolor excitatur: licet vnum ipſorum neceſſario pleuriticos comitetur, *vt eodem lib. de conſtit. art. med. Galenus fatetur.* Nam cum duplex ſit ſuccingens membrana, vt etiam à Donato citatur: ſi pars eius exterior circa oſſa valentius phlegmone infeſtetur, facilius in oppoſitum declinant ægri: opprimuntur enim ſi ſuper affecta cubant parte. Quod ſi pars altera; quæ intus eſt (id quod magna ex parte fieri conſueuit) affecta eſt, in oppoſitum magis decumbentes dolebunt; ſuſpenſa enim eſt ipſis pars phlegmone vitiata, ſi in latus affectum minus, non enim ad oſſa comprimitur, nec pendet, ſed ab horum vtroque libera euaſit, ac ſuper in offenſa parte altera firmata eſt. At affectis ambabus ſuccingentis coſtas membranæ partibus ſuper latere vtroque ſimiliter decumbunt. Non ab re igitur inter aſſidentia ſigna hæc à Galeno connumerantur, quorum natura eſt, non eſſe à morbo inſeparabilia

De nomine pleuritidis 4

Pars affecta

Affectus.

inſeparabilia, ſed aliquando ſimul inuadunt, aliquando ſuperueniunt, nonnunquam autem neque omnino veniunt, vt patet Comment. *aphor. lib. 12. & lib. 1. de conſtit. art. med.* quoniam ex his ſunt, quæ ſæpe morbis accidunt, *vt idem Gal. inquit 3. de morb. vulg.* Ex his iiſdem omnibus (vt Altimarus refert ex Galeni mente) magnitudo Prædicti morbi lateralis deſumitur, magnitudo videlicet, ſeu paruitas in ſpecie ſua potiſſimum: nam ſi ingens fuerit dolor, iſque punctorius, valde, maxima anhelitus difficultas, valida febris, ac ingens quoque tuſſis, aſcenderitque ſimul dolor ad iugulum, ac ad hypochondrium pertineat, decumbantque laborantes ſuper vtroque latere difficulter, nihilque cum tuſſi exſpuant; maximam fore inflammationem indicant: ſic, ſi exigua prædicta fuerint, dolor videlicet febris, anhelitus difficultas, ac tuſſis, cum qua aliquid exſpuant coloratum: ac prompte ſtatim, ad neutramque partem dolor efferatur, ac non ægre ſub vtroque latere decumbant, exiguam fore pleuritidem, manifeſtabunt: nam ſpecies quidem morbi ex propriis accidentibus dignoſcitur, magnitudo vero ex eorumdem quantitate, Galeno teſte 3. de criſi. Hæc omnia exemplis clariora euadent.

OBSERVATIO XXVII.

De pleuritide ſatis exquiſita.

1 VIr ille qui cupas conficiebat, annos 32. natus potui deditus, pleuritide ſatis exquiſita detinebatur; difficulter n. ſpirabat, tuſſis aderat, & febris continua, dolor vehemens, in latere dextro vehementer pungens, ad clauiculam aſcendens, pulſus durus, & ſerræ modo aſper. Ad quem tertio prius die accitus: cum aluum non deponeret, libentes hunc clyſterem iniecimus. ℞. *maluæ viol. mercurial. parietariæ, an. m. j. hordei mundati, p. ſ. prun. damaſc. nu. ix fiat decoctio, & huius accipe* ℔ j. *adde caſſiæ, zuccari rub. an.* ℥ j. *olei viol.* ℥ iiij. *ſalis parum. fiat clyſter.* Verum cum eum admittere nollet, balano aluum irritauimus: & ſtatim eodem die ex vena iecoraria in brachio eiuſdem lateris dolentis ſanguinem extrahere fecimus ad vncias ſeptem, & quia incipiebat exſpuere ſputum rubrum & cruentum (quod quidem indicium erat ſanguinem exuberare) & quia dolor poſt ſanguinis detractionem adhuc vrgeret, licet parum mitigatus, hunc fotum præſcripſi. ℞. *foliorum. maluar. cum radic. biſmaluæ, flor. chamæmill. meliloti, viol. an. m. j. ſem. lini* ℥ ß. *fiat decoct. in aqua communi pro* ℔ j. ß. & decoctum calens in veſicam impoſitum lateri dolenti admoueatur ſemel atque iterum, deinde inungatur vnguento infraſcripto. ℞. *olei amyg. dulc. viol. chamæmill. an.* ℥ ß. *pingued. gallinæ, caponis, an.* ℥ iij. *ceræ modicum, fiat vnguentum*: atque hoc modo dolor ſedari cœpit. Interea ad ſputi facilem exſcreationem hunc ſyrupum bibebat, & eclegmate ſequenti vtebatur. ℞. *ſyr. viol. iuiubini, de liquiritia, an.* ℥ j. *aquar. ſcabioſæ, bug. an.* ℥ iij. *miſc. proij. doſib.* ℞. *zuccari penid. diatrag. frig. in tabul. an.* ℥ ß. *ſyr. viol. iuiubini, de liquiritia, an.* ℥ j. *miſce pro eclegmate.* Ad materiæ coctionem vtebatur apozemate *ex decoct. hord. mund. vuar. paſſul. glycyrrh. ad* ℥ ix. *adiectis ſyrup. viol. capill. ven. iuiubini, an.* ℥ j ß. *miſce.* Quinto die purgationem exhibuimus: nam ſolutiuum pharmacum hoc in affectu minime conuenit, niſi vbi materia fluxit, quod die quarto plerumque factum eſt, quoniam ſolutiuum pharmacum humores mouet: ideo damus in principio lenientia, & etiam in quarto vel quinto: nos vero ſequens dedimus, alij in ſeptimo idem faciunt. ℞. *diacatholici* ℥ vj. *caſſiæ recens ex cannis tractæ* ℥ ß. *diſſolue in iiij decoct. pect. ſyr. capill. ven.* ℥ j. *miſce.* qua quinquies plurima excreuit, & deinde melius habere cœpit. Interea ad maiorem ſputi quoque & facilem exſcreationem, plus de ſyrupo liquir. admiſcuimus, & fuit curatus per expectorationem, ſputo paulatim magis albido & concocto euadente.

Scholia.

EXquiſitæ pleuritidis cauſæ *Gal. teſte de conſtit. artis med. 2. de criſ. ac 2. de loc. affect. & 2. de diff. feb. ac pleriſque aliis in locis.*) affluens ſanguis eſt, aut optimus, mediocremque craſſitudinem habens, aut biliоſus, aut pituitoſus, aut melancholicus, quamuis ſæpenumero magis biliоſus ſit. Quum enim phlegmonem eſſe dicemus, neceſſario (*vt etiam Iacchinus annotauit*) niſi vox tranſmutatur, cauſam eſſe ſanguinem dicemus, id eſt, materiam in qua ſanguis dominatur, quamuis modo ſincerior ſit, modo admixtus magis alteri humori, neceſſario tamen calido & biliоſo, vt Galenus ſcribit: differentiæ eius à pulmone, quoniam cauſſi humores nequeunt membranam efficere. Quod ſi dicas, *Gal. 5. de loc. affect. 2. de conſt. art.* meminit pleuritidis pituitoſæ, & melancholicæ: ergo non eſt verum, quod ſemper à ſanguine puro, vel biliоſo fiat. Reſpondetur, vt ipſe ait in lib. *de conſtit. artis medicæ.* Cum materia illa, nempe vel pituitoſa, vel melancholica, in muſculos & venas vicinas infarcta eſt, tum ex putredine quam ibi acquirit, tum ex dolore, quam excitat, accerſet fluxionem ſanguinis, vnde afficitur membrana: non quod ab initio inflammatio ex eo humore dominante foret. Et hoc innuitur etiam 6. aph. 33. vbi ait Gal. Non valde pleuritide capiuntur pituitoſi acidum eructantes, quoniam non eſt nata extendi his membrana. Sed poſſumus dicere, muſculos & venas vicinas illum humorem continere, vnde erit phlegmone illa diuerſa in ſuis partibus, vt biliоſior in membrana, in alia parte poterit pituita, vel atra conſiſtere. Gelenus tamen videtur hic fateri poſſe à quatuor humoribus fieri, id eſt, ex eorum mixtione dum naturam ſeruent phlegmones, id eſt, ſanguis ſuperabundet. Neoterici vero in tres cauſas diſtingunt: & ſic pleuritidis primitiuæ cauſæ eſſe poſſunt, caſus, percuſſio pectoris, atque denudare poſt laborem in aere frigido, venti Septentrionales, aquæ frigidæ, potus & ſimilia. Cauſæ antecedentes, vt humorum influxus, vel eorum ſuperabundantia, vel retenſio ſuperfluitatum conſuetarum exire. Cauſæ vero coniunctæ ſæpius erunt ſanguis & bilis, inflammationem actu producentes, raro pituita, rariſſime melancholia, quia quod denſius, raro ad hæc membra penetrat. Gignitur vero hic morbus, vt omnes aliæ fluxiones corporis, vel ex interna cauſa, cum natura refertas habet venas, & de parte in partem tranfluunt. Fluxionibus vero gignendis occaſio eſt, tum externus calor fundens, tum frigidus exprimens; vnde & vere fiunt maxime à calore, Autumno vero exeunte à frigore: vtroque vero tempore ſcatet corpus. Vere quidem mulſitudine bonorum aceruata per hyemem, Autumno vero prauis aceruatis per æſtatem. *Sic 4. de victu*, meminit in angina facta. Plura ſi de cauſis pleuritidis cognoſcere

Exquiſitæ pleuritidis cauſæ. 3

4

gnoſcere velis, lege Benedictum Fauentinum præceptorem meum capite proprio.

OBSERVATIO XXVIII.

De iuuene poſt exercitium ex aquæ frigidæ potu in pleuritidem incidente.

1 IVuenis annos circiter viginti natus, apud Pithueros in Gallia, cum ibidem praxim exercerem, in ſphæriſterio reticulo ludendo cum impenſe ſeſe exercitaſſet, & ſupra modum concalfactus eſſet, in grauem pleuritidem incidit. Hic cum bilioſus eſſet, & macilentus, & ſputum poſtea vergeret ad flauedinem, cum in principio ad eum acciti eſſemus, ſecta vena media, quæ magis apparebat in brachio eiuſdem lateris, ſanguine vtcumque extracto, qui & putridus & poſtea bilioſus erat, clyſtere emolliente prius iniecto; deinde vena inciſa dolor plurimum mitigatus eſt. Locum affectum interea inungi iuſſimus, cum vng. reſum. & oleo amyg. dul. & ad materiæ præparationem exhibuimus decoctum *viol. hordei mundati, vngulæ caballinæ, capill. Ven. vuæ. paſſul. ab axillis repurgatarum & glycyrr. additis ſyr. iuiub. viol. & capil. Ven.* Et quia ſputum ſubflauum erat, ad eiuſdem exſcreationem primum exhibuimus hoc lambitiuum. *℞. diatr. ſantal. citr. zacch. penid. an. ℥ ß. ſyr. iuiubini, viol. an. ℥ i ß. poſtea addendo ſyr. cap. Ven.* materia parata poſt ſextum diem hanc purgationem exhibuimus. *℞. caſſiæ recens extractæ ʒ vj. elect. de ſucco roſ. ʒ ij. ſyr. viol. infuſ. roſ. an. ℥ ß. cum ℥ iij. decoct.* ſupraſcriptæ fiat potio: qua quinquies aluum depoſuit. Et quum quotidie magis magiſque expectoraret, poſtea etiam concocta & alba; & quia hic cito ſputum apparebat, hæc pleuritis concocta materia, quæ paulatim per ſputum educebatur, intra decimum quartum diem finiit. Voluntu. pleuritidem quatuor vel quinque modis terminari; vel enim reſoluitur humor, vel per ſputum educitur; alioqui ſuppuratur aut induratur, aut in alias partes transfertur, vt poſtea exemplis quoque docebimus. Alij quintum modum addunt, quod vel putrefiat vel corrumpatur.

Scholia.

2 CVm iam paulo ante breuius demonſtratum ſit, quomodo pleuritis dignoſcatur, ſcilicet legitima, de mendoſa & ſpuria poſtea dicemus. Nunc vero & illud addendum, quomodo eius cauſæ diſtinguantur: huius diſtinctio præcipua eſt ex colore, cum exſpuunt, eodem Gal. auctore, cum color naturam humoris ſignificet. Sed & antea conijcere ex victu eſt, & ambientis ſtatu, & modo doloris, & febris vehementia. Ita hanc bilioſam eſſe pleuritidem cognouimus ex dolore admodum pungente, ſed non perinde diſtendente, pulſu duro, crebro, & febre vehementiore, tertianam imitante, ex creberrima reſpiratione, ex ſputo & vrina ad flauedinem tendente, cum & tales facilè delirent quoque ſubinde, vt in aliis multis obſeruauimus. Ad hæc habitus corporis, ætas, victus præcedens bilioſus, iuuantes lædenteſque cauſæ & ſimilitudines idem oſtendent. Ita quoque ſi à ſanguine fiat, dolor erit vehemẽs, diſtendens, febris ſimplicior, vehemens tamen, & quæ nullas acceſſiones habeat, ſputum vero rubrum, & vrinæ rubræ, citaque maturatio & expurgatio, ruber in corpore color, & venæ tumidæ, habitus corporis bene cõſtitutus, carnoſus, ſanguineus, victuſque præcedens delicatus, valde corpus augens, quique ſanguinem plurimũ procreandi vim habuit, tempus vernum, regio humidior ac calidior, ætas iunior, atque homo ſuccipleuus, cui conſuetæ euacuationes retentę, vt ſunt ſanguinis narium fluxus, hæmorrhoides aut menſes ſuppreſſi. Nec non iuuantes, lædenteſq; cauſæ & ſimilitudines idem docebunt. Si ex pituitoſo ſanguine, ſputum ſpumans & candidum erit: rarius tamen contingit, ſi contingat, pituitoſam pleuritidem ſequitur remiſſior & humidior febris, quæ quotidie exacuitur, color non admodum pungens, ſed potius cum quadam grauitate hominem vrgens, pulſus molliores tardioreſque ſputum ſpumoſum, vt diximus, candidum ac viſcidum, & quod non admodum tarde procedit, & nonnunquam ſopor & reliqua huiuſmodi ſymptomata, quæ indicia ſunt pituitæ redundantis. At hæ cauſæ, quæ pituitam gignunt, iuuant, aut lædunt, & ſimilitudines præbebunt ſua indicia. At melancholica omnium rariſſime euenit: melancholicam vero teſtantur, febris remiſſa, ſed maligna, & accidentia praua & magna, vigilia ac animi corporiſque malæ actiones. Exſpuunt & hi parum & difficile, illudque vel nigrum vel liueſcens, dabunt & in hac pleuritide ſuas notas, cauſæ & ſimilitudines, vt in aliis. Sed hoc poſtea aliis exemplis clariora euadent. Quoniam vero quidam ſunt affectus phrenitidi admodum ſimiles, vt qui multis ſignis illi communicant, hinc fit vt notis quibuſdam diſtingui oporteat. Sunt enim dolores pectoris multis modis, 6. *Aph.* Dolores pectoris quantum differant, perdiſcendum: hoc enim tum ad curationem, tum ad prægnitionem facit. Primum ergo accidit, vt muſculos exteriores dolor occupet, ipſis inflammatis, vnde & ſpiratio ſimiliter frequens fit & parua, & febris adeſt, ſed diſtinguuntur tuſſi, & febris magnitudine (hic enim leuior eſt) & pulſu, qui hic durus non ſentitur. Sæpe vero dolor ad extima & tangenti, & præmenti dolet, & demum ſuppuratio ad extima præparatur, & inciditur, vel reſoluitur. Eſt & alius affectus, vbi catarrhus cum febre multus eſt, & flatuoſi ſæpe dolores circa latera fiunt, & tuſſis adeſt. Hi igitur pleuritides non ſunt, & concocto catarrho ceſſant. Diſtinguuntur ſpũti natura, quæ prorſus pituitoſa eſt: diſtinguuntur & febris magnitudine: nam non eſt acuta, vt pleuriticis: quamuis hi pericliten-tur, ne in veram incidant pleuritim. Modum vero Galen. poſuit *in lib. de conſt. artis medend.* quod ex dolore ſæpe ad affectas partes materia trahitur, & proceſſu fit phlegmone. Hic tamen lectorem admonere oportet: quod ſi non aderit inflammatio, ſed flatus incluſus in membrana, vel muſculis intrinſecis, videbitur, quod ſit pleuritis: ſicut contigit D. Marco Antonio Genuæ, qui laborauit citra latus dextrum dolore quodam: quem, cum tractaret Montanus doctiſſimus medicus, cumque conſideraſſet ex ignis, an vera pleuritis eſſet, animaduertens, quod neque pulſus, neque febris, neque difficultas anhelitus, neque tuſſis ita adeſſent, qualia ſolent apparere in vera pleuritide, ſed valde remiſſa & quod febris per interualla rediret, dolore augeſcente, illis quidem ſignis agnouit, non eſſe veram pleuritidem. Propterea eidem perpetuo vinum exhibuit, quia ſolus erat in curatione, & rexit eum, ſicut reguntur illi, qui flatu affliguntur; & febris potius erat ephemera ratione doloris: quia illa remittebatur, & euaneſcebat ad remiſſionem & euaneſcentiam doloris. Ideo diligenter ſigna ſunt inueſtiganda, neq; ſtatim pleuritidem adeſſe indica-

indicabimus, vt vulgus facit, vbi modo latus dolere videat: neque etiam dolorem omnem ad ventoſitatem referemus, vti vulgus iudicat, nobiſque proponemus aliam quoque hiſtoriam Gradi de medico pleuritico, qui ſuo & aliorum iudicio putabat dolorem ventoſum eſſe, cum vera eſſet pleuritis, vtenſque calidiorib. confectionibus, Mediolani exiſtens, breui vitam finiuit. Similis etiam eſt iecinoris phlegmone, habet enim ſigna omnia pleuriticis communia: nam & dolor circa ſpurias coſtas ſentitur, quibus alligatur: & febris acuta adeſt & tuſſis, & ſpiratio vitiatur ob diſtentionem diaphragmatis: tuſſis vero ſuccedit, quoniam exſudat intra diaphragma nonnihil humoris, qua parte contigit, diſtinctio eſt ſtatim, vbi tuſſis humida adſit. Nam à iecinore humida non fit, quia exiguum eſt, quod traducitur. Præterea & malus color corporis comitatur, & dolor infra hypochondria deſcendit, Gal. 2. *de loc. affect.* & Paulo teſtib. Neque in iecinoris inflammatione punctorius aderit dolor, neque pulſus adeo durus, qui & ſerræ modo tactum ſecet, velut in morbo laterali: & ſi affectus, qui proprie iecorarius nominatur, cum iecinoris inflammatione aderit, erunt alui ſedimenta ſimilia aquæ, in qua nuper mactata caro fuerit ablu-ta; id quod haudquaquam in pleuritide euenit: ab exigua quoque tuſſi irritantur, qui hepatis inflammatione laborant, eaque perpetuo ſicca erit. At thorace affecto tuſſis increſcit, & eo tempore omnino apparent, quæ tuſſiendo exſpuuntur, Gal. teſte 2. *de loc. affect.* nec non lingua, facies & vniuerſi corporis color alteratur, iecore affecto: ac pallidi fiunt, decoremque amittunt, Paulo & Tralliano teſtibus: aderitque dolor ad notas coſtas in dextro laborantis latere, grauatiuus magis, vt interim ægri iugulum ad infernas partes detrahi ſentiant. Sic itaque loco, pulſu, dolore, colore, & tuſſi differunt: Loco, quia infra coſtas in dextra tantum parte ſentitur duricies, tumor: pulſu, quia in inflammatione hepatis vndoſus eſt: dolore, quia non acutus, ſed grauis: colore, quia facies male colorata: tuſſi, quia adeſt ſine ſcreatu ſpiratione neque maiori, contra vero in pleuritide: hiſce notis inflammationem iecinoris à pleuritide interſtinguere poteris, quemadmodum Gal. à Glaucone philoſopho ductus ad Siculum medicum iecinoris inflammatione laborantem, cognouit, quem prius, tamquam pleuriticum, curauerunt medici, velut 5. *de loc. affect.* ſcriptum reliquit. Quidam tamen hic, vt Auicenniſtæ inflammationem diaphragmatis ad ſæuiſſimam pleuritidem referunt: & tales quandoque ſentiunt dolorem in extremitatib. coſtarum, & in extremitate oſſium pectoris, ſcilicet vbi finiunt ſpiritalia: & accidentia illa quinque ſupraſcripta, quæ pleuritide ſemper adeſſe ſolent (de quib. antea dictum eſt) dicunt fore valde ſæua & intenſa, vt ægrum ad inſaniam ac mentis alienationem deducant. Membranæ (*inquit Hollerius*) thoracem quoq; diſtinguentes, ſi inflammantur, par negotium vitæ faciunt, atque verus lateris dolor. Sæpe etiam in inferiorib. coſtis inflammatis, diaphragma atque hinc ſtomachus grauiter laborat, magno periculo. Morbus hic proximo vere (anno 1551. ante paſcha) plurimos, & eos maxime, qui vel temere vel negligenter curati erant, ſuſtulit. Si vero in ſepto aut mediaſtino inflammatio contingat, (tres enim membranæ continentur intrinſecus in pectore, vt περιζωκώπς, id eſt, ſubcingentes Latine, inde diaphragma: tertio quæ recta per medium thoracis ad iugulum feruntur, διαφραγματικὰς, id eſt, interſpicientes, barbari mediaſtinum vocant) dolor communicatur anterius vſque ad oſſa pectoris, & vſque ad collum tranſit, plerumque per medium pectoris in longitudine: aut dolor ſentietur poſterius communicans ſpondilibus pectoris, & accidentia quinque ſupraſcripta valde intenſa ſunt, & ægrum magna ex parte ad delirium trahunt, & mentis alienationem. Anno 1567. ſub finem anni, tali ſepti inflammatione laborare videbatur Ioannes Godſcalcus dictus, qui inſigni viri ferrei, nempe in foro Delphis habitabat: nam per medium pectoris dolebat, aderat febris continua, ſubinde delirabat, & omnia ſigna, quæ in ſæuiſſima pleuritide apparere ſolent, illi aderant: inſuper & ſputum cruentum expectorabat, pulſus erat ſerrinus & minime vndoſus, & dolor ſentiebatur per medium thoracis. Quinto die, cum nihil eſſet actum, amici me ad illum deduxerunt, ſanguinem in cubito copioſe detrahere iuſſimus ex vena baſilica: deinde adhibitis iis, quæ pleuritidi conueniunt, præter ſpem multorum 14. die curatus fuit. Non erat hæc peripneumonia, quæ à pleuritide diſtat: nam in peripneumonia, pulſus eſt vndoſus, & genarum malæ rubent, ac ſi fuco delinearentur: neque dolor punctorius adeſt, ſed grauans tantum ob ſenſum exiguum, quem pulmo ſortitus eſt tantum in membrana: pulſus quidem vndoſus eſt, pulmone humido exiſtente: difficultas ſpirandi quoque maior, & anhelitus conſtrictio, & aër qui exſpiratur calidior, qui non euentatur, vel vaporibus calidis reſolutis ex pulmonis apoſtemate. Habet & pleuritidis ſigna quædam communia cum phrenitide, in permixtione intellectus potiſſimum, iuxta Auicennam & eius ſequaces, pleuritidis diaphragmatis, vel, ſi maius, eiuſdem inflammationis, & in alienatione mentis & anhelitus frequentia, in ſitis vehementia, ac multitudine rixæ, & alteratione coloris faciei ad diuerſos colores tranſmutati & febris vehementia: ideo hæ diſpoſitiones inter ſe diſtinguendæ. Primum ſignum: id diſtinguens ex ſe manifeſtum euadit: nam mentis alienatio aut intellectus permixtio in phrenitide ſtatim ab initio adeſt, deinde ſuccedunt reliqua ſigna iam dicta, & in proceſſu vehementiora, vt anhelitus frequentia, ſitis vehementia, & febris, & alia iam dicta. Contrario modo fit in pleuritide: nam prius incipit difficultas anhelitus cum dolore punctorio & tuſſi, & tandem ſuccedunt deliria: & hoc ipſum quoque raro eſt, niſi in ea, quæ eſt in diaphragmate: imo, vt dicebat Auicenna, hoc ipſum non euenit, niſi morte inſtante. In phrenitide anhelitus quoque non æque difficilis. Propria quoque ſigna rubedo & ad phrenitidem conſequuntur, vt oculorum ſuperiora eorundem attractio. In phrenitide pulſus rarus eſt, & eodem modo ob falſas eorundem imaginationes. In pleuritide ſerrinus: & deliria, quæ in pleuritide contingunt, potius paraphrenitides ſunt, quam phrenitides veræ. Hæc de ſignis diſtinguentibus pleuritidem ab aliis affectibus. Propria eius ſigna & inſeparabilia iam dicta ſunt, & quæ aſſiſtentia ſigna exiſtunt. Si autem copioſam tractationem de omnibus ſignis ad pleuritidem ſpectantibus deſideres, perlegas Montanum, quæ de pleuritide commentatus eſt ſupra Rhaſem, & Argenterij libellum de ratione conſultandi.

OBSERVATIO XXIX.

De muliere pleuritica, in qua ſigna lethalia aderant.

1 SVb finem Iunij anno 1545. nempe in iuuentute mea atque primo anno cum praxim cœpiſſem exercere, accitus ſum ad mulierem quandam quinquageſimum annum agentem, in ciuitate Benna, duobus milliaribus ab vrbe Pituetienſi in Gallia; (in qua tunc agebam, & praxim exercebam) diſſitam, & pleuritide grauiſſima correptam, vt ab aſtantibus ex ſignis ab iiſdem relatis intelligere potueram. Erat iam decimus dies, quo graue hoc malum mulier incurrerat: nihil, vt prius, exſpuens, imo ſputum in gutture plenum feruere viſum eſt, atque multum intus ſtrepitum in pectore edens, viribus collapſis, vt illud exſpuere non poſſet. Cumque vitæ periculum adeſſe animaduerterem, incepi omnia ſigna diligentius inquirere: nam cum carpum contingerem, reperi pulſum non iam ſerrinum, ſed vermiculantem adeſſe, difficultatem anhelitus extremam, & ab ore anhelitum frigidum exeuntem, nares quoque tum auriculas exangues præ frigiditate, inſuper & ſudorem frigidum madidumque emanantem, frontem intenſam, & vrinam vltro profluentem. At hæc longe poſt morbi principia, infirmis iam viribus aluum fuſam, ex qua non corporis inquietudo, nõ ipſe ſpiritus alleuiabatur: ita vt & nunc ſtercora ipſa ſponte prodirent. 2 Febris vehemens erat, vires deiectæ, ad interrogata vix reſpondebat, mente minime conſtabat: nam materia tranſlata ad cerebrum in hoc morbo ſola inſania ipſa occidit: magiſque cum ſputa in pectore cum murmure detinerentur. Hæc cum animaduertiſſem, mortem illico adfuturam prædixi, & quod nocte ſubſequente cum plenilunio, vndecimo die exiſtente à morbi initio, moreretur. Quod cum amici aſtantes audiſſent, iiſque prius obiurgatis, quod omiſſa ſanguinis detractione aliis remediis neglectis in principio, cum ex me rogarent, vt pernoctarem, & aliquid præſidij adhiberem, reſpondi nullam ſpem eſſe repoſitam in arte medica, morte inſtante, cum tales prognoſticis ſignis ſint relinquendi, iuxta *Hippoc.* 1. *præſag.* vt calumniam euitemus. Atque ſic equum aſcendo, & vna cum famulo domum redeo, ſacerdoti, & præcipue Deo, cura relicta: cum eadem hora vndecima noctis è vita deceſſit. Ex cuius præſagio cum eodem tempore iuuenis praxim prius exercere inceperam, laudem haud exiguam conſecutus ſum, & vulgo magis innotui.

SCHOLIA.

3 *Signa prognoſtica.* QVam vtilitatem ſigna prognoſtica præſtent, alias in Obſer. de febribus declarauimus: Et ideo non ſatis eſt eſſentiam morbi dignoſcere: ſed & mores ipſius. Qui enim vult profligare inimicum, oportet prius vt ingenium eius ac mores cognoſcat, & quomodo is moliatur illi inſidias: ita & nos qui contendimus cum morbo, idem facere debemus, vt exemplo quodam docuit Montanus medicus ille doctiſſimus, de pleuritide, cuius mores varij ſunt, ac penes tria conſiſtunt, ſcil. locum affectum, materiam, cruditatem, & coctionem. Et poſt mores idem conſiderat motum morbi, & terminum conſiderat numquid reſoluatur, vel ſuppuretur, vel in alium morbum mutetur, vel interficiat: quæ omnia ad ſigna prognoſtica faciunt, vt apud eundem in lectione de pleuritide ſupra Rhaſ. videre licet. Quæ vero motum morbi ſignificant, plurimum quoque faciunt ad eorum cognitionem, & quæ & viam prognoſticis ſignis aperiunt, cum eadem mere ſigna prognoſtica ſint. Hinc ſputum in pleuritide longitudinem & breuitatem morbi ſignificat, iuxta Galen. de criſibus, & iuxta Hippoc. 1. *lib. Aph.* 12. Si ſputum ſtatim appareat in pleuritide, morbum breuiat: ſi poſtea, producit. Si circa initia appareat, intelligit per principium non inſtantaneum, & circa latitudinem, nec prout eſt vnum de quatuor morbi temporibus, ſed prout extenditur vſque ad tertium diem: triplici namque modo iam dicto principium ipſum intelligi poteſt, ex Galeni comment. prædicti, *aph.* 12. *lib.* 1. *tum.* 1. *de criſibus.* Quapropter cruditſſimum eſſe lateralem morbum idem ait Galenus, in quo nihil exſpuitur, quem & incoctam pleuritidem nominant, ita vt celeriter hominem rapiat, vel longo temporis ſpatio finiatur, vt 5. de loc. affectis etiam liquet. Secundum ordinem (vt etiam Altimarus ex Galeno annotauit) obtinet ille morbus lateralis, in quo ſanies tenuis exſpuitur: tertium in quo craſſior: & quartum in quo perfectam habet concoctionem. Quod ſi apparuerit circa tertium vel quartum diem, non contingit morbum tranſcendere ſeptimum: in aliis vero ſimiliter neceſſe eſt, vt pro concoctionis modo menſura temporis conſequatur: quamuis magna ex parte terminum ſuæ iudicationis habet, quartum decimum iuxta *Aphoriſ.* 8. *lib.* 5. Quicumque morbo laterali laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad ſuppurationem verruntur. Et iis quidem terminis per exſpuitiones pleuritidis eſt, non numerando ab eo die, quo æger cœpit exſpuere, vt Fuchſius putabat: tunc enim falſum eſſet, quod Anaxaonis hiſtoria 3. Epid. demonſtrat, non enim 14. die iudicatus fuiſſet, ſed ferre 24. quia 11. cœpit prius exſpuere. Vnde & Altimarus dicit magna ex parte 14. diem pleuritidis terminum eſſe: & ſi non hunc, ſaltem omnino 20. vt eodem comment. *Aphoriſm.* 12. *lib.* 1. patet: idque verificauit etiam in Anaxione, de quo Hippoc. 3. *de morb. vulg.* ſcriptum reliquit, quamuis ad 34. diem extenſus fuerit morbus, quoniam ab initio non exſpuebat, ſed & octauo die tuſſes ſiccæ ſubſequebantur, vt Hippocrates inquit eodem loco. Longitudo præterea & breuitas ex materia quoque habetur: ſi ex pituita, longiorem, vti & à melancholia: ſi à bile vel ſanguine, breuiorem: ſic etiam ex velocitate motus vel eius tarditate. Si velociter moueat, vt cæteri acuti morbi, cito terminum attingit. Sin tardius, ſerius: motus velocitas deprehenditur ex eius veloce augmento in ſymptomatis, quodque cito appareant coctionis notæ, vt iam diximus ex Hippoc. de ſputo cito vel tarde apparente: iam & coctio materiam, vt & paulo ante meminimus, ſequitur: & ſicuti tempora ex materia ſeu ſputo cognoſcuntur, ita quoque & ab accidentibus innoteſcunt: cum enim fluxio & dolor fieri incipiat, principium eſt, & cum nihil exſpuitur, vbi ſymptomata augentur, & ſputum melius procedit, augmentum eſt, dolore ad vigorem progreſſo, ſtatus, vbi remittuntur accidentia, declinatio; ſi etiam ſputum ſimul totaliter remoueatur, accidentib. ceſſantibus. Et ideo ſputum maximè in pleuritide conſiderandum eſt, cum ex eo cognoſcamus principium, augmentum, ſtatum & declinationem,

tionem, coctionem, cruditatem, malitiam & malignitatem pleuritidis, & bonitatem ipſius, longitudinem atque breuitatem. Ideo cum morbus materialis ſit, & circa thoracem verſetur, excrementa illa, quæ ex pectore educuntur, maxime conſideranda ſunt. In quibus diligenter animaduertemus, ea quæ Hippoc. 2. *prognoſt.* enumerat: primum, vt prompte, cito ſcreetur: prompte inquam, id eſt, facilè, & leuiori tuſſi & breuiore. Ita enim benignitas humoris ſignificatur, vt qui neque lentore inhæreat, nec craſſitie; quibus aliquando ægros præfocari contingit: cito vero, id eſt, non longe à morbi initio, *vt aphoriſm.* 12. *libr.* 1. dictum eſt. Et ita ſi ſputum ſtatim appareat & reliquæ conditiones bonæ non deſint, non ſolum ſalus ſperanda eſt, ſed & breui fore. Si cito eueniat, è conditionibus & hæc optima eſt: ſecunda equidem conditio ſumitur ex calore: nam rubra admodum ſalutaris eſt 4. *Epid. & 47. text.* ſincera omnia mala, excepto ſanguine: tum quia humor benignus eſt, & ſimpliciora ſymptomata inuehere ſolet; tum quia cito coctionem admittit. Sed ſi biliоſus humor multus adſit, ſiquidem ſincerus ſit, & non permiſtus, & temperatus aliis, malum ſignificat, vt ſi liuet, vel nigricat: praui enim natura ſunt hi humores, & cum ſinceri exſcreantur, magnum eorum dominium ſignificatur. Contra vero ſi ſint aliis temperati, præſertim vero niger, qui modis omnibus inſalubris eſt; quia multo flauo peior. Screatio itaque ſine dolore prompteque facta, mitiſſimum quidem eſt pleuritidis ſignum, potiſſimum vbi permixta appareat cum ſcreatione admodum flaua bilis, Hipp. auctore 2. *prog.* At ſi quod exſpuitur concoctum fuerit, adhuc magis mitiſſima erit, Galeno teſte *de conſtit. art. med.* Nihil vero exſpuere (vt etiam paulo ante meminimus) exitiale eſt, partim quod fluxum declaret à phlegmone deuinctum, partim quod totus (propterea quoniam intus maneat) corrumpatur. Ex diuerſo item exſcreationis colore, prout diuerſam indicat inflammationis cauſam, poſſimus indicia prognoſtica aſſumere: nam perniciоſiſſimus eſt melancholicus humor præpollens, id quod indicabit ſputum nigrum aut liuidum; tum quod & prædituus ſit ipſe moribus peſſimis, & maxime erodat, concoquaturque ægre, nec facile expurgetur, vt conſtat apud Gal. eodem libro; tum quod plurimæ ſit caliditatis index, à quo aſſatus, genitus eſt. At æquiſſimus (iuxta eundem, & citatur ab Altimaro) omnium eſt ſanguis per cruentum ſputum, ac rubrum indicatus, vt pote, qui dulciſſimus exiſtat, & concoctu facillimus. Reliqui vero duo humores inter hos medij ſunt, quod ad ſimplicitatem malignitatemque attinet. Tertio etiam prognoſtica ſigna habentur ex modo ſubſtantiæ: craſſa enim & glutinoſa omnia, mala. Contra vero, quæ mediocritatem habent in craſſitie & tenuitate, bona ſunt. Sed quibus notis coctionis ſigna diſtinguantur, vel in nullas vel latentes, vel obſcuras, vel manifeſtas & perfectas, iam quaſi diximus: reliqua vide apud Iacchinum: quamuis cruditas ſignum ſit neutrum, eo quod merito ſui neque ſalutem neque mortem ſignificat. Coctiones vero, vt Hippocrat. ait, certam citamque ſanitatem annuntiant. Sed de his vide alios auctores, & Galenum 1. *de criſib.* Cæterum quod ad pulſum attinet, ſi in pleuritide pulſus fuerit magnopere durus, paruus etiam atque creberrimus, indicium erit lethale, ita vt pleuriticus cum tali pulſu nemo fuerit ſeruatus, ex Galeni decreto, 4. *de præſag. expulſ.* Maximum quoque ſi-

6 *Quare ſputum in pleuritide præcipue ſit conſiderandum.*

7

8

9 *Signa ex Veſp.*

gnum prognoſticum ipſius pleuritidis, præbet pulſus ſerrinitas. Nam ſi ea remiſſa ſit, mollem 10 & prope maturandam inflammationem indicat; ſi vero magna, difficilem & admodum crudam: quæ ſi cum imbecilli facultate coniuncta fuerit, periculum; ſi cum firma, aut tarde conquoquetur, aut ad ſuppurationem deflectet, aut tabidus eam excipiet marcor, ex Galeni *ſententia libr. de puls. ad tyrones, & 4. de cauſis pulſuum.* At hic quæritur numquid vrina aliquid faciat ad temporis cognitionem, an ſit mala, vel cocta vel incocta. Si fuerit bona cum ſuis conditionibus & in ſubſtantia benè cocta, in reſidentia, colore ac liquore, quod ad pleuritidem refert, nihil prorſus facit, quum in peſſima pleuritide & in inflãmatione rebelli, vrina bona exiſtere poſſit, licet æger moriatur. Equidem fieri poteſt, vt totum corpus benè habeat, & inflammatio peſſimæ ſit naturæ. Interea ſi vrina malas in ſe conditiones complectatur, peſſimum ſignum eſt. Si enim tenuis & ſubtilis fuerit, nec habens aliam malitiam, indicat materiam raptam eſſe ad locum inflammatum, quemadmodum in pleuritide, cum vrina talis apparere contingat, etiam mortem notat. Si vero fuerit craſſa, indicat aliquod dominium humoris maligni. Mala eſt, quia indicat ca- 11 cochymiam eſſe in corpore, quæ ſub ratione cauſæ antecedentis nocebit, fluet ad locum inflammatum: ideo ſemper malum dum vrina eſt mala: tum etiam ſi ſit bona, quoad inflammationem, bona non exiſtit, ſi ea ipſa inflammatio peſſimæ ſit naturæ, vt iam dictum eſt. Ad prognoſtica etiam pertinet *Aph.* 23. *lib.* 3. Hyeme vero morbi lateralis, &c. Et *aphor.* 33. *lib.* 6. Qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur. Item morbo laterali, ſi pulmonis inflammatio ſuperuenerit, malum eſt, *ex Aphor. lib.* 7. Cauſam reddit Galenus in commento: quo etiam loco aſſerit: quod non admodum conſequi ſolet morbus lateralis ad inflammationem pulmonis. Qui- *Si pulmo caſtis adnaſcitur, periculoſum.* bus autem pulmo coſtis affigitur vel adnaſcitur, atque illud quidem rariſſimum eſt, & ſemel tantum vidi in corpore diſſecto, pulmone plumbeis maculis infecto ac corrupto, vtrinque coſtis affixo: alij tamen id quoque ante me viderunt. Talis plerumque vel ex aſthmate, vel ex tabe tandem commoriuntur: pulmo enim (ſpirandi organum exiſtens, vt in præfatione diximus) tunc quidem afficitur, vt nec aërem inſpirare, nec libere exſpirare poſſit, corde etiam tam per diſtenſionis motum, quam contractionis, minus officium ſuum obeunte. Hi quoque ſi in pleuritidem ve- 12 ram incidant, præter illud quod difficulter curentur, facile in peripneumoniam eamque lethalem dilabuntur, cum pulmo membranæ coſtas ſuccingenti ex parte adnatus vel affixus, facilius in ſe virus recipit, & minus à ſe propellere poteſt, citiuſque inflammatur. Sed *& aph.* 16. *lib.* 6. *dicit* Hippocr. A morbo laterali vel pulmonia habito, alui profluuium aduenies, malum: quod quidem intelligendum eſt de fluxu non regulato (vt ita dicam) à natura. Nam qui à virtute regulante fit etiam in principio, bonus eſſe poteſt, niſi aliud accidens acceſſerit virtutem proſternens. Sic & Auicennam fluxum in principio bonum eſſe exiſtimauit. Quicumque vero ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in 14. dieb. purgantur, à die, qua fit eruptio, liberantur, ſi minus ad tabem tranſeunt. Refert Auicenn. pleuritidem propinquam cordi deteriorem eſſe, & parti ſiniſtræ, ſed maturationi conuenientiorem, at remotiorem à parte ſiniſtra, ſalubriorem quidem, ſed ex

parte reſolutionis & maturationis magis inobedientem. Pleuriticis quoque ſanguinis fluxus narium eueniens pro optimo ſigno habetur: non tantum à naribus, ſed ab hæmorrhoidibus quoque & matrice, vt ſæpe experientia vidimus in in communi praxi, quod quidem *& à Galeno* 10. *method. capit.* 5. *laudatur.*

OBSERVATIO XXX.

De pleuritide in prægnantibus.

SI pleuritis prægnantibus contingit, valde pernicioſa eſt, vt Auicenna pronunciauit, quemadmodum & decrepitis: Solet enim hominem interimere, vel ex præfocatione, vel ex ſymptomatum vehementia; ob quam cauſam prægnantes præcipue moriuntur: decrepiti vero, ob debilitatem virium in ſpuendo. Senes vero cum frigidæ ſint naturæ, morbos concoquere, etſi diuturnos, non valent: cumque ſanguinis & prægnantes pleuriticæ & decrepiti miſſione egeant, & tenuiſſimo victu; hæc neque prægnantes, neque decrepiti ferre poſſunt: vnde ſæpe in vtrilque ad mortem comitatur pleuritis. Nos tamen aliquas prægnantes magna cum induſtria curauimus. Ex quibus mihi occurrit quædam nomine Remula, mulier ſi quæ altera, pulcherrima, viginti quatuor annorum, Alcmariæ decumbens, anno 1549. ad quam 18. die Octobris accitus fui. Quæ cum ſanguinea & boni habitus eſſet ac robuſta, & in nono menſe grauida, & partum quaſi nunc exſpectaret, ſæuiſſima pleuritide correpta, ſanguinem exſpuebat, & circa mammam læuam in latere, inſigni dolore afficiebatur, qui ad clauiculam adſcendebat cum tuſſi valida & continua febre. Ad quam cum intraſſem, plurimum hæſitabam de venæ ſectione, ob *aph.* 31. *lib.* 5. *Hippoc.* ſic dicentis. Mulier vtero gerens ſanguine miſſo ex vena, abortit. Ab altera parte venæ ſectionem vrgebant febris continua vehemens, & inflammatio vrgens, dolor inſignis, virtus fortis, mulier bene habita & ſanguinis miſſioni conſueta, quam & ipſa petebat: itaque aluo prius per balanum expurgata, venam ſecari iuſſimus ad vncias quatuor, ex eodem, in cubito nempe baſilicam: Adeo autem profuit, vt dolor magna ex parte ſeſe remiſerit; adhibitiſque denuo decoctis pectoralib. & aliis remediis aptis poſt ſeptimum diem pleuritide curata eſt, cum optime exſpueret per eclegmata præſcripta. Septimo die oborta eſt exterius inflammatio mammillæ ſiniſtræ cum intenſa rubedine: cumque per externam inflammationem terminaretur pleuritis, nolui mammæ inflammatæ repercutientia adhibere: ſed inuncto loco affecto cum oleo viol. & exiguo populeo, inflammatio ceſſauit, & perfecte conualuit. Deinde poſt duas ſeptimanas, cum optime valeret, peperit feliciter filium optime ſanum & robuſtum. Ad alteram eodem tempore accitus etiam in vltimo menſe imprægnatam acceſſi, debilem, pituitoſam; ob quam cauſam ſanguinem extrahere non audebam: ſeptimo die aborſum patiebatur, & 14. die obiit. Quamquam Pithuerienſis mulier cum prope nonum menſem grauida foret valde debilis, venæ ſectionē non admittens, adhibitis optimis remediis, etiam fotu ad dolorem ſedandum, circa quartum diem melius habere viſa eſt, cum in principio nihil exſpueret, nunc quædam concocta exſpuens, dolore lateris nonnihil conſopito. At ſexto die febris aucta eſt, & in ſeptimo omnia vehementiora, ita vt vi infantem peperit, cum in nono menſe eſſet, ſed non ſuperuixit infans ad tres dies. A partu vero dolor lateris omnino ſeſe remiſit; quamuis ſub noctem intenſiſſimus dolor pectus occupauerit cum ingenti angſtia & anhelitus difficultate vehementiori, vt ſuffocatio immineret, ac pro deplorata haberetur. Octauo die delirauit & tandem obmutuit, ſacra inunctione, vt ſacrifici ſolent, munita. Nono die delirium increuit. Poſtea melius habere viſa eſt, ac concocta exſpuere, & ſub noctem, poſt ſymptomata maligna ſedata, incidit in ſomnum profundum, & per noctem ac diem integre dormiuit. Vndecimo die compos mentis facta eſt, benè & concocta exſpuebat, & melius ſpirabat. Vnde magna ſalutis ſpes emergebat: nam ſi ſomnus delirium ſedat, teſte Hippocrat. bonum eſt. Poſt vndecimum diem, qui erat quartus dies à partu, purgationes per ſe magis ſubſequebantur; plurimaque craſſa & rubra, poſtea & pituitoſa bilioſaque per vterum excreuit, vſque in 14. diem ab initio pleuritidis: atque tunc craſſam vrinam mingens & pituitoſam, conglobatam, inuiſcatam, & in partu benè repurgata, ſputo albo & concocto apparente, hæc quoque ſanitatem cum admiratione multorum conſequuta eſt. Verum in alia muliere, quæ Delphis commorabatur duos ſupra viginti annos nata, cum prægnans in octauo menſe eſſet, in aſperrima hyeme (cum multæ aliæ, tum viri pleuritide corripiebantur, anno 1565.) commode quoque in pleuritide ſæuiſſima (quemadmodum & aliis multis prægnantibus) vena ſecta fuit in brachio, è directo loci dolentis: aliiſque deinde aptis remediis adhibitis ad pleuritidem conferentibus, tum decoctis, eclegmatis, inunctionibus & fotibus conuenientibus præſcriptis, etiam & hæc ſanitati reſtituta eſt.

Scholia.

QVod in prægnantibus venam ſecare poſſimus, id quidem multis exemplis alias docuimus, *vt lib.* 2. *obſerv.* 28. de continua tertiana in prægnante, in cuius ſcholiis ad longum ex diuerſis auctoribus, numquid prægnantib. euacuatio & venæ ſectio conueniant, illuſtrium medicorum ſententia, tum rationibus eorumdem adiectis docuimus. De qua re etiam *obſer.* 29. eiuſdem libri, in ſcholio pertractauimus: *etiam obſer.* 22. *lib.* 15. quomodo etiam in angina mulieribus grauidis ſanguis demitti poſſit. Ad loca citata lectorem relegamus, ne opus ſit hæc eadem hic repetere. Quamobrem cum de cauſis & ſignis pleuritidis ſatis egerimus, nunc ad actionem ipſam ſeu curationem deueniendum eſt; quæ recte inſtitui nequeat, niſi certis ſcopis propoſitis, in quos omnia referantur, & niſi certa adhibeamus inſtrumenta, quorum beneficio ſingulos ſcopos aſſequi liceat. De ſcopis ipſis alias diximus, qui ab auctoribus variis modis ſumuntur, *vt in lib.* 3. de incerto vrinarum iudicio oſtendimus, à quib. denuo indicationes ſumantur. De quibus quidem loco exempli de pleuritide egregie pertractat Argenterius in libello ſuo de conſultatione: vti etiam facit Montanus de pleuritide in lectionibus ſuis ſupra Rhaſem. Quibus ſi lector ipſe, tum iuniores ſeſe exercere velint, habebunt latiſſimum campum, quomodo pleuritidem curabunt. Nos autem breuiter (cum alij hanc curationem longo ſermone tractarint) in primis victum commodum inſtituemus: Duo autem apud veteres, iuxta Hippoc. erant cibi genera, ptiſana integra, & cremor. Si ſine periculo videatur, inter initia ptiſana vtemur, alias, ſi adſit periculum, & morbus magnus eſt, cremore vtemur: cibus enim maxime tenuis & leuis, præcipueque ſorbitio, Celſo placuit: potiſſimum ſorbitio ex ptiſana: nihil vero detur (*vt inquit ille*) quod aut retrigeret corpus, aut fauces aſperet: qua ratione acria, acida, ſalſa, & aſtringentia vitanda ſunt. Ita & Alexander ptiſanæ cremorem largiter decoctum, donec id, quod flatuoſum eſt, depoſuerit, pro cibo commendat. Nos etiam ſi humor ægre ducatur, amygdalata purgata leuigataque ptiſanæ incoquimus, quo humor magis eductioni paretur: ac commode vtimur ſubinde & hordeato: & ſic mane, iuxta Alexandr. ptiſanæ cremorem; veſperi amygdalarum ſuccum offeremus. Si ſit ex pituitoſo ſanguine, paululum mellis adjicit idem Alexander. Quoties vero dandum ſit, & quantum in ea, conſuetudo ſeruanda, tam ad ægros & ſanos, vt habet *aphor.* 18. *libr.* 1. inter initia tamen exiguam & tenuem non tanti alimenti ſeruare oportet. At noſtræ regiones tam exactam inediam, vt Itali & Hiſpani, non ferunt. Et ſic in noſtris ægris aliquando amygdalata expurgata & contuſa & mulſa cum aqua exhibemus, vel panatam (vt parant Itali) & ſi vires imbecilliores fuerint, in gallinarum iuſculo panis becilliores fuerint, in gallinarum iuſculo panis micas decoctas pro cibo commode damus. Interea olera vitamus, niſi lingua ſcabra, ſiticuloſaque & febris ingens appareant; tum etiam Alexander ante maluæ aut intybi decoctum exhibet. Poſſunt & pleuriticis mala dulcia cocta exhiberi, apia dicta. Initio igitur aqua hordei & hordei pulticula; principiis liquidior, poſt etiam craſſior: deinceps mixtis amygdalis, tum amygdalogala: poſt etiam eadem ex pullorum iuſculis diſſoluta: tenellæ pullorum carnes in fine, vbi vires deficiunt, intrita madida, quæ & infriatas carnes & ſynterimata appelles licet, vulgo collyria & collaticia iuſcula dicta, expreſſiones quoque, quibus defectis viribus vtimur, alioqui integra ſatis virtute tenuius nutrimus. De quibus ad longum quoque videas Benedictum Fauentinum præceptorem meum cap. proprio de curatione pleuritidis. Pro potu vtimur aqua hordei, vel radicem glycyrrhizæ ſeu paucum cinnamomum in ea decoquimus. Quidam (*teſte Alexandro*) aquam tepidam propinat; alij aquam mulſam in pleuritide ex pituitoſo ſanguine. Vbi paululum morbus ſeſe remiſit; alimenta pleniora exhibent. A vino tamen abſtinendum cenſeo, niſi viribus admodum imbecillibus: etiam vini aliquid Celſus dat. Præceptor meus Benedictus Fauentin. non dabat, niſi extrema iudicatione pleuritidis tranſacta, quæ 14. die fit, idque aqua permixtum: quod ſi pleuriticus non fuerit iudicatus 14. die vinum non exhibet; rationem loco citato explicat. Huc etiam pertinet aër, qui temperatus eligendus eſt, parum tamen ad calidum inclinans: nam frigidum neruoſis partibus, eiſque affectis eſt inimicum, teſte Hippocrate *Aph.* 18. *lib.* 5. dolorem quoque inſupperabilem facit. Somno quoque potius longiori vtantur quam vigilia. A motu omnino abſtineant, iniungendaque quies erit: ideo à coitu abſtinendum, cuius habemus exemplum apud Amatum de pleuritico, qui poſt venæ ſectionem & ſputi reiectionem ſanum ſe dicebat; quamuis ſequenti nocte cum vxore cum rem habuiſſet, facta recidiua & dolore reuerſo intra biduum in fine ſexti diei, obiit: quicumque enim recidiuam patiuntur, etiam ex victu inordinato, tales quoque iuxta Auicen. commoriuntur.

Hinc quoque ſummopere cauendum à ſtypticis, cum & Rhaſes 4. Continentis narret hiſtoriam de quodam medico imperito, qui cum pleuriticum præ manib. haberet, & videret pleuritidem iam perfecte in declinatione eſſe, ac ægrum iam quaſi ſanatum, craſſiore diæta vtebatur: atque ægro ſuo exhibuit, lenticulas cum aceto confectas, vnde illico ceſſauit ſputum, ob impedimentum illius nutrimenti, ita vt errore medici miſer ille nocte ſubſequente è vita diſcederet. Sic ego quondam cum haberem pleuriticum præ manibus, & iam quaſi curatus eſſet, me inſcio falſamentum piſcium ebibit: vnde denuo ſuborta tuſſi, dolor lateralis reuerſus eſt, vt aſtantes illum moriturum exiſtimarent; & niſi ego ſtatim adhibuiſſem eclegmata dulcia, tum alia remedia expectorantia, æger ſuccubuiſſet. Veteres, vt paulo ante diximus, pro potu dabant mulſam aquoſam, vel aquoſum oxymel, vt ſputum facile educeretur. Nos commode vtimur aqua hordei mundati, in qua radices glycyrrhizæ, & vuæ paſſulæ ab arillis repurgatæ, incoctæ fuerint. Sed à frigida aqua abſtinendum, quæ ſputum incrudeſcere facit; & ſubito (*vt vidimus*) ſuffocati ſunt quidam ex hominibus plebeis, qui cum ſitirent, frigidam bibiſſent. Hæc obiter de vitæ inſtituto. De medicamentis (alio interiecto exemplo) poſtea dicemus.

Hiſtoria Rhaſis.

OBSERVATIO XXXI.

De pleuritide legitima.

VXor Magiſtri Henrici cognomento Rabbi, annorum 43. menſe Iulio, anno 1549. Alcmariæ pleuritide vera corripi cœpit: aderat enim dolor punctorius in latere ſiniſtro ad clauiculam aſcendens, ſupra modum tuſſiebat, ſputum erat rubrum pituita mixtum, difficilem anhelitum trahebat, continuo febricitabat cum capitis dolore, pulſus durus atque ſerrinus erat. Quarto die ad eam primo ingreſſus, iubeo vt in loco lucido mediocriter elato collocaretur, & vt molli culcitra capite ac thorace ſubleuato decumberet, cumque in pedes decideret, lignum aliquod, aliudve corpus pedib. objiciebam, vt in ea figura perſiſteret. Deinde cum noſtri inediam ita non ferant, & iam quartum diē attigiſſet, quod ad victus rationem attinet, poma aſſata dulciora conceſſi, & hordeatum, & amygdalatum, & panatam cereuiſiariam vulgarium more paratam, abſque vino, quod quoque interdixi, eo quod noſtri ruſtici ſtatim in omnibus pectoralibus morbis ac tuſſi vino dulci vtuntur, apud nos Romano dicto, exiſtimantes à frigore tales affectus ſemper oriri: vt iſtis diebus mihi euenit, cum extra vrbem in pago Diui Eligij dicto, colonum pleuriticum præ manibus curandum haberem, atque eidem omnia vina interdixiſſem: cumque is noſtris præſidiis melius haberet, poſt noſtrum diſceſſum ſtupidi homines etiam præter vinum, aquam vitæ ægroto propinarunt, vnde febre denuo accreſcente, & ſputo ob calorem retento, intra quatuor pluresve horas miſerrime exſtinctus eſt. Ita & Tartor quidam Delfenſis prope noſocomium decumbens ex grauiſſima pleuritide, cum aquam vitæ ebibiſſet, etiam grauiſſimis ſymptomatis obortis, & ventris proluuie, nono die ſua incuria obiit. At in hac noſtra ægra, cum in quarto die acciti eſſemus, & ſponte per ſe aluum depoſuiſſet, ex vena baſilica in brachio ſiniſtro ſanguine copioſe extracto, dolor

mirum in modum ſedatus eſt, loco affecto etiam linimento infraſcripto inuncto. ℞. *vaguenti noſtri pectoralis, dialthææ, olei viol. amygd. dul. an.* ʒ ij. *miſce: ſimiliter & hoc decocto vel huius æmulo ter in die vtebatur.* ℞. *foliorum viola. ſcabioſæ, maluæ, bugloſſæ & borag. cum toto, an.* m. j. *florum papau. ſylueſtris rubros flores habentis* p. j. Volunt autem quidam hos flores proprietate quadam pleuritidem curare; & ita medicos quoſdam noui, qui ſyrupum præparatum habeant, & confectum ex ſucco papaueris floribus rubris ſylueſtris,& zaccharo partibus æqualibus, quem exhibent cum decocto pectorali, ſcabioſæ, vngulæ caball. vel cum aquis
3 iiſdem deſtillatis. Refert autem Rondeletius à tota ſubſtantia decoctum papau. rub. in aqua ſcabioſæ vel pimpinellæ conferre, vel cineres priapi tauri cum vino, vel cum aqua hordei in hunc modum. ℞. *flor. pap. rub.* m. ß. *aquæ ſcabioſæ* ℔ ß. *aquæ pimpinellæ quart.* j. *concoquantur leniter, adde ſacch. parum, fiat ad formam iuleb. dentur à principio bis vel ter in die.* Vel, ℞. *cineris priapi tauri* ʒ j. *detur, ſi febris ſit remiſſa, cum vino, alioqui cum aqua hordei.* Memini enim (vt etiam in ſcriptis Gisberti Horſtij medici Romani & noſocomij Mariæ conſolationis,cum Romæ agerem, legi quendam pleuriticum derelictum à medicis & pro deplorato habitum,cum ſumpſiſſet pimpinel. ʒ ij. *cum tribus* ʒ. *aquæ flor. pap. rub. ſylueſtris, & calide cubuiſſet, ſudore euocato*, conualuiſſe. Sed reuertentes ad noſtram decoctionem, adiecimus *capill. Ven. vngulæ caball. an.* m. ß. *glycyrrh. raſæ* ʒ ß. *prun. damaſc. num.* ix. *iuiubar. ſebeſten. recent. an. num.* v. *ſemin. maluæ* ʒ j. *paſſul. ab avill. repurg. hordei mundati, an.* p. j. *coquantur in ſero lactis ad* ℔ i ß. *miſce. Interea & eclegmata* ſumebat in hunc vel ſimilem modum: ℞. *ſyrup. viol. iuiubini, capill. Ven. de liquiritia, aua* ʒ j. *diatragac. frig. in tab.* ʒ ß. *zacchari candi, zacchari penid. an.* ʒ ij. *fiat linctus: poſtea relicto diatragacamb.*
4 *etiam adiumximus loch. ſanum.* Sexto die hoc ſolutium cœpit. ℞. *caſſiæ recens extractæ diacatholici, ana* ʒ ß. *diaprunis lenitiui* ʒ j. *cum* ʒ iij. *decoct. ſuprafcriptæ*, fiat hauſtus: quo quinquies aluum depoſuit, & dolor ſedatus eſt, ac melius & magis concocta exſpuebat; febre etiam inclinante, ita vt vndecimo die fuerit curata. Quanquam poſtea leuis dolor in capite remanſerit; qui leuiſſimo remedo ceſſauit ex decocto ſimplicium herbarũ, videlicet *betonicæ* m. j. *viol. borag. bugloſſ. ſcabioſæ* (propter tuſſim leuem, qua adhuc detinebatur) *hordei mund.* p. j. *fiebat decoctio in ceruiſia communi* (cum apozemata in officina poſtea abhorruerit) *& poſt colaturam zaccharo dulcorabatur.* Ex quo decocto bis in die bibens, 14. die ex integro fuit curata.

Scholia.

5

PRoba victus ratione deſcripta, ſtatim etiam de aliis remediis cogitandum eſt:maiora vero remedia,quæ adhibentur, vt ſæpe diximus, ſunt purgatio,& venæ ſectio.Sed hic ſtatim celebriores medici inquirunt, num perpetuo inſigni vacuatione morbus lateralis curari debeat, quæ aut per ventrem aut venæ ſectionem fit: quidam volunt, ſi leuis ſit pleuritis & ſanguis per halitum digeri poſſit, & extra corpus educi, fruſtra auxilia fortiora tentanda; vt in toto corpore non ſit abundantia humorum: tales Hippocr. fomentis calidis curat. Sic nos puerum 13. annorum apud Henricum Iunium pædagogum anno 1560. cum poſt columellæ inflammationem & tonſillarum

Numquid perpetuo inſigni vacuatione morb. lateralis curari debeat.

in morbum lateralem incidiſſet, curauimus fotu infraſcripto, cum debilis eſſet, & per quatuor dies nihil edulij prius tranſglutire potuiſſet: bifariam enim fotus iuuant, teſte Galeno; & quia partim rarefaciunt & molliunt, & quia ſanguinem in halitum ducunt. Fotus hic erat. ℞. *flor. chamæmill. meliloti, an.* m. j. *folior. maluæ ſummitatum anethi, an.* m. ß. *rad. althææ* ʒ ß. *ſem. lini* ʒ ij. *coquantur in aqua communi*, & fiat fotus cum ſpongia expreſſa: quo ſolo puer à dolore euaſit, & à pleuritide curatus fuit: qua curationis ratione ipſe quoque Galenus ſe quendam ægrotum meminit citra venæ ſectionem curaſſe, cum miti pleuritide laboraret, vt videre licet 6. de morb. vulgaribus.Cuius ſententiæ & Celſus & Alexander Trallianus exiſtunt, quos & Paulus & Aëtius ſequuntur. Alij volunt hanc curationem eſſe tentatiuam, vt Barbari quidam; quod rurſus alij negant cum Hippoc. idem faciens minime ignorabat exacte morbum lateralem fuiſſe, priuſquam calida fomenta adhibuiſſet, id quod de tanto viro haudquaquam aſſerendum erat. Hæc ſimul patefaciunt eorum inſcitiam in curandis inflammationibus, in quibus momentum omne ex mente Galeni conſiſtit in vacuatione ſanguinis, qui in parte ipſa continetur; & extra corpus educunt ſanguinem, vt ſunt eiuſmodi fomenta tenuantia,ac per halitum digerentia. Interea ſpectandum numquid indifferenter in omni morbo laterali, nulla præcedente inſigni vacuatione, poſſimus calidis fomentis vti, nondum habita adhuc notitia diſtincta; quod in toto corpore humorum redundantia non adſit: quibus reſpondet Alexander, quod iis vti poſſemus,cum ea ratione maxime copiam manifeſtabunt,vtpote ſi fomentis dolor non mitigetur,& ab iis abſtinebimus vlterius, ne dolor augeatur propter attractionem: idem ſentiunt & *Hippocrates & Galen. 2. de rat. vict. in morbis acutis.* Et tunc vbi dolorem non diſſoluant fomenta, diutius non erit calefaciendum : quoniam in toto corpore humorum redundantiam adeſſe indicant; & propterea corpus totum inſigni aliqua euacuatione præeuacuabimus: ſi vero dolor his moderatior fiat, cum fiducia adhuc fomentis vtemur, Alexandro etiam iubente; & ideo medici celebriores ſecuriſſimum eſſe volunt, & in omni pleuritide fomentum eſſe adhibendum, tamquam omnino aliquam adferens vtilitatem, vel vt cauſa ſanitatis, auxilium corpore non exiſtente pleno, vel tamquam ſignum ad dignotionem (nec minus eo tempore aliquod afferens mediocre leuamen) ex quo nos diſpoſitionem comprehendentes, ad totius corporis vacuationem peruenimus, vt Donatus ait: quemadmodum pro curatione doloris oculorum, *commento aphor. 31. lib. 6.* decretum quoque reliquit. Rectè itaque dicit Hippoc. non abſonum eſſe tentare, an diſſolui poſſit,quaſi velit, non ſemper ſpem eſſe,vt iis diſſoluatur: quin potius aliquando à fotibus deterius æger habet, & aliis remediis eſt opus. Curationem igitur doloris lateris à fomentis orditur; ſiue ſtatim inter initia ſit ortus,ſiue poſtea ſuperuenerit. Tentandum igitur,vt ſic curetur pleuritis: ſcimus enim phlegmonem *ex 13. method.* qua phlegmone eſt,curari his, quæ reſoluunt,& materiam per halitum digerunt:quod eſt tentandum primum. Sic Galenus, vt iam modo diximus *6. aphoriſm. 31. & in lib. de venæ ſectione*, phlegmonas oculorum fouet, tentando an poſſet diſſoluere. Si ſit multa copia & malum increſcit horum vſu, ad alia remedia ſe vertit: ſcilicet, curatione cauſæ ante-

antecedentis vtens, à qua phlegmone augeſcit & fouetur.Quam vtilis ſit fotus,id etiam experientia ſæpè vidimus, non tantum in principio, dum vocemur,ſed etiam poſtea.Sic memini me in curatione habuiſſe Alcmariæ Abbatiſſam ſatis vetulam Clariſſarum graui pleuritide affectam: quæ cum venæ ſectione & leui purgatione, cum aliis aptis remediis, curari non poſſet, extremo dolore lateris permanente, & cum eidem propoſuimus fotum eſſe adhibendum (quem ratione religionis ſuæ admittere nolebat; cum veſtes ex huius ordinis decreto exuere non poſſet) tandem poſt duos vel tres dies dolore ſemper increſcente rogaui, nunquid veſtes circa locum affectum diſcindere poſſemus,veſtimentis non exutis,cum & poſt fotum facile iterum ſuendo coniungerentur, quod cum annuiſſet fotu adhibito, præter aliarum monacharum opinionem, cum morti deſtinata videretur, à dolore & pleuritide ſana euaſit. Cæterum exempla fotuum quatuor ſunt: primum morſu prorſus caret, & tutiſſimum (vt etiam Iacchinus doctiſſimus annotauit) eſſe videtur, ex aqua calida,nos commode anodyna & emollientia; vt in puero præcedente,adiecimus.
9 Modus vero applicandi ex vtriculo aut bubula veſica, eſt commodiſſimus: vel cum ſpongia, vt nos feliciter vtimur, prius expreſſa & calide admota:quo etiam ad acutiſſimas & biliоſas valde pleuritides vtendum Galenus ait: quoniam à ſiccis, & calentibus proritaretur humor ille, qui contrariis temperari debet; ideo humeſcere & mordentes humores morſu carentibus mitigari. Sed & quia tutiſſimum eſt,quod mitiſſimum:tutius eo in omnibus vteris, inquit Galenus, cum coniecturam de humore,qualis ſit,certam facere non poteris, mox ad alia te transferes. Ad modum quoque applicandi attinet, vt circumueſtiatur linteo, quo calor plus perduret,neque halitus ad laborantis pulmonem feratur vna cum aëre inſpirato. Alia vero fomenta primum eruo, poſca, cocto vel hordeo, vt Galenus notat, humori glutinoſo & contumaci vtile erit; vt ſi flatus adſint, & dolor ex phlegmone, cui multum pituitæ ſit, quoniam ſecat,diſcutit & ſiccat. Alia vero ſicca ſunt,id eſt,ſine humore admota,ex milio & ſale, quæ ambo ſiccant; ſed hoc differunt, quod ſal vim acrem habet,& plus diſcutit,vnde & humori contumaciori conuenit; cuiuſmodi eſt pituitoſus. Milium vero ſolum ſiccat, ſanguineo magis vtile. Plura de fomentis, quæ ſcripſit Benedictus Fauentinus, cap. proprio de Pleuritide, videas: tum alios auctores, qui hanc rem copioſius tractarunt. De venæ ſectione(quæ ſtatim eſt adhibenda, ſi dolor non ſedetur in principio cum fomentis) & de purgatione, ſcholio ſubſequente dicemus.

OBSERVATIO XXXII.

De fabro lignario ter in quatuor menſibus pleuritide vera correpto, & curato.

AVguſto menſe anno 1545. fabet lignarius Pitheurienſis, annos natus triginta ſex, ſatis robuſtus, & mediocris habitudinis, cum in pleuritidem veram incidiſſet, & per duos dies aluum non depoſuiſſet,me vocauit. Statim communi clyſteri iniecto,cum bis ex eo aluum depoſuiſſet,mox ſecta vena cubiti dextri è directo loci affecti & ſanguine vtcumque copioſo circiter vncias decem extracto, deinde ſyrupis pectoralibus ebibitis, & leniente poſtea medicamento aſſumpto ex *caſſia & diacathol. an.* ʒ ß. *cum ſero lactis ſoluta, paucis localibus remediis adiunctis, cum eclegmatibus aptis ad ſputum educendum*, poſt ſeptimum diem egregie curatus fuit, ac ſanus vixit. Poſt menſem tamen denuo in pleuritidem ſæuam 2
& acutam cum grauioribus accidentibus prolapſus eſt:& quarto die ad eum accitus,rurſus cum phlebotomiam adhibere inſtituiſſem, amici ægrotantis refragabantur, cum vix menſis præteriiſſet, quod ſanguis illi detractus eſſet: ratione tamen perſuaſi à me, venæ ſectionem admiſerunt. Ita denuo ſanguine detracto ex vena baſilica eiuſdem lateris ad vncias octo, mox,rurſus conualeſcere cœpit, & ad conſueta munia demum reuerſus optime ſe habuit. Sed,quod miratu dignum videtur, poſt duos menſes iterum in pleuritidem relapſus, denuo ſanguine demiſſo ex cubito lateri dolenti correſpondente, illico & præter ſpem conualuit: ita, vt hic æger inter quatuor menſes ter legitima pleuritide laborauerit, & ſemper ſanguis detractus fuerit ex latere eodem: cuius venæ ſectionis beneficio, adiunctis & aliis præſidiis commodis mox ſanitatem recepit. Quo quidem exemplo manifeſtum euadit,auxilium citius ſanguine ex latere eodem demiſſo, quam ex oppoſito contingere.

Scholia.

OMnes quidem medici in hoc conſentiunt in omni pleuritide,exiſtente humorum redũdantia in toto,ſemper curationem exordiendam eſſe à venæ ſectione;quamuis in dubium vocant, ex qua vena id fieri debeat, nunquid etiam ex eodem latere vel oppoſito. Et de hac controuerſia non ſolum Arabes cum Græcis, ac ipſimet Græci auctores inter ſe, verum etiam iuniores medici,etiam hi,qui Galeni doctrinam profitentur, magnopere digladiantur; ita vt adhuc ſub iudice lis eſſe videatur; & ſi auctoritatem ac numerum ſpectes, vix ſcias, penes quem ſit victoria; num penes Græcos, Arabes, Barbaros, Latinos,veteres aut iuniores victoria cõſiſtat. Hinc tot concertationes,tot Apologiæ, tot libelli conſcripti de venæ ſectione vſque ad iurgia fere & obiectationes.De qua quidem re diſceptarunt celeberrimi quique medici noſtri temporis, vt Petrus Briſſotus vir in vtraque lingua doctiſſimus; 4
& Leonardus Fuchſius, & ante illum Matthæus Curtius vir integerrimus,qui quæſtionem de hac re non ſpernendam ſcripſit; & Manardus Ferrarienſis medicus eruditiſſimus, & Campegius, qui in hoc negotio defenſando partem Græcorum non parum temporis conſumpſerunt, dum venam ſecandam eſſe volunt ex eodem latere, contra Arabũ partes, qui ex oppoſito latere ſanguinem promunt, validiſſimis rationibus ac auctoritatibus non ſpernendis defenderunt: vt Dionyſius medicus Luſitanus, Hieremias Thriuerius quondam præceptor meus Louanij: Dominicus à Melgutia medicus Romanus,Andreas Turinus, qui aduerſus Curtium ſcripſit. Neque hæc noua hæreſis eſt, ſed per multos etiam ante annos agitata quæſtio: ita vt Auenzoar ille glorioſus medicus *libr. 1. Theyſir. tract. 16. c. 3.* taxet medicos nouos ſui temporis,qui ſecabant venam ex eadem parte ægritudinis. Huius quoque opinionis ſunt & Auicenna, Rhaſes, Haliabbas, Meſue, Auerrhoes, & omnes Auicenniſtæ & illi potiſſimum medicinam barbaram ſectantes, & 5
qui in Rhaſem commentati ſunt atque ſcripſerunt. Hi omnes à latere diuerſo ſanguinem de-

munt. Et inter Græcos Archigenes ipſe inquit. Si latus inflammatur circa mammam, & ad clauem dolor peruenerit, in oppoſito cubito venam ſecabis, & ſanguinem detrahes citra animæ defectũ; tum peripneumoniam, inquit, non extimeſces; pulmo enim, qui rarus & caliduseſt, laterique vicinus, facile virus contrahit: at expedit per interualla extrahere. Eundem & Aëtius ſequitur. Alij Græci, vt Hippoc. & Galen. & poſt eos Oribaſius, ab eodem latere miſerunt: & Cornelius Celſus inter Latinos præcipuus *lib. 2. c. 9.* taxat medicos, qui in dolore pleuritico faciunt diuerſionem à longinquis: & Conſtantinus ille Caſſianenſis medicus, ex mente Iſaac *lib. 3. Viatici c. 12.* in pleuritide venam, quæ ex directo loci affecti eſt, ſecandam docuit: quamquam & is Arabs non deuiauit, ab opinione Græcorum: quamuis alij quoque non deſunt, qui nituntur Arabes cum Græcis concordare, vt Nicolaus Monardus Hiſpalenſis medicus. At nos etiam in ſequendo præcepta præceptorum noſtrorum, commode ſemper in principio quoque ex latere eodem ſanguinem miſimus, non ſolum in hoc fabro, ſed in aliis fere omnibus. Idem Amatus in multis
6 exemplis peregit; vt in Angelo Ferreto nobili Anconitano, præmiſſo clyſtere baſilicam eiuſdem lateris dolentis ſecare fecit, ad vncias octo ſanguinem extrahens, idque primo die, vt videre poteris, *cent. 1. cur at. 59.* & in mercatore Ariminenſi ad vncias decem in eodem latere, *cent. 3. curat. 68.* Et in puella annos 17. nata iniecto clyſtere, eodem die bis axillarem venam ſecuit ad vncias viginti ſanguinis, *centuria eadem, curat. 69.* idem iuſſit fieri in alio, *centur. 4. cura. 88.* Et in textore ad duas libras, vbi & in ſcholio ſe cum Briſotto Gallo, Matthæo Curtio & Fuchſio conuenire teſtatur, rationemque ibidem addit longo ſermone, curid faciat. Interea neque illi audiendi ſunt, qui docent ſemper faciendam eſſe in parte dextra, quod vena azygos, magis ad partem illam vergat, quam ad aliam. At Donatus & Argenterius magis quoque inclinant ad illos, qui ex latere eodem ſanguinem demendum eſſe tradunt, quamuis vterque illud tamen non vult perpetuum eſſe præceptum, quod nunquam in latere
7 oppoſito fieri deberet: de qua re vide prædictos auctores, & præcipue Donatum. Sic iſtis diebus etiam memini me ſecuiſſe ſaphenam in iuuenecula octodecim annorum, cui cum menſes fluerent, & ſubito adſtricti eſſent, & in pleuritidem collapſa eſſet, mox aliis remediis hæc ipſa ſanitati reſtituta fuit: nam vbi facta fuit ſaphena, aperti ſunt menſes, & melius pleuritide euaſit: & quamquam in hoc caſu iuuabat, ſi tamen menſes non ſubito fuerint reſtricti, ſed forte longiore tempore, vix video in tam vehementi malo, quomodo tam longinqua diuerſio prodeſſe poſſit: licet Holetius eam laudat, ſic ſcribens: Suppreſſa aliqua per partes inferiores vacuatione, vbi malum inde ortum eſt, in inſigni plenitudine, in materia virulenta, cumque ſtatim in initio materia in caput rapitur, ac mentem commouet, è venis cruxis eiuſdem lateris, ſanguis demendus eſt; alioqui è baſilica eiuſdem lateris: & ideo debet fieri (ne hic multa verba profundamus) ſecundum rectitudinem, quod Hippocrates, & deinde Galen. appellat κατ' ἰθὺν: & ita eligit Hippoc. venam internam eiuſdem lateris, quod hæc, vt Galenus ait, reuellit, & celerrime, & vacuat à partibus pectoris ſuperioribus. Cum ergo in acutis morbis celerrima auxilia exigamus, hinc eam præeligemus, & ea non apparente mediam. Nam quæ ex oppoſita vena fit, aut exiguum præſtat auxilium, aut non cito ſentitur, ſed ſerius. At nos velociter iuuari ægrum volumus in morbis acutis. Sed antequam reliqua explicemus de venæ ſectione, aliud exemplum proferamus.

OBSERVATIO XXXIII.

De pleuritide valde periculoſa in ſene, & de muliere pleuritica, in qua non ante octauam diem fuit ſecta vena.

IAſon Langius Hyperanus, vir inſigniter doctus, Scholæ Delfenſis Rector, familiaris noſter amicus, annum agens 64. anno 1589. menſe Octobri in pleuritidem ſæuiſſimam incidit: ad quem priustertio die accitus fui, nempe 23. die Octobris, cum ſputum crudum, viſcoſum, cruentum, ſubinde & bilioſum exſpueret, cum ingenti lateris ſiniſtri dolore, vt morti vicinus videretur, glande vix aluo ſoluta cum tribus diebus nihil excreuerat, neque vena ſecta fuerat, & iam tertius dies eſſet, venam in brachio ſiniſtro, nempe baſilicam, ſecari præcepi, ſanguine ad vncias ſeptem, vel paulo plus in ſene extracto: interea hoc decocto vtebatur. *℞. rad. liquiritiæ raſæ ℥ ß. hordei mundati p. j. viol. bechij, ſcabioſæ, capill. Ven. polytrich, an. m. ß. ſem. aniſi ℥ j ß. uuar. paſſ. enucleat. ℥ j. iuiubar. recent. numer. vj. fiat decoctio in aqua communi pro ℥ ix. colaturæ addendo ſyr. capill. Ven. ℥ j ß. miſce:* locus inungebatur linimento ſequenti. *℞. olei amygd. dulc. ℥ ß. olei chamamel. butyri recentis, axungiæ gallinæ, an. ℥ ij. miſce.* Pro expectoratione hoc eclegmate vtebatur. *Recipe ſyrup. capill. Ven. ℥ j. ſyrup. de liq. viol. an. ℥ ß. zucch. penid. ℥ ij. fiat loch.* 14. Octob. cum aluum non deponeret, glans acuta iniiciebatur: ſed nihil effecit: & rurſus aſſumpſit hoc lene medicamentum laxans. *Recipe ſyrup. ex infuſ. roſ. pallid. cum foliis ſenæ ℥ j ß. electu. lenitiui ℥ j ß. aquæ vngulæ caball. ſeu bechij ℥ ij ß. miſce:* ſed nihil effatu dignum eduxit: ideo hoc apozemate vtebatur. *Recipe hordei mundati p. j. foliorum maluæ, viol. vngulæ caball. capill. Ven. polytrichi. an. m. j. flor cordialium p. j. prun. damaſcen. numer. xiij. uuar. paſſul ab acinis repurgat. ℥ j. iuiubar. recent. numer. vij. folior. ſenæ Alexand. à ſtipitibus repurgatæ. ℥ j. ſem. aniſi ℥ j ß. polyped. quer. ℥ ß. fiat decoctio in aqua communi pro ℥ ix. fortiſſ. expreſſ. adde ſyrup. violar. ſyrup. ex infuſ. roſ. comm. & pallid. an. ℥ j.* miſce, fiat apozema pro tribus doſibus matutinis: cum vnam ſumpſiſſet, ter aluum deiecit: dedimus 26. Octob. altero die rurſus doſim cœpit. At dolor non mitigabatur. Quare & hoc fotu vtebamur. *Recipe rad. althææ mundat. ℥ ij. folior. maluæ, viol. flor. chamam. meliloti, an. m. j. ſeminis maluæ ℥ ij. ſemin. lini ℥ iij. coquantur in aquæ communis pro lb. j ß. fiat fotus cum ſpongia, vt artis eſt:* & rurſus cum vng. ſuprаſcripto cœpit dolor mitigari; & nono die ſputum melius exibat: ſumens quoque ex linctu ſyrupi capill. Ven. & liq. antea quoque ex ſyrup. iuiubino de liquiritia, adiectis tabulis diatrag. frig. eo quod ſputum bilioſum erat. Sed 27. Octob. ſyr. capill. Ven. de liquir. Decimo quarto, ſputo bene exeunte iam melius habebat, vtens hordeato: & poſt 14. diem ſputo magis exeunte in ſene, circa 20. diem, perfecte curatus eſt à pleuritide ſæuiſſima, cum omnium admiratione, cum pro deplorato habitus fuerat. Interea in dubium vertitur à quibuſdam, numquid poſt quartum diem ſanguis demendus ſit in pleuritide: quam quæſtionem mouet Valeſcus *libr. 3. c. 8.* de pleuritide: & auctoritate Rhaſis & aliorum, ac

ac Auicennæ concludit, cum tunc adſit augmentum & materia incipiat digeri & expelli ſputo
4 apparente & melius exeunte, quam prius, venam minime eſſe ſecandam, ne impediatur apoſtematis maturatio. Neque propterea id fieri iubet, niſi aliorum medicorum præſentium conſenſu; idque admonens vt opinor, vt calumnia declinetur, modo vires admittant. Hipp. tamen in Anaxione octauo die venam ſecuit, vt etiam ex commento *Aphor. 12. libr. 1.* apud Galenum conſtat. Et huius hiſtoriam ad longum habemus 3. de morb. vulgaribus, licet etiam tunc medici (referente Galeno in eodem *comment. 3. Epid.*) quaſi certa lege vltra quartum diem venam non ſecabant. Sed quod octauo die prius venam ſecuerit, aliquæ referuntur rationes à Galeno, vel quod Hippoc. citius non eſſet vocatus, vel quod materia eſſet cruda: quæ tamen rationes Montano non ſatisfaciunt, vt ad longum explicat in commento ſupra Rhaſ. de pleuritide: ſed & hanc rationem meliorem eſſe putat: non miſit in quinto, quia erat dies maioris afflictionis, neque in ſeptimo potuit; quia hi dies erant maioris afflictionis, cum pleuritides plerumque habeant acceſſiones de tertio in tertium: in ſexto quoque non miſit, quia tunc delirabat, & habuit ſæua accidentia; ideo neceſſarium fuit in octauo mittere. Reliqua vide apud Montanum. Quod Hip-
5 poc. hoc prius in octauo die fecerit, oportet, vt aliquam ex his dictis cauſam habeat: Cum enim magnitudine morbi & viribus indicatio mittendi ſanguinis ſumatur (*vt 9. methodi habetur*) optimum igitur factum eſt, id quod nos ſemper (*inquit Galen.*) facere vidiſti, ſtatim non numero dierum, ſed vni virium robori in febribus eius generis (Synochos præcipue intelligit, ſic & acutas, vt eſt pleuritis) attentum eſſe: quippe quod ſi ſeruatum eſt, non ſolum ſexto ſeptimoue, ſed etiam ſequentibus diebus ſanguis eſt mittendus: & ita ſi tardius vocati fuerimus ad pleuriticos, etiam poſt quartum diem, & omiſſa fuerit venæ ſectio, ſanguinem demittemus, modo vires adſint, ac dolor ac febris vrgeat, & ſputum nondum maturuerit: & ſic ego aliquando in muliere pleuritica & vidua annos quadraginta nata (quæ in aggere tinctorio Delphis decumbebat) octauo prius die venam ſecari feci, cui facies puſtulis repleta erat, pulſus vtcumque fortis, idque ex eodem latere; quæ poſtea aliis quoque adhibitis remediis, & eclegmatibus ad ſputum facilitandum vtens, per modum reſolutionis ſputum commode expectorans ſana euaſit, cum aliis non-
6 nullis, cum anno 1565. menſe Ianuario vſque ad Martium, cum aſpera hyems eſſet, quam plurimi ex pleuritide decumberent. Venit & mihi tunc in mentem Oliuerius pleuriticus apud Amatum, cui in principio tantum vnciæ quatuor ſanguinis detractæ fuerant: & poſtea Amatus ad eundem accitus 16. die, vncias octo detraxit: deinde rurſum 13. die vncias ſex: qui tandem euaſit 27. die, vt apud eundem videre licet *cent. 1. curat. 21.* Hoc tamen exemplar non ſemper imitari oportet, cum & vires conſiderandæ ſint, quæ non ſemper toties repetitam venæ ſectionem ferunt: ſed potius in principio, cum vires adhuc fortes ſunt, & exitus ſputi non impediatur.

SCHOLIA.

7 Demenſum ſanguinis. QVantum ad ſanguinis detractionem, poſtquam Hippoc. quando ſanguis ſit detrahendus, & ex qua vena docuiſſet, mox de quantitate agit, dicens: tantum ſanguinis auferendum, vt color permutari cœperit ipſius effluentis. Eſt autem permutatio hæc, vt ſi prius albidior colore ſit, vt in pituitoſiore habitu contingit, rubidior euadat, id eſt, pleniore purpuræ colore: ſi vero calido ſanguine æger ſit & purpureo, loco eius liuidus exeat. Iam n. hoc ſignum eſt, detractionem eo perueniſſe, vt euacuaret ſanguinem circa partem impactum in exilibus venis, qui etiam eo modo alteratus eſt à calore phlegmones. Nam calor ita colorem alterat exurendo; quod aperte in febricitantibus videmus, & æſtate exercitatis euenire: ſed contra quam hic; in illis enim ſæpius mutatio coloris fit ad melius, propterea quod ſanguis in extimis venis manens exuritur, qui vero in viſceribus, benignior eſt (ita procurante natura in febribus, vt excrementitius ad cutem tendat, contra viſcera potiore fruantur) præterea quod exiguus eſt, & in exiguis venis facilè exuritur. Ignari vero medici cum eam mutationem vident, Hippocratis exemplo ſiſtere volunt. At non eadem ratio eſt, vt etiam doctiſſimus Iacchinus annotauit. Hic enim plurimum educetur, priuſquam eductio ad locum perueniat: itaque bonum erit ibi ſiſtere. At hic vacuare plenitudinem volumus, & non ſolum, qui in extimis eſt, ſed qui in viſceribus: itaque non ſtatim ſiſtere oportet. Horum autem dictorum Hippoc. Galenus reddit rationem *in 2. de rat. victus & in lib. de curandi ratione per venæ ſectionem.* Non tamen, ſecundum eundem Galenum, ſanguis ſemper mittendus in pleuritide ad caloris mutationem, ob infirmas vires, quæ tantam copiam vacuare prohibent, aut ob phlegmones prauitatem. Quibus & Galen. *iiſdem locis, & 1. de art. curat. ad Glauconem*, adiungit laborantis temperiem calidam & humidam: nam ſuapte natura talia corpora diſſlantur, vti & pueris. Et licet Græci in pueris vſque ad 14. annum à venæ ſectione abſtinuerint, Arabes (*vt alias diximus lib. 1. ſcholio, obſeruat. 21.*) etiam in pueris eam aliquando non reliquerunt. Sic nos in pueris 9. annorum pleuritide laborantibus venam ſecuimus, etiam in quo-
3 dam 13. annum agente. Quidam medicus Bru- *Vide cent. 1. curat. 17.* xellenſis felici ſucceſſu quarto anno venã ſecuit: Galenus vbique prohibet, vſque ad 14. annum, Amatus venam ſecuit in puero obeſulo, ſanguineo, quatuor annorum. In pueris tamen pinguiuſculis (vbi venæ anguſtiores ſunt) quidam ſanguiſugis vtuntur, decurtata harum cauda, vt vacuationis modus certo finiatur. Ideo & menſura obſeruanda: in pueris parcius, in adultis copioſior adhibenda: & tantum, vt alias diximus, detrahendum ſanguinis, quantum poſtulat vehementia affectus & copia humoris redundantis; ſed non ad ſyncopen, ne ſputum retineatur, aut humor poſtea regeratur in affectam partem; præſtatque ſanguinem, (vt alias diximus) in peluiculis demiſſis ſpectare, & eius colorem & conſiſtentiam conſiderare. Atque hæc ſectio fienda præſente medico, vt & colorem ſpectet, & vires ex pulſu metiatur. De tempore iam paulo ante diximus, & latius *lib. 1. Schol. Obſeruat. 12.* Sed hic aliquis dubitare poſſet, quod aliquando non tantum ob imbecillitatem virium ſanguinis miſſio fieri non debeat, ſed etiam ob aliam cauſam, vt ſi natura euacuet ſatis per hæmorrhoides vel ſanguinis fluxum è naribus aut menſtrua purgatione. Sic ego quondam in nobiliſſima domicilla Terlongia, iuuencula quindecim annorum, quæ ex pleuritide in Campo regio decumbebat, eo ſcilicet tempore, cum publicæ pleuritides graſſarentur,

rentur, ad quam quarto die prius accitus eram, quo tempore menſes aperti erant, & largiter fluebant, à ſanguinis miſſione abſtinui: quæ poſtea (menſibus apertis ſanguine ſatis copioſe profluente, ſputi expectorationem non prohibente) adhibita leui ventris lenitione, & eclegmatibus ad ſputum facilitandum & linimentis, abſque venæ ſectione conualuit. Quod ſi tamen non ſatis profluant (vt alias fecimus in quadam famula iuxta Aëtium, cum non ſatis videretur purgari per menſes) commode venam in brachio è regione dolentis ſecamus. Sed hæc de venæ ſectione dicta ſufficiunt: cum integri libri de eadem re, de pleuritide curanda, conſcripti ſint. Sed nunc de purgatione etiam quid adiiciamus: & primo à medicis doctiſſimis quæritur, num ea vtendum ſit. Hippocr. ſolum ea vtitur, vbi dolor inferna affligit. Galenus huic non repugnat, & fatetur vſui eſſe, ſed non eſſe tutum propter febrem, propterea quod non nouimus ſemper ægri naturam, vt ſe habeat, ad purgationes, & alia incommoda, quæ ibi enarrat: ideo præligit & hic venæ ſectionem, quem ſequitur Rhaſes. Hinc quoque Rondeletius potius clyſteriis contentus eſt, cum viderit aliquos perire ob medicamenta laxantia; cum & Hippocr. alibi dixerit, inflammationes internas laxantibus medicamentis non eſſe curandas, quia nihil à parte inflammata euacuent, & ſanas colliquefaciant, & ideo in ſolo morbo pituitoſo, qui per catarrhum ſiue defluxionem fit, laxans medicamentum alibi exhibet Rondeletius. Nos tamen dicimus cum Iacchino ex communi methodo 4. *meth.* & 13. in cura phlegmones patere, quod ſi æger vitioſo ſucco abundet, eſſe etiam adhibendâ purgationem, ſed quæ minime angat: cuiuſmodi ſunt leues purgationes, quarum multa ſunt exempla: & multi iis vtuntur; præſertim, ſi morbus non prorſus conſtiterit, ſed adhuc ſemper augeatur. Aliquando igitur ea vtemur, aliquando ſat erit clyſmate vti. Galen. autem præligit phlebotomiam reſpectu purgationis acrioris, quæ fit à peplio & helleboro. Hippocrat. vero, etſi ſub ſepto tranſuerſo partes doleant, per inferiora ventrem purgare præcepit 2. *de rat. vict.* & 4. quam ſententiam etiam poſt Hippocr. ſectati ſunt Paulus, Aëtius, Alexander, quod quidem ſeruari duobus duntaxat prius conſideratis perpetuo poteſt, modo non ſint correpti validiſſimis febribus: nam iis medicamenta purgatoria dari non debent, donec febris remiſerit. Vnde & (*eodem teſte Aphor.* 24. *lib.* 1.) in acutis morbis raro, & in principiis tantum medicamentis purgantibus vtendum. Iam quoque ex Gal. 2. *de rat. vict.* ipſius laborantis natura cognita eſſe debet, vt paulo ante dictum eſt: ſi eius naturam cognouerimus, & dolor inferiores partes thoracis infeſtet; & febris non fuerit vehemens, medicamentum purgans iuxta Hippoc. & Galen. dari poterit. Sed quia ſæpiſſime febris vehemens, pleuritidem comitatur, etiam dolore partes inferiores infeſtante & natura incognita plerumque ſit, Galenus ea ratione tutius ſemper venam ſecari iubet: quam opinionem ad longum etiam Donatus explicat. Hinc & quidam raro vtendum purgantibus voluere, iiſque leuibus in principio, morbo pituitoſo per defluxionem; & ſi materia fluat ab hepate; ſed tutius adhuc clyſteribus agitur. Sed quia noſtra medicamenta multo tutiora ſunt quam veterum, lenientium purgatio etiam ab initio non erit metuenda, quæ leniendo purgant, & tuſſi non aduerſantur, qualia noſtro ævo ſunt *caſſia, manna ſyrup. ex infuſ. roſ. aut viol. ſolutiuus, & diapruanum ſimplex, aliquando, adiecto diacatholico vel electuario leniente*, vt exempla curatorum oſtendunt. Sic ventrem lenimus & materiam minoramus, digerimus cum ſyrupis & decoctis & purgamus cum leuibus iam dictis. Sed à vehementioribus ſolutiuis abſtinemus, & non vtimur pilulis, vt quidam ineptus medicus (*vt Guainerius refert cap.* 12. *de pleuritide*) qui nobili pulcherrimæ iuuēculæ pleuritide affectæ dedit ʒ j. pilularum fœtidarum cum gr. iiij. diagr. quibus in ſyncopen ſæpius prolapſam Guainerius reſtituere non potuit: ita vt in brachiis eiuſdem exſpirauerit miſera. Sic & quidam alius pleuriticus cum pilulas accepiſſet, poſtea curari non potuit. Vomitus hic quoque nullo modo confert, nimis etiam pectus exagitat, & ſua commotione malum auget. Ideo & vulgares peſſime faciunt, qui in pleuritide ſemen cataputiæ exhibent. At clyſteres emollientes vtiles ſunt, & ſtatim iniiciendus emolliens, ſi tempus patiatur; deinde fiat ſectio venæ, vel poſt. Formulas habes apud Rondeletium & alios. Hæc de euacuatione. De aliis remediis, quæ ſputum promoueant, & intus & exterius adhibentur, mox dicemus: quæ inquam dicta, & iam dicenda exemplis multo illuſtriora erunt.

Num vtendum ſit purgatione in pleuritide.

OBSERVATIO XXXIV.

De pleuritide miti benigna qua facillime fuit reſoluta.

ALeida, Petri Opmeri filia, puella 14. annorum plus minus, gracilis & biliosa, ac raræ conſtitutionis anno 1565. 16. Ianuar. die, cum ingens gelu eſſet, & venti boreales flarent, Delphis apud patrem habitans, vera pleuritide correpta eſt. Ad quam ſecundo die accitus, cum parum coloratum exſpueret, atque omnia ſigna pleuritidis veræ adeſſent, ſed benigniora, atque dolor latus dextrum contorqueret, cum balano aluum depoſuiſſet, ac bis ſtercora licet dura excreuiſſet, poſt duas deinde horas, cum dolor clauiculam aſcenderet, venam baſilicam in cubito eiuſdem lateris tundere feci, ſanguine ad vncias quinque vel paulo plus extracto. Plus vero extrahere auſi non fuimus in puella 14. annorum, tempore valde frigido exiſtente, & in gracili corpore. A ſanguinis detractione mox dolor mitigatus eſt: & poſt inunctionem loci dolentis cum vnguento reſumptiuo, & à ſanguinis detractione ſudauit, & plurimum febris mitigata eſt: & tunc ſub noctem hordeato pro cibo vſa eſt. Die vero ſubſequenti anhelitus liberior & dolor ex toto fere ſedatus. Sed quod omiſeram, à venæ ſectione eodem die hoc iuleb. ebibit. ℞. *decoct. pector.* ʒ iij. *ſyr. viol. iuiubin.* ʒ ß. *miſce.* Tertio die ab initio morbi melius ſpirabat, vt dictum eſt, & ſputum optime procedebat, licet paucum & ſine dolore, cum & materia admodum exigua videretur, & minime rebellis. Sed cum ventrem non bene deiiceret, dimidium huius potionis ſumpſit: ℞. *folior. ſenæ* ʒ vj. *bulliant in* ʒ ix. *decoct. pectoralis, & fiat fortis expreſſio, addendo ſyr. viol. capill. ven. iuiubini, an* ʒ ß. *miſce.* Cum dimidium huius ebibiſſet, bis excreuit liquidiora. Interea ad ſputum facilitandum hoc lambitiuo continuo vtebatur. *Recipe diatrag. frig. in tabul. ſyr. viol. iuiubini, an.* ʒ ß. *zucch. penid.* ʒ ij. *poſtea & ſyr. capill. ven. adiectus eſt.* pauca exſpuebat, ſed mediocriter ſudabat, & cum inunctione inſenſibiliter materia reſoluebatur. Quinto die reliquum decoctionis ſenæ ſumpſit, & bis denuo excreuit: ſexto die niſi cum glande.

glande. In ſeptimo cum ſudaſſet, continuando eclegmata dicta, cum ſyr. capill. ven. liberata eſt, & febris eam reliquit, Ptiſana pro potu vtebatur, & pro victu, ſolo hordeato, poſtea & panata cereuiſiaria. Quibus præſidiis, & hæc commode reſtituta fuit.

SCHOLIA.

QVamuis autem hæc pleuritis mitis eſſet, hoc tamen tempore à menſe Ianuario vſque ad Martium, continuo pleuritides graſſabantur, etiam ſæuiſſimæ; nonnullæ quoque peripneumoniæ, quæ in ſenioribus magis lethales erant, & multæ pleuritides in peripneumoniam lethalem conuertebantur. Atque hæc omnia videbantur euenire ob aquiloniam conſtitutionem, cum & per totam hyemem & vltra decem ſeptimanas continuo gelu erat & glacies, & ante natiuitatem Domini gelu atrociſſimum vſque ad ſecundum diem Martij perdurans, quale tempus hybernum neque ipſe vix in vita viderim. Quod tunc erant pleuritides & peripneumoniæ, nihil miratu dignum, cum antea ex Hippoc. dixerimus ex *Aphor.* 23. *lib.* 3. Hyeme morbos laterales & pulmonis inflammationes fieri: eoque magis, cum venti frigidiſſimi ſpirarent: nam & verſus orientem & aquilonem flabant, hinc dolores lateris & pectoris increſcebant, *iuxta Aph.* 17. *libr.* 3. cum aquiloniæ conſtitutiones pectoris dolorem augeant, quod & *Aphoriſm.* 5. *lib.* 3. *oſtendit.* Plurimi tum temporis ſuamet negligentia periere, cum non ſatis tempeſtiue medicum vocarent, alij verò nimis naſuti ſibi ipſi medentes medicamentis calidioribus (cum tamen febre acutiſſima afficerentur) necem quoque intulerunt. Cæterum (quod ad curationem attinet) de euacuatione iam dictum eſt, & de maiorib. remediis, nempe purgatione & phlebotomia; interea alia præſidia non erunt negligenda, quæ ad facilè exſcreationem, & ad thoracis expurgationem valent, quæ etiam diuerſa eſſe debent, prout humor quoque varius ſit, qui pleuritidem intulerit: ſic in biliosa confert ſyr. viol. iuiubinus & adianthi, etiam in ſanguinea: ita & ſyr. de glycyrrhiza, de hyſſopo, de praſſio ſi ex craſſioribus ſuccis originem traxerit. Huc pertinent & decocta pectoralia, & eclegmata, & epiglottida dicta de tuſſi & catarrho: quorum medicamētorum copiam habes apud Rondeletium, Hollerium & alios practicos: vti etiam de vnguentis, linimentis, fotibus, & aliis, præſertim apud eos, qui Arabum decreta quoque ſequuntur. Et ſic in vera pleuritide curanda, quæ per ſputum vel reſolutionem terminatur, curationem tertis quibuſdam intentionibus abſoluunt, victum commodum deſcribentes, materiam diuertentes, & digerentes, mox euacuantes & ſputum facilitantes & materiam vltimo reſoluentes vt apud Gatenariam, tum alios videre licet. Et ſic omnibus modis augmentum apoſtematis inhibent, & ſecundo quod fluxum eſt reſoluunt. In his tota curatio conſiſtit. Si verò per collectionem terminetur, ſupradictis quatuor intentiones addunt, maturationem, ruptionem, abſterſionem, conſolidationem. De quibus videas Valeſcum & Arculanum; & quamuis in numero diſcordare videantur, in re ipſa ſatis concordes ſunt. Per exempla hæc ipſa manifeſtiora euadent.

OBSERVATIO XXXV.

De pleuritide ſanguinea per ſputum, deinde & per menſes critica expurgatione finita.

PVella ſucci plena, annū 25. agens, ſanguinea, famula apud cereuiſiarium cum eodem tempore hyeme quidem aſperrima; linteamina extra vrbem lota (vt fieri aſſolet) abluiſſet, domum reuerſa cum incaluiſſet, 12. Februarij die horrida febre correpta, poſtquam inhorruiſſet, pleuritidem incurrebat, cum febre continua, & dolore ſiniſtri lateris ad iugulum tendente. Primo die nihil exſpuebat: ſecundo vero cruentum quid. Chirurgi opera vſa eſt: is ſanguinem detraxit in brachio lateris oppoſiti, aluo plus æquo reſtricta, ita vt peſſime habuerit, & per totam noctem ſubſequentem dolor valde increuit. Lotium ad me mittit, quod rubicundum erat, & quæ acta eſſent narrantur: lenitiuum præſcribo, cum tribus diebus aluum non reddidiſſet, quamuis libenter prius illam inuiſiſſem. Ex medicamento leniente quinquies aluum cum depoſuiſſet, me vocari iuſſit: in ſequentem diem venæ ſectionem in brachio è directo loci affecti diſtuli, ob medicamentum aſſumptum. Secta vero vena baſilica ad vncias ſex, iterum in loco affectui correſpondente; qui cum in diuerſis vaſculis reſeruatus, primo niger & corruptus fluxiſſet, & poſtea rubicundior, manifeſte dolor lateris ſedatus eſt; adhibito quoque linimento ex vnguento reſumptiuo: & bibens ptiſanam confectam ex hordeo mundato, vuis paſſulis ab ariſtis repurgatis, & glycyrrhiza: & continuo ſumens ex hoc eclegmate. ℞. *ſyrup. iuiubini, viol. capill. ven. an.* ʒ j. *conſeruæ viol.* ʒ ß. *miſce*, ita vt ſputa melius procederent. Sub noctem reuerſus fatebatur dolorem lateris omnino remiſſum; ſed iam caput dolere, & minus dormire poſſe: frontem inungo *vngu. popul.* & *oleo nymphææ.* Præſcribo ſimiliter *diatragac. frig. in tabulis.* Et vt continuo eclegmate ſuperiori vteretur. Quarto die vrina melior & ſputa concocta exibant, dolore circa imum ventrem apparēte, & circa lumbos, ita vt menſtruam purgationem exſpectaremus, veniſque vteri apertis menſes copioſe fluxere, dolore lateris amplius non apparente, & ſputo mediocriter exeunte. At quinto die dum lectus componeretur, & diutius ſellæ ſine foco inſediſſet, rurſus horrere cœpit, & in lecto febris eam inuaſit. Ad illam reuerſus, cum neglectim illam habuiſſent, calidis pannis vt tegeretur mandaui, & cuocato ſudore, ac latere rurſum parum dolente inuncto cum vng. reſumptiuo, dolor mitigatus eſt, & ex ſyr. capil. ven. denuo ſputum excreuit, & menſibus ſatis fluentibus in ſeptimo die decretorio, hæc curata fuit, vt amplius non inuiſerem.

SCHOLIA.

SAnguineam pleuritidem minus biliosam lethalem eſſe prius diximus: quamuis conſiderandum veniat, quod aliquando vna cum pleuritide purus ſanguis exſpuitur, venam ruptam ſignificans in pectore, cuius curatio, teſte Rondeletio, inſanabilis quaſi habetur, cum & iuxta Auicennam in phthiſin mutetur. Sed & Bertrutius de huius curatione meminit, dum præſcribit ea, quæ partim leniter ſputum educant & ſimul conglutinent: de quibus dictum eſt de ſputo cruento. Verum in ſanguinea pleuritide, in qua

In curatione pleuritidis ſanguineæ.

qua etiam albedo quædam vna cum ſputo appa-
ret, liberalius ſanguinem mittimus, aluo reſpon-
dente, alioqui clyſtere emolliente præmiſſo.
Deinde cum ſanguis non digeratur, ſed ſua ebul-
litione facile in bilem tranſeat, incraſſantibus
ſyrupis vtimur, vti & in biliosa pleuritide, ſed
minus tamen incraſſantibus in ſanguinea quam
biliosa. Ventrem cum caſſia lenimus, adiecta pul-
pa thamarindorum, & in principio vtimur deco-
ctis detergentibus & lenientibus aluum, *ex paſ-
ſulis, prun. dulcibus, iuiub. & ſem. 4. frig. maior.
maluæ & glycyr. vngulæ caball. viol. adiecto ſyrup. viol.
poſtea addimus ſyr. capill. veneris, purgamus cum ſyr.
ex infuſ. roſ. pallid. & decoct. pectorali immixto, ita &
innocua calida vtimur electr. diatrag. frig. diapenid.
ſine ſpeciebus*, ex quibus etiam eclegmata paramus,
adiectis ſyr. viol. & iuiubino, & ſi maiorem in-
craſſationem deſideramus, etiam adiicimus *ſyr.
pap. adiecto ſyr. adiamb ino*, ne nimis incraſſet: de
quibus videas Rondeletium & alios. Potus, vn-
guenta & alia hic ita calida eſſe non oportet vti
in pituitoſa, & fotus magis humidi conferunt, vt
dictum eſt prius: atque tale vel ſimile vnguen-
tum. *Recipe olei viol. amyg. dulc. an. ℥ j ß. butyri re-
centis ℥ j. miſce*, alia tamen magis conueniunt in
principio, alia in ſtatu & declinatione: de quibus
omnibus vide iam dictos auctores.

OBSERVATIO XXXVI.

De pleuritide biliosa.

1 VIr qui ad pontem auenarium Delfis pleuri-
tide biliosa correptus erat, poſt vini ingur-
gitationem febre validiſſima affligebatur, cum
ingenti lateris dextri dolore ad ſuperiores coſtas
deſcendente, ſputum ſubflauum vix ſanguine
tinctum huic aderat, plurimum angebatur, in-
quietus erat, & ſubinde paraphrenitidem in-
currebat, capite dolebat, vigilabat, manus tre-
mulas habebat, ideo & venæ ſectionem nolebat
admittere, quamuis alia vice per venæ ſectionem
ſimili pleuritide laborans per me curatus fuiſſet.
Secundo die cum ad eum accitus ſum, venter illi
ſatis copioſe ex ſero lactis ſoluebatur, decocta
pectoralia præſcripſi, adiectis ſyr. viol. & iuiu-
bino, locum dolentem inunximus vnguento re-
ſumptiuo, & ad ſputum promouendum zacch.
viol. exhibuimus, & diatrag. frig. At in quarto,
cum venæ ſectionem nollet admittere, & dolor
non ſedaretur, eundem cum vellem relinquere,
tandem ſectionem admiſit: & vena ſecta ex bra-
chio è directo loci dolentis, & ſanguine copioſe
effluente, ad vncias fere octo ſatis nigro, melius
habuit: quinto die peius. Sexto delirauit. Sed
eidem poſtea copioſe venter fluxit: plurimum &
tunc angebatur, vt æſtantes ægrum moriturum
exiſtimarent. Septimo tamen die facta eſt criſis
per icterum, & totus croceus euaſit: at poſt ſu-
dores & copioſas deiectiones vrinæ, cum ſputa
ſatis commode exirent, decimo quarto die ſanus
factus eſt.

Scholia.

3 QVod ſeptimo die ictericus & poſtea totus
croceus euaſerit, bonum fuit ſignum: Nam
& Hippocr. (vt etiam à Celſo citatur libro ter-
tio, capite 23.) pronunciauit poſt ſeptimum
diem febricitanti ægro Regium morbum ſuper-
uenire, tutum eſſe, mollibus tantummodo præ-
cordiis ſubſiſtentibus. Diocles ex toto, ſi poſt fe-
brem oritur, confirmauit etiam prodeſſe: ſi poſt
hunc febris, occidere: Hæc autem pleuritis, cum
materia eſſet biliosa, citius terminabatur, cum
eius terminus iuſte ſit 14. dies, vt alias dictum eſt, *Cur*
quamquam in Anaxione ad 34. prius ſoluta. *plerum*
Quod ad curationem attinet pleuritidis biliosæ, *biliosæ*
ſi fæces ſint induratæ, molli clyſtere vtimur, *ex
decoct. maluæ, betæ, viol. hordei ad* ℔ j. *cui adiungimus
caſſiæ, zacch. rubr. an. ℥ j. olei viol. ℥ iij. ſalis ʒ j. miſce*,
alioqui ſi enema abhorreat, ℥ j. caſſiæ propina-
mus, cum decoct. viol. borag. hordei mund. paſſ.
& iuiubæ & ſebeſten, venam ſecamus, ſed non co-
pioſe, ob bilem: hic autem, cum ſanguis nigrior
efflueret, *ad ℥ viij*. In pleuritide à bile poſt ca-
chexiam, ſi ob imbecillitatem vel ætatem ſanguis
mitti non poſſit. Rondeletius leuiter purgat cum
decocto aliquo vel iam dicto, adiecto ſyrup. roſ.
ſolutiuo. Damus & ſyrup. viol. cum aqua hordei,
melonis aut cucurbitæ. Syrupus ex ſucco viol.
magis lenit: & de cucurbita biliosi ſanguinis fe-
uorem exſtinguit, Eclegmata quoque inſpiſſan-
tia in principio conueniunt ſupradicta, vel in
hunc modum parata. *℞. ſyrup. iuiubin. viol. ana ℥
ij. diatrag. frig. ℥ iij. zacchari penid. ℥ j. miſce*. To-
picis quoque remediis commode vtimur, vt fotu
ex decocto clyſtere, vng. reſumpt. vel pectorali
ex adipibus, adiectis oleis viol. & amyg. dulc.
In ſtatu vero quæ magis reſoluunt, & in declina-
tione quoque vt ad longum videre licet apud
Arculanum & alios auctores. Nunc ad exem-
plum pituitæ pleuritidis accedamus.

OBSERVATIO XXXVII.

De pleuritide pituitoſa.

MVlier vtcumque pituitoſa, hyeme quoque
aſperrima, pituitoſam pleuritidem exper-
ta eſt, cui dolor lateris ſiniſtri paulo remiſſior
aderat, non ita pungens, vt in præcedente, febris
quoque mitior, quamuis continua & quotidie
affligens: pulſus aderat paulo tardior ac mollior,
ſputum ſpumoſum, viſcidum atque album. Ad
quam vocatus primo die, cum aluum non depo-
neret, clyſterem ſiniiciendum præſcribo, in hunc
vel ſimilem modum. *Recipe folior. malvæ, betæ, pa-
rietar. mercurial. ſummitatum caulium an. m. j. flor.
meliloti. p. j. fiat decoct. pro* ℔ j. *in qua diſſolue caſſiæ
℥ j. zacchari rub. ℥ ß. bieræ picræ ʒ ij. olei communis
℥ iij. ſalis ʒ j ß. fiat clyſter.* mox fæcibus eductis,
eodem die per chirurgum venam ſecari iuſſit ad
vncias ſex ex vena media, cum baſilica minus ap-
pareret in brachio ſiniſtro. Poſtea & hunc ſyr.
propinaui: *℞. ſyr. capill. ven. de liq. an. ℥ j. ſyr.
viol. oxym. ſimpl. an. ℥ ß. cum ℥ ix. decoct. pectoral.
fiat iuleb. pro* iij. *doſibus*: purgaui bolo ſequenti. *℞.
electr. lenitiui, ℥ vj. diacatholici ʒ ij. agarici trochiſc.
ʒ ß. fiat bolus aſperſo zacch.* Ad expectorationē hoc
eclegmate prius vtebatur. *Recipe ſyr. capill. ven.
℥ ij. ſyr. de liq. ℥ j. zacch. penid ℥ ß. miſce.* poſtea
etiam vtebar, *loch. de pino, & loch ſano, addito ſyr. de
liquir.* Poſtea etiam ob materiam viſcoſam, ſyr. de
hyſſopo ad maiorem incisionem. Fotu quoque
vſus ſum ad dolorem ſedandum (qui potius grā-
ulor erat quam pungens) ex decoct. althææ, mal-
uæ, flor. chamæm. meliloti & fœnugr. commo-
de vtebar poſtea & hoc linimento. *Recipe olei
amygd. dulc. chamam. methini, liliacei. an. ℥ ß. axun-
giæ gallinæ, anatis, butyri recentis, an. ℥ ß. ceræ q. ſ. fiat
vng.* quibus remediis hæc probe conualuit.

Scho-

Scholia.

3 IN pleuritide curāda, vt iam oſtenſum eſt, aliter
procedimus, ſi ex ſanguine biliosō vel aquoſo
fiat, aliter ſi à craſſiore & viſcoſiore ſanguine vel
pituitoſo. Ab his duobus humoribus pleuritis fre-
quentior fit, rariſſime vero à melancholico hu-
more: à quo ſi fiat (vt etiam dictum eſt prius) ra-
ro aut nunquam curatur, & fere ſemper in tabem
tranſmutatur, vt cuidam Petro Guilhelmo cupa-
rum fabro Roterodamenſi euenit, ex cuius ædi-
bus, cum foris cupas igne torreret (vt moris eſt)
ſub tempore ventoſo, ingens incendium ortum
eſt anno 1563. 10. Iulij die, vt tertia fere pars vrbis
Roterodamenſis conflagrata fuerit, vnde coactus
Delfos accedere: cui, anno 1566. menſe Maio ad
aqueam foſſam decumbenti ex pleuritide à me-
lancholia contracta, debili exiſtenti, ſanguinem
ex vena baſilica è directo loci dolentis extrahere
feci, ſed minus copioſe ob debilitatem. Die vero
ſequenti cum ℥ j. elect. lenitiui in bolo exhibuiſ-
ſem, aluum mediocriter depoſuit: & locum do-
lentem inunximus vng. reſumpt. & eclegmata ex
conſ. viol. borag. ſyr. viol. & borag. & capill.
veneris ſumebat, quibus ſputa, ſed nigra, expecto-
rabat, & ſtatim bene habere cœpit, ita, vt amplius
mea opera ſeſe minime indigere diceret. Quam-
uis nono die rurſus oborto inſigni dolore me re-
uocauerit: qui cum nullo modo neque fomentis,
neque aliis remediis ſedari poſſet, iterum ſanguis
tractus eſt, ſed niger & valde corruptus, idque in
mediocri quantitate: à qua venæ ſectione iterum
melius habuit, & febris multo mitior facta eſt, &
dolor fotu conuenienti poſt venæ ſectionem ſeda-
tus: adhibitis etiam eclegmatibus, ad ſputi faci-
litationem. Sed cum per decimum quartum diem
non ex toto per ſputum ſoluerētur pleuritis, nul-
lis deinde remediis iuuantibus & cum melancho-
licus in dies debilior fieret, ſuppurationem me-
tuebam, & tandem tabem. Et ita circa 20. diem
purulenta exſpuebat, & paulatim in tabem mu-
tata eſt pleuritis, & tandem ad hecticam deuenit
febrem, & mortem multo antea prædiximus, ſub
finem ſuborto vomitu biliosō ex atra bile fluxu
ventris ſubſequente: & poſtquam ſex ſeptimanis
decubuiſſet, viribus conſumptis, vitam finiit. Sed
inter curandum præcipua quoque ratio habenda
eſt ſymptomatum: quia plerumque in pleuritide
ſolent eſſe: vehemens dolor, ſitis moleſta, fluxus
ventris, vigiliarum inſtantia, ſubeth, ſeu caros,
anhelitus difficultas, mentis alienatio, aluus fic-
ca, ſyncopis, calor ingens, fluxus ſanguinis na-
tium, alcola. In principio dolor lateris aliquan-
do fotu tollitur, qui ſi non iuuat, ſæpe venæ ſe-
ctio prodeſt. Sic ego memini textoris cuiuſdam
Alcmariani, cui agnomen Spanckius erat, viri,
ſi quis alius, voraciſſimi: qui circa annum ætatis
ſuæ trigeſimum ſextum, in pleuritidem ſæuiſſi-
mam incidit, cum febri acuta putrida, ita vt etiam
vermes deiiceret. Cum dolor ingens eſſet, quar-
to die prius accitus ſum, & ſponte aluum deii-
ciebat, & tonſor, cum plenilunium eſſet, & luna
in Geminis deuolueretur, venam minime ſecare
audebat, nos tamen ſanguinem extrahere iuſſi-
mus in magna copia à qua ſectione venæ dolor
ſedatus eſt: & aliis præſidiis vtens commodis,
14. die curatus eſt: quanquam ad tempus à ſe-
ctione venæ brachium rigidum permaneret,
quod tonſor putabat factum ob lunam brachium
reſpicientem. In morbo vigente, Aſtrologia lo-
cum non habet. Verum poſtea rigiditas illa fotu
ceſſauit. Quidam etiam hic vtuntur cucurbitula, 6
ſed poſt ſeptimum diem, ſi eodem modo dolor *Cucurbitu-*
perſiſtat: Et ſic Aëtius cucurbitulam lateri affi- *la.*
git: manifeſtiſſima enim in pleuriticis (vt ipſe
refert) vtilitas ex cucurbitulæ appoſitione appa-
ret. Celſus vero vbi lenior ſiue vetuſtior fuerit
lateris dolor, ad cucurbitulas confugiendum eſſe
(ante ſumma cute inciſa,) præcipit. Verum, ne
in errorem incidamus, in cucurbitularum adhi-
bitione, ſeruanda erit Alexandri ſententia: qui
dixit commodius & tutius eſſe hac vti curatio-
ne, in quibus parua copia eſt vacuanda, nam per
eam, quod in affecta parte continetur, ex alto
extrahitur: atque hoc facto mirari licet, quomo-
do inde etiam dolor, qualiſcunque fuerit, licet
vehementiſſimus, conquieuerit, vt neque fo-
mento, neque alio præſidio indiguerit. Sic ego
in alio quodam textore, octauo die prius acci-
tus, non in loco affecto, ſed in naribus cucurbi-
tulis, cum ſcarificatione vſus ſum: cui in princi-
pio vena ſecta fuerat per alium medicum in bra- 7
chio oppoſito, & nunc in debili viro exiſtente *Sanguis è*
cucurbitulas admoui, qui & in 11. concocta ex- *naribus*
ſpuebat, & in 14. ſanguis è naribus fluxit, & cu- *fluens quā-*
ratus fuit. Is quidem ſanguinis fluxus criticus *do reſtrin-*
cum eſſet, nullo modo erat reſtringendus, niſi *gendus,*
admodum exceſſiſſet: idem, etſi non ſit criticus, *quando non.*
ſed propter exuberantiam ſanguinis confert: imo
ſi non ſatis excerneretur, venæ ſectio vtilis eſſe
poſſet. Propterea ſi in die critico fiat, poſt ſigna
coctionis, vt hic, bonum præſagit, nec inhiben-
dus, niſi vires ad extremum deiiceret, tunc re-
ſtringi poteſt: & quando ſit ex vehementi ebulli-
tione, cum exſtringentibus & ebullitionem ſe-
dantibus inhiberi poterit, ita tamen vt non com-
pingatur materia, & ſputum exhibeatur. Si in 8
principio contingat, ex multitudine materiæ à *Dolor late-*
natura regulatæ, & anhelitus inde minoretur, & *ris, tuſſis &*
febris vehementia ceſſet, vtilis quoque eſſe po- *difficultas*
teſt, vt non ſit inhibendus: ſi contrarium eue- *anhelitus,*
niat, & ſymptomata non alleuientur, contingit *quando per-*
plerumque ægrum mori in quarto. Verum quod *ſeuerant ex-*
ad dolorem lateris attinet, ſi is, tum tuſſis, & *purgata*
difficultas anhelitus, cum expurgatur materia, *materia,*
vel cum iam ad maturationem deuenerit, & ad *peſſimū eſt.*
ſaniem reducta fuerit, perſeuerent, vel augean-
tur, peſſimum ſignum eſt. Nam in principio mi-
nus timorem incutiunt hæc: neque in generatio-
ne puris aut ſanici, quando dolores & febres ma-
gis accidunt, vt Aphoriſm. Hippoc. habet. Sed
in aliis temporibus declarant materiam eſſe cor-
roſiuam, & valde prauam ac malignam: & tunc
feſtinandum eſt ad mitigationem horum ſym-
ptomatum in cauſa calida, cum ſyr. viol. & aliis,
quæ ad tuſſim valent, & embrochis, & fotibus
dictis, cum olco amygd. dulc. viol. & ping. gal-
linæ & ſimilibus in frig. addemus aliquid olei li-
lior. prout cauſa exigit, cum anodynis quæ dolo-
rem mitigant. Sitis exſtinguitur cum aqua hor- *Siti, vigiliæ*
dei, citrulli, melonis, cucurbitæ, peponis, vt de ſiti *& pare-*
dictum eſt: Vigiliæ cum ſyrup. viol. pap. nenuph. *phrenitidi*
& inunctionibus ſæpe dictis: cauendo tamen *quomodo*
ſtiptica etiam in paraphrenitide: & ſic potius v- *ſuccurren-*
temur iis, quæ materiam auertunt: vt ſunt frictio- *dum.*
nes extremorum, & lotiones: de quibus vide
Meſuem. Caro ſeu ſubeth occurritur odorando 9
acetum, vel tempora & frontem aceto liniendo, *Caros.*
clyſteres quoque & frictiones fortes, & vincula

S inic-

inicta, & ventoſæ ſcapulis appoſitæ proſunt. Si aluus ſtringatur, lenientibus clyſteribus mollienda: aluus ſi nimium fluuat, conſiderandum nunquid in principio morbi ſit: quod duobus modis euenire poteſt, aut ex multitudine materiæ natura fluxum regulante (vt ita dicam) neque tunc vt de fluxu ſanguinis narium dictum eſt, reſtringi debet: nam ex tali fluxu ſequitur anhelitus facilitatio & febris deliteſcentia, & ideo non eſt malus. Aut eſt propter multitudinem materiæ, præter hoc quod reguletur à natura: imo eſt (*dicente Arculano*) ſicut regurgitans, & malus eſt, præſertim cum non ſedatur per ipſum difficultas anhelitus, & febris inflammatio: tunc enim forte ſuperuenit mors in quarto vel ante: neque hic eſt reſtringendus, niſi modum excedat, ſed potius obuiandum erit malæ qualitati humoris, ſiue occulte ſiue manifeſte impedientis naturam, vt regulare non poſſet: & natura ſeu virtus ipſa fouenda vt non cadat. Si vero acciderit fluxus in fine morbi, aut morbo procedente, talis quoque ſecundum alterum dictorum modorum, aut criticus expellens id quod noceat, vel ſeparans id quod bonum eſt poſt debitam coctionem: & ſubſequetur ægri ſalus ac incolumitas, neque eſt reſtringendus, niſi menſuram exceſſerit. Vel accidit ex debilitate membrorum naturalium, videlicet contentiuæ & digeſtiuæ virtutis deiectione atque proſtratione, quem & mors ſubſequitur. Cui ſubueniendum roborando vtramque virtutem per interius aſſumpta & exterius admota: ita tamen vt hæc ipſa non inhibeant ſputum, & ita conuenit ſyrupus myrtinus, & topica adſtrictoria ſuper ventrem. Si in principio contingat, & magnus ſit, præſcribemus potiones, quæ neque ventrem irritant, neque expectorationem impediunt, ex decoct. hordei, ex ſem. 4. frig. maior. aniſi, cum ſyr. capill. ven. & myrtini. Et ita quoque in principio, ſi vires debiles ſint, neque ſanguis demiſſus eſt, abſtinebimus à potionibus, & topicis remediiſq; ventrem roborabimus. Quod ad ſyncopen attinet, diligenter conſiderandum, qua ratione contingat: nam poteſt euenire, quod rupto apoſtemate vel abſceſſu nondum maturo, acuitate materiæ, vel eius multitudine rumpatur, vbi fit collectio, & ad cor materia ſubito ruat: ac tremorem & ſyncopen inferat, & æger illico intra diem moriatur, vt aliquando ſectauimus, quemadmodum etiam narrat Guainerius, duabus nobiliſſimis matronis euenisse, ſed hæc ad tranſmutationem pertinent, de quibus ſuo loco. Vel contingit ex virtutis debilitate: cui ſubueniendum exhibendo modicum vini dulcis lymphati, cum aqua hordei vel cum iure reſtaurante. Si vero fiat raptu humorum aut vaporum ad cor, auerſiones imperandæ, frictiones, vincula, tum alia ſuperius dicta: & cor roborandum, ac ſpiritalia membra odoribus bonis reficienda, quæ & propriis capitibus de ſyncope deſumenda. Si materia ad caput repat ſeu neruos, adhibendæ frictiones in latere contrario, clyſteres iniiciendi ad auerſionem. Si nerui dolere incipiant, vel contrahantur, inungendi ſunt oleo chamæm. lilior. vermium terreſtrium, & lana ſuccida inuoluendi. Si aleola ex vapore febrili & humore putrido, vel ex pectore membriſque ſpiritalibus ſurſum ſublatis vaporibus, vel ex pulmone contingat, iiſdem vtere, quæ capit. De aphthis dicta ſunt: valde ſtiptica interim cauendo, ne iis ſputum impediatur, quod multo aphthis deterius eſſet. Lac in ore detentum, vel gargariſatum, quo nos vtimur, conuenit, & gargariſmi ex decoct. iuiubar. diamor. & ſimilibus, quæ & aphthis proſunt, neque ſputum retinent. Hæc ſatis dicta ſint de accidentibus corrigendis in pleuritide. Nunc ad alia eiuſdem morbi exempla progrediamur.

Aluus aſtricta. Aluus nimiũ fluens.

Syncopi quomodo ſuccurrendum.

Si materia in caput vel neruos irruat, quid faciendum. Quibus alcolis proſpiciendum.

OBSERVATIO XXXVIII.

De pleuritide in prægnante curata.

DIctum eſt prius, morbos acutos in prægnantibus eſſe periculoſos: attamen præter prægnantes paulo ſuperius dictas, Maria Theodori, vxor illius Isbrandi Chirurgi loripedis Alcmariani, mihi familiariſſimi ac coætanæi, in quarto menſe prægnans, pleuritide ſæua correpta, per me in hunc modum curata fuit. Hæc cum ſub finem menſis Septemb. an. 1555. pleuritidem veram incurriſſet, antea per duos dies, cum puerum è terra ſubleuaſſet, in dorſo dolorem patiebatur maritus dislocationem in lumbis eſſe ſuſpicabatur, quamquam dolor paulo poſt euaſit, licet ab eo tempore vrinam tinctam meieret ſine febre, neque decumberet. At peractis duobus diebus, febre acutiſſima cum dolore lateris dextri admodum pungente corripi cœpit. Atque omnia illa aderant, quæ in vera & ſæua pleuritide adeſſe ſolent: difficultas anhelitus, dolor punctorius, tuſſis valida, & pulſus ſerrinus. Ad eam ingreſſus, *oleo amygd. dulc. chamæm. & anethino* locum affectum inunximus, & ſaeculum ex floribus chamæmillæ & ſale toſto appoſuimus, cum & ipſa tum maritus ventoſitatem eſſe exiſtimarent. Verum cum iis dolor non ſedaretur, ſecta vena baſilica eiuſdem lateris in cubito, ſcilicet dextro, ad vncias fere ſex, cum niger efflueret, & inter fluendum dolorem mitigari diceret, dolor plurimum ſedatus eſt: ita vt deinde poſt tres horas in ſuauem ſomnum inciderit. Secundo die, cum reuerſus eſſem, dolor lateris ex parte ſedatus: parum exſpuere cœpit: vnde ego morbi breuitatem exſpectabam, *ex Aphor. 12. lib. 1.* Si ſputum ſtatim appareat, morbum breuiat. Quare & ad ſputi facilitationem & febrem, decoctum ſequens præſcripſi, cum ſatis per ſe aluum deponeret. ℞. *violar. borag. bugloſſ. hordei mundati an.* m. j. *ſcabioſæ* m. ß. *rad. bugloſſ. liquir. an.* ʒ j. *paſſul. ab arill. repurgat.* p. j. *coquantur in aqua communi pro* ℔ j. *zaccharo dulcorctur.* Interea & ex hoc eclegmate ſumebat. ℞. *ſyr. iuiubin.* (erat mulier imbecillis, propria natura biliosa, & raræ texturæ) ʒ j. *ſyr. de liquiritiâ zacchari penid. an.* ʒ ß. *miſce.* & in ore tenebat, ſæpius deglutiendo, ad tuſſim, Zacchar. candi dictum. At cum poſt meridiem reuerterer, rurſus dolor lateris auctus eſt, ac febris inualuit: nec aluum depoſuit, niſi glande irritata. Forum pro loco affecto præſcripſimus cum ſpongia. ℞. *rad. althææ mundat.* ʒ i ß. *folior. viol. malvæ cum toto. flor. chamæm. meliloti, an.* m. j. *coquantur in aqua*, & fiat fotus: quo dolor iterum egregie ſedatus eſt, & melius exſpuebat. Nutriui eam pomo aſſato dulci, zacchara aſpero, ſub noctem ne fœtus deficeret. Optime habuit ad mediam noctem; ſed deinde inquieta, parum dormiuit. Tertio die ſputum, quod in paropſide reſeruatum erat, albũ & quaſi coctum apparebat, & bene exibat. Sed mox agitationem quandam circa præcordia pectuſque & anguſtiam ſentiebat, cum anhelitus difficultate & calore

calore intenſo. At vrinam copioſam ſed croceam inſtar ictericorum emiſit, pannum lineum valde tingentem, ex hepatis calore & bilis ebullitione (de qua re latius in ſcholio) ideo tabulæ præſcriptæ ſunt. ℞. *ſpecier. diatrag. frig. abſque camphora* ʒ ij ß. *Specierum trionſan.* ʒ i ß. *diſſoluta in aqua cichor.* & vngulæ caball. (tam pro hepatis calore, quam ſputi facilitatione) & aqua viol. adiecto zaccharo albiſſ. q. ſ. fiat confectio in tabulis. Quarto die melius exſpuebat. Mane iterum fotu vtebamur; poſt meridiem eo abſtinentes, cum calor febrilis vehementior eſſet. At nocte præcedente quartum diem decretorium (licet dolor lateris ceſſaret, ſed dolore magis increſcente circa pectus) & circiter horam decimam noctis cum anguſtia & ſputi increaſſatione, ſymptomata adeo increuere, vt aſtantes illam morituram putarent, atque me inſcio ſacra inunctione eam more ſolito munirent, licet antea prædixeram, noctem illam, diem decretorium præcedentem, grauiorem fore. Cæterum poſt mediam noctem ſudor irrupit per pectus primo, deinde per totum corpus, quaſi vniuerſalis; à quo alleniabatur, ita vt mane optime dormierit, & melius habuerit. Quinto die plus tuſſiebat, ſputo nonnihil rctento ob ſæuiora accidentia prægreſſa: ſed pectore inuncto vnguento pectorali, & ſæpius exhibito ſyr. de liquir. melius exſpuere cœpit & concocta. Verum cum aluus non reſponderet, balano fæces emiſit, & decoctum ſequens ſumpſit. ℞. *glycyrrh. raſæ* ʒ ß. *folior. viol. malvæ cum toto, borag. bugloſſ. hyſſopi, an.* m. j. *ſem. aniſi* ʒ i ß. *prun. damaſc. dulc. num.* ix. *vuar. paſſul. ab arill. repurg.* p. j. *fiat decoct. in ſero lactis, & colatura zaccharo candi dulcoretur*, quo ſumpto bis excreuit liquida. Sed cum ob ſerum lactis, vt illa exiſtimabat, nauſeam haberet ac ventris tormina, metuebat aborſum: ideo amplius non exhibuimus. Poſt receſſus dictos melius habere cœpit. At à meridie, me inſcio, comedit tria vel plura cochlearia lactis cum oryza, pectus inde conſtringebatur: ſed eius vſum inhibentes, ſorbitiunculas & poma aſſata conceſſimus; & denuo ſputa melius exibant. Sexto die copioſe minxit vrinam croceam, febre magis inclinante. Diætam auximus ob fœtum, & ſyr. liq. lambebat, pectore inuncto cum vngu. pectorali; & vrina poſtea minus tincta videbatur. Septimo melius adhuc habuit, & vix febrem ſentiebat & ceſſauit difficultas anhelitus, mox & lateris ac pectoris dolor. Tunc ad ius veruecis, cum pulli ius abhorreret, deuenimus, optima hypoſtaſi in vrina apparente, etiam minus tincta. Octauo die febris quaſi nulla fuit, vrina minus tincta, valde craſſa & ſubſidens: benè exſpuebat, & ſponte aluum deponebat, & excrementa naturalia ſpectabantur. Nono die ſanitati perfecte reſtituta eſt.

SCHOLIA.

PLeuritis in prægnante, vt ante dictum eſt, non ſine periculo eſt, quamuis hæc euaſerit: cum & Hippocrat. prædixerit mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale eſſe. Cauſam huius declarat Galenus in Commento. Sed ſanguine emiſſo (qui tamen, Hippocrate teſte, *Aphoriſm. 31. lib. 5.* facile abortum facit) melius habuit, cum & ſecundum eundem, & in quarto menſe purgatio, imo magis ſine periculo (vt alias oſtenſum eſt) miſſio ſanguinis conferat. Et quanquam hic vrina crocea in tertio ictericiam notabat, non tamen illam, quæ totum corpus inficit colore croceo, ſed tantum vrinam ex calore hepatis, non tamen ex inflammatione aut apoſtemate hepatis, nam nullus tumor durus aderat, & ideo hæc ictericia non fuit ita iudicatoria, cum totum corpus non tingeret, ſed potius ex calore hepatis: neque fuit ex tumore aut obſtructione, quia ſubito venerat, cum nec tumor exterius ſentiretur, neque grauitas aliqua circa hepatis regionem. Dolor enim lateris, qui aderat, ad mammillam dextram tendebat, deinde ad partes ſuperiores. Vnde quoque non fuit tanta inflammatio in hepate, aut apoſtema, ſed potius ebullitio caloris, quæ vrinam tingebat, vel ſi velimus vrinam illam fuiſſe criticam, id quidem poteſt eſſe: nam nos alias diximus in obſ. noſtris de febri, etiam ictericos ante ſeptimum in febr. euaſiſſe: idem teſtatur & Amatus centur. 3. cur. 49. Ideo neque ille Aphoriſm. 62. lib. 4. ſuperficie tenus intelligendus eſt, quod ante ſeptimum ictericia accidens mala ſit. De his vide loca citata. Sed hic aliquis dicet: quomodo vrina flaua, & ſputum album? poteſt pleuritis commixta eſſe cum calore hepatis & ebullitione bilis in ipſo fonte: vndevrina ſolum tincta. Sed ſputum in pectore non flauum erat, cum ibi bilis non multa eſſet, vt ſputum ſuo colore inficeret. At mulier cum videret lotium ita citrinum, metuebat ſibi mortem, cum pater ictero obiiſſet, & mater pleuritide, & duo fratres ex phthiſi. Sed ſputo bene exeunte, illam optime ſperare iuſſimus, & ita nono die abſque aborſu quoque, de quo etiam metus erat, fuit curata.

OBSERVATIO XXXIX.

De pleuritide in peripneumoniam conuerſa: & quomodo ea fuerit curata.

PVella famulam agens, annos 23. nata, admodum robuſta, nigriuſcula & bene carnoſa, febre cum horrore correpta fuit, quæ quidem acuta & continua erat: in latere ſiniſtro cum doleret cum tuſſi, & vix pauca exſpueret & pulſus duriuſculus eſſet, & primo die dolor neque vehemens eſſet, ſed ſecundo die magis & punctorius, accitus ſecundo die cum per ſe excrementa depoſuiſſet, in cubito ſiniſtro baſilicam tundere feci, ſanguine ad vncias octo extracto: quo & dolor, cum vera pleuritide affecta eſſet, nonnihil ſedatus eſt, & anhelitus paulo liberior factus. Interea & vnguento reſumptiuo locus affectus inungebatur, & commoda lambitiua ſumebat. Tertio die accidentia dicta magna ex parte fuere ſedata, quamuis capitis dolore afficeretur, & minus dormiret. Tempora inuncta fere vnguento populeo, & oleo nymphææ commixto: & hordeatum ad nutritionem exhibitum. Quarto die dolor lateris iterum vehementior, febriſque validior cum maximo æſtu totius pectoris. Sed rurſus latere inuncto, dolor nonnihil mitigatus eſt, qui & pectus magis inuaſit. Tunc & liquida per ſe excernabat. Quinto, dolore lateris punctorio ceſſante, & cum parum exſpueret, pituitoſum quid ac ſubflauum in principio vix cruentum: febris poſtea aucta eſt, & anhelitus difficultas increbuit, malæ ac oculi rubere incipiebant, & dolor grauans totum pectus occupauit, & ſexto die in pectore grauiora omnia ſenſit; pulſu vndoſo, vt pleuritidem

in peripneumoniam conuertendam coniicerem, cum & cogeretur in dorſo iacere, minuſque in latere materia ad pulmonem reperet, cum & ſputum cum murmure quodam ex pectore prodiret. Quinto die lenitiuum medicamentum cum decoct. pectorali exhibitum: quo ſatis aluum depoſuit. Septimo die, vti prædiximus, pleuritis in peripneumoniam commutata eſt: & cum aluum non redderet, balano impoſito excreuit. Octauo die peſſime habuit, grauiſſimis accidentibus oppreſſa: vigilabat, noctem inquietam egit, nonnihil delirabat: pectus inunctum oleo amyg. dulc. & liliaceo, eclegmata ſumpta & decocta pectoralia ebibita. Nono die quanquam ſputum vtcunque expelleretur, poſt meridiem peſſime habuit, ſacram ſynaxin ſumpſit, & pro deplorata habita eſt. Sub noctem tamen, cum reditem, pulſum altum reperi & valde inæqualem: horrorem quoque ſentiebat in lumbis & circa inguina & imum ventrem: delirabat, plurimum anguſtia afficiebatur. Ego vero ſperabam criſin futuram (vrina concocta apparente prius, nunc perturbata & nigriuſcula, qualis plerumque meitur cum menſes expectantur, ſputo quoque concocto exeunte, quamuis cum maiori moleſtia) per menſtruas purgationes, quod equidem euenit: nam nocte ſubſequenti aperti ſunt menſes, & largiter fluxerunt, & paulatim anhelitus difficultate ceſſante, ac tuſſi delitescente, & febre euaneſcente, 14. die, magno cum noſtro honore, ſanitati reſtituta eſt, non ſolum à pleuritide maligna, ſed etiam à pulmonia, menſibus largiter profuſis, neque minus miratu dignum erat, cum etiam ſanguine per nares effluente, præter mentem medicorum, quædam lethales peripneumoniæ (teſte Aëtio) ſanatæ fuerint.

3

Scholia.

4 *Quomodo pleuritis tranſit in peripneumoniam & eius nota.*

Pleuritis quandoque in peripneumoniam tranſit, modo ſubito, vt in hac puella contigit, quum ſcilicet humor facilis eſt ad motum, & pulmo ad ſceptionem aptiſſimus, modo paulatim id fit, quando ſcilicet contraria adſunt, vbi vero tranſit pleuritis in peripneumoniam, ex *Galen. quarto de cauſis pulſuum*, dolor ceſſat lateris. Et licet pulmo ſit inſenſibilis, ſentit grauitatem quandam æger circa pectus & durities & ſerrinitas pulſus ceſſat, & fit mollis, & inæqualitas maior cuadit, quia materia colligitur in membro magis cordi propinquo: & ideo magis opprimitur virtus, conſtrictio anhelitus augetur, febris increſcit, & accidentia peripneumoniæ ſuccedunt, de quibus etiam latius capit. proprio, De pulmonia dicemus. Et quanquam hæc noſtra puella euaſerit, plurimos ægros vidimus ſuccumbere, vnde etiam rectè dixit Hippocrat. *Aphoriſm. 11. libr. 7.* à morbo laterali inflammatio pulmonis, malum. His enim dictis, inquit Galen. in commento. Hippocrates innuere voluit, peripneumoniam vehementiorem & malignioremorbum eſſe pleuritide: nam morbo lateris recedente inflammatio pulmonis malum: fit enim tranſmutatio ad maiorem & periculoſiorem morbum, quia pulmo propinquiorem cordi locum obtinet quam pleura, & maiorem colligentiam habet pulmo cum corde, cum magis ſpirationi deſeruiat, & ob hanc cauſam pulmo inflammatus magis lædit cor, quam pleura, dicente Galen. 4. *de præſag. ex pulſ. cap. 2.* Celerrimam cordi & omnium maximam noxam dat pulmo & maiorem difficultatem ſpirandi efficit, & maiorem anguſtiam inducit, teſte *Galen. 4. Aphor. comment. 34.* & ita ſiue pulmonis inflammatio laterali morbo ſuperuenerit, ſiue laterali morbo abeunte, ipſe in pulmonis inflammationem tranſmutetur, ſemper malum eſt: quamuis peripneumonia in pleuritidem minus mala eſt. Difficulter tamen Galenus admittit peripneumoniam in pleuritidem conuerti, quod priuſquam materia à pulmone in coſtas tranſeat, æger ſtrangulatione pereat, attamen fieri poſſe, quamuis difficulter, idem admittit 7. *Aphoriſm. 11.* de qua re ad longum videas Benedict. Fauentin. præceptorem meum. Cæterum quomodo peripneumonia curetur, poſtea dicturi ſumus, cum de pulmonia & inflammatione ac peripneumonia agemus: volunt autem quidam eodem modo curari vt pleuritis, niſi quod magis ſputum ſubtiliantia ſint exhibenda in pulmonia, & maior ſollicitudo in mundificando ſputum: & medicamenta, iuxta Auicennam, quæ exterius admouentur, magis in profundum tranſeant: de qua re, vide Aculanum & alios auctores, & ſic ſi ad pulmonem pleuritis tranſeat, peripneumoniæ curationi intendendum. Interea quod ad venæ ſectionem attinet, ſi peripneumonia ex pleuritide accidat, ſi in principio pleuritidis ſanguis ſit detractus, & timeatur magna debilitas, tunc venæ ſectio non erit iteranda, vel ſi ab alio chronico morbo, vel ab angina aut pleuritide fiat iuxta Rhaſ. 4. Continentis, & Paulum & Gradum ſupra Rhaſem, & commendant: tunc potius clyſteres & cucurbitulas cum ſcarificatione ſupra pectus, de quibus videas Aculanum. Valeſcum & alios auctores, quamuis, vt alij ſentiunt, ſi in principio non ſit demiſſus ſanguis, & vires adhuc conſtent, vel in principio non ſatis extractus ſit, in ſanguinea extrahi poterit. In hac famula abſtinuimus à ſecunda ſectione, debili exiſtente & in affectu frigidiore, & hyberno tempore. Quod ad reliquam curationem peripneumoniæ attinet, poſtea dicturi ſumus. Nunc & pleuritidis exemplum adferamus, quæ ad ſuppurationem peruenit, & quomodo illa ipſa curata ſit.

Peripneumonia ex pleuritide ſuccedens malum.

5

OBSERVATIO XL.

De pleuritide conuerſa in ſuppurationem.

Scribit Fernelius doctiſſimus, ex deſtillatione quenquam in veram pleuritidem poſſe incidere: quod equidem filiæ Iodoci Berendrechtii annum 14. agenti euenit, admodum gracili, extra murum habitanti Delphis, cum ſeptimus dies eſſet, quo laterali morbo correpta eſſet, antequam ad eam accitus eſſem, & ſputa vix exirent ob debilitatem; ſanguinem in puella prius valetudinaria & longa tuſſi laborante, mittere non auſi fuimus: & cum dolor neque fotu, neque linimentis & aliis commodis remediis non recederet, neque reſolueretur, & in loco fixo maneret, mihi ſuſpicionem præbuit futuræ ſuppurationis, cum febris ac dolor augerentur, & etiam in aphthas incideret. Quare ad promouendam ſuppurationem, emplaſtrum præceptoris mei Benedicti Fauentini ad maturationem faciens, in eius Empirica deſcriptum, vt loco affecto apponerent, conſului quod ex foliis malvæ cū radic. viol. &

& radice althææ ac lilior. alb. & enulæ ac flor. chamæm. & meliloti conſtabat, bullitis ac colatis, & adiectis farina fœnugræci, frumenti, & in fine exiguo fermenti, pingued. porci, butyro, & oleo communi ad impinguandum emplaſtrum & decocto ficuum, vuar. paſſ. liq. rad. maluæ, althææ, intus vtens, zaccharo adiecto: tum aliis commodis remediis poſt quatuordecim dies: dein aliquot diebus interiectis, dolor cœpit ſedari, & eroſa membrana ac perrupta ſanies non admodum multa in pectus collecta eſt: tandem cum aptis remediis ſaniem expurgantibus ante quadrageſimum diem curata eſt, pure paulatim per bechica medicamenta & eclegmata excreto, vt in tabem non tranſierit, conſului ſtatim ab eruptione, vt ter quaterue in die naturali aquam hederæ terreſtris (poſt decocta hordei, *mellis roſ. ſyr. viol. & infuſ. roſ. communium, & alia eclegmata pectus repurgantia*) ad ℥ iiij. pro vice ſumeret, id enim iuxta præceptorem meum loco citato, diſruptum apoſtema pleuriticum à ſanie repurgat, ne ex empyemate in tabem æger incidat.

2

Scholia.

3 *Secundo pleuritis non perfecte in ſuppurationem.*

Dictum eſt prius, ſi pleuritis in 14. diebus non reſoluatur inſenſibiliter, vel ſeſe mundificando per ſputum, tunc tranſit in ſuppurationem, iuxta Aphor. 8. libr. 5. Quicunque morbo laterali laborantes in 14. diebus non repurgantur, ij ad ſuppurationem vertuntur: materia enim artis beneficio vel naturæ ſi non abſoluatur, in pus vertitur, atque erumpens pelliculam intrinſecus coſtas tegentem in thoracis cauitatem intrat, & aliud genus morbi gignit, vt Galenus tertio, De cauſ. pulſuum, *capit. 7. & 5. De locis affect. cap. 2. & conſtit. artis medicæ, & 1. Aphoriſm. 12.* plenius enarrat: licet rarius materia forte ante collectionem vel melius poſt collectionis ruptionem; defluens per veſicam vel ventrem exoneretur: quemadmodum etiam enarrat Amatus centur. 3. curat. 64. de quodam mercatore Arimenſi, qui pleuritide affectus per lotium ſaniem quinto die emiſerit, & in ſeptimo à pleuritide euaſerit: Idem Beniuenius narrat de abditis rerum cauſis. cap. 43. de quodam Antonio; in quo cum pleuritis ad maturationem peruenisſet, euacuato per vrinam pure, penitus ſanatus eſſet. Sed hæc in ſuppuratione raro contingunt, cum potius per ſputum expurgentur. Ideo pleuritici poſt collectionem membrana diſrupta, niſi in 40. diebus (*iuxta Hippocrat. libr. 5. Aphoriſm. 8. & Galen. locis iam citatis*) per ſputum repurgentur, in tabem tranſeunt. Ideo diligenter ſigna notanda, quæ ſuppurationem futuram indicant: ſi enim dolor fixus in loco manet, (vt in hac noſtra puella contingebat:) vel etiam incendatur vna cum febre, haud exiguum indicium eſt futuræ ſuppurationis: ſputum præterea non ita procedit in pleuritide, quæ ſuppurari debet, aut pauca omnino eſt, quod excernitur, illudque maxime ſanguineum, nequaquam vero malignum: & ita magnæ pleuritides & proprie ſanguineæ magis ſuppurantur, & pituitoſæ minus. Non deſunt tamen alij, vt Gradus, qui etiam volunt in frigida ſæpe ſuppurari. Vnde, hæc pleuritis à deſtillatione orta, licet magis ab humore pituitoſo: credo id euenisſe ob ſalſedinem in pituita admixtam, & acrimoniam habentem. Vnde corrode-

4 *Signa ſuppurationis futuræ.*

Vbi pleuritis magis ſuppuratur.

bat membranam, & licet materia pauca, citius rupturam fecit: nam circa ſeptimum diem à collectione, ex ſignis prædictis, ſuppurationem metuimus: & huius coniecturam ſecimus *ex Hippocrat. 2. prognoſt. tex. 52.* ſic dicente: Si dolor perdurat, & nullis auxiliis ſedatur, ſed etiam naturæ ope per ſputum, exſpectanda eſt ſuppuratio. Intellige, ſi nihil exitiale appareat, puta, nec vires inualidæ, nec alia ſigna praua: ſic enim mors eſſet exſpectanda. Ratio eſt, quoniam collecta eſt plurima materia in parte, quæ etiam, cum non poſſet à natura educi per conuenientes vias, abſceſſum per faciliores partes molitur, diſrumpitque membranam, niſi dicas diſrumpi multitudine & acritudine humoris diſtendentis, & eam erodentis. Nam in ea, quæ rite ſolui debet, pleuritide, ſemper excernitur, & excretio multo amplior fit in dies, adeo vt multo plus excernatur quam influat. At in hac, ſeu nihil excernitur, ſiue exiguum præ multitudine, neceſſe eſt multum colligi, & tandem diſrumpi. In hac noſtra puella 7. die à collectione, facta eſt: neque mirum, cum & Iacchinus meminerit ſe vidiſſe aliquando in tertia factam præ influxus multitudine, & cum in præcedente morbo vis eſſet inualida, præfocatus cito periit. At noſtra hæc puella licet prius deſtillatione affecta facilius in tabem tranſiiſſet ex ſuppuratione, tamen ante 40. diem repurgata, aptis præſidis curata fuit, neque in tabem tranſiit. Ideo non reſeruatur tota materia, quæ ad collectionem deducitur, ad vnam criticam expulſionem, vt quidam putarunt: verum aliquando pars materiæ per tempus ſenſibiliter reſoluitur per ſputum, poſtea alia pars collectionem facit: & vbi iam rumpitur abſceſſus, paulatim etiam per ſputum excernitur, & repurgatur intra 40. dies, & ſi non perfecte repurgetur, tunc fit tabes. Quum vero iam ſit ſuppuratio, certa adſunt indicia ex rigore, qui neceſſario omnes internarum partium ſuppurationes comitatur. Pulſus præterea ſuppuratorum in his apparere incipiunt, qui prorſus conſpicui ſunt, dum facta ſuppuratio eſt: quam monſtrant & dolor qui minuitur, & febris & reſpiratio, & virtus. Principium autem collectionis habetur ex vehementia doloris & difficultate anhelitus, & conſtrictione eiuſdem ac febris vehementia, & vigiliis, mentis permixtione, & prauitate, quæ in loco ſentitur, & adeſt tunc tuſſis ſine ſputo, ob materiæ inobedientiam, & velaminis ſpiſſitudinem, & virtutis debilitatem. Eadem fere habent & Hippocrates & Gale. 2. Prognoſt. & Alexander Trallianus cap. De purulentis. Nam dum pus conficitur, dolores, ac febres accidunt, magis quam iam confecto, ex eiuſdem Hippoc. ſententia, *Aphor. 47. lib. 2.* Adeſt & tunc grauitas pectoris, tuſſis valida & ſicca cum dolore, vt in hac puella erat, aliquando etiam cum humiditate, ob quam releuati quoque videntur, vt Paulus refert. Verum licet confecto pure & febres mitiores & dolor fierent, tamen inſtante tremore diſruptionis ipſius vehementius cum horrore iterum febricitant, ac in ſermonis proprietate conturbantur, offenduntur que ſpiritu (quod huic puellæ 11. die circa noctem fieri aſtantes narrauerant) adeo vt difficilius quam antea ſpirent, ex eiuſdem Pauli teſtimonio. Sic & Auicenna inquit: Cum rumpitur apoſtema, accidit tremor diuerſus, & dilatatur pulſus cum diuerſitate ſui, ſcilicet fit tremor diuerſus ab eo, qui communiter in principio paroxyſ-

6 *Qualia ſigna adſint cū fit ſuppuratio.*

Principium collectionis.

Signa diſruptionis & abſceſſus.

paroxyſmorum ſit: nam qui in principio paroxyſmorum euenit, totius corporis communis eſt: qui vero ſequitur rupturam, ſit ſolum circa membra vicina abſceſſui, ad quæ materia ſanioſa affunditur: aut ſit propter punctionem & acuitatem materiæ, & eo tempore cadit virtus, & debilitatur anhelitus, & multoties accidit febris vehemens, & hoc propter dolorem aut materiæ mordacitatem. Et hæc ruptio ſit vt plurimum in pectoris concauitate: vnde ſæpe ſit empyema, de quo poſtea: nunc autem aliud exemplum pleuritidis in ſuppurationem conuerſæ adforamus.

OBSERVATIO XLI.

De pleuritide in ſuppurationem lethalem conuerſa, cum variis ſymptomatibus.

1 PLeuritis quæ in ſuppurationem tendit, quam periculoſa ſit, iam diximus, & quibus notis deprehenditur, ſi 14. die non reſoluantur, etiam enarrauimus, & ſigna quoque eruptionis in pus conuerſæ enucleauimus, & quod ad tempus eruptionis attinet, illius ſuppurationis, quæ ſit à natura & non arte, plerumque ſit ſeptimo die, ſcilicet, à principio collectionis, vt in puella præcedente euenit. Sed eſt ex iis, teſte Auicenna, & qui eum ſequuntur, quæ raro euenit: & addit, quod plurimum vſque ad 20. & 40. & 60. tardetur: quod & neoterici ſequuntur. *Idem voluit. Hippocrates 2. Prognoſticorum textu 57.* cum ita dicat: Aliæ ſuppurationes fere rumpuntur 20. die & 30. & 40. & ad 60. diem deueniunt. Sed de his latius in ſcholio. Sic iſtis diebus, anno 1587. 23. Iulij ad mulierem prægnantem in ſeptimo menſe accitus ſum, ſæuiſſima pleuritide correptam, annos circiter 30. natam in foro Delphis habitantem, cui cum chirurgus purgationem fortem adhibuiſſet, adeo aluum depoſuit enormiter cum torminibus & vomitu, vt aborſus metueretur: ad quam poſt octauum diem, cum pleuritide ſæua correpta eſſet, accitus, adeo debilem eam inueni, vt illico illam morituram aſtantes putarent, & aborſum ſubſequuturum. Sectio venæ in hac prætermiſſa erat, neque nunc ob fluxum & debilitatem ea vti nobis tutum videbatur. Dedimus autem amygdalatum, ad fœtus nutritionem & virium refocillationem, & ſyrupum myrtinum, qui pectori conuenit & ſputum non impedit, viribuſque paulatim refocillatis, ſputum vtcumque exſcreabat. Sed dolor lateris neque linimentis, neque aliis anodynis ſedari potuit, & cum fluor alui aliquo modo ceſſaſſet per amygdalata, ſemper tamen peius habuit, febre magis increſcente, & dolore aucto: ita, vt cum poſt 14. diem pleuritis non reſolueretur, de ſuppuratione metus fuerit, cum vehementius ſemper febricitaret & ſiti afficeretur, nocteſque inſomnes ageret, poſtea ſimiliter & deliraret, ac in aphthas incideret, & ſputum minus exiret, collectionem faciens. Varia remedia, prout accidentia poſtulabant, præſcripta ſunt. Pro ſiti enim & febre bibebat ptiſanam vulgarem ex hordeo mund. glycyrrhiza confectam: & pro ſomno vtebatur hordeato cum ſemin. 4. frig. maioribus mundatis concinnato, zaccharo perlato addito ad ſaporem delectabiliorem: & pro febre iulebos accepit ex decoct. hordei mundati, adiecto ſyrup. de limonibus & iuiubinó, & viol. & pro inflammatione gutturis, cum aphthæ metuerentur, lingebat ſyr. granat. & diamorum cum baculo glycyrrhizæ: & gargariſmata apta, ex decoct. viol. bellid. minoris, & hordei communis ad maiorem abſterſionem, & vuis paſſ. & ſemin. coton. præſcripta ſunt: quibus & ſyrup. granat. adiiciebatur, & latus inungebatur vng. reſumpt. & oleo viol. primo: poſtea, cum ad collectionem tenderet, adiecimus magis maturantia. Pro ſputo, quia valde febricitabat, ſyrup. iuiubinum, & viol. lingebat frequenter, & cum aluum non redderet, hac leni purgatione, vel potius lenitione, vſi ſumus, ne ſubſequeretur aborſus. ℞. *diaprun. lenitiui, ſeu ſimplicis,* ʒ vj. *pulpæ thamarind. recentis extractæ cum aquæ malua* ʒ ij. *ſyrup. ex infuſ. roſ.* ʒ ß. *aquæ cichorij* ʒ ij ß. *miſce.* quo probe aluum deponebat. Et quia valde dolebat in lumbis, ne fieret aborſus, inunximus vnguento roſ. Si aluus paulo durior eſſet, & nihil excerneret, glande ex hiera, melle & ſale irritabatur. Pro dolore lateris, præſcripſimus fotũ ex rad. althææ mund. foliis maluæ, viol. flor. chamæmill. meliloti, ſemine maluæ, & ſimilibus: ſed antequam apponeretur, horrore affecta & valde delirans & febricitans, facta eſt eruptio collectionis in nocte, circa 20. diem à collectione, cum tanto metu, vt omnes illam morituram putarent: nam & in ſyncopen incidit paulo poſt, cum materiam plurimam purulentam poſt eruptionem ſubito tuſſiendo exſpueret: ſolet enim materia plurima aliquando, quæ ſubito à vomica euomitur, facta eruptione ſubito effundi circa præcordia, & cum virtus tunc debilis eſt, ſæpe inducit mortem per viam ſuffocationis: & ſic aliquando pleuritis ad ſyncopen permutatur, quod etiam cognoſcitur à tremore cordis, ſeu palpitatione vehementi, à pulſu & à ſyncope ſubito adueniente & ſuffocante. Verum hæc per frictiones à ſyncope releuata (quod mirum eſt) non paſſa eſt aborſum: ſed quia valde debilis erat, conditum ſequens præſcripſimus, ℞. *conſeruæ boraginis, buglоſſæ, viol. an* ʒ iij. *corticum citri conditi,* ʒ ij ß. *manus Chriſti cum perlis* ʒ ij. *ſyrup. de ſucco boraginis* ʒ ß. *miſce.* Interea dolor lateris remiſſus eſt, rupto abſceſſu, & effuſo pure inter thoracem ac pulmonem: & quanquam tunc febres quieſcere ſolent, & magna ex parte dolor quoque, licet indeſinenter febricitent habituali quadam febre, vti & huic noſtræ mulieri euenit, atque indies debilior fieret (licet nunc operam daremus, vt paulatim reliquum puris expurgaretur, ne in tabem incideret) ſemper debilior facta eſt, & tandem etiam in octauo menſe exiſtens, valida tuſſi ſubinde etiam correpta, cum quotidie plurimum puris peſſime olentis exſpueret, partus conamina acceſſere, & peperit infantem quidem viuum, ſed diem non ſuperuixit. Et ſic etiam pure in concauitate pectoris collecto, grauitatis autem ſenſus remanebat intus in profundo thoracis: ſimulque aliquando aliquid transfluere apparebat, iuxta multiplices reclinationis permutationes, & maxime cum ab vno latere in alterum decumbunt, tunc ſane multitudo puris manifeſtatur, & fluctuationis cuiuſdam ſonitus ſæpe ſenſibiliter in reclinationibus ipſorum auditur, prout legitur apud Galenum libro quarto, De locis affect. & Aëtium libro octauo, capit. 65. Sed hoc notatu dignum, cum ſuppuratio ſit puris in thoracis capacitatem collectio, in cuius illuuie pulmo totus immergitur. Eo autem influxit, vel ex angina, vel ex peripneumonia, vel (quod frequentius contingit) ex pleuritide, de qua nunc loquimur; his enim tuſſi non expurgatis, abſceſſus exoritur; è quo tandem rupto, pus ſæpe vniuerſum in thoracis capacitatem influit; eoque etiam diu poſtea è ſordido vlcere ſtillat, dum tandem ingens ac pene ſuffocans copia cumuletur, interdum ex abſceſſu pus ſurſum in os irrumpit, exſpuiturque, ac tum ſuppurationis periculo liberat, vt ſæpe in quotidiana praxi obſeruauimus. Cæterum febre magis incrudeſcente, & non deſinente, & ſiti accedente, tum ſputo nigro & liuido apparente, talia ſigna (vt poſtea de ſuppuratione & empyemate dicemus) lethalia ſunt, ſi febris denuo recaleſcat. Quæ omnia noſtra mulier experiebatur: nam aliquando & pus per tres dies, vel plures retinebatur: mox rurſus peluim plenam extuſſiebat cum tanto fœtore, vt perdurare nemo apud illam poſſet: vnde rurſus ex putredine febre increſcente, & aphthis deinde oborientibus, & purulenta fœtida ad tempus cum exſpuiſſet, viribus conſumptis, & ad extremam maciem redacta miſera, poſtquam duabus menſibus decubuiſſet, & quotidie purulenta fœtida male olentia expectoraſſet, etiam ab initio facto prognoſtico, tandem obiit.

2

7

Scholia.

6 MVltis quidem ingeniis ſuppuratio rumpi poteſt tardius vel citius. Sed de ea ruptione hic non loquemur, ſed poſtea: verum de ea, quæ à natura fit vel ſeptimo, vel 20. vel 30. & 40. vel 60. ex Hippocratis mente. Sed harum differentiæ omnium communeshabentur ex commento *Galeni libri 2. prognoſt. text. 57.* ob quas ſpatio temporis euariant inter ſe ex affecta ſede, & idem nocuo humore: ſedes enim calidior ac mollior, citius ſuppuratur, frigidior vero, durior: ac glutinoſior, tardius: item ex humoribus, calidior citius, frigidior tardius. Hæ igitur rei ipſius differentiæ ſunt. Porro accedunt extrinſecus ea quæ ab ætate ducuntur, natura tempore, terræ conditione, ac viribus ægri. In omnibus his calidus humor citius, frigidus tardius ſuppuratur. Hæc igitur vniuerſim ſcire (inquit Galenus) de omnibus ſuppurationibus bene eſt, ſed mihi (idem ait) videtur operæ pretium nunc quoque ſcire de iis, quæ in thorace ac pulmone fatigent. Eadem fere Auicenna ex loco Galeni deſumpſit, quę & gradus longo ſermone explicat. Sed aliquis verum & præfixum tempus eruptionis definire non poteſt, quamquam in pleuritide poſt 14. diem, ſi non reſoluatur, poſtea ſequitur collectio puris, deinde eruptio, temporibus iam dictis, prout materia ſit multa, calida, acris, erodens, vel frigida & contumax. Et ideo hæc non ſunt quaſi abſolute intelligenda, ſed quod plerumque iſtis temporibus fiat eruptio, facta computatione à die collectionis, quæ tamen tardius vel citius aduenire poterit, ſecundum occurſum cauſarum eruptionem facientium: & ideo illud principium conſiderandum, quo tempore collectio fiat, quod facile dignoſcetur cum infirmus diuerſo modo ſe habere cœperit, modo magis frigere videatur: modo plus calere, & quod dolores punctioneſque intendantur, & quod antea fiebat exſcreatio, nunc vero retentio, tum alia iam ante dicta. Ideo Auctores cum videant pleuritidem non terminari 14. die, amplius reſolutionem non ſperantes, ſed collectionem & ſuppurationem, ex ſignis iam dictis, ſtatim maturationi intendunt, & vbi abſceſſus maturus eſt ad ruptionem deueniunt, & abſceſſu perrupto ad abſterſionem & repurgationem, & vltimo conſolidationi, & quartæ intentioni animum adhibent. Maturationem complent res temperate calefcientes, & communiter humectantes cum viſcoſitate quadam, inhibente tamen fortem reſolutionem: & ita puris confectio ſeu concoctio iuuanda, iuxta Paulum. Nam concoctio vnum quid ex naturalibus operibus exiſtit, eſtque ea, (*iuxta Galenum 5. de ſimplic. facult. med. & primo de differ. febrium.* in pus conuerſio. Hæc vel intus ſumuntur, vel exterius applicantur. Intus iuuant *decoct. rad. biſmal. liquir. ſcabioſ. hordei mund. paſſulæ, dactyl. ficus & cremor ptiſanæ, & eclegmata ex mucag. ficuum ping. butyr. recent. & oleo amygd. dulc. zacchar. candi, & penid. adiecto*: qualia habes apud præceptorem meum Benedictum Fauentinum & Rondeletium, ac alios deſcripta. Cibi quoque adhibendi tempore maturationis molliores, vt iura ex malua, beta, ſpinachia, ex oleo amygdal. & butyro confecta, ius caulium, aqua hordei craſſior: ficus ſiccæ, paſſulæ, dactyli, poma dulcia. Exterius valent fotus ex decoct. *malуæ, althææ, fœnugr. ſemin. lini, emplaſtra ex viol. mal. farina hor. fœnugræc. butyro, axungia porci, & cataplaſmata ex radic. liliorum, ficubus, farina lini. fœnugr. & ſimilibus.* Inunctio dialthææ, olei lilior, ex dyachylo, & alia infinita apud auctores iam dictos, cum alios practicos deſcripta. Sed hic queritur numquid venæ ſectio conueniat tempore maturationis, quam quæſtionem longo ſermone Gradus explicat, cum dicat non eſſe iterandam phlebothomiam, cum ſit intentio ad ſuppurationem, ne congeletur materia, quod equidem intelligi volunt, virtute iam debilitata, vel propter euacuationes præcedentes & ſectionem venæ vel victum tenuiorem, & accidentia prægreſſa quæ virtutem deiecerunt. Sed conſtante virtute, & in corpore robuſto, ex quo in principio collectionis accidentia augeantur, dolor ſcilicet ac febris, reiterari poterit modica detractio ſanguis ad diuerſionem & infrigidationem: hoc enim modo magis, quam alio vllo ingenio mitigabatur dolor, tum & Auicenna dicat phlebothomiam plus conferre doloribus vincentibus: attamen cum cautione hoc faciendum, prout vires ferunt, & venæ ſectio copioſa præceſſerit. Sed vbi vires fortes ſunt, aliquando iuuiſſe experti ſumus ſtatim in principio collectionis, vt in famulo quodam annorum quadraginta, robuſto, ſtante dolore vehementiſſimo, & febre valida, vt anhelitum vix ducere poſſet, exiguo detracto ſanguine dolor imminutus eſt; & melius ad ſuppurationem deuenit, aliis aptis remediis: idem intelligendum de ventris ſolutione cum lenitiuis, etiam ſi antea præceſſerit. Ceterum vbi iam maturatum cognouerimus apoſtema ex remiſſione doloris & febris, & grauedine exiſtente in loco collectionis, tum omnibus modo rupturam promouebimus, vociferatione, clamore, & forti locutione, motuque inordinato. Deinde & medicamentis id efficientibus, nempe calidis lenientibus, ſubtilitantibus, tam intus ſumptis, quam extra admotis, vtemur, ſed non niſi præcedente maturatione & ſignis eiuſdem, vt eſt ſyrup. de hyſſopo, de praſſio: in cauſa magis frigida, in calida oxymel propinant. Auicenna ſucco ſcabioſæ vtitur, vel eiuſdem aqua, & theriaca, modo non fuerit febris nec debilitas aut extenuatio. Exterius emplaſtra, apponunt ex ſupradictis, adiecto ſimo columbino, vel ex butyro, adipe antiqua, melle & fermento, ſimo columbino, vel rad. althææ, ireos, axungia

8 *Maturatio quomodo perficiatur.*

9 *Verumvena ſectio poſſit fieri tempore maturationis.*

10 *Ruptio quomodo perficiatur.*

ſem. lini, fœnugræc. olei lilior. & pauco adiecto fermento & fimo columbino, formulas vide apud auctores iam dictos hoc tempore, quod ad cibum attinet, dentur ſorbitiones cum melle, panis fermentatus, paſſulæ, ficus, dactyli, aqua mulſa, & oua ſorbilia, vomitus valet & ſternutamẽtum.

11 Volunt quidam, ſi circa 20. diem à collectione hoc modo non rumpatur, ægrum deſperatum eſſe: alioqui ſi per ſyneritica medicamenta non rumpatur, volunt phlebotomo vel cauterio aperiri, priuſquam corpus contabeſcat: de quibus videas Rondeletium, & Arculanum. Sed quia difficile eſt inuenire locum ſanici, id nequaquam faciendum, niſi aliquis tumor aut qualitas mutata manifeſte exterius appareat, cuius poſtea exemplum dabimus. Quod ad tertiam intentionem attinet, facta eruptione oportet abſtergere, lauare, mundificare, & repurgare. Sed conſideran-

Abſterſio & repurgatio dum, num ſanies expellatur per pulmonem cum tuſſi, vel magnam venam ingrediatur, & reſudet ad hepar, & expellatur per renes: vel ad locum concauum hepatis tranſiens ad inteſtina, pus effluat, cum hæc omnia poſſe euenire antea dixerimus. Quod ſi in concauitate pectoris coarcerue-

12 tur, poſt eruptionem tandem tabem inferet, vt dictum eſt, ſi in 40. diebus non repurgetur. Ideo quæ detergant conferunt: vt aqua zacchari, aqua hordei & mellis, ſyrup. de liqu. & decocta in aſthmate & tuſſi deſcripta, & lambitiua ex penidiis, melle roſac. ſucco enulæ, & pulmone Vulpis, tum alia apud præceptorem meum in ſua Empirica deſcripta, & apozemata, & ſyrup. apud Rondeletium, tum alios relata, & exterius adhibita fomenta quæ reſoluant, tum alia topica. Si pus ad

Si pus ad vias vrinæ decumbat. vias vrinæ decumbat, decocta radic. apij aſparagi, fœniculi, alkekengi, & cicerum iura proſunt, vel caſſia diſſoluta in eodem decocto. Si ad inteſtina pus defluxerit, valet ius galli antiqui, decocta hyſſopi, caulium, & radic. ireos, & clyſteres leniter lauantes & abſtergentes: & in fine ſyrupi aliqui aſtringentes, quibus inteſtina exulcerati prohibeantur, vt decocti plantag. ℥ iij. *ſyr. ex roſ. ſiccis* ℥ j ß. Si diutius pus per ſputum expurgetur, aliqui theriacam dant, alij ʒ ß. diaſulphuris, ex quo ſi ſequatur exſiccatio, corrigun-

13 tur cum humidis, vt Meſue docuit. Quod ad cibum attinet, eo tempore dandi cibi abſtergentes pus, vt ius cicerum, piſorum, caulium, galli antiqui, cibaria zaccharo & melle condiantur. Si ad vias vrinæ tranſfluat, aſparagi, ciceres, pineæ cruſtatæ zacharro, aqua mellis, hordei, vel paſſul. Poſt repurgationem ſequitur conſolidatio, cum lacte aſinæ, capræ. Sed cautio adhibenda, quod ſubinde incarnantibus vtendum, mox rurſum detergentibus, prout affectus poſtulet, vel ſimul mixtis. Lac igitur plurimum caſei continens plus conſolidat, è contra plus ſeri habens, magis detergit & mundificat; cibi tunc conferunt, pe-

Conſolidatio.

Signa permutationis ad putredinẽ corruptionẽ, cancrũ & mortem. des vituli, parteſque viſcoſæ, porcellorum, & caſeus recens non ſalitus, farina hordei: orizæ. Prodeſt & ſyrupus myrtinus. At ſi in putredinem pleuritis conuertatur, vel pus ad corruptionem tendat: tunc augentur lethalia ſigna, abeunt vero quæ ſalutem aliquam promittebant, appareteque ſubinde latus liuidum aut nigricans, aut vireſcens: nam cum ad mortem tendit, & in corruptionem mutatur, quia pernecat, calorem innatum ſuffocat, gangrænam efficit, & ſphacelum, ſyncopam, & defectum. Si in cancrum tranſit, (addit Arculanus) augebitur febris, aut ſaltem non minuetur, & ſequitur dolor quidam fulmineus, id eſt exurens cum grauedine, & ſi idem vlceretur, emitteretur per ſputum virus valde fœtens; & vbi terminetur ad putrefactionem, ſputum apparebit liuidum, & tandem viride ac nigrum, valde fœtens, cum reliquis malis ſignis, & magno anhelitus fœtore, vt in hac noſtra muliere poſtea euenit, vt ipſamet fœtorem, dum ſputum egrederetur, ferre non poſſet. Sed tales ſemper fere ſuccumbunt, quamquam nonnulli ſcribant in hoc caſu prodeſſe oxymel, ſua acritudine corruptionem inhibens. In cancro opus eſt tantum cura blanditoria, cum tandem moriantur. De pleuritide quæ induratur, pauci mentionem faciunt, excepto Arculano, cum raro contingat, neque ego vidi: ſi contingat, caliditas & febris paulatim declinant, ita & anhelitus difficultas, donec in totum auferantur: nam ſputum diu retinetur & aboletur remanente grauitate in loco affecto. Tunc procedendum emollientibus intus aſſumptis & extra admotis, qualia ad ſcirrhum ſcribuntur conferre. His alij etiam addunt conuerſionem ad phrenitidem, quæ habetur ex vigilia præter conſuetudinem capitis caliditate, vigiliis: dolore & delirio, ſputo deſinente: vrina tenui, ſubtili, & anhelitus paruitate & frequentia, pulſu raro & intermittente, & alui exſiccatione: ea adhibenda quæ phrenitidi, delirio, & vigiliis conferunt, abſtinendo tamen ab iis, quæ ſputum retinere poſſent. Si ad neruos apparebit aliquis neruorum affectus, ſtupor: tremor, ſpaſmus, paralyſis, dolor pectoris & lateris deſinit, & manifeſta euacuatio. Curatio petenda ex propriis locis. Ita quoque ſi permutetur ad membra exteriora, collum, axillas, inguina, quæ per ſe patent, materia iuuanda eſt, cum attrahentibus, tum reliqua abſoluenda, quæ auctores de curatione apoſtematum exteriorum ponunt: ſi ad pulmonem, curationem iam ex parte diximus, & latius dicemus, cum peripneumoniam aliis exemplis declarabimus: & ſi ad tabem, eius curationem inſtituemus de phthiſi. Et ita abſoluimus omnem curationem de vera & legitima pleuritide: nunc etiam vnum atque alterum exemplum addemus de pleuritide mendoſa.

OBSERVATIO XLII.

De pleuritide mendoſa ex flatu.

QVibus modis pleuritis vera diſcernatur, non ſolum ab aliis affectibus, verum etiam ab illegitima & mendoſa, ſatis ſuperque diximus ſcholio obſeru. 28. cum & ſæpe fiat dolor lateralis à deſtillatione, qui & prægreſſam habet cauſam & manifeſtam: dum in ceruice vel ſcapula primum afflixit: deinde in latus delapſa eſt deſtillatio, in quo preſſu contractuque exacerbatur: tales ſæpe in praxi habuimus, qui dolor non tollitur fomentis, ſed potius iis remediis quæ ad deſtillationem faciunt: atque horum dolorum nulla febris comes eſt, niſi aliunde fortaſſe accerſita; quamquam ex diuturna deſtillatione aliquando vera pleuritis ſubſequuta ſit, vt prius oſtenſum eſt obſer. 40. huius libri. Fit etiam pleuritis mendoſa in muſculis externis: vt ſcholio citato enarrauimus, ipſis inflammatis; cuius etiam exemplum poſtea adferemus; iam quoque à flatu dolor lateralis & pleuritis mendoſa oriri poteſt: vt Montani exemplo recenſuimus in Marco Antonio Genuenſi. Si iſtis diebus cum vir quidam ichthyopola intenſo dolore lateris laboraret: ceruiſia epota, in qua flores chamæmill. incocti erant; prius colata: ex noſtro conſilio ebibita,

bita, in ſudorem incidit, oleoque rutaceo & anethino loco affecto inuncto, ſine ſanguinis detractione ſtatim miraculi inſtar curatus fuit. Hac enim citiſſime & pueros & ſenes curauimus ſine aliqua purgatione vel ſanguinis miſſione, qui ita reſtituti ſunt: etiam grauitas ſola inunctione vel faculis aut fomentis, ſed intus non dando decoctum florum chamæmillæ, cum illud menſes euocet & facile abortum faceret. Curantur tales ſine venæ ſectione, nam & Aëtius in mendoſa pleuritide ſanguinem extrahere periculoſum eſſe voluit: eo quod ab humore pituitoſo & flatulento eueniat ſanguine, & virtutis robore pro ipſius diſcuſſione opus ſit: quo detracto humor magis crudeſcit, & dolor intenſior fit, qui pro ſui ablatione venæ ſectionem expoſcit: proinde & Amatus ſcholio curat. 13. centur. 1. vbi agit de textoris telæ bombicinæ puella, quam pleuritis mendoſa laborabat, cui bis ſanguis demiſſus erat, pleuritim mendoſam ob hoc vera periculoſiorem eſſe voluit. Is tamen dolor tantum ventoſus eſt: abſque febre, de quo nunc loquimur, quales nos multos habuimus: à flatu enim vagus eſt, nec diu eadem ſede perſiſtit, ſed calore & fomentis miteſcit, atque etiam diſcutitur.

Scholia.

3 SI dolor lateralis in illegitima pleuritide ſit ex frigore, aut ab aliis cauſis flatulentis atque euidentibus, tunc vtendum eſt carminantibus ventoſitatem. In quibus & hic vel ſimilis ſaccu-lus proderit. ℞. *florum chamæmill. melilori, ſambuci, ana. p. j. ſummitatem anethi, vna cum ſem.* ℥ ß. *ſem. fœniculi, maluæ, ana* ʒ ij. (in materia frigida vel ventoſa, addi poteſt ſemen rutæ; cumini ʒ j. & erit efficacius) fiat ſacculus interſutus, & calefactus ſuper patellam ardente vino irrotatam, & parti affectæ applicetur. Valent & alia linimenta, & vnguenta & cataplaſmata calefacientia & reſoluentia, quorum formulæ ab aliis auctoribus petendæ. Sed hic etiam notatu dignum exiſtimamus, quandoque dolorem lateris phthiſicis ſuperuenire, qui tamen non eſt vera pleuritis, cuius etiam meminit Dodonæus cap. 22. in ſuis obſeruationibus: Phthiſicos inquit, diuturnitate mali etiam extenuatos, lateris dolore quandoque corripi accidit: qui ſubinde valde moleſtus, & reſpirandi libertatem impedit, febrilem tamen non multum intendit calorem. His pulmo membranæ coſtas ſuccingenti ita firmiter adglutinatus adhæret, vt ſæpe numero nõ abſque violẽtia auelli queat. Concepto aliquo ſpiritu frigido, dolor ſuperuenit: tollitur calorificis, vt fomento ex floribus chamæmilli & cumino, quod multis benefecit: ſacculo hæc inſuere oportet, qui deinde candido rigatus, calens dolenti loco imponitur. Venam ſecare, qui temere audent, quantum ſanguinis demunt, tantum vitæ detrahunt. Non modo autem iſtis ſanguis perperam detrahitur, verum & aliis, ex craſſis, viſcidisque humoribus, latere dolentibus. Ingerunt enim quandoque ſeſe craſſi viſcidiſque pituitoſi humores in thoracis ſpatium, tum & in ipſos pulmones, qui multitudine ſua ſuccingentem membranam diſtendentes dolorem afferunt, & vias ſpirituum intercipientes, ſpirandi difficultatem inducunt. Nam & his ſanguinem, præſertim copioſum, detrahere, eſt motus cauſam ægris præbere, vt Aëtius ſcribit Tetrab. 2. lib. 4. cap. vltimo.

OBSERVATIO XLIII.

De pleuritide ſpuria, ab externa membrana coſtas ſuccingente, tum muſculis intercoſtalibus exterioribus inflammatis.

VIr quidam apud Clariſſas ſorores pleuritide non exquiſita, ſed mendoſa & ſpuria dicta corripiebatur: inflammatio coſtas ſuccingentem externam membranam & intercoſtales muſculos exteriores infeſtabat. Exterior pars thoracis dolebat dolore extenſiuo & pulſatorio, aderatque tuſſis exigua, vel nulla, nec reſpiratio admodum difficilis, quamquam in exſpiratione æger maius percipiebat nocumentum, quam in inſpiratione: pulſus non admodum durus erat, & ſupra idem latus affectum decubitus difficilis erat, obtinuo febricitabat. Venam ſtatim huic ſecui ad vncias fere ſex, cum bonæ habitudinis eſſet, fotuque adhibito ex viol. malu. flor. chamæmill. flor. roſ. rub. & meliloti, oleoque roſaceo, amygd. dulc. chamæmill. & anethi, dolor ſedatus eſt, facta reſolutione, vt aliis remediis opus non fuerit.

Scholia.

SImilem quoque curationem fere ponit Amatus centur. 3. curat. 67. in qua axillarem venam dolentem locum reſpicientem ſecare fecit, vncias ſanguinis octo extrahens: deinde ſecundo die vltro admonuit *fomentum ex roſ. malvæ, parietariæ, chamæmill. anethi, ſem. lini, fœnugræc. decocto, in fine adiectis* ℥ iiij. *olei roſ.* mox loco affecto inuncto hoc vnguento. ℞. *axungiæ gallinæ, butyri recentis, ana,* ℥ j. *pul. chamæmill.* ℥ ß. *olei roſ. amygdal. dulc. ana* ℥ ß. *ceræ q. ſ. ad ignem miſce.* & fiat vnguentum molle, & cucurbitulis loco affecto affixis ex toto intra octo dies inflammatio reſoluta fuit. Solet hæc inflammatio ad cutem aliquando deuenire, adeo vt neceſſum ſit tumorem aperire, vt 5. *de loc. affectis cap.* 3. Galenus refert, id ſe ſemel obſeruaſſe in quodam Luſitano, idem Amatus ait, quem tumorem ſcapello incidi fecit; idem & Zoar glorioſus ſe feciſſe narrat in muliere quadam, *vt lib. 1. ſui Theiſir, cap. 4. tractat. 16. videre licet.* Rondeletius omnia fieri in mendoſa pleuritide vult, vt in vera; ſi dolor vehemens vrgeat omnibus conſentientibus venam ſecare iubet, niſi ætas & cruditas materiæ obſtiterit, vel aliud impediat, apponit ventoſas ſupernates ſine ſcarificatione, ſi materia omnino frigida ſit, vel cum ſcarificatione, quando eſt permixtio ſanguinis: additque curari pleuritidem iisdem fere remediis, vt vera, niſi quod in parte externa fortiora remedia ſunt adhibenda, vt emplaſtra, ſaculi, vnguenta, quorum formulas apud eundem deſcriptas videre poteritis. In hac pleuritide idem laudat cucurbitulas ſupra affectam partem poſitas, prius vero natibus admotas, ante lenito ventre & miſſo ſanguine. Si vero ad partem externam trahatur, & vertatur in ſaniem (quod patet ex inundatione, & partis inflammatæ pulſatione) aperiatur locus, vt in aliis abſceſſibus, vel vtendum emplaſtro de meliloto, vel alio digerente, vt materia potius per inſenſilem tranſpirationem, quam per manifeſtam euacuationem educatur. Si muſculi pectoris externi circa latera dolent, & adſit inflammatio, curetur vt aliæ inflammationes, & ſi in abſceſſum terminentur, curetur

De pleuritide de non vera eiuſque curatione.

curetur, vt alij abſceſſus in locis externis, viſu, & tactu apparentibus. Solent aliquando lateris dolores in peripneumonia apparere, quamuis non ſit vera pleuritis. Sic noſtra ætate peripneumoniam populariter graſſatam aliquando vidimus: *vt in libro noſtro 6. obſer. de febrib. epidemicis & peſte recenſuimus.* Memorat Dodonæus, ſua ætate bis quoque ſæuiſſe, & in memoria multorum adhuc eſſe, ſemel anno 1557. Octobri; deinde iterum anno 1565. Ianuario menſe. Ab initio Iulij menſis, anni 1557. ſicca præceſſerat conſtitutio, & mediocriter pro temporis ratione calida, præſertim Iulio ac Auguſto. Sub finem Septembris tertio ac quarto Kalendas Octobris, ſuperuenit validiſſimus à Septentrione ventus, admodum frigidus, mox deſtillationes plurimæ ſunt natæ: vnde cito validæ vehementeſque tuſſes, & lateris cum febri: & reſpirandi difficultate dolores præceſſerunt. Lateris dolores non vehementes, non punctorij erant; ſed clementes admodum: tertio die, vel prius ſputum prodiit cruentum: quinto, aut ſexto, aut ſeptimo, ad ſummum octauo mortui omnes ſunt latere dolentes, quibus ſectio venæ prætermiſſa, aut tempeſtiue non facta. At quibus ſanguis vel primo, vel altero die detractus, euaſerunt, quarto aut quinto die ſanitati reſtituti. Quarto vero aut quinto ſanguinem detraxiſſe nihil profuit, morbo iam confirmato. Humores deſtillantes tenues admodum, & nonnihil acres fuerunt. Eclegmata idcirco vtiliſſima quæ inſpiſſandi vim habent, acrimoniam retundunt, & aſpera leniunt; quale eſt ziziphis (iuiubas vulgo vocant) ſerapium quod tenues deſtillationes inſpiſſat, acrimoniam obtundit, aſpera obliniendo lenit. Altera peripneumonia diſſimilem occaſionem habuit. Decembri menſe Anno 1564. gelu admodum acre exſtitit, quod non modo omnia reliqua flumina vbique, ſed ipſe Scaldis in portu Antverpiæ (quod admodum raro contingit) adſtrictus fuit. Decidit per id temporis nix admodum crebra. Poſt Kalendas Ianuarij Anno 1565. frigoris remiſſio ſex aut ſeptem dierum ſucceſſit, ſex exigua admodum, ſic vt neque nix, neque glacies diſſoluerentur. Per hos dies vapores multi eleuabantur, qui cum interdiu diſſolui ad diſcuti non potuerunt, nec altius aſcendere, nocturnis frigoribus denſati, inferiorem, & quem haurimus aërem inficientes, craſſum, humidumque eum admodum reddiderunt. Ab huius autem tam craſſi aëris, & vaporibus infecti inſpiratione, morbi circa pulmones atque in ipſis etiam pulmonibus exitiales nati ſunt: quibus infinita hominum multitudo mox correpta fuit. Nulla autem citius aut grauius affecti, quam qui hora vna aut altera poſt ſolis occaſum aëri ſeſe expoſuerunt. Nam interdiu, præſertim ipſo meridie, aut paulo poſt, aër minus craſſus exſtitit, nec ita cito aliquem offendit. Multis locis profuit focus elegans ex quernis liguis, qui hos in ſanitate continuit, aëre in cubilibus ac cœnaculis reſiccato ac puriore reddito. Morbi per hos dies erant tuſſes, raucedines, reſpirandi difficultates, & plurimi vna laterum clementes, non punctorij cum febri dolores, hoc eſt peripneumoniæ. Fuit autem hæc peripneumonia non minus quam ſuperior exitialis: neceſſum quoque erat in hac mox primo aut altero die ſanguinem detrahere, quando ceſſatum eſt, nulla ſalutis ac vitæ ſpes reliqua erat. Sputum in hac proceſſit craſſum. ſanguini permixtum nonnullis biliioſum, quorum nemo ſeruatus. Eclegmata deſiderabantur, quæ pulmonis meatus expurgarent, & ab infarctu liberarent, non tamen valde calida, vt ſerapium ex capill. ven. & quod ex dulci radice paratur: ex hyſſopo quoque quandoque profuit. Vtroque autem tempore morbum hunc non pleuritidem, ſed peripneumoniam fuiſſe, mortuorum quorumdam corporum diſſectiones oſtenderunt. Iſtis exemplis fit manifeſtum (vt idem aſſerit) non ſemper pulmonis inflammationem citra lateris dolorem accedere. Nam licet parenchyma eius ſenſu ſit deſtitutum, vt ſatis in phthiſi apparet, non tamen membrana, quæ ipſum ambit, ſenſus & doloris, ſi diſtendatur, eſt expers: quando enim inflammatio ad vnam aliquam exteriorem pulmonis partem conſiſtit, dolor in latere diſtenta membrana ſentitur: vbi vero interius accëditur, grauitatis ſenſus quidam circa ſternum & dorſi ſpinam tantummodo percipitur, niſi ſimul & pelliculam ſiue membranam qua dorſo ſternoque adhæret, inflammari contingat; tunc enim dolor circa ſternum etiam adeſt Aëtio teſte. Hactenus Dodonæus. Cæterum pleuritide nunc abſoluta, ad peripneumoniæ maiorem enucleationem accedamus, ab ea incipientes, in qua plurimum pituitæ dominabatur: tum aliis exemplis, quæ non à pleuritide, ſed perſe ipſa ortum habeant.

Peripneumonia populariter ſæuiens cum lateris dolore.

5

6

Hyems frigidiſſima.

7

OBSERVATIO XLIV.

De peripneumonia, in qua pituita plurimum prædominabatur.

MVlier Hornana, quæ fratrem viſendi cauſa Alcmariam acceſſerat, annos triginta octo vix accedens, aſthmate ſubinde tanquam morbo familiari laborans, ſatis pituitoſa, fluxioni ac catarrho obnoxia, anno 1550. Ianuario menſe, in peripneumoniam incidit. Quam magna ſpiritus difficultas vrgebat, ac oculos tumidos habebat, aderatque præcordiorum pectorisque anguſtia, ſimul & grauitas ſumma, ſternum dorſumque contrahens: & febris acuta, ſed non admodum vrens: tuſſis valida, ſputum crudum, pituitoſum, vix aut parum cruentum: ita vt à ſanguine pituitoſo, pituita plurimum prædominante, hoc malum originem traxiſſe exiſtimaremus, in muliere Aſthmatica, pituitoſa tempore quoque hibemo. Ad quam vocatus, cum aluum non deponeret, balano ſequenti fæces communes depoſuit. *℞. pul. ſpecier. hieræ picræ ʒ j. mellis ℥ j. diac. ℈ iij. ſalis exigui.* Fiat ſuppoſitorium. Eodem die poſt aluum ſolutam, ſtatim è vena baſilica in brachio dextro ſanguinem extrahere iubeo ad vncias ſex: qua detractione anguſtia pectoris nonnihil ſedata, multo melius ſpirare potuit. Interea hoc decocto bis in die vtebatur. *℞. radic. fœniculi, malua, glycyrrhiſæ, ana ʒ j. capill. ven. ſcabioſæ, hordei mundati, hyſſopi, vnguiæ caball. ana, m. j. flor. cord. ſeminis aniſi ʒ j. vuar. paſſul. detractis vinaceis p. j. iuiubar. febeſten. recent. ana. numer. vij. prunor. aliquo modo dulc. numer. xiij. coquantur in aqua communi pro ℔ j. ß. colatura ℥ zaccharo dulcoretur, & hunc ſyrup. lambebat. ℞. ſyrup. viol. capill. ven. ana ʒ j. in ſyrup. de liquir. de hyſſopo, ana ʒ ß. miſce.* pectus inungebat vnguento pectorali, oleo chamæmill. & amygd. dulc. adiectis. Poſt duos dies, ad expectorationem & maiorem inciſionem, vtebatur ſequenti eclegmate. *Recipe loch. de pino ʒ j. ß. loch ſani & experti ʒ j. miſce.* Quarto die materiam magis coctam hoc modo expurgauimus per vices. *Recipe hordei mundat. vnguiæ caball. hyſſopi, ſcabioſæ, capill. ven. ana m. j. flor. cord. p. j. cort. rad. fœniculi, liquir. raſæ, ana ʒ i. ſem. aniſi ʒ j. folior. ſenæ Alexand. ʒ j. prun. damaſc. dulc. num. viij. vuar. paſſul. mundat. ab arillis p. j. iuiubar. ſebeſten. an. num. v. coquantur in q. q. communi pro ℔ j. ℥ zaccharo dulcoretur.* Modo bis modo ſemel ex hoc decocto capiebat, & quotidie modo bis, modo ter exſcreuit cum maxima pectoris alleuiatione, febre non increſcente: ſed cum aliquo modo cor doleret, cochlear vnum ſyr. brag. propinauimus. Lingebat quoque ex electuario ex pulpis prun. damaſc. parato cum ſucco liquiritiæ, & ſpecieb. diatrag. confecto, pro febre & ſiti. Poſt tres dies à decocto purgante difficilis ſpiratio ceſſare cœpit, ſed oborto in muliere ſatis craſſa lateris dolore, quem ex ventoſitate contractum coniecimus, & fotu decoctionis flor. chamæmil. meliloti, & ſemin. lini, fœnugræci, aniſi ceſſauit, & liberius extuſſiebat, expectorabat vndecimo die: & quia per ſputum peripneumonia tendebat ad reſolutionem & declinationem, ſyrup. ſequentem lambebat. *Recipe loch. ſani & experti ʒ j. ſyrup. capill. ven. de liquir. de hyſſopo, ana. ʒ ß. ita vt tandem 14. die à peripneumonia ſatis periculoſa euaſerit.* A febri totum ac tuſſi liberata, ſolum relicta appetitus deiectione, quam ob dulcia medicamenta ſtomacho refragante euenisse exiſtimabat: ſed hoc condito ſumpto ſubinde ad magnitudinem fabæ maiuſculæ, appetitus quoque rediit. *Recipe conſer. borag. ʒ j. diarod. abbat. ʒ j ß. ſpecier. aromatic. roſa ſine muſco ʒ j. corticum citri conditi ʒ iij. conſer. capill. ven. ʒ ß. ſyrup. menthacei & zacch.* parum, ne tuſſis rediret, fiat conditum. Interea cum ſanitatem conſequuta eſſet, ac iam diſcederet & domum reuerteretur, conſului, vt ſubinde vteretur inula campana condita & zaccharo incruſtata, ad aſthma morbum ſibi familiarem.

SCHOLIA.

4 *Vera peripneumoniæ ſumma.*

CVm pleuritis aliquando in petipneumoniam mutetur, vt prius dictum eſt, deinde quod parum à curatione pleuritidis diſtet, ſolent medici ſtatim poſt pleuritidem de peripneumonia agere, quæ quidem variis nominibus decoratur. Nam alij παραπνευμονίαν, ſeu πνευμονίαν, vel vt Celſo viſum eſt cap. 7. lib. 4. παραπνευμονικὸν Græci vocant, Latini vero peripneumoniam appellant. Et hæc inter eos morbos connumeratur à Galeno 2. *method. medend.* quibus à læſa particula nomen fuit inditum: eſtque ea, teſte Celſo, vehemens & acutus pulmonis morbus, quam & Paulus *lib. 3. cap.* 30. inflammationem pulmonis eſſe ait, cum febri acuta, vt etiam Galenus confirmat. 2. & 4. *de locis affect. & lib. de pulſ. ad tyrones, & 4. de cauſis pulmon.* Aëtius *lib. 4. cap. 66.* Non deſunt, qui in veram & legitimam notam diſtinguunt: vnde & Fernelius raram admodum veram peripneumoniam eſſe aſſeruit, cum & tenuis & acris, multaque deſtillatio cerebro confertim in pulmones illapſa, interdum ardore præter naturam incenditur, æſtum ac febrem inferens, ac plerique eam affectionem peripneumoniæ nomine deſignant, in qua & tuſſi & ſpirandi difficultate, & lenta febre ſenſim conficitur æger, ſine vlcere, ſine expuitione cruenta. Hæc ſi peripneumonia dicitur, ab exquiſita profecto plurimum, tum cauſa, tum ſymptomatum magnitudine diſſidebit. At nos non loquimur de peripneumonia: Poteſt enim hæc inflammatio, vt in ſequentibus de cauſis latius dicetur, nedum ex ſanguine optimo ac laudabili, mediocremque craſſitudinem habente initium ſumere; verum etiam ex eodem pituitoſo aut biliioſo, aut melancholico exiſtente (quanquam quidam hoc vltimum de melancholico vix admittunt, & nonnulli negant) vt patet apud eundem Galenum 2. *de loc. affect. & comment. aph.* 36. *lib.* 6. vt etiam à Donato Altimaro citatur: dicebat pulmonem aptum natura eſſe, cum raræ ac laxæ ſubſtantia particeps ſit, ad omnes humores percipiendos: non obſtante 4. *de cauſ. pulſ.* vbi Galenus potius à pituitoſiore & craſſiore ſanguine inflammeri vult, cum ſubtilis biliioſuſque fluat fere, nec cum viſcere vlla ratione coaleſcere poſſit. Quibus reſpondetur, intellixiſſe quidem prõptius hoc fieri ex pituitoſo ſanguine, non tamen negauit vtraſque partes ab vtriſque inflammari poſſe, licet in laterali morbo ſæpenumero magis biliioſum, in peripneumonia vero magis pituitoſum ſequi conſueuit. Pars affecta hic facile cognoſcitur pulmonem eſſe & compertum affectum præter naturam vitium hoc eſſe inflammatio nem, & ideo morbum in quantitate, ſubſequente immodica ſpirandi difficultate atque anguſtia: adeo vt ſuffocari laborantes videantur, vt ſæpe recte ſedere cogantur; hoc enim modo ſentiunt thoracem magis dilatari: quippe decumbentibus in ſeſe concidit: idque magis ſi inflammatio particeps fuerit eryſipelatis. Quocirca, vbi plurimum efflant, iuuari videntur: ac multum aërem frigidum attrahere concupiſcunt. Thoraci quoque granitatis ſenſus adeſt & dolor ſpinam contingens, ob membranas ambientes: vehementi enim dolore pulmo numquam cruciatur, niſi ob dictas membranas, & earum extenſionem, adeſt & acuta febris incendium vero magis in eryſipelate: ſed tunc anguſtiæ & grauitatis ſenſus minor. Si igitur eryſipelas, aut phlegmone eryſipelatodes ſit, aut difficulter deprehenditur: ſi vero inter tuſſiendum ſputum exſpuunt, id (vt in pleuritide dictum eſt) modo hoc, alias alio colore infectum videbitur, pro ratione diuerſi humoris inflammationem cauſantis. Proprium item in peripneumonicis ſignum eſt, *eodem Galen. teſte 1. de loc. affect.* quod maxillæ rubræ apparent, pulſuſque magnus, languidus, molliſque, atque inæqualis & vndoſus eſt, interim quoque dicrotus: & cum acute omnes febricitent peripneumonici: nonnihilque comatis habeant, vtrum horum excellat, maxime ratione crebritatis pulſus inuenitur: nam vbi ardentior febris fuerit, pulſus abunde creber erit, ſi comatoſior minus creber: & huius cauſas requiras apud Galn. 4. *de cauſis pulſuum.* Sed & alia ſymptomata peripneumoniam comitantur, vt anxietas, impotentia, iactatio, lingua flaua, licet temporis progreſſu nigreſcat, *lib. 3. de morb. vulg.* & delirium atque oculi intumeſcentes, teſte Paulo, & naſus in ſumma ſimus, & venæ temporum eleuatæ, iuxta Aëtium, & proſtratus appetitus. Simili autem via, ex quo humorum ortum duxerit, indagabimus, quam de pleuritide docuimus, licet ſæpenumero expituitoſiori ſanguine gignatur, & aliis quoque humoribus fieri poterit, vt prius dictum eſt, idque potiſſimum percipiemus ex eiuſdem ſputi colore diuerſo: ex rubeo ſanguine, ex flauo & rufo, ſeu pallido biliioſum ſanguinem, ex ſpumoſo albo atque candido pituitoſum: ex liuido & nigro melancholicum ſanguinem, vt *2. de loc. affect. & 2. prognoſt.* à Galeno deſcriptum reperitur. At ſi nihil exſpuant, ex aliis id coniectabimus: ex maiori vel minori calore, ſeu incendio in thorace percepto ex maiori minoriue anguſtia, reſpirationis difficultate

Dubium.

6

Reſponſio.

Quæ ſit pars affecta, & quis affectus præternaturam.

Signa.

7

Proprium ſignum peripneumonicorum.

8

Cauſæ.

Cauſarum Signa.

cultate, ac gratitatis ſenſu, temperamento, ætate, habituque diuerſo, regione, aëris conſtitutione; anni tempore: ac præcedente victus ratione. At de cauſis & ſignis plura videas apud præceptorem meum Benedictum Fauentinum in praxi: capite proprio; & Gradum: tum alios, qui longiore ſermone hæc proſequuntur: quæ exemplis ſubſequentibus adhuc clariora euadent.

OBSERVATIO XLV.

De peripneumonia ex ſanguine magis prædominante, cum mediocri pituitæ portione.

1 MAtrona honeſta ac iuuencula, annos plus minus octodecim nata, & nuper nupta, veris principio ſubito peripneumonia ſanguinea correpta fuit: genæ enim plurimum rubebant; ſputum ſanguinolentum erat, mixtum cum exigua pituita, febris acuta erat cum inflammatione, & venarum omnium extumeſcentia, cum pulſu vndoſo, pectoriſque grauitate; habitu mediocriter carnoſo, victu ſatis lauto præcedente, ac ætate iuuenili, & tempore verno reſpondentibus, cum vrina rubra, modo clara, venis apparentibus, ac per totum corpus ſatis repletis, cum tanta anhelitus difficultate, vt ſuffocari videretur; ita vt facile, cum ad eam ſubito vocatus eſſem, intellexerim pneumoniam eſſe ex ſanguine magis prædominante, & cum dolor grauis pectus occuparet, ad mamillam ſiniſtram, tum humerum ſiniſtrum tendens: cum aluum intra duos dies non depoſuiſſet, libenter ante venæ ſectionem enema molliens iniecciſſem. Sed cum non admitteret: 2 balano, id tentauimus: quo nihil vel vix effatu dignum excreuit. Anguſtia pectoris magis increſcente, precibus amicorum eò perducta eſt, vt clyſterem emollientem admitteret, hoc modo deſcriptum. ℞. *radic. althææ mundatæ* ℥ j. ß. *maluæ, cum toto viol. parietariæ, mercurialis, ana m.* j. *flor. viol. meliloti, chamæmillæ, ana p.* j. *ſeminis lini, fœnugræci, ana* ʒ ij. *ſem. aniſi* ʒ ß. *ſem. 4. frig. maior, ana* ʒ ß. *prun. damaſc. numero* 15. *coquantur in aqua communi, & m.* ℔ j. *huius decoct. diſſolue caſſiæ mundatæ* ℥ j. *diacatholici* ℥ ij. *olei viol. amygdal. dulc. ana* ℥ j. *olei anethini* ʒ ß. *ſalis* ʒ ij. *miſce pro clyſtere.* Quo bis aluum depoſuit, dolore & difficultate anhelitus parum diminuta. Sed cum poſt meridiem rediremus, & malo increſcente, cum verſus mammillam magis ſiniſtram doleret, vena lienari in manu ſecta, cum in brachio minus appareret, ad vncias ſex, optime tulit, & anhelitus liberior proceſſit, ſputo melius quoque exeunte, pectore inuncto *oleo amygdal. dulc. & amar. viol. & anethino, & lambitiuo ſæpius deglutito. ex ſyrup. viol.* ℥ j. ß. *ſyrup. capill. vener. de liquir. ana* ℥ ß. Et hoc iulebo ebibito ad materiæ præparationem ℞. 3 *ſyrup. de liquir. iuiub. capill. ven. ana* ℥ j. *aquæ vngulæ cabal. ſcabioſæ, ana* ℥ iij. *miſce pro doſibus.* Quinto vero die ita eam purgauimus. ℞. *caſſiæ mundatæ* ℥ j. *diacatholici* ʒ j. *agarici trochiſcati* (quia leuis aderat portio pituitæ) ℈ ß. *zaccharo candi aſperſo, & granis tribus pulueris cinnamomi & hyſſopi adiectis.* Fiebat bolus: quo ter aluum exçreuit. Vbi enim morbus venæ ſectione, & clyſteribus non cedat, ſolent medici ipſi, præſertim in primis quatuor aut quinque diebus, purgante medicamento aluum ſubducere, & hoc paulo amplius, quo & febres obtuſiores ſint, & dolores leuiores vt Hippocrates iuſſit lib. 3. *de morb.* Ad hoc opus eliguntur ea: quæ leniendo purgant, cuius generis ſunt noſtris temporibus, manna caſſia fiſtula, diacatholicon, diaprunum non laxatiuum: & medicamentum lenitiuum dictum: in bolo, vel cum decoctis pectoralibus. Oportet autem infeſtam aluum ex eiuſdem Hippocratis mente, neque valde ſuppreſſam eſſe, ne febres ſint acutæ, neque valde egerere, quo ſaliua atque ſputum ſurſum educi poſſit, & æger viribus valeat. Interea & ad diuerſionem vſi ſumus frictionibus eiuſmodi diutiſſimæ non parum conferunt, ſi bis quotidie fiant in ſcapulis: proxime ab his in brachiis & pedibus & cruribus, leniter contra pulmonem, vt teſtatur Celſus. Interim neque ſyrupis, neque eclegmatibus abſtinuimus, vt prompte ac celerrime pulmo expurgaretur: quare & ſequenti ad expectorationem vſi ſumus. ℞. *ſyrup. violar.* ob calorem, ℥ j. *ſyrup. de liquir. capill. vener. ana* ℥ j. *zacchar. candi pul.* ʒ ß. *miſce.* Sexto rurſus die, cum durioris alui permaneret, vt hoc decocto vteretur, mandaui. ℞. *folior. viol. boragin. ana m.* ſj. *radic. liquir.* ʒ ß. *ſeminis 4. frigid. maior. ſemin. aniſi, ana* ʒ ß. *foliorum ſenæ* ℥ j. *prun. damaſc. ad dulcedinem tenderitium numero xv. hordei mundati, p.* j. *capill. vener. hyſſopi ac magis incidendum, ana m.* ß. *iuinbar. ſebeſten. recentium num. v. fiat decoct. in ſero lactis ad* ℔ j. *zaccharo parum dulcoretur.* Ex eo decocto, cum ſemel ℥ iiij. cepiſſet, quatuor ſeceſſus in die habuit cum alleuiatione. Quare amplius non ſumpſit quotidie melius expectorabat. Interea topicis digerentibus & reſoluentibus minime relictis, facta pectoris inunctione ex vnguento noſtro pectorali, ſeptimo melius habere cœpit, & cum minori moleſtia extuſſichat ſputa magis alba & concocta. Eclegmata continuabat ſyrupo poſtea à violaceo relicto, addito eius loco ſyrupo de hyſſopo. Octauo die iterum aluum, non niſi balano depoſuit. Nono die ſuborto, dolore cum quadam inflatione circa inguina, & quadam grauitate circa vterum, pectinem, & lumbos, morbum per menſtruas purgationes finiturum expectauimus: cum neque gra- 6 uida eſſet. Et cum per ſuperiora calidis, quæ febrem augerent, vti & menſes euocantibus non auſi eſſemus: ideo cum vteri dolor multum vrgeret, per obſtretricem mandauimus, vt digito oleo ſequenti intincto collum matricis intus confricaret, atque hoc modo ora venarum matricis aperta ſunt, & menſtrua copioſe fluxere. Oleum verum tale erat. ℞. *olei lilior.* ℥ j. *croci orientalis pul.* ℈ ß. *miſce.* Menſtruis itaque fluentibus, morbus, eo modo ſignis coctionis antea in ſputo, tum in vrina apparentibus, ad ſalutem terminabatur, vt decimo quarto die perfecte ſanata fuerit. Victus huic idem, qui pleuriticis confert, niſi quod magis attenuatorius eſſet, iuxta Aëtium: à ſalſis tamen abſtinendo, tum ab acribus atque amaris: neque aluum aſtringentibus, vt Celſus admonebat, vſi ſumus: ſed leuioribus: dando in principio, vel primis diebus ſorbitiones ptiſanæ, aut ptiſanam ipſam cum melle, vel butyrum recens cum ptiſana, vt Paulus facit: in qua recens adeps iuxta Celſum incoqui poſſet: primis enim diebus, ex Hippocrate tertio, de morbis, ſorbitiones dulciores dat. Quarta autem die & quinta, & ſexta non amplius dulces, ſed pingues dat: nam ad ſurſum exſcreandum dat, vt ptiſanam cum iure galli pinguis vel gallinæ. Nos commode in principio hordeata exhibemus, deinde & ſorbitiunculam ex pane, zaccharo & butyro exiguo cum ceruiſia leuiter coctam, vel panatam. Sed à ſuccis frigidioribus abſtinent, & aliquid hyſſopi incoquunt, & panem ex aqua mulſa, ſubinde cum melle exhibent. Celſus etiam oua ſorbilia concedit. Potus erat ptiſana parata ex hordeo mundato, liquiritia & paſſulis, detractis vinaceis. In fine etiam victum auximus, exhibendo colatitium cum emulſione hordei, zaccharo adiecto.

SCHOLIA.

8 DEcimo quarto die in totum morbus ſolutus fuit, & nono iudicatus, menſtrua euacuatione ſubſequente, qua & terminum ſuum complexit. Iudicatur autem hic morbus (*Hippocrat. teſte 2. & 3. de morbis, & lib. de affectibus.*) breuiſſimus quidem in diebus ſeptem, aut quatuordecim: longiſſimus vero in duobus de viginti: Pauci autem hunc morbum effugiunt: verum poſtquam trigeſimum diem tranſgreſſus fuerit, non amplius moritur, ſed pus ſpuit, & pectus dolet & tuſſit: nam ex hoc morbo fiunt etiam pectore ſuppurati, ſi non in iudicatoriis diebus pulmo fuerit purgatus. Iiſdem modis vero terminatur, vt pleuritis: vel enim per ſputum, & eadem ſigna aderunt, vt in pleuritide, ſi ſputum bene exeat & bene coctum. Sed quod ad breuitatem attinet & longitudinem, ſolet eſſe aliquando longior pleuritide, cum à materia craſſiore pendeat: citius tamen à bile quam à pituita. Et ideo ſi poſt decimum quartum diem non reſoluitur per ſputum, tranſit quoque in ſuppurationem: & tunc aderunt eadem ſigna, quæ de ſuppuratione diximus, & poſtea dicemus, cum de empyemate agemus: & ſi non repurgatur, etiam in 40. diebus, ad tabem tranſit multo facilius quam pleuritis: & ideo ſi in ſeptem diebus non curatur peripneumonia, plerumque interficit vel ſuppuratur, vel in tabem tranſit. Interea aliquando inflammatione in pus commutata, ſi per vrinarios meatus aut ventrem pus excernatur, omni ſtatim moleſtia liberantur. Si vero aceruatim in pulmonem irruperit, aut ſuffocat, aut in tabem permutatur. Terminatur etiam in alios morbos, in pleuritidem (quod ratius fit) & minus malum eſt; licet tamen non ſemper illud tutum eſt: & licet peripneumoniæ ex pleuritide tranſmutatæ ſecuriores ſint his, quæ ab initio fiunt ex ſe, non obſtante tamen, etiamſi ſuperuenerint, ſunt malæ, vt patet 11. *Aphoriſm. lib. 7.* à morbo laterali inflammatio pulmonis malum: quia pulmonia, vt ante quoque dictum eſt, pleuritide periculoſior eſt, quia malum magis vicinum cordi, & maius impedimentum in anhelitu. Siue igitur ſit à pleuritide, ſiue ab angina, vel ab alio morbo, non caret periculo, vti quælibet peripneumonia etiam ab aliis cauſis prægreſſis, vt contuſione, caſu, vulnere, à valida frigiditate aëris ambientis. 10 Hæc omnia externæ cauſæ peripneumoniæ eſſe poſſunt. Et ſic quoque pulmonis inflammatio, quæ fit per materiam ex angina & pleuritide delatam, periculoſior eſt, & difficilioris curationis, quam quæ ex defluxionibus à cerebro in pulmonem fit: ab acuto enim morbo maior ſit læſio. Et ſicuti cerebri defluxio (vt præceptor meus Benedictus Fauentinus cenſebat) gignere valet pulmonis inflammationem, ita pulmonia phrenitim gignere valet, teſte quoque Galeno 7. *Aphoriſm.* 12. cum à calido humore fit inflammatio pulmonis, quæ multos vapores tranſmittit ad caput, cerebrum implet vaporibus, & facit phrenitidem: in quam ſi permutetur pulmonia, peſſimum eſt, iuxta eundem Aphoriſmum à pulmonis inflammatione phrenitis malum: ratio eſt, quia mutatio fit in peius. Verum ad parotidas conuerſam poſt aures, vel ſubalares abſceſſus excitaſſe, hoc innocentiore malo, ac augurio magis tuto accidit. Sed ſi prolongatur peripneumonia, vt 11 quidam volunt, inducit pedum tumorem & hydropem, ob hepati nocumentum communicatum: quod aliquando & in ſuppuratis euenit. Si induratur (quod rariſſime contingit) vt quidam volunt, paulatim accreſcit anhelitus difficultas, & tuſſis ſiccior, frequens, calor exiguus, dolor grauis, anhelitus conſtrictio modo alleuiatur, modo redit. At ſi in pulmonis fiſtulis caro paulatim excreuerit, febricula aderit, cum quodam pulſu in medio ſcapularum, & vocis pariter raucitas, cum oris, narium graueolentia, odore piſcium: longiſſimus vero in duobus de viginti: Pauci autem hunc morbum effugiunt: verum poſtquam trigeſimum diem tranſgreſſus fuerit, non amplius moritur, ſed pus ſpuit, & pectus dolet & tuſſit: nam ex hoc morbo fiunt etiam pectore ſuppurati, ſi non in iudicatoriis diebus pulmo fuerit purgatus. Iiſdem modis vero terminatur, vt pleuritis: vel enim per ſputum, & eadem ſigna aderunt, vt in pleuritide, ſi ſputum bene exeat & bene coctum. Sed quod ad breuitatem attinet & longitudinem, ſolet eſſe aliquando longior pleuritide, cum à materia craſſiore pendeat: citius tamen à bile quam à pituita. Et ideo ſi poſt decimum quartum diem non reſoluitur per ſputum, tranſit quoque in ſuppurationem: & tunc aderunt eadem ſigna, quæ de ſuppuratione diximus, & poſtea dicemus, cum de empyemate agemus: & ſi non repurgatur, etiam in 40. diebus, ad tabem tranſit multo facilius quam pleuritis: & ideo ſi in ſeptem diebus non curatur peripneumonia, plerumque interficit vel ſuppuratur, vel in tabem tranſit. Interea aliquando inflammatione in pus commutata, ſi per vrinarios meatus aut ventrem pus excernatur, omni ſtatim moleſtia liberantur. Si vero aceruatim in pulmonem irruperit, aut ſuffocat, aut in tabem permutatur. Terminatur etiam in alios morbos, in pleuritidem (quod ratius fit) & minus malum eſt; licet tamen non ſemper illud tutum eſt: & licet peripneumoniæ ex pleuritide tranſmutatæ ſecuriores ſint his, quæ ab initio fiunt ex ſe, non obſtante tamen, etiamſi ſuperuenerint, ſunt malæ, vt patet 11. *Aphoriſm. lib. 7.* à morbo laterali inflammatio pulmonis malum: quia pulmonia, vt ante quoque dictum eſt, pleuritide periculoſior eſt, quia malum magis vicinum cordi, & maius impedimentum in anhelitu. Siue igitur ſit à pleuritide, ſiue ab angina, vel ab alio morbo, non caret periculo, vti quælibet peripneumonia etiam ab aliis cauſis prægreſſis, vt contuſione, caſu, vulnere, à valida frigiditate aëris ambientis. 10 Hæc omnia externæ cauſæ peripneumoniæ eſſe poſſunt. Et ſic quoque pulmonis inflammatio, quæ fit per materiam ex angina & pleuritide delatam, periculoſior eſt, & difficilioris curationis, quam quæ ex defluxionibus à cerebro in pulmonem fit: ab acuto enim morbo maior ſit læſio. Et ſicuti cerebri defluxio (vt præceptor meus Benedictus Fauentinus cenſebat) gignere valet pulmonis inflammationem, ita pulmonia phrenitim gignere valet, teſte quoque Galeno 7. *Aphoriſm.* 12. cum à calido humore fit inflammatio pulmonis, quæ multos vapores tranſmittit ad caput, cerebrum implet vaporibus, & facit phrenitidem: in quam ſi permutetur pulmonia, peſſimum eſt, iuxta eundem Aphoriſmum à pulmonis inflammatione phrenitis malum: ratio eſt, quia mutatio fit in peius. Verum ad parotidas conuerſam poſt aures, vel ſubalares abſceſſus excitaſſe, hoc innocentiore malo, ac augurio magis tuto accidit. Sed ſi prolongatur peripneumonia, vt 11 quidam volunt, inducit pedum tumorem & hydropem, ob hepati nocumentum communicatum: quod aliquando & in ſuppuratis euenit. Si induratur (quod rariſſime contingit) vt quidam volunt, paulatim accreſcit anhelitus difficultas, & tuſſis ſiccior, frequens, calor exiguus, dolor grauis, anhelitus conſtrictio modo alleuiatur, modo redit. At ſi in pulmonis fiſtulis caro paulatim excreuerit, febricula aderit, cum quodam pulſu in medio ſcapularum, & vocis pariter raucitas, cum oris, narium graueolentia, odore piſcium: quæ ſi exulceratur, fœdioris erit odoris, & ſine ſaliua tuſſis, & cum corporis interdum pruritu: illa tamen peripneumonia non eſt, quamquam hæc ipſa pulmonia, vel diſſoluatur, vel in vomicam tranſeat, aut paulatim quidem indureſcat in carbunculos, vt Benedictus Veronenſis ex aliis annotauit. At ſi aquoſitas pulmonis fiſtulas vexat, differt plurimum à materia pituitoſa; mouetur enim in diuerſa latera, & æger fatetur ſonitum ſeſe percipere. Ex huius vapore continuo febricula excitatur, cum difficultate ſpirandi. At hæc legitima peripneumonia non eſt, cum & his ſaliua tenuis aquoſa & plurima ex ore prorumpit, & in cæteris hydropem imitatur. At inter reliquas ſpecies peripneumonia bilioſa, reliquis alijs malignior eſt & quando magis ad eryſipelas pulmonis accedat: cuius exemplum nunc adiungemus.

OBSERVATIO XLVI.

De peripneumonia bilioſa.

PVlmonia grauiſſima & bilioſa, Procurator in monaſterio (cui Sion nomen erat prope Delphos) laborabat, annum quadrageſimum agens, vir bilioſus, ac ſatis raræ conſtitutionis, & plus æquo vino deditus, quemadmodum tales ocio dediti apud amicos præſertim eſſe ſolent: ſaliua huic ruſeſcebat, & ſputum citrinum ſubtile ſpumoſumque erat, ſine grauitatis moleſtia, oris amaritudo aderat, pulſus celerior, vrina valde tenuis & citrina, dolor acutior pectoris ſine grauitate, linguæ aſperitas cum nigredine ſpectabatur, febriſque continua & ſatis ardens. Hæc enim bilem prædominari notabant. Ad quem decumbentem prius quinto die accitus fui, cui & in manu prius vena ſecta fuerat per chirurgum, nullo adhibito medico, & à coquo, qui medicum agebat, ſed empiricum, electuarium de ſucco roſarum exhibitum: ex quo præter rationem multa excreuit ſine alleuiatione: nam quinto die cum illum acceſſiſſem, vigiliæ accreſcebant, & ſitis valida erat: parum cruentum cum flauedine exſpuebat: prius tamen magis flaua & bilioſa in pauca quantitate. Pro ſiti decoctum hordei mundat. & flor. violar. & liquiritiæ præſcripſi, & vt ſub noctem hordeatum, cum ſero lactis concinnatum ei daretur, mandaui, & ad expectorationem ſequens eclegma. ℞. *ſyrup. viol. ſyrup. iuiubini, ana* ℥ j. *ſyrup. de liquir.* ʒ ß.

lech. de ſucco farfaræ, zacchari, viol. penid. ana ʒ ij. *diatrag. frig.* ʒ ij. *miſce, & diatragacan. frigid. in tabulis ſæpe capiebat.* Sexto magis expectorabat. Sequens decoctum præſcriptum. ℞. *viol. maluæ cum roto, hordei mundati, ana* m. j. *ſemin.* 4. *frigid. maior. ana* ʒ j. *ſemin. maluæ* ϑ iv. *ſeminis aniſi* ʒ j. *liquiritiæ raſæ* ʒ ß. *fiat decoctio in aqua cucurbitæ*, (ſed quia non habebat pharmacopœus, in aqua vngulæ caballin.) *prius adiectis iuiubis & febeſtenreceatibus, ſcilicet num.* vij. *pro* ℔ j. *colaturæ addendo ſyrup. viol.* ʒ ij. *& ſyrup. iuiubini, capill. vener. ana* ʒ ß. *miſce.* pectus inungebat ad refrigerationem oleo *viol. & amygd. dulc.* pauco adiecto olei de ſemin. cucurbitæ, vel melonum, modò ad manum eſſet. Septimo die delirauit, & metus erat de phrenitide: non dormiebat, aſtantes illum pro deploratо habebant. Hic rurſus coquus me ignorante male in die decretorio electuar. de ſucco roſarum propinauit: & quamquam tantum ʒ ij. exhibuerat, ter aluum depoſuit. Vnde & peius habuit, materia cõmota, & non omnino educta: nolui tamen aliquod medicamentum adhibere in die decretorio: ſed tantum tempora ſub noctem, cum vigil permaneret, inungi feci oleo papaueris: & ſyrupũ violar. per ſe lambendum dedi, & ſubinde partem vnam diatragacant. frigid. in tabulis. At in octauo dedi decoctum ex ſero lactis ex prunis paratum, viol. malua & hordeo mundato, liquiritia, cum zaccharo dulcoratum. Quo potu etiam prius quotidiano vſu fuerat, quo probe etiam aluus ſoluta fuit, & magis cocta cœpit exſpuere, etiam hordeato ſub nocte aſſumpto, & prunis ſuffocatis & coctis in aqua vtebatur ad oris ſiccitatem. Poſtea poma aſſata cibi loco ſumpſit. Decimo die bene expectorabat, minuſque delirabat, paraphrenitide magna ex parte ſedata. Interea & hunc linctum ſumebat. ℞. *ſyrup. de liquir. iuiubini, viol. zacch. penid. ana* ʒ ß. *miſce.* Vndecimo vero die & 13. concocta magis expectorabat, & in 11. deliriũ ex toto ceſſauerat, & mente conſtabat. Decimo quarto die ab initio morbi plurimum ſudauit per totum corpus, bene lotium reddidit ac excrementa, ſputo ſine moleſtia quoque exeunte. Nocte ſequente bene dormiuit, & magno noſtro honore ſanitatem conſecutus eſt, neque amplius febricitauit, ac cum optime ſe habere diceret (niſi quod adhuc quandam caliditatem in pectore ſentiret) id circo, vt colophonem huic curationi imponerem, hoc conditum illi præſcriptum eſt. ℞. *conſeruæ viol.ar. boragin. bugloſſæ, ana* ʒ ß. *zacchar. viol.* ʒ iij. *pulueris diatragacanti frigid. recenter parati* ʒ j. *ſyrup. viol. iuiubini ana* ʒ ß. *miſce.* Quibus remediis priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt.

Scholia.

4 Hæc inflammatio pulmonis bilioſa erat, proximè accendens ad pulmonis eryſipelas, quod & ſitis & deliria, tum alia in obſeruatione dicta indicabant. In eryſipelate magis vruntur: & ſæpe in phrenitidem mutatur, vt euenit Ioanni Henrico Statori Alcmariano, qui & perpetuo delirio moriebatur. Non ſolum hæc, ſed & bilioſa exitialior habetur, quamquam hic procurator euaſerit, cum in 14. egregie ſudaſſet: ſolet enim hic morbus magna ex parte ſolui ſudoribus, vt iuuenibus fluxu ſanguinis narium, larga & frequenti exſpuitione: & ita in muliere illa iuuencula quoque (de qua egimus obſeruatione XLV. huius libri) menſtrua purgatione pulmonia finiit. Ita & puto etiam ſolui hæmorrhoidibus fluentibus, ſignis coctionis prius in ſputo & vrinis apparentibus, & debite in diebus decretoriis contingentibus. Ex quouis igitur redundante fiat ſucco id genus morbi (inquit Celſus) periculi quam doloris habet. At ſi ſcreatio flaua non multo permiſta ſanguine inter initia excernatur, ſalutaris admodum pulmonis inflammatio eſt: *ſi 7. die pigriuſue*, minus ſecuta eſt, eodem Hippocrat. auctore 2. *prognoſt.* Quæ vero peripneumonia cum virtutis imbecillitate fit, pernicioſa eſt, Galeno teſte 3. *proph. & 10. method. medend.* namque vna ſalus, tum pleuriticis (vt ipſe refert) tum peripneumonicis, adde etiam ſynanchicis, ipſum virium robur. Harum etiam partium, (vt etiam citatur à Donato) inflammationes, veluti etiam ventriculi, & iecinoris, non modo iis, qui tã imbecilli ſunt viribus: ſed etiam iis, qui valentiores ipſis ſunt, mortiferæ eſſe ſolent. Si vero quid per tuſſim efferatur in peripneumonia, ſpumoſum ac biliоſum eſt, & aliquando cruentum, & floridum vehementer, vt Aëtio placuit, quod etiam peſſimæ ſignificationis exiſtit: & ſi mortale quidem malum fuerit, vigiliæ amplius aderunt, aut ſomni breues, ſtuporem ac delirium inducentes, & imaginatione mentem viciſſim perturbante non ſentiunt valde præſentia mala: extremitates frigidæ, vngues liuidi incuruantur: quarta aut ad ſummum ſeptima die hi moriuntur. Verum ſi ad ſalutem permutetur morbus (vt idem fatetur Aëtius) ſanguinis eruptio ex naribus abundanter ſequitur, aut alui exturbatio, multis exeuntibus biliоſis, & ſpumoſis humoribus. Verum licet Aëtius dicat pulmoniam fluxu ſanguinis narium terminari, Galenus 3. de Criſibus contrarium videtur docere, cum dicat: Contingit aliquando propter ſanguinem è naribus fluentem phrenitim ſoluiri: non tamen lethargus aut peripneumonia ſanguinis fluxum ſanguinis amat. Sed ſi quis attente dicta Galeni inſpiciat, intelliget eum loqui de peripneumonia, quæ à pituita fit, in qua ſanguinis fluxio è naribus non conuenit. Sed in biliоſa & ſanguinea, prodeſt, vt in phrenitide: & argumento eſt Galenum de pituitoſa intellexiſſe, ex eo quod lethargo coniunxit: lethargus enim pituitoſa eſt inflammatio, in qua ſanguis non ita euacuari debet, cum in deterius vergunt poſt fluxum ſanguinis pituitoſæ inflammationes. Sed in peripneumonia biliоſa & ſanguinea ſæpe fluxu ſanguinis finitam vidimus. Præterea cum Aëtius ſcribat pulmoniam terminari alui perturbatione biliоſis multis excrementis, id videtur eſſe contra *Aph. 16. lib. 6.* vbi Hipp. pronuntiauit, à morbo laterali vel pulmonia habito, alui profluuium adueniens malum eſſe. Et licet ita ſe habentibus id ſoleat aduenire (Galeno dicente in eodem commento) non potente hepate ad ſe trahere alimentum, neque conuertere in ſanguinem, & quandoque ventriculo idem alimentum corrumpente: idem tamen Galen. in mediocri morbo laterali atque pulmonia affirmat prodeſſe poſſe ratione euacuationis, & magis cum ſigna coctionis apparuerint ineſſe paſſionibus: neque adeſt timor ſed morbus eſt citra periculum. Sed in morbo vehementiori, nullo ſigno coctionis apparente, neque in ſputo, neque in vrina, & cum venerit vi morbi, peſſimum ſignum eſt: & quando perſeuerat, peſſimum quoque eſt, ratione curationis. Nam illa, quæ aluum retinere debent, cum conſtringant ſputum in pectore, retinent quod peſſimum eſt: cum enim dulcibus & eclegmatis opus eſt, quæ expectorant, aluum magis fluidam faciunt,

quæ inflammatio pulmonis prior & quæ magis ſalutem exuitiat.

faciunt, quæ in his morbis facile vires proſternunt, & ruinus conueniunt, fluxum irritantes. Quod ſi alia ex cauſa veniat, vt cibo aut potu aliquo, & non vi morbi, tunc eiuſmodi profluuium alui non ita malum eſt: at malignæ peripneumoniæ ſuperueniens, aut pleuritidi ſæuæ, lethalis eſſe ſolet: vt in muliere illa aſthmatica & pituitoſa valde craſſa, quæ extra portam, qua Schidamum itur, decumbebat, pluſquam 50. annos nata, quæ in hyeme Anno 1562. pleuritide pituitoſa correpta eſſet, cui & portio bilis & atra bilis admixta erat, vt ex ſputo modo nigriuſculo, modo flauo & ſubalbo, parum ſanguinis mixto, conſtabat, cui vena ſecta quidem fuit in brachio è directo loci dolentis, & cum ſanguis nigriuſculus & valde corruptus fluxiſſet & limoſus, peſſimum ſignum erat, & plerumque mortem præſagiens, cum aliis ſignis malis: quod quidem ego longa experientia in praxi quotidiana animaduerti, præcipue vero in pleuriticis, pulmoniacis, & aliquando in inflammationibus hepatis & lienis, & in phreniticis, ſi ſanguis demiſſus è vena corruptus, niger, limoſus, tenuiſque in fundo, & in parte ſuperiori aquoſus, corruptus, pituitoſus, ac non nihil liuidus cernatur, neque ab aëre externo congeletur, ſanguine nullas fibras habente, qualis in lue Gallica ſubinde apparere ſolet. Talis enim ſanguis in diuerſa vaſcula receptus arguit maximam corruptionem, & humorum putrefactionem haud exiguam, & tandem caloris naturalis exſtinctionem, & in multis mortem ipſam. Eſt autem talis ſanguis limoſus in fundo, qualis eſt atramenti limoſitas, & non congelatur aut craſſeſcit ſanguis, vndique liuiditatem & nigritiem habens, quæ non ſpiſſatur. Eodem tempore & alius pleuriticus extrà portam habitans, qua in Hagham-Comitis itur, cui ſimilis ſãguis è vena dimiſſus fluxit, & quinto die etiam ſanguinis multitudo è naribus erumpebat, morbo nondũ concocto, & vrina cruda exiſtente (idque in die non decretorio) peſſime ſputo crudo vix exeunte, ſeptimo die fluxu quoque ventris oborto, morbo crudo permanente, nono die obiit. Ita & alteri mulieri ſimilis ſanguis fluxit; etiam in nono obiit: quemadmodum & huic mulieri, (de qua paulo ante diximus extra Schiedamam portam habitanti) contigit: Quinto enim die febris aucta, ſputa nigriora, vrina cruda in ſexto: ſeptimo vero die lateris dolor in totum euanuit, ſed pectoris auctus: atque obtuſi ſenſus, malis rubentibus in peripneumoniam pleuritidi conuerſa, ſuperueniente fluxu ventris, cum fœtida nigra, quaſi partes pulmonis excerneret, viribus delectis, in vndecimo facto prognoſtico obiit: Cæterum pulmonia tamen, ſi ex phlegmate fit, minus peſtifera eſt: verum diuturnior, ſicut & ex atra bile: biliоſa vero, vt ante meminimus, exitialior habetur, quoniam ocyus ad cordis penetralia pertingat virus: tum remedia foris intuſue imperata minus proficiunt, frigiditate ante penetrationem fere euanida: nam hæc, ſicuti eryſipelatoides phlegmone, ex feruenti oritur materia: & ideo inter acutos morbos enumeratur, qui quinto vel ſeptimo die hominem interimit: quemadmodum euenit vxori lanionis Delphenſis, quæ cum anno 1598. menſe Februar. in biliоſam pulmoniam incidiſſet, & nie quinto die prius vocaſſet, cum nulla remedia admodum annoſa tentaſſet, & aſtantes putarent illam peſte laborare, cum plurimi hoc tempore morerentur: hæc ſexto die, cum prætermiſſa eſſet venæ ſectio, &

Sanguis diuerſas ſquas in pleuri- & aliis inflamma- corruptus ex peripneu- ſanguis.

Hiſtoria mulieris peripneumonicæ in ſexto accumbentis.

vigiliæ tum deliria eam vrgerent, mortua eſt. At Auicenn. ex mente Hippocrat. teſtatus eſt, ſi in pulmonia appareant puſtulæ circa mammillas & crura, & rumpantur, bonam eſſe ſignificationem: materia ad exteriora conuerſa. Sed intelligendum, modo minuantur accidentia maligna, & tales vel ſimiles abſceſſus fiant circa aures vel inguina, modo poſt ſigna coctionis cum bonis ſignis appareant: at delitеſcentibus carbunculis, febre acuta perſeuerante, peſſimum pronunciauit *Hippocr. 2. progn.* Vide egregia & plura de his 2. *progn. à text. 64.* donec peruenеris in textum 69. *in commentariis*, quos Benedictus Fauentinus præceptor meus edidit. Sed & hoc his adiungendum, quod aquilonia tempeſtate pleuritides & pulmoniæ, iuxta *aph. 5. lib. 3.* magis orianturnam hoc tempore cum hic procurator, de quo diximus in obſeru. præcedente, decumberet, paſſim lethales pleuritides & pulmoniæ oriebantur; eiuſmodi temporis conſtitutione per duos fere menſes perdurante: quo tempore etiam euocatus Alcmariam ad Mariam ſororem mihi cariſſimam, cum eam à pleuritide & aphthis curaſſem, in pagis vicinis vulgus referebat nouum morbum graſſari, nempe pulmoniam & pleuritidem, ex quibus multi non ſatis tempeſtiue medicos conſulentes, non nouo, ſed veteri morbo, nempe pulmonia vel pleutitide, exſtinguebantur. Si igitur à calida cauſa pleuritis eueniat, ſanguis liberior detrahendus in ſanguinea aquam biliоſa: attamen hæc ipſa neque in biliоſa ſtatim in principio negligenda: valent & clyſteres ſecunda & tertia die lenientes & alterantes, vel in debilibus etiam glandes, ſi aluum non deponant: atque in hac opus eſt maiore exſtinctione, quam in pleuritide ob membri caliditatem & cordis vicinitatem; non tamen conſtringentia, ne ſputum retineatur: vt eſt aqua melonis, cucurbitæ, & eclegmata ex muccag. ſem. cotoneorum extract. *cum aqua viol.* ʒ j. *& emulſ. ſem.* 4. *frigid. maior.* ʒ j. & zaccharo candi, penid. cum ſyrup. violar. q. ſ. ad formam loch, tenuiſſimo quoque victu vtendum (qui humectet moderate, refrigeret ſine aſtrictione) & quo acutior eſt morbus, eo magis ad tenuitatem debet accedere. Quare ſint contenti cremore hordei, aqua bullita cum ſyr. viol. vel de cucurbita in biliоſa. Aluus ſi conſtricta ſit, ſolicitanda clementibus: ſed ſolutiuis fortib. non irritanda; nam ſi fluxus ventris ſuperueniat, mortem ſignificat, & leuiter refrigerantibus & conſtringentibus ſiſtendus cum iis quæ etiam ſputum non impediant, vt de pleuritide quoque prius dictum eſt. Sed in biliоſa exterius non applicentur emplaſtra, quia diu immorantiæ calefaciunt: ſed potius vnctiones ex oleo violaceo conueniunt. Arculanus tamen in puro eryſipelate ad epithemata confugit, ex qua viol. cum pauco aceto. In frigida vero & præcipue pituitoſa, magis incidentib. opus eſt; & ſanguis in minori copia trahendus, & in ſenib. ſi mitior eſt, & poſt alios morbos, potius cucurbitulis ſecundum alios in emunctoriis inferioribus vtendum, ne ſanguis ad partem affectam deſcendat: nam ſi pituitoſus affectus ſit ex morbo præcedente, frigidior redditur, neque concoquere neque expellere, ob virium imbecillitatem, poſſunt, iniiciendi & clyſteres & decoctiones lenientes in principio. Valet decoctum hordei cum ſyr. capill. ven. aquæ mulſa, hyſſopi decoctum cum ſicubus, poſtea & pro cibo ius pulli: & topica debent magis eſſe attenuantia quam in calida ex oleo amyg. amar. irin. Poſtea & aliis topicis vtendum; de

Calidæ pneumoniæ curatio.

Frigidæ & pituitoſæ curatio.

quibus vide Paulum & Aëtium, & quæ Donatus commendat ac alij; & quæ Benedictus Veronenſis *cap.* 40. *lib.* 8. ſcripſit valere in materiâ phlegmatica & melancholica.

OBSERVATIO XLVII.

De peripneumonia ex catarrho præcedente.

PEtrus Bronckhroſtius, in Hagha-Comitis habitans, diu catarrho laborauit: quem parui faciens, febris acutiſſima cum horrore eum inuaſit, & ſubito inflammatione pulmonis oborta, ſputum cruentum magna cum moleſtia & anhelitus difficultate ac pectoris grauitate exſpuebat. Hugo Nieuenius Haghanus medicus cum eidē aſſiſteret, electuarium lenitiuum exhibuit ad fæces communes expellendas: die ſequenti venam ſecuit, & ſanguis valde corruptus fluxit. Tertio die ego accitus ſum: decoctum pectorale præſcriptum, & eclegmata apta ad ſputum facilitandum. Septimo die peſſime habuit, & dolor latius occupauit: ſed ſacculi adhibiti ex milio, ſtatim profuere. Die octauo acceſſit & alius quidam medicus Amſtelrodamus, cum autem in ſudore eſſet, & melius haberet, nihil innouatum, quamuis decoctum agarici, rhab. & coluteæ cum pectoralibus propinandum propoſuerat alius ille medicus: ſed ſatis fecit colutea cum pectorali decocto; & feceſſum habuit. Nemo melius habuit, ſed non ſatis purgatus: nodulum ex agarico, rhab. ſenæ cum ſuis correctoriis in ceruliſia infundendum per noctem, & expreſſum, libenter alius illi propinaſſet: ſed quia debilis erat, & calor febrilis vehemens, caſſia ab Hugone & à me propoſita in bolo ad ʒ j. deuorata eſt; & quinquies multa biliоſa & pauca pituitoſa excreuit cum alleuiatione. Duodecimo die cum eam rurſus expeteret, denuo exhibita; & optime eduxit, & ita profuit, vt à febre liberaretur; & ſputa ſumptis eclegmatib. magis concocta procedebant, alba neque cruenta: & vrina cocta cernebatur. Decimo tertio die & decimo quarto benè ſudauit, & ex integro curatus eſt, cum à multis pro deplorato haberetur. Hinc in principio diæta tenuis erat: & ſolo hordeato contentus fuit ad ſeptimum diem: deinde ad panatam cereuiſiariam & poma deuentum: primo pro potu vtens ptiſana, & poſtea inclinante morbo ceruiſia tenuiori: & poſt vndecimum diem victum auximus, & ad ius pulli, deinde ad oua ſorbilia venimus; & per totum morbi decurſum à vino abſtinuimus.

Scholia.

3 CVratur tamen peripneumonia, vt iam dictum eſt, vt pleuritis, miſſione ſanguinis & alui deiectione & expectoratione, atque hoc quidem intereſſe volunt (vt Rondeletius) quod in pleuritide rectitudo ſeruanda, in peripneumonia ex vtraque parte fluit ſanguis. Differt etiam (eodem auctore) quod in peripneumonia prima detractio minorem copiam, ſecunda maiorem requirat: & ſi in aliquo morbo, in hoc copioſa facienda eſt detractio ſanguinis, quia affectus magnus eſt & circa cor poſitus. Fit tanta defluxio vel attractio ſanguinis, tum ob cordis calorem, qui trahit, tum ob venarum frequentiam, tum ob ſanguinis tenuis copiam, quæ in cordis ſinibus eſſe ſolet. Ob partis affectæ dignitatem, & interni affectus magnitudinem, trahendus eſt ſanguis, ſi fiat à ſanguine vel bile naturali; in pituitoſa, vt dictum eſt, minus. Ita & Celſus & Paulus dicunt, ſtatim venam ſecandam eſſe, ex quacunque cauſa ac quouis modo genita ſit peripneumonia, idque in cubiti externa ac ex vtroque brachio, ſi vires admittant: quamquam Paulus ex aliis morbis ſi obrepat & diu in ſtatu fuerit, & ſanguis in principio dimiſſus ſit, detractationem diſſuadeat; ita vt videatur Aëtij ac Celſi ſententia diſcordare: minime quidem, cum Paulus non prohibeat, ſi diuturnus morbus fuerit & inter initia ſanguis dimiſſus, ſed quod vires imbecilliores prohibeant; vbi enim valent, id etiam licet. Sic ego quondam feci in peripneumonia, quæ ex ſe ipſa incepit, in quodam lictore, qui faciem rubram puſtuloſam ob craſſæ ceruiſiæ potum habebat, & ex nimia ingurgitatione in eam inciderat, & ex ſuis combibonibus quendam empiricum ad ſe vocauerat, & potionem infra ſupraque multa deturbantem acceperat, tum alium tonſorem ad ſe vocauerat, prætermiſſa venæ ſectione, neſcio quæ medicamenta ebibens, cum res ad reſtim deuenerat, vndecimo die ad illam aceitus ſum; virib. mediocriter adhuc conſtantibus, cum ſputum cruentum eſſet, venam ſecari iuſſi: deinde aptis remediis 17. die ſanitati reſtitutus fuit. Quidam vero ſi quid venæ ſectionem prohibuerit, thoraci cucurbitulas admouere iubent, ac lateribus defigunt, quib. tantum ſanguinis eliciunt quantum vires ferunt, vt Paulus facit: vel acri clyſtere aluum ſubluunt, nelius in principio emolliente: quibus ſi morbus non cedat, leuioribus purgationibus vtuntur, & eclegmatibus & decoct. ad exſpuitionem, adhibitis topicis digerentibus & diſcutientibus, de quib. ſatis dictum eſt, tum de pleuritide, tum paulo ante. Sed aquoſitas illa, de qua prius mentio facta eſt, quæ non refertur ad legitimam pulmoniam, quæ in pulmone vel thorace collecta eſt, iis remediis educenda quæ aquoſitatem ducunt, vti eſt ſuccus ireos ad ʒ ij. cum aqua melliſ exhibitus. Si autem in pulmone bothor vel aliæ puſtulæ paruæ vel apoſtemata generentur, vt alia apoſtemata & vti peripneumonia vel pleuritis ſanguinea curatur, interea propter paucitatem materiæ & paruitatem eiuſdem eſt facilis curationis & citæ terminationis: quamquam vt plurimum eiuſmodi apoſtemata parua, vel tumores ſuppurentur: & ideo ipſo erupto regendus erit æger diligenter cura vlceris, vt prius de pleuritide diximus in ſuppurationem verſa: & accuratiſſime ſunt repurganda, ne aucto vlcere ad malignitatem conuerſo in tabem tranſeant: quod neque mirum alicui videbitur, cum ex ejuſmodi paruis tumoribus in abſceſſum tranſmutatis phthiſis ſubinde orta ſit; imo ex variolis pulmonem occupantibus tabidos quoſdam factos vidimus. Et ideo magis ad honorem medici, tum ægri vtilitatem pertinet, tales morbos plus periculi poſſe adferre, neque eos parui facere, vt & ipſe diligens ac prouidus, quo ſuis ſiniſtros euentus præmeditans, omnibus ſymptomatibus ſuccurere poſſit; ne id quod ſtolidis cōtingit, vbi mala ſubito irrepunt, dicant ſe hoc nou putaſſe: eſt enim homo omnium animalium præſtantiſſimus, quæ ſunt infra concauum orbis lunæ, qui ſemel occumbens denuo non reuiuiſcit, niſi in nouiſſimo die. Ideo omnibus modis operam dabit peritus & pius medicus, ne pleuritis aut pulmonia (de qua nunc agimus) in ſuppurationem tendat; omnibuſque modis reſolutioni operam dabit: ſi tamen ſuppuretur pulmo (cum facile in vomicam tranſeat) illico inuanda erit, vt cito rumpatur vel aperiatur, vt rupto

De venæ ſectione.

rupto abſceſſu citius repurgetur, ne in tabem tranſeat: quod etiam prius dictum eſt de pleuritide ad ſuppurationem tendente & in eam conuerſa.

OBSERVATIO XLVIII.

De empyemate ſeu ſuppuratione.

ADoleſcens Hornanus, nomine Ioannis Garbrandi inſignitus, cum annum 23. ageret, vulnuſque illi anno 1551. 29. die Menſis Maij inflictum in parte pectoris anteriori, eoque vulnere non ſatis repurgato & nimium cito conſolidato, puris collectio paulatim facta eſt in pectoris concauitate, vt aliquot menſibus quotidie pus, ad extremam materiam redactus, exſpueret. Circa 12. diem. Sept. materia copioſa in vnum latus magis collapſa, dolorem & anguſtiam inferebat; duob. medicis tum chirurgo præſentib. falſa opinione deceptis, pleuritidem eſſe iudicantib. Sed ſecta vena & fotu adhibito, tum aliis remediis nihil profecerunt; dolore magis augeſcente & anhelitus difficultate, quare pro deplorato ægrū habuere, quem & Euchariſtia & extrema inunctione muniendum eſſe duxerunt. Cumque ob purulentiam etiam hectica febre conſumeretur, & vigiliæ vrgerent, ſemper in lecto erectus manebat; alioqui præ nimia copia puris ſuffocari videbatur. Decimo quinto Decembris die ipſe Hornam accitus, toto pectore nudato iuuenem inſpicio; & animaduerti cicatricem ex vulnere inflicto, & vt locum mihi affectum monſtraret rogo: & cum tangerem, reperi etiam foris tumorem (qui quatuor aut quinque digitorum craſſitudine in eodem loco diſtabat à vulnere intempeſtiue curato) intra coſtas apparentem, vt ſimul etiam puris fluctuationem perſentirem, quare hoc totum malum à vulnere ortum habere dicebam, nulloque modo pleuritidem eſſe: neque poſſe curari niſi locus ille tumidus inter coſtas ſtatim ſcalpello aperiretur; alioqui pure non effluente, ægrum ſuffocatum iri, neque ægrum per tres dies poſſe ſuperuiuere. Prima vice neque æger neque aſtantes vel amici hoc genus operationis admittere volebant, medicis præſentibus nimium meticuloſis id etiam primo diſſuadentibus: ſed rationibus explicatis, cum Paulus, Aëtius, & ante illos tum Hippocrates, tum Galen. hoc ſuadeant, antequam pulmo corrodatur, nullum aliud quam hoc ſupereſſe remedium, tandem admiſere, & idem mecum faciendum cenſebant. Facta tamen prius inter nos conſultatione, num id vſtione vel cauterio aut ſcapello, peragendum, cum prædicti auctores, & præcipuè Arculanus, de his omnibus mentionem faciant, quamquam tutius & citius eorundem auctoritate, tum Auicennæ, poſſe fieri ſcalpello, oratione ſatis longa demonſtrauerim, ita vt in hanc meam quoque ſententiam irent; cum & Benedict. Veronenſis *lib.* 9. *c.* 26. idem probet. Tumorem itaque ſcalpello aperiri iuſſimus, pure per vices albo (quod bonum erat) effluente, ne vires deficerent, præſcriptiſque decoctis quæ pus intus repurgarent, reliquum curationis, vt tandem vulnus occluderetur, Chirurgo reliquimus; & ita his optimis præſidiis ſanitati reſtitutus fuit: quanquam poſtea Chirurgus longo tempore, cum vulnus occludere non poſſet, tamquam in fiſtulam vlcus propter longam puris fluxionem & ob debilitatem partis mutatum eſt: nam per ſemi-annum & vltra pus ex vulnere fluxit antequam conſolidaretur, cum diuerſi chirurgi fruſtra conſolidationem tentarent. Quare cum denuo me accederet, conſului vt victu exſiccante vteretur, & decoctis etiam ad fiſtulam facientibus, ex agrimonia, piloſella, centaurio minore & capillaribus aliiſque remediis aptis ad fiſtulam; de cuius curatione videas Arculanum & alios auctores: his probe conualuit: cuius quidem curatione haud exiguum adeptus fui honorem, cum ab omnibus pro deplorato haberetur. Deo habenda laus, qui ſuis gratiam impertit ſanandi.

Scholia.

SImilem vero caſum ponit Amatus cent. 1. cūrat. 61. de muliere nobili, empyemate laborante; pro cuius ſalute cum in conſortio doctorum hominum eſſet, conſultum fuit, vt inter tertiam & quartam coſtam ſectio fieret: à qua mulier bene habuit, in qua Arculanum reprehendit, qui præcepit, quod inter quartam & quintam fieri debeat. Neque hoc nouum genus eſt curandi: cum Rondeletius cap. altero de purulentis ſub finem, de iuuene quodam à ſe liberato narret, qui per annum pus in thorace collectum poſt pleuritidem geſtauit, & quaſi abſumptus erat; qui tamen vſtus fuit, & per vulnus pus purgatum: Adhuc, inquiens, ſupereſt, & dicitur Salomon: ſicuti & multi quorum nomen ſupprimo. Et hoc de ſuppuratis vnum theorema addens: Omne pus factum & in quacunque parte collectum expurgandum eſſe. Quod per emiſſarium à natura inſtitutum expurgandum, ſiue trahendum & faciendum, vt in abſceſſib. partium, apertione facta, vel ruptura, vel phlebotomo. Si ſub cranio, trepano; in ventre, punctura. Si in thorace punctura vel vſtione: punctura melior eſt, vel, vt nos fieri iuſſimus, ſcalpello. Quod ſi hæc pati quis noluerit, tamquam deploratus (vt idem ait) prognoſticis relinquendus eſt. Ita & Æmilius quoque medicus inſignis Alcmarianus, Alcmariæ ante me praxin exercens, quendam Nicolaum Dellium ex vomica in pectore laborantem & in thorace ſuppurationem habentem facta inciſione curauit. Hanc formam curandi deſcribit Gal. *comment. Aphor.* 27. *lib.* 6. & eam fortuna inuentam eſſe aliqui putant: nam miles quidam cum de ſua ſalute deſperaret, ad bellum acceſſit, & ab hoſte punctim læſus eſt in thorace: pus fluxit, & liberatus fuit. Cæterum *Purulentos* vocant Latini, 6 quos Græci ἐμπύους, communiter eos, in quorum corpore vniuerſo pus eſt conditum: proprie vero medici ſolent vocare eos, qui in thorace & pulmonib. pus habent; ex quo tabidi fiunt, niſi cito excernatur. Morbus qui à Græcis ἐμπύημα, à Latinis Suppuratio, ſeu Purulentia dicitur (& propterea qui hoc modo laborant, ἐμπύικοι & ἐμπυοί Græce, Latine vero Suppurati & purulentia appellantur) non vno duntaxat modo in Hippocrat. & Galeni doctrina intelligi debet: nam interdum ſignificat omnem tranſmutationem, quæ fit ad pus, in quacumque parte fiat; vt patet *Aphoriſm.* 8. 5. & 45. *libr.* 7. & 2. & 1. *Prognoſtico*: interdum vero ſolos eos, qui in thorace ac pulmone vniuerſum pus contentum habent (prius tamen prædictis partibus inflammatione affectis) *Purulentos* nominant: vt dicatur ſuppuratio hoc modo tranſmutatio ſeu alteratio prædictarum inflammationum ad pus, vt antea quoque dictum eſt; vti etiam liquet *Aph.* 8. *lib.* 5. & 2. *Progn.* Tertio ſignificat illam quæ proprie

Quot modis dicatur ſuppuratio.

dicitur Suppuratio; non ſiquidem conuerſionem inflammationis lateris ſeu pulmonis ad pus, ſed collectionem ſeu effuſionem puris in ſpatio thoracis atque pulmonis intermedio, poſt prædictæ
7 ſuppurationis diſruptionem. De ea igitur agemus, non de primo, ſed de iis, quæ pus in ſpatio thoracis inter thoracem & pulmonem habent: etiam per tranſennam de altera, licet proprie dicta, ſuppuratione, aliquo modo faciemus mentionem, quamuis de ea diximus ſcholio obſer. 40. huius libri, cum de pleuritide loqueremur in ſuppurationem conuerſa, quæ tamen non præcipue ſuppuratio aut purulentia proprie dici poſſit. At in vere purulentis perpetuo thorax afficitur, præſertim ſecundum eius cauitatem, hoc eſt, inter mediam regionem, quæ inter thoracem atque pulmonem eſt, quapropter anguſtiam ſentiunt laborantes loci illius, pure repleta intermedia ea regione, acciditque eis anhelitus difficultas ac tuſſis: & in imo thoracis grauitas quædam ſentitur: Verum ſi nondum pus in idem ſpatium effuſum ſit, ſed vniuerſum conſtiterit in parte prius inflammatione affecta, pulmonem, aut ſubcingentem membranam affectam eſſe dignoſces, ex præcedente peripneumonia, aut pleuritide, quæ haudquaquam adhibitis præſidiis diſcuſſæ fuerint. Præter hæc ſi in pulmone pus contineatur,
8 & in vtraque parte potius, quam in altera, dextra ſcilicet & ſiniſtra, pus colligitur, in vtriſque incidens, velut quoddam onus perſentiſcit æger, & æque calidæ ambæ partes ſentiuntur, neque ægrius, aut promptius in vno latere, quam in alio cubabit: ſi vero in altero latere tantum fuerit ſuppuratio, in altera quoque parte thoracis, dextra ſcilicet aut ſiniſtra, potius quam in vtraque, pus collectum erit: neque in dextra parte exiſtens, in ſiniſtram; neque contrario in ſiniſtra, tranſmeare in dextram poteſt. Cæterum pars affecta cognoſcitur, quia calidior eſt, quam reliqua, & in eadem quoque duntaxat dolorem ſeu grauitatem ſentiet æger: & in eo incolume latus cubante, veluti onus deſuper aliquod illi pendere videtur, vt apud *Hippocratem atque Galenum legitur 2. Progn.* Suppuratio itaque præcipue dicta, quæ nihil aliud eſt, quam collectio puris inter thoracem & pulmonem, vt prius diximus, morbus eſt in numero, toto genere præter naturam, ac in exceſſu, *vt libr. De diff. morborum patet.* At ea ſuppuratio quæ tranſmutatio eſt, ſeu conuerſio inflammationis lateris aut pulmonis ad pus, cum eodem tempore fiat abſceſſus dictarum partium, morbus poſſit dici in magnitudine, velut quoduis aliud genus abſceſſuum ex Gal. *ſententia 14. Meth. med.* Vtraque tamen morborum genera in numero
9 ſcilicet, & magnitudine, ſub vno prædicamentorum genere continentur, vt pote ſub Quantitate, velut patet *eodem lib. De diff. febr.* Sed vt harum prædictarum ſuppurationum dignotio clarior fiat, eas ſeparatim diſtinguere oportet; & quod ad ſuppurationem attinet, quam abſceſſum nuncupauimus, de ea ſatis dictum eſt ſcholio obſer. 40. huius libri, cum ſigna huius ſuppurationis ſeu inflammationis, cum in abſceſſum vertitur, ibidem explicauimus, & principium collectionis & ſigna diſruptionis eiuſdem abſceſſus. Si longiorem ſermonem de iiſdem deſideres, lege Donatum cap. proprio de ſuppuratione, & præcipue Benedictum Fauentinum præceptorem meum *cap. 7. de ſuppur.* in ſua magna Praxi & paragrapho de ſignis demonſtratiuis, qui hanc rem longiore ſermone pertractat. At rupto abſceſſu, ac effuſo pure in thoracem, ac pulmonem, tunc ſigna ſuppurationis proprie dicta apparent: vehementes febres quieſcunt, & magna ex parte dolor quoque licet indeſinenter, vt prius quoque dictum eſt, febricitent, habituali quadam febrie grauitatis autem ſenſus remanet intus in profundo thoracis, ſimulque tranſfluere aliquid apparet, iuxta multiplices reclinationis permutationes; & maxime cum ab vno latere in alterum decumbunt: tunc ſane multitudo puris manifeſtatur, & fluctuationis cuiuſdam ſonitus ſæpe ſenſibiliter auditur, prout legitur apud Galen. *libr. 4. De locis affect. & apud Aetium lib. 8. cap. 65.* totuſque thorax iiſdem attollitur: & ſi neque calidus ſit ipſorum ſpiritus, neque exſufflando emittatur, niſi adurens fortaſſe febris acceſſerit, vt idem teſtatur Galen. potiſſimum vbi magna quantitas puris collecta ſit. Educitur quoque eiſdem pus nunc purum, nunc fæculentum, vt inquit Paulus. Ex pulſu item poteris diuerſa ſuppurationis tempora interſtinguere (vt etiam à Donato citatur) nam initio ſuppurationis ſtatim ſuppurati pulſum habebant, qualem habere ſolent in vigore inflammationis; nam hoc tempore initium eſt ſuppurationis: erit itaque pulſus durior quam antea, & vibratus magis; ſed minor, quam dudum, non tamen languidior, quin etiam crebrior, ac celer: nonnunquam etiam erit inæqualis & inordinatus: verum omnibus erit hecticus; quoniam perpetuo eſt illa in motu arteriarum agitatio, donec fiat eruptio; licet cum pus prope maturum ſit, æqualior ſit pulſus; cum vero eruptio fiat, languidior, latior, tardior & rarior pulſus redditur, *vt lib. de pul. ad tyr. & 4. de cauſis pulſ.* ſcriptum eſt. Hippocr. vero eodem 2. lib. Prognoſt. omnes purulentos dignoſci his indiciis fatetur; nam principio febris non dimittet, ſed interdiu tenuior, noctu vero vehementior eſt. Copia ſudoris elicitur, ac tuſſiendi cupiditas adeſt; quamuis nec quicquam commentatione dignum exſpuant. Oculi caui redduntur, genæ rubent, vnges curuantur, digiti vero, potiſſimum ſummi, caleſcunt, atque in tempore; neque cibum appetunt, ac puſtulæ circa corpus erumpunt: quorum omnium Galenus eodem loco cauſam reddit, vt apud eundem ad longum videre poteris.

De qua ſuppuratione hic tractetur.

Pars affecta.

Suppuratio proprie dicta quid ſit.

Quis affectus præter naturam.

Suppurationis proprie dicta ſigna.

OBSERVATIO XLIX.

De ſuppuratione ex catarrho prius orta, deinde in tabem lethalem conuerſa.

CVm ſuppurationum diuerſæ ſint differentiæ, ideo & plures quoque cauſas habet, vt Galen. 2. Progn. comment. 57. docuit: nam ex inflammatione in pus verſa & demum diſrupta, ſiue ſubcingentis, aut alterius thoracis membranæ, ſiue pulmonis, fieri poteſt, vt de pleuritide & peripneumonia in ſuppurationem conuerſa diximus; veluti etiam ex iam dictis liquet; ac etiam Galenus, Paulus & Aëtius ac alij auctores teſtantur. Sed & propter ſanguinis eruptionem, vlcere ad cicatricem non perducto oriri poterit, vt idem Paulus aſſerit. Sed & ab externis cauſis alterantibus, vt ictu, contuſione, percuſſione, caſu ab alto facto, vel ab obuiatione rei duræ, cum impetu & violentia membra thoracis lædente, fieri poteſt: & cum quæuis alia dolorem excitante, horum ratione humores toto corpore & potiſſimum à vicinis membris ad thoracis locum læſum confluunt, teſte *Gal. 5. Aph. comment. 53. & 3.* qui ob membri læſi debilitatem relinquuntur ab

ab opere naturæ membri, illicque inflammationem gignunt in putridum verſi: qua inflammatione diſrupta à die ruptionis incipit pus ſenſim
2 acerbari in medio ſpatio inter thoracem & pulmonem. Et hic modus eſt, quo ſuppuratio ab externa cauſa gignitur, quæ in thorace & pulmone fatigat: ſed ab ea non ſumitur indicatio curandi, niſi firmet cauſam præcedentem, cuius ſunt actus & intentiones modorum curādi. Ex angina quoque (vt antea de angina diximus) cum ab ea ægri liberantur, & ad pulmonem vertitur, ſi non in ſeptem diebus pereant, ſed eos effugerint, ſuppuratio fit; quemadmodum *Aphor. 10. lib. 5.* ab Hippocrate & Galeno ſcriptum eſt. Sed hic meminiſſe oportet, quod ab angina & à peripneumonia ſuppuratio in vtrumque fere capacitatis latus influit; à pleuritide in alterutrum duntaxat, in id quippe quod dolore vexatum eſt. Quandoque etiam per conſenſum à pulmone dirupta vena (vt ſæpe in praxi vidimus,) exſpuitur enim ſanguis primo, & inde pus, iuxta *Aphor. 15. lib. 7.* à ſanguinis ſputo, puris ſputum; indeque ſuppuratio fit. Quæcunque vero prædictarum cauſarum ſuppurationem excitauerit, haud ægre dignoſci poterit ex propriis eorundem affectuum ſignis: vt
3 ſi pleuritis, aut peripneumonia, aut ſanguinis eruptio, aut vulnera, offenſiones, ſeu angina præceſſerint. Ex confluxu etiam è capite ad thoracem manante (vt Paulus aſſerit) ortum ducit quandoque ſuppuratio; ſeu (vt inquit Aëtius) ex ſeroſo aut pituitoſo humore, ex reliquo corpore in vacuum thoracis delapſo iſticque putrefacto: id quod confirmari videtur ab Hippocrate ſimul atque Galeno *Aphoriſm. 38. libr. 7.* cum dixit Hippocrates: Deſtillationes in ventrem ſuperiorem ſuppurantur intra viginti dies: & *lib. 1.* De morbo ad eodem Hippocrate, dum aſſeruit, ſuppuratos interdum fieri, cum pituita de capite copioſa & acernatim in ſuperiorem ventrem fluxerit, quæ ibi putreſcit & in pus vertitur: nec minus huius cauſæ notitiam habebis, ſi præcedentem deſtillationem conſiderabis, ac eiuſdem ſigna pernotabis. De delapſu pituitoſi præſertim & ſerioſi humoris, multi dubitant, cum pus generetur ab inflammatione ex effuſione aut collectione puris in thoracem & pulmonem; aut vbi contuſa caro fuerit, aut ex humore, qui phlegmonem produxit (*vt 5. de ſimpl. med. faculi. & 1. de diff. febr.* de generatione puris per inflammationes & phymatoſes) tumores omnes ſuperante quidem natura, quemadmodum in humoribus
4 intra vaſa putreſcentibus, id quod ſubſidet in vrina proportione puri reſpondet: reſpondent ſimiles puri reddi, & nõ in pus verti. Vel erit non immediata, ſed mediata cauſa ſuppurationis, deſtillatio. Sic nouimus mulierem & vxorem cuiuſdam ceruiſiarij, ex catarrho ſubito in pectus collapſo ibique putrefacto tandem (cum ſtatim non adhiberet apta remedia) ad ſuppurationem deueniſſe, & per aliquot annos quotidie magnam copiam puris in concauo pectoris diu morantis tuſſiendo expuliſſe, & tunc varios medicos conſuluiſſe, nihilque confeciſſe, donec per octo annos pus continuo extuſſiret, pulmone quoque corrupto & exulcerato; vt ita miſeram vitam trahens ex tabe obierit. Hanc autem ſuppurationem ex catarrho ca. proprio De cauſis ſuppurationis præceptor meus Benedictus Fauentinus fieri dicebat per conſenſum, magis autem ſenibus aſthmaticis tuſſi & deſtillationibus obnoxiis, cerebri vitio etiam conſentiente.

SCHOLIA.

QVidam vero fieri ſuppuratos volunt, ſi pituita ex capite deſtillat ad pulmonem, ex qua temporis progreſſu exaſperatur pulmo, & intus exulceratur à pituita inhærente, ac putreſcente, vt viſum fuit Hippoc. *lib. De morb.* 1. quos tamen aliqui potius tabidos vocari volunt, quam ſuppuratos. Cæterum in ſuppuratis diligenter ſigna prognoſtica ſunt examinanda, cum aliqui ex ſuppuratione, vel paulatim vel ſubito pereant ac ſuffocentur, & quod plurimum ſuppurati pereunt, & nonnulli eorum ſuperſunt: Potiſſimum vero hi ſuperſunt (*vt inquit Hippocrates ſecundo Prognoſticorum*) quos febris eodem die dimiſerit poſt eruptionem, ac cibum citius appetunt, & ſiti liberati ſunt, & venter exigua ac conſiſtentia deiicit, & pus album lene, concolorque eſt, ac vacans pituita, & abſque labore ac valida tuſſi expurgatur: tale enim pus, quoniam optimum eſt, futuram ſuppurati indicat valetudinem, & quod valida tuſſi pus exſpuunt, id indicat thoracis facultatem expultricem ſupra morbum & cauſam validam fore, & materiam eidem obedientem, & vias ad propulſionem patentes & paratas; & ij quoque ſuperſunt, quorum ſpiratio & reliqua accidentia mitigantur. At horum quibus alia adueniunt, alia non, ij partim in multo tempore incolumes euadunt: verum ex iis incidiis omnibus, quæ in iis exiſtunt, de cæteris quoque vniuerſis coniecturandum: nam qui prioribus indiciis omnibus tentatur, proculdubio celerrime liberatur. Ita optime quidam ſic ac celerrime vindicantur, quibus ad hæc proxime accedunt, moriuntur vero ij, quos febris non deſerit, aut cum videatur deſerere, denuo recaleſcens innoteſcit, & ſitiunt, nec cibum appetunt. Aluus humida eſt. pus viride liuidumque ſpuunt, vel pituitoſum ſpumoſumque: pereunt ergo ſi hæc adſint. Quod autem pus nigrum ac viride 2. prædict. tex. 63. malum ſit, eo quod natiui caloris exſtinctionem, & offenſæ partis corporis mortificationem ſignificet. Seniores quoque ſuppurati ob facultatem expultricem debilem non reſtituuntur. De iis vero ſuppuratis, ac purulentis, qui ex pulmonia fiunt, eodem 2. Prognoſt. Hippocrates ſic ſcriptum reliquit: Quod ſi maiores natu fuerint, potius intereunt: per alias vero ſuppurationes, minores natu potius moriuntur. Et enim (vt inquit Galenus in commento, & citatur à Donato) purulenti ex pulmonia, quia propter exſcreationem ſanari debent, viribus propterea egent validioribus, & ob id potius minores natu, quam maiores ſeruantur. In cæteris vero ſuppurationibus, iuniores natu antea moriuntur, propter vehementiores dolores ac febres, quæ magis dum ſuppurationes fiunt, illis accidunt: quo fit, vt propter magnitudinem febrium ac doloris morte præoccupentur. De iis vero qui ex morbo laterali ſuppurantur, talem protulit ſententiam Hippocrates, vt prius quoque dictum eſt, *Aphoriſ. 15. libr. 5.* Quod ſi in quadraginta diebus purgantur, à qua fit eruptio, liberantur; ſi vero non, ad tabem tranſeunt. Conuerſa autem inflammatione lateris aut pulmonis in ſuppurationem, rumpitur nonnunquam ſurſum verſus, quomodo etiam periculoſior eſt, Aëtio & Paulo teſtibus: aliquando vero deorſum, vti antea quoque diximus: ſi ſurſum, & non quam citiſſime pus per ſputum reiiciatur, tabidi fiunt. Aëtio teſte; & Paulus id idem confirmat, niſi eiſ-

dem ſumma adhibeatur diligentia, protinus purulentia illa collectio tamen accerſit, pulmone exulcerationem contrahente. Quæ vero ſuppurationes inferius tendunt; rumpuntur, non adeo periculoſæ exiſtunt; cum in aluum & inteſtina (vt antea quoque diximus) aut in veſicam transfundantur per vaſa quædam, tranſmiſſione ad ea membra facta, *vt diſertiſsime Galen. 6. De locis affect. & comment. Aphoriſ. 30. lib. 7. docuit.* At ſuppurati, quibus propter magnam puris copiam inter thoracem & pulmonem collectam totus thorax in reſpiratione attollitur, celerrime ſuffocantur ex Galeni teſtimonio 4. *De loc. affect.* Tum ob affectum ipſum, vt ipſe refert; tum quod vires omnibus ſuppuratis defeſſæ (ſi quidem propter pugnam ex neceſſitate) imbecilliores redduntur. Quod ad curationem attinet, quomodo illi curentur, quibus ſuppuratio incipit, diximus prius ſcholio obſer. 41. huius libri, & quomodo puris confectio ſeu concoctio ſit iuuanda, & ita fomentis per ſpongias natura, ex Paulo, adiuuanda, nempe hydrelæo, etiam farina triticea pura aut pane puro modice cocto cũ hydrelæo, adeps ſuillus, vitulinus, gallinaceus, ſeu anſerum cum maluæ ſeu althææ radice permiſtus: vel cataplaſma ex caricis decoctis in retardantibus ſuppurationibus, hordeacea farina, althææ radice, columbino ſtercore, & modica reſina therebinthina, ex Paulo & Aëtio: & cerata ex butyro, ruta, iride, baccis lauri, & Aëtius iubet, adiectis radice maluæ, althææ; & adipe, prædicta farina hordeacea, triticea, oleo communi, amygd. dulc. chamæmel. & cera adiecta. Formulas horum & cataplaſmatum & emplaſtrorum vide apud Rondelet. *cap. altero De purulentis*, & alia quæ intus dantur hoc tempore & decocta & eclegmata. Quæ autem pure genito competant, *eodem ſcholio obſ. 41.* diximus, quibus modis fiat ruptio: eo tempore danda mulſæ ſorbitio, interpoſito tempore & ptiſanæ cremore vtendum cum melle, & in valentioribus, ex Paulo, decocto hyſſopi, & thymi cum melle: commendat & ſalſorum eſum, & pilulas de hiera ex colocyntide, à quibus tamen abſtinere cenſeo: potius darem ſyr. ex hyſſopo, marrubio, idque crebrius. Conducit quoque non parum ad abſceſſus rupturam, ſuper ſanum latus decubitus. Pluribus cibis & ſalſis ac pinguibus & vino auſtero vtendum, & tuſſis inducenda ex Hippoc. *lib. De locis in homine*, & exſcreationem facere oportet. Extra, iuxta etiam confert cataplaſma ex ſolo ſtercore caprino præſertim vbi ruptura tardauerit. Verum rupto abſceſſu adiuuare oportet puris excretionem, quocumque repere cognoſcatur, ex decreto eiuſdem Aëtij: ſi ad aluum, magis emollientia danda; ſi ad veſicam, ea quæ vrinam ciunt: ſi per tuſſim puris repurgatio fiat, vt loco citato antea diximus. Valet ptiſana cum melle mixta, & iuxta Paulum hyſſopi, iridis aut dulcis rad. decoctum in mulſa diluta, & Aëtius quoque ſentit, & radicis dulcis ſuccus commanducatus. Aëtius ea quæ vrinam ciunt, cibis commode miſta laudat: contra Galen. nimis acria medicamenta vrinam cientia, aduerſa ſcribit puris ex thorace exſpuitioni, *libr. 5. de ſimp. med.* ſed intelligendum quæ minus calida & acria ſunt, etiam in cibis adminiſtrata, nempe humidis, iuxta Aëtium prodeſſe, & cum potionibus & ſorbitiunculis. At vbi diuturnior affectus & vires imbecillæ, & calor febrilis moderatior euaſerit, neque thorax multum puris contineat, iuxta Alexandrum lac dandum, aſininum præcipue, vbi ſordidum, ac fœdi odoris pus expurgatione indigens exiſtat; poſt ipſum, equinum, & tertio loco bubulum & caprillum, calculis fluuiatilibus candentibus iniectis coctum. Sed de his plura, cum de vlcere pulmonis ac phthiſi agemus. Reliquam victus rationem quæ ſuppuratis conuenit, apud Paulum & Aëtium inuenies, & præcipue apud eundem Alexandrum Trallianum, qui copioſe de hac re ſcripſit.

Quæ puris generationi opitulentur.

Quæ competant puri genito.

Quæ competant medicamenta ſuppurationi propriè dictæ.

9

10

OBSERVATIO L.

De ſuppuratione à ſanguinis ſputo.

DIctum eſt prius ex Aph. 15. lib. 7. ex ſanguinis ſputo puris ſputũ malum. Dicit Galen. in commento, neque omne ſputum ſanguinis ſequens habet ſputum purulentum: ſed quod malignum exiſtit. Tale autem omnino eſt ex pulmone: tales vix euadunt, cum omnes, vt ſæpe in praxi vidimus, ad tabem perueniant & moriantur. Et quanquam Galen. dicat ex pulmone id fieri, non negat tamen ex vena thoracis perrupta vel eroſa poſſe euenire, & intus eroſa vena vel perrupta, ſputo ſanguinis poſtea ſuccedat empyema vel ſuppuratio, pure in concauitate pectoris coacteruato. Nouimus enim quẽdam annorum circiter 35. ex ſputo ſanguinis, ex vena pectoris exeſa, in tantam ſuppurationem deueniſſe, vt ſubinde, integram peluim puris fœdi odoris, ac ſordidi exſpueret: qui tamen noſtra induſtria euaſit præter omnium hominum opinionem, qui eundem ſalutandi cauſa inuiſebant. Iubebam vt aërem ſiccum in calido ac frigido temperatum inhabitaret, vel paulo ad calidum vergentem; quem & inquiete diligenter cuſtodiui: cui & imperaui ne motum aut exercitium iniret, ſed potius ſomno temperato vteretur, ac ſingulis diebus excrementa excerneret natura, vel arte, ſi per aliquot dies dura manerent, clyſtere præſertim leni: namque exonerata natura ab eiuſmodi excrementis, promptius ſuppurationi vacat, expurgando. Deinde vt immodicas animi affectiones vitaret, conſului; præſertim vero metum & triſtitiam. Pro nutritione, cum debilis eſſet, ptiſanæ ſuccum dedi, & mulſam, non vniuerſim ſed paulatim, & totam ptiſanam & cremorem cum iure gallinarum ſeu pullorum gallinaceorum, phaſianorum aut perdicum, & columbarum, vt vlcus magis detergerent, ventrem humidiorem efficerent, modo thymo, hyſſopo aut fœniculo adiecto, braſſica ſubinde aut aſparago: & vt carnes eorundem animalium ederet, concceſſi. Potus erat aqua hordei vel mulſa: aliquando vinum (licet febri habituali laboraret, ſed non valida) ad dulcedinem declinans, lymphatum cum aqua hordei, vel admixto zaccharo candi, ſi dulce non adeſſet. Iridis radicem, hyſſopum cum melle decocta & ficubus, adiecto ſyr. capill. ven. hyſſopi, è marrubio ad magis abſtergendũm dedi. Nam ad pus fœdi odoris & ſi ſordidum exſpuitur, fœnugræci cremorem cum palmulis pinguibus decoctum Aëtius propinat, & horum inopia ficus ſiccas modicas incoquebat. Lac aſininum etiam vt daretur conſului, quod & ſordidum ac fœdi odoris pus (vt ex Tralliano antea diximus) egregie expurgat: ſed cum deeſſet, eius loco caprillum dedimus, cum febrilis calor moderatior eſſet. Atque his & ſimilibus præſidiis euratus fuit.

Scho-

Scholia.

3 *Puer tanta copia puris, vt ſuppurati, reſtituitur.*

HIc tantum copiam puris (ita vt in aliis ſuppuratis ſæpe vidimus) ſæpe extuſſiebat, vt ſingulis fere diebus dimidiam peluim impleret. Imo multos vidi tantum puris eiecciſſe, vt tota peluis ad puris exſpuitionẽ vix ſufficeret. Quod minus quis mirabitur ſi locum Galeni 5. *de locis affectis, de ſuppuratis aduerſus Eraſiſtratum* perlegerit, cum velut non paucos perire, ita & alios complures ſeruari viderit Galenus: quorum ſi quis per ſingulos dies reiecti puris quantitatem collegerit, interdum ſex aut octo heminas, interdum quindecim, atque interdum plures totam ſummam æquare inueniet. At ſuppuratorum per exſpuitiones purgationem eodem loco Galẽ. explicat: namque exſpirationis tempore, inquit, vniuerſo thorace vehementer conſtricto per validam tuſſim (ſine qua fieri nequit) pus quod inter ipſum, & pulmonem continetur, comprimendo cogit, atque pulmonem ipſum impellit, concedente pulmonis membrana, eiuſdem puris, ac ſimiliter cuiuſuis alterius excrementi penetrationem, etenim thorax vehementer admodum hoc tempore pulmonem omni ex parte comprimit: & demum cum & maiores ſint in earum extremitate aſperæ arteriæ partes, quam venæ, & arteriæ lenes, ac multo ampliora habeãt ora, nec ita concidant, neque omnifariam concludantur, propterea quod cartilagineæ ſint, in aſperas ipſius pulmonis arterias recipitur, & non in lenes, ac venas, & deinceps exſpuitur. Hæc ſatis de curatione ſuppuratorum: plura de his vide apud Benedictum Veronenſem *lib. 9. cap. 22. & 23. De remediis quibus veteres medici ad purulenta vſi ſunt, ſic & ca. 25.* addit curationem quæ manu fieri ſolet. Inter coſtas, inquit, ſcalpello infixo vomica ſubito aperitur (vt nos fecimus obſer. 48. huius libri) idque à medicis laudatur plurimis. Hippocrates inuri docuit, tuto experimento: ſed cauendum eſt, inquit, ne plurimum puris ſubito effluat, ne anima deficiat, atque id remedium tempeſtiuum eſſe debet, antequam pus pulmonem erodat: ſed ſi latus ſiniſtrum feriendum eſt, cordis vicinitas cauenda. Si in vtroque latere vomica fuerit, vtrumque latus, non tamen eodem die, perforamus: ab eo tamen incipiendum eſt, quod magis tumet. Idem in pectore medio fieri quidam iubent, & deinde quæ ambuſtis proſunt, imponenda ſunt. Dempto pure, vomica elueda eſt mulſo aut hydromelite, donec perpurgetur. Hæc ab Arculano mutuatus eſt.

OBSERVATIO LI.

De ſuppuratione ſeu vomica totius pulmonis.

PVlmonem exulcerari nouum non eſt, ſed totam eius ſubſtantiam in pus conuerti, & nihil aliud quam pus eſſe, & ſola membrana ſuccingente pulmonem contineri, vt in cauitatem ea minime rupta defluxerit, id rarum eſſe exiſtimo. Id equidẽ euenit Domino de Abbenbrouck œconomo tunc exiſtenti Regis Hiſpaniæ ac Angliæ, qui cum longo tempore catarrho acri in pulmonem collapſo, tabe conſumptus in domo Regia in Hagha-Comitis decubuiſſet, variis afflictus ſymptomatibus, potiſſimum arthritide & gonagra, renum calculo, & pulmonis vomica: varia ſunt præſcripta remedia per duos medicos Haghanos: atque iis nihil proficientibus, dum & hectica febre conſumeretur, ego tunc Alcmariæ habitans, ad eundem accitus, primo Ianuarij die, anno 1555. perueni. Tunc nihil niſi oſſa pelle circumducta reſtabant: cum nulla medicamenta iuuarent, dudum facto prognoſtico quod moreretur, vltra menſem apud eum hæſi. Cum alium medicum ablegaſſet, & alter ipſe morbo detentus illum non amplius inuiſeret, ſolus in curatione permanſi. Sed paulo ante eius mortem lotium ad quendam medicum tranſmiſſum, cum ex hepatis debilitate potius quam abſceſſu per vnum aut alterum diem ſanguinem per aluum reddidiſſet, quod clam medicus intellexerat; quare iudicabat apoſtema in hepate latere: ita vt Domina de Abbenbrouck filia Dominæ de Bergen; me tum alios medicos, qui paulo ante me ægrum tractaſſent, ignauiæ accuſauerit, quod apoſtema illud in hepate minus agnouiſſemus. Ego vero inquiebam (cum alij non amplius ægrũ accederent) id autem poſt mortui inciſionem minime reperietur, ſed tantum malum eſſe in pulmone, & calculos aliquot nos iuuenturos renibus ipſis infartos: quod & poſtea inciſio demonſtrauit. Nam 10. Februarij die mortuus eſt, agens 38. annum: & cum Domina de Bergen, & vxor Domini de Abbẽbrouck filia eiuſdem Dominæ de Bergen, mihi cum chirurgo iniunxiſſent, vt cadauer prius inciſum à nobis balſamo (vt moris eſt) condiretur; corpore diſſecto inuenimus pulmonem nihil aliud quam vomicam eſſe, & renes calculo infartos: hepar quidem integrum eſſe, ſed flaccidum, nullo abſceſſu corruptum, ita vt forte ante mortem organum ſanguinis ex debilitate ſanguinem retinere non potuerit: pulmo enim plane ſuppuratus & putrefactus, membrana integra exiſtente, maculis tamen plumbeis & cæruleis interſtincta: quam ipſemet digitis cum attingerem, perrupta membrana tanquam vomica magna, pus inſtar olei amurcæ erumpebat valde fœtidum & corruptum; adeo vt totus pulmo nihil aliud quam purulentia eſſet: quæ & mortis cauſa cenſenda erat.

Scholia.

HÆc vomica totum pulmonem occupabat: ſed vomica illa pulmonis, quem abſceſſum exiguum pulmonis vocat Fernelius, ab hac plurimum diſtabat: nam Fernelius ita appellat puris in pulmonis parte aliqua collectionem, quod membranula propriaque cyſti arcte adeo concluditur, vix vt quicquam de ſe tetrum in cor exſpiret. Hæc frequens eſt in tabidis; ſed & plerumque ſine tabe fit, quum ſanguis ex aperta, rupta, aut exeſa vena, in paruam quandam pulmonis regionem ſecedens, illic putreſcit, ſenſimque mutatur in pus, ac per ſumma ſicceſcens, ſibi cyſtim efformat. Latens profecto & in primis abditum vitium, ſæpe nec laboranti nec medico notum, quo laborans ipſe nec conſueta munia intermittit, nec ſe morbo teneri putat, cauſamque interitus ſui neſciens intus gerit ſub pectore. Adoleſcens quidam à paulo vehementiore exercitatione, quum acerba tuſſi, nullo puncto temporis intermiſſo torqueretur, vomicam integram columbini oui magnitudine exſcreauit: in qua aperta pus exquiſite album & æquale deprehenſum eſt: cruenta exſcreatio integrum biduum perſtitit, magna febre magnaque corporis perturbatione. At nihilominus ſeruatus is eſt, atque ſanitati reſtitutus. Nõ pauci inopinato è viuis horæ quadrante erepti ſunt, in quibus diſſe-

3 *Lib. 5. c. 1.*

Hiſtoria Fernelij de vomica pulmonis.

4

ctis non alia mortis cauſa comparuit, quam repentina vomicæ diſruptio in pulmonibus, è qua pus in cordis arcem penetrauerat, ipſius vim extinguens atque obruens. Quanquam ex his duo (inquit Fernelius) medici eſſent percelebres, attamen nec febre nec inappetentia, nec alio vllo ſymptomate, impendentem ſibi diem vitæ ſupremum præſenſerunt. Id mihi quidē perſæpe eius loci memoriam refricauit, quo inquit Hippoc. quibus ſuppuratio in corpore abdita non innoteſcit, ea propter craſſitudinem, vel puris vel loci deliteſcit. Etenim haud raro efficit obuoluens membranæ denſitas, vt nihil tetrum à pure in cor, vitæ fontem, inſpiretur. Omnibus tamen ſic affectis multo tempore, antequam vomica rumperetur, cruenta exſcreatio proceſſit è pulmonibus, eaque cum tuſſi: adfuitque ſpiritus grauis ac fœtidus, corporis grauitas, pectoris leuis oppreſſio, & ſpiritus difficultas, quibus tabes raro comes. Sed hæc quidem ſigna aliorum quoque affectuum communia ſunt. Hactenus Fernelius. Sed vomica, de qua nos nunc loquimur, non erat in aliqua regione pulmonis, ſed in ipſo toto pulmone; quæ etiam ad ſuppurationem pulmonis referri poteſt: dicitur enim Vomica ab Alexandro Benedicto Veronenſi à vomendo, cum virulentum quid vomat: & ſub empyemate quoque continetur, vti aliæ omnes abditæ collectiones in aliorum viſcerum partibus, pectore, iecore, liene, ac vulua, vt tradit Ægineta; quamuis proprie (vt ante dictum eſt) ſuppuratio collectionem in pectore notat. Differebat igitur à vomica ipſius Fernelij duplici modo, cum neque cyſtim haberet, neque tam exigua eſſet, neque ſine tabe: imo hic phthiſicus erat, non ſine vlcere ipſius pulmonis, cum etiam pus cum pituita quotidie exſcrearet, quod quidem vlcus ſuppurationem totius pulmonis induxit, manente intra pelliculam ipſius pulmonis pure: ſed diſſecto corpore, pellicula perrupta nil niſi pus eſtluxit olidum, vt quis in loco, in quo ſectio fiebat, vix permanere potuerit. Atque hæc cauſa mortis fuit.

6 *Sicut nec vlcus pulmonis, ita neque eiuſdem ſuppuratio perfectè curari poteſt.*

Siue igitur velitis vlcus appellare in pulmone purulentum, vel ſuppurationem pulmonis, mihi perinde eſt. Et quamuis in principio, dum nondum quis febri in habitu laboret, qui purulentum vlcus habet, neque ſenſibilis ſit extenuatio, aliquando Galenus tentauerit curationem, tamen non ſemper perfecit. Eſt enim difficillima, nec de glutinatione ſpes eſt, vt aliqui ſomniant, qui ægrum eò curatione, quam imaginantur, deducunt, vt vlcus purgetur, & glutinetur, quaſi id fieri poſſit ſine tuſſi, & tuſſis non dilaceraret partes pulmonis, vt dixit Galenus. Si tamen ſiccemus id, vnde & putredinem ſiſtamus, tunc facile præſeruabimus corpus illud, ne interius labatur. Calloſum ergo & ſiccum quo ad labra vlcus fiet, & velut ſicca quædam labra habens, vnde neque ſanguis profluet, neque ſanies, niſi recrudeſcat accidente aliquo. Quod ſi eius prouidentia ſemper habeatur, poterit ſic diu perdurare; perfecte ſanari eſt impoſſibile: quamuis enim vlcus ſemper aliquid tenuis ſaniei tranſmittat, vt vetuſta, & calloſa vlcera facere videmus; id tamen exiguum eſt, neque tale, vt febrem accendat: & quidem vidi ſæpe diu ſine febre perduraſſe. Tales autem priuſquam magna accederet putredo & febris, imo cum vlcus purulentum ſit, ſeu eius ſit ſuſpicio, Galenus ad Tabias mittebat omnes, cum à mari non longe abſit hic mons, & modice editus ſit, nec ventis nimis ſit expoſitus, & humidis nebulis irroretur, nec è paludibus fluuiiſque proximis id accipere poſſit: ideo Galen. aërem eligebat ſiccißimum, quod maximum auxilium adferre putabat, cuiuſmodi deſcribit eum, qui ad Tabias erat: nam hic collis Tabiarum etiam hoc commodum habebat (vti & Maſſetanus collis qui Piſas Lucamque interiacet, & Florentiæ Veſulanus mons) quod conſitus eſſet fruticibus & herbis ſiccis & odoratis, quæ ad ſanandа vlcera multam vim habent. Secundum remedium erat lac, vlcus abluens & detergens, ad ſiccandum prævalidum, ex herbis depaſtis, quæ ſunt rubi, arbuti, lentiſci, myrti, abrotani, cyſti, hederæ, cytiſi; quibus nullæ ſunt, quæ æque ſiccent, & partem adſtringant & roborent: ideo ad eiuſmodi lac ſunt mittendi. Et hoc primum quoque remedium eſt, quo vtitur Rhaſes. Galenus præfert aſininum, mox caprinum, cuius vſum expoſuimus, 4. *lib. obſ. noſtrarum De febr. hecticis*: facile nutrit, eo quòd natura familiares ſuccos celeriter vincat & trahat, & ob id illo ad extenuatos commode vtimur: & ideo veteres mulierem lactantem his, qui tabe conſumerentur, aſtare voluerunt. Tertium remedium erant medicamenta vehementer ſiccantia, vt Theriaca, mithridatium; & laudant quidam zaccharum roſ. è purpureis confectum roſis: Vetus enim illud ſiccat, extergit, aſtringit, & non eſt calidum: vnde poteſt aliis dictis admiſceri ad contemperandum. Hic tamen multum obfuit has curationes miſcere: neque enim omnia in omnibus laudantur; ſed & multa prioribus nocerent, quæ ſubſequentes iuuabunt: de quibus etiam diximus de feb. hectica, ſunt enim quibus febris iam adeſt, & extenuatio, ſed non confirmata, id eſt, perfecta, quæ ſolida inuaſerit. Hic enim non modo vlceri attendere oportet, ſed & febri hecticæ & extenuationi: quamobrem lactis vſus exquiſitiſſimus hic eſſe debet, de quo ſatis ſuperque diximus 4. *lib. obſer. noſtrarum De febrib. hect.* Sed & lactis vſus abunde eſt expoſitus 4. method. & loco iam citato. Verum cum vlcus pulmonis tabem inducat ſeu phthiſim, atque ea ipſa ſit vlcerоſa diſpoſitio in pulmone exiſtens, de ea nunc exempla quædam adducamus, quæ ad maiorem huius affectus explicationem, tum etiam curationem, plurimum iuuabunt.

OBSERVATIO LII.

De vlcere pulmonis & phthiſi, ex ſanguinis ſputo priùs male curato.

SCribit Rondeletius magna ex parte phthiſim (quæ fit à ſanguinis ſputo, cum ſanguis remanet intra pulmones, & illic putrefactus acquirit acrimoniam, qua erodit ſubſtantiam pulmonis vnde & vlcus eiuſdem) euenire ob medicorum imperitiam ſanguinis ſputum curantium, qui nulla facta diuerſione, vel per ſanguinis miſſionem, vel per ligaturas aut cucurbitulas, aut alio modo, ſtatim dant potiones adſtringentes, quæ ſanguinem defluxum ibi retinent; cum debeant potius aquam mulſam, aut poſcam dare, & poſtea quæ conſtringant. Quod iſtis diebus euenit cuidam mulieri, quæ cum ita perperam per empiricum curaretur, in phthiſim poſtea incidit, adeo vt nullo modo curari potuerit, cum tardius ad eandem ingreſſi eſſemus. Ideo quoties timemus phthiſim à ſputo ſanguinis, debemus ea vſurpare (vt antea quoque de ſputo ſanguinis docuimus) poſt ſanguinis detractionem & diuerſiones, quæ venam conſolidant, vel ſanguinem ſupprimunt, cum facultate diſſoluendi ſanguinem coagulatum; vel quæ per ſputum pulmones expurgant, vel contraria commiſcentes, tale medicamen conficientes, quod vtrumque poſſit tum abſtergere, tum venam conſolidare: cuius exempla antea poſuimus, cum de ſputo ſanguinis egimus. Habes alias formulas huic rei accommodatas apud Rondeletium *cap.* 12. De vlcere pulmonis & phthiſi: vbi etiam ad vlcus pulmonis curandum tum phthiſin egregia habes medicamenta.

Scholia.

3 De nomine. QVamuis Cornelius Celſus (*vt oſtendimus ſcholio obſerv.* 97. *De crurum atrophia lib.* 10.) tabem in tres ſpecies diſtinxerit, in atrophiam, cachexiam & phthiſin; nos hic de tertia ſpecie longe omnium periculoſiſſima loquemur, quam Græci (vt idem Celſus inquit) φθίσιν nominauerunt; quemadmodum Hippocrat. nonnullis in locis, præſertim *Aphor.* 16. 7. *lib.* licet hanc etiam Græci potiſſimum Athenienſes (vt Galen. in cõmento refert) φθοὴν appellant: φθίσιν quidam ſcribentes, per ι, à πύθω, quod eſt ſpuo, deducunt: alij melius (vt Iacchinus cenſebat) per ι deducunt à φθίω, quod eſt abſumo & corrumpo, quod vniuerſus corporis habitus in his corrumpatur. Latini Tabem dixere, & Tabeſcentes & Tabidos. Quæ autem melior etymologia ſit, patet. Non enim ſolum phthiſis ad ſputa cruenta & purulenta ſequitur, ſed ad alias cauſas, vt febres ardentes, & ſiccitates quarundam partium, quæ multam vim altricem tribuunt vniuerſo corpori, ſignificat igitur id nomen, morbum in magnitudine, & ab obeſo diſtinguitur. Adeſt vero vna & 4 alius affectus, nempe corporis ſiccitas; & erit ſimilarium ſicca intemperies: atque his affectibus phthiſis deſcribitur: Eſt enim ſiccitas corporis. Sed preſſius tum ſumi videtur à ſcriptoribus, vt ſolum dicatur de ea ſiccitate, quæ vlcus pulmonis conſequitur: alias vero Maraſmos ſolos appellauit; vt maraſmus genus ſit, hæc vero ſpecies quædam, licet nomina id ſignificent. Poſſumus & definire tabem vniuerſim, *vt Gal. facit*, quod ſit animantis vel etiam viuentis interitus exſiccitate, *lib. de Tabe.* Tale enim quid his contingit, qui ſic laborant, quale per naturam ſeni contingit: quæ etiam arefactio, ineuitabilis eſt, *vt Galen. docuit* 1. *De ſanitate tuenda.* Solidæ enim partes areſcunt; quarum humiditas propria reſtitui nequit. Eſt hæc ſiccitas modo ſola & ſimplex tabes, cum actiue qualitates mediocriter ſe habent, modo cum alteri qualitati iungitur, idque bifariam: ſi calori, tunc torrida tabes appellatur; ſi frigori, ex morbo ſenium, quoniam ſic afficiuntur, vt ſenes refrigerati, ſecundum partes omnes, & ſiccati. Dicitur autem iuxta Iacchinum, ſecundum 5 partes omnes: nec enim tabes de vna parte dicitur, ſed totius eſt morbus: vnde neceſſe eſt, neceſſario principem partem, ſcilicet cor, affici. Neque enim poteſt vniuerſalis aliqua intemperies euenire vniuerſo corpori, niſi cor afficiatur, vt ſæpe ait Galen. Poteſt tamen hic morbus primo à corde ipſo oriri; vel ab aliis partibus, quæ cor in conſenſum trahunt, ob vicinitatem, vel multam colligantiam, quæ partes à Galeno numerantur 10. meth. & 7. vti iecur, mox & ventер, tum hoc, tum vicinitate. Iecur autem citius ſiccatum in conſenſum trahit alimenti ratione: reliquæ partes, vt ſeptum, renes, vicinitate vel colligantia ſimiliter. A pulmone hoc modo tabes fieri non ſolet, inquit Galen. quod humida pars ſit, nec facile ariditatem ſentiat: quamuis id prorſus non neget, cum & vlcus patiatur pulmo; & eius ratione poteſt facere, quod cordi calorem impartit, & tempore hecticam febrem facit. Ex iſtis iam dictis habemus morbi naturam, & cauſas: nam ſiccatio hæc totius habitus, modo ſolum affectum cordis ſequitur, vt in febre hectica; modo ab aliis partibus ſiccitas cordi communicatur, vt in ſicca ventris & iecinoris intemperie. Febris vero illa hectica alias inſequitur vlcus 6 pulmonis, *vt Hippocrates inquit*, A ſanguinis ſputo puris ſputum; à puris ſputo tabes. Sed num ex aliis quoque vlceribus pectoris? Profecto ex fiſtulis pectoris diuturnis non ſanatis id fieri vidit & Iacchinus. Sic & nos vidimus in milite in noſocomio Delfenſi vulnerato in pulmone ſæpe per fiſtulam in pectore multis annis pus regurgitaſſe, & ad extremam maciem deueniſſe, & poſtea in tabem & mortem. Tum alium vulneratum in pulmone (*de quo mentionem fecimus lib.* 2. *obſ. De feb. ſcholio obſ.* 37. *de febre typhode*) etiam ſpectauimus, qui deinde vlceratus obijt. Poſt eius obitum facta ſectione, cauſam mortis inuenimus mediam partem pulmonis conſumptam à pure. Et in altero vulnerato in eodem noſocomio, qui vltra annum cum dimidio ibidem decubuiſſet, etiam facta ſectione poſt eius mortem, totam ſubſtantiam pulmonis (ſiue παρέγχυμα) in pus conuerſam & paulatim excretam, membranis pulmonem ſuccingentibus in globum ſolum relictis, cor denudatum, ſine pulmone, (dictu mirum) ſpectabatur. Quod paulatim ita per vulnus in pectore pus 7 enomere vidimus, non ſolum ex fiſtulis pectoris eiuſque vlceribus non ſanatis & diuturnis; id quoque ſæpe ſpectauimus ex fiſtulis aliarum partium, ſuperueniente his hectica febre, quæ viſcus ipſum exſiccat. Et 5. Aphor. 15. non alia ratione Hippocrates videtur dicere, quod ex empyemate poſt quadraginta dies tabes ſuccedat: niſi quia pectus exulceratum eſt; & cum ſordidum & inſanabile fit vlcus: quamuis Galenus dicat in eo caſu pulmonem quoque exulcerari ex putreſcente pure: cum vero multis modis tabes contingat (vt longiore ſermone diximus lib. 4. obſer. noſtrarum de febrib. hecticis) non de omni, ſed de phthiſi ſolum loquimur, id eſt de ea, quæ ad purulenta è pulmone ſputa ſuccedit, vel etiam quacunque parte pectoris: Non obſtante quod φθίσις ſeu tabes non vno modo iuxta Galenum dicatur, quum & tabidos nominat omnes, quomodocunque extrema macie confectos, & illos, quib. pulmo vlceratus eſt, & eos, qui prompti ac proni ſeu apti ſunt ad hunc morbum; velut videre licet *comment.* 10. *&* 13. 3. *lib. &* 8. 4. *ac* 1. *De morbis vulgaribus & ſexcentis aliis in locis.* Nos 8 vero per tabidos audiri volumus, non eos, qui extreme emaciati ſunt quomodocunque, nec eos, qui parati ſunt ad hunc morbum, vt pote anguſto & reſtricto thorace exiſtentes, vt à tergo in morem alarum promineant, operta ſcapula, quos proprie Græci πτερυγοειδεῖς, quaſi alatos vocãt, & quibus à capite ad pulmonem fluxio defertur (namque hi quoque facile tabeſcunt, cum caput facile impleatur, ſpirituſque organis multas deſtillationes demittat, *Galeno teſte eodem lib. de morbo vulg.*) Verum nos eos duntaxat, quibus pulmo exulceratus eſt, Tabidos; veluti per tabem intelligi volumus vlceroſam diſpoſitionem in pulmone exiſtentem, quam idem Galen. deſcribens commen. præcitati Aph. 16. lib. 7. totius corporis *De qua tabe hic tractat.* extenuationem eſſe dixit, cum febre tenui, ſeu exigua,

exigua, conſequẽtem ad inſanabilia pulmonis vlcera. Huius itaque rurſus exemplum adferamus: nam ſatis nunc de nomine egimus.

OBSERVATIO LIII.

De vera phthiſi & vlcere pulmonis.

MAtrona nobilis, vera & exquiſita tabe cum vlcere pulmonis laborabat, vt ex ſputo purulento cognoui & totius corporis macie. Videbatur enim complicatus affectus; etenim in toto ſiccitas aderat, & erat affectus magnitudinis & intemperies ſolidarum partium, & pulmonis vlcus, & febris hectica. Interea cum hic vlcus eſſet, cum eroſione, & cum eroſionem inſanabilem eſſe (quibuſdam amicis id indicantes) ſciremus; attamen non erat plane dimittenda, cum nondum ad extremam tabem trãſmigraſſet, & tales diu detineri in vita poſſint, cum nondum magnitudo vlceris eo peruenisſet, vt mortẽ illico vel breui futurã ſignificaret, vt in illa cũ qua vaſorũ fruſtula exſpuuntur; vel etiam arteriarum iam eroſa: hoc enim vlcus ſiccari pro magnitudine nequit. Sic enim putris pulmonis portio Claræ Adriani vxori Auguſtini Teylingij ſororij mei contigit, quæ antequam tabe moreretur, per ſputum eiiciebat: etiam duobus fratribus tanquam ex morbo hæreditario laborantibus, ſimiliter contigit, qui & bronchia pulmonis & aſperæ arteriæ corroſa & putrilagine infecta paulo ante mortem excernebant, quibus & ſputum carbonibus iniectum aut etiam per ſe graueolebat: nam & illud ſæpe halitus contagione imprudentes inficit, vt quidam volunt. Hinc & nonnulli ſunt, quos imaginantur occultas cauſas habere, tanquam hæreditaria conſequentia ex principiis generationis, propterea & commiſceri cum talibus coniugio cuitant. Quod igitur filij parentibus ſimiles ſint, & vt quo ad externa lineamenta ſunt ſimiles, nihil obſtat etiam quo ad internas ſimilares partes: quoniam formatiua vis naturalis extenſa eſt per ſeminis corpus: ideo iuxta ſeminis partes, poteſt & partium oriri varietas. Sic & elephantici tales ſæpe gignunt; & debili cerebro debiles, ſic & articulis. Attamen cum formationem & temperamentum longe diſtare viderimus à parentib. quid prohibet etiam longe à periculo morbi diſtare? At inter initia vitæ fere manifeſtantur iis expoſiti (vt paulo ante diximus) ex capitis temperamento, & figura: & ſimiliter pectoris, & corporis totius temperamento & habitu. Quod vero & contagione quadam ij, qui vna verſantur, affici ſoleant, fama eſt apud omnes, & Gal. fatetur. Cauſa etiam prompta eſt (quam & Iacchinus adferebat) quoniam putridum ſpirant. At putredo illa vapore ſi per aërem trahatur, male poteſt pulmonem afficere. Et ſic Iacchinus quoque nullum vidit contagio periiſſe. Cæterum iſtis tribus cum & capilli defluerent alimẽti inopia, inualeſcente febre, & vngues in manibus curuarentur, malæque liueſcerent, tetro vapore eo ſublato, mors non diu poſt ſequuta eſt. At matrona nobilis, de qua nunc agimus, longo tempore ſuperuixit, bona victus ratione vtens præcipue. Aërem commendauimus purum, ad ſiccum vergentem; in calore vero & frigore temperatum, cum nobis locus ille deſit, cuius meminit Galenus, Tabiæ ſcilicet inter Surrentum & Neapolim, 5. method. medendi ab eodem Galen. deſcriptus. Nos autem vt ſolem tum frigus vitaret, conſuluimus; & auſtri flatũ caliginoſumque aërẽ, vel pluuium, qua ratione autũmnus phthiſicis inimicus eſt: nam & ſeptentrionalis flatus acerrimus obeſt, ſi ſine pluuia fuerit: ſiccitas enim iuuat hunc morbum: montana propterea laudantur, è contra paludes ac plana damnantur: & propterea imperaui, vt pluuiis dieb. in conclaui calidiuſculo ſeſe contineret, in quo largius reſpirandum: vtiliſſime enim iuuat attractus perſeueranter ſpiritus ex Galeno, aſſeuerante tota medicorum ſchola. Et quia frictiones ac deambulationes vel geſtationes initio morbi valent; ideo ſi vires ferrent, iis vt vteretur concedebam. Hinc medici quoque illuſtres longas nauigationes & cœli mutationes laudabant: ideo aptiſſime Alexandriam ex Italia iri Celſus dicebat, potiſſimum vbi à deſtillatione Tabidi fiebant. Nunc etiam cymba vehi molli ac delicata iuuat, quali Venetiarum vrbs ætate noſtra inclyta (vt nos vidimus cum Venetiis ageremus) inter delicias vtitur. Ad decem enim millia (vt refert Benedictus Veronenſis) nauicularum ſingulis diebus peragantur innumeros canales, ciuium deliciæ; præter onerarias & traiectionibus diſtributas: multum enim virium adijcit hæc nauigatio, & corpora implet. Interea à cibo quietem imperaui, nec niſi poſt duũm horarum interuallum ægra dormiret, & vt ſomno potius indulgeret, nocturno tamen, eoque moderato. A vigiliis abſtinendum & modicis exercitiis, ſed potius ambulationibus lenibus vtendum, præſertim vbi febris ſeſe remiſerit, vel lenibus frictionibus ante cibum. tuſſi quoque vt ab ira, triſtitia, aliiſque immodicis animi affectibus, tum à negotiis omnibuſque rebus, quæ ſolicitare animum poſſunt, abſtineret; & vt omnem eruditatem vitaret, & vt ſorbitionibus exptiſana, alica, amylo vel oryza, lacte adiecto, vteretur; vel vt eiuſmodi ſorbitiones cum lacte amygd. gallinarum ſeu pullorum iure, cãponum, perdicum, phaſianorum conficeret: aut ſimul cum pedibus vitulorum, hœdorum aut cãſtratorum decoqueret: vel prædictas carnes contuſas, aut earum ſuccum ſumeret, quem ius conſummatum appellant; adiecta ptiſana aut eius cremore exiguo. Amygdalas quoque amaras vt cum ptiſana decoqueret, imperaui: eo enim vtitur & Aëtius: nam & ea eligenda, quæ maxime nutriunt, vt iecora gallinacea, gallorum teſtes, perdices, attagenes anniculi, columbacei pulli non altiles, merulæ, tardi, alaudæ, hœdus, ac vitulus, omnia aſſa potius quam elixa (vt vlcus magis exſiccetur) ex ſucco arantiarum aut mali granati ſiue vuæ acerbæ ſucco laudantur. Aluo vero præcipiti (quæ imbecillis ægris periculoſa) conuenit caſeus recens, & panis ex vino mali punici acri, aut cydoniorum ſucco. Alicqui aluo nimis aſtrictæ, atriplex, beta, aſparagus, & quod ſpinachium à ſpinoſo ſemine, dicitur, dari poteſt, ac melopepones, in eſca enim cucumis ac cucurbita laudantur. Interea aluus lenis licet conferat, non tamen hic immodice cienda erit. Sed & cancros fluuiatiles, crudos, tritos & cum lacte potandos conceſſi, aut coctos in cibo: nam ius eorum inſuper abſorbere laudat Aëtius. Admittuntur & cuniculi, leporeſque iuniores aut capreoli: oua ſorbilia, ius braſſicæ & amygdalinum ferculum. Laudantur & ſaxatiles piſces, & cochleæ in cinere coctæ; teſtudines item, aut ranarum crura; mire enim recolligentibus vires conueniunt: ex quibus etiam morſelli & in formam pignolati parantur in hunc vel ſimilem modum: *℞. carnis teſtudinis, & cancrorum ana ℥ j. nucleorum pini macerat. in aqua ros. vel vnguĺ caball. ℥ j. ſ. pul. diatragac. frig. pul. Haly contra tabem ana ʒ j. diatireos ſimpl. ʒ ß. zucchar. albiſſ. diſſoluti in aqua capill. ven. & roſ. perfecte cocti q. ſ.* fiat ad formam pignolati, remanentibus pineis integris; *vel adde amygd. contuſ. q. ſ.* fiat tarta. Plures habes eiuſmodi compoſitiones apud Guainerium de hectica febre, de quibus etiam nos mentionem fecimus, cum de hecticis & tabidis ageremus. Aqua etiam ex cochleis, teſtudine, cruribus ranarum, ex ſublimato vapore collecta efficaciſſima ad hunc morbum perhibetur. Quidam & pſittacum miris laudibus præferunt, incerto tamen auctore. Inter præcipua remedia quæ præcipue à Galeno commendantur (*lib. De maraſmo, de cibis boni & mali ſucci; & 5. & 7. methodi medendi & ſexcentis aliis in locis*) & ante ipſum ab Hippocrate Aphor. 64. lib. 5. quem ſequuntur vno ore medici omnes, lac optimum in hoc morbo cenſetur: eo quod omnium fere, quæ mandimus, lac optimum, ac optimi eſt ſucci ac multi alimenti, & prompte concoquitur ac diſtribuitur: tale quidem exhibuimus ſecundum modum quem Galenus docuit 7. *methodi medendi*, & nos latius de huius vſu & modo exhibendi egimus *lib. 4. obſerv. de febr. hectic., ſcholio obſerv. 5.* Matrona hæc nobilis iiſdem quoque medicamentis vtens in eadem obſer. deſcriptis, tum lacte, licet hæc ipſa non conualuerit, tamen iſtis tum ſupradictæ victus rationi inſiſtens, etiam lac è mammillis cum ſugere nollet, ſtatim mulctum & calens ſumens, (quod & ab Herodoto, Euryphone & Prodico ac aliis medicis celebrioribus commendatur) longo tempore vitam traxit; quamuis paulatim omne corpus conſumptum tabeficeret, calorque natiuus exhauſto pabulo interiret: & ſub finem alui fluxus accederet, qui plerumque lethalis eſſe ſolet: vnde cum multis menſibus decubuiſſet omnino, in vitis eſſe deſiit.

SCHOLIA.

Quamquam Hippoc. præter eas ſpecies tabis; de quibus diximus, *lib. 2. De morb. & li. De internis affectionibus*, tres alias quoque poſuit, quarum primam à pituita ſcribit fieri, è capite ad pulmonem fluente, ſecundam à latere; tertiam à ſpinali, ſeu dorſali medulla, quæ maxime corripit recentes ſponſos, & veneri deditos: ſed his poſthabitis, tum aliis iam dictis, de tabe illa, quæ vlceroſa pulmonis diſpoſitio eſt, loquimur: nam & hanc exquiſitam tabem eſſe dicimus, quæ eſt corporis conſumptio, ſeu colliquatio cum febre lenta, ex pulmonis vlcere: quamuis auctor libri De definitionibus medicis per tabem propriam dictam, nedum pulmonis vlcerationem, verum etiam thoracis, vel faucium ſubintelligi voluit, quam & tuſſicula, & debiles comitantur febres atque in eis corpus conficitur: & licet dicamus, in exquiſita vna cum pulmonis vlcere adeſſe & corporis conſumptionem; improprie tamen ac non exquiſite, tabes nuncupari poſſet ea quoque totius corporis demolitio, ſeu extenuatio, quæ thoracis, aut faucium, ſeu aſperæ arteriæ vlcera comitatur, præſertim vbi non exactum adeo ſermonem occaſio requirat, licet re vera, qui hoc modo laborant, tabidi non ſint; eandem tamen curationem exigunt: Tabeſcit ſiquidem & in his temporis progreſſu corpus totum, veluti in proprie dictis tabidis; præſertim ſi in thorace aut aſpera arteria exulceratio fiat: propterea quod cor ipſum ſimiliter eiſdem ſiccari oporteat: abſque enim principis membri paſſione fieri non poteſt, vt animal in toto afficiatur, vt libro de Maraſmo decretum reliquit Gal. quamuis non æqualiter ſingulæ corporis partes tabeſcant: verum cor & iecur minus quam partes aliæ attenuantur in tabidis: cor ſiquidem, quoniam facultate trahendi vehementer pollet, ea propter ſanguinem vehementiſſime attrahit, & non prius quam vltima ſit membris omnibus inopia, ipſum alimento caret: iecur vero, quod ſanguis totus inde initium habuerit, *vt apud Gal. legitur præcitato lib. De maraſmo.* Id vero quod in ſingulis partibus, & præcipue in corde (vt diximus) per tabem primo deperit, eſt humor in eiſdem inſitus, ac per loca media partium ſimilarium diſperſus, ex quo membra primum aluntur: verum quouſque in corpore cordis aliquid ipſius ſeruatur, licet propius veram tabem accedant, tabidi tenera appellandi non ſunt. Cum vero ad carnoſum genus conſumptio pertranſit aut ad fibroſam, ſeu membranoſam ſubſtantiam, omnimoda facta conſumptione, ob ebullitionem iam dicti humoris inſiti, exquiſitus tunc marcor exiſtit, *vt legitur apud Gal. 7. & 10. meth. ac primo De diff. feb.* Nos vero vna cum Donato, qui adeo exacto ſermone de extenuatione nunc loqui non intendimus nam longiore ſermone de ea diximus *lib. 4. De febris hecticis*) etſi de ea loquamur, quæ vlcera pulmonis, aſperæ arteriæ aut thoracis conſequitur, quoniam exſiccatio humoris duntaxat diſperſi per loca media partium ſimilarium, cordis præcipuè ac totius corporis, eiuſdem corporis exſiccatio quædam, ac extenuatio fit, adhuc tabem eam eſſe dicimus; nam licet perpetuo exulceratio procedat, non tamen ex ea confeſtim carnoſarum partium, aut fibroſarum ſeu membranoſarum conſumptio ſequitur, ſed prius nuper dictus humor conſumitur. Ex tuſſi itaque ac anhelitus difficultate aliquam prædictarum partium affectam eſſe coniicere poteris: quæ a. earum ſit, percipies ex aliis ſignis poſtea dicendis; nunquid pulmo ſit exulceratus, vel aſpera arteria vel thorax. Affectus vero hic cum exulceratio ſit, morbus plane erit in ſoluta continuitate. Sed antequam de ſignis agamus, prius quædam de cauſis adiungamus, quamuis cauſæ & morbi natura ex præcedentib. iam fere nota ſint. Phthiſis itaque ex variis cauſis oritur, ictu vel ex alto lapſu, vulneribuſque perſanatis, forti ictu, aut percuſſione: nam eiuſmodi cauſæ alterant corpus extrinſecus, & excitant præcedentes; ſicuti vulnus in thorace factum in partibus pulmoni vicinis, aggregat in ſe paulatim materiam, quæ ſenſim intrans pulmonem, in eo vlceroſam inducit diſpoſitionem: ita & fortis ictus ſeu percuſſio, aut caſus ab alto ſupra eaſdem partes, à quibus ſoluta vnitas in pulmone fit, & inde dolor, qui rurſus attrahit multitudinem ſuperfluitatum ad pulmonem; quibus & putredo accedit, & ſui putrida acrimonia pulmonem corrodit, & diſpoſitionem vlceroſam inducit; vti & fortis calor, ſub radiis ſolis canicula æſtuante cerebri humiditates colliquans, quæ in pulmonem defluentes putrefiunt, & acrimonia ſua pulmonis ſubſtantiam vlcerant. Et ita fere oritur à capite tabes, inde in pulmonem deſtillat; huicque exulceratio accedit ex Celſi decreto: etenim quæ capitis deſtillationes tuſſim primo concitant hominibus, & raucedinem, neque tandem conſiſtunt, tabem generant, *Galeno teſte 1. De morbis vulg.* Cuius duæ maxime ſunt

Partes affectæ.

Quis affectus ſit præter naturam.

Cauſæ.

Procatarcticæ.

differentiæ, vt ipſe refert: vna ex illis quos caput demittit, fluxibus conſtat, altera, quæ ab ipſius pulmonis malis proficiſcitur, omninoque poſt quam exſpuitur ſanguis, potiſſimum vaſe rupto; ſæpenumero etiam fluxione impleto viſcere hoc; alia de cauſa ex partibus aliis non ex capite. Et ſicuti ex calore, ita & ex forti frigiditate per viam expreſſionis ſuperfluitatem, quæ ad pulmonem deuenientes intranteſque eius ſubſtantiam; in eo generant vlceroſam diſpoſitionem, atque hæ cauſæ externæ phthiſis appellari conſueuerunt, vt Galen. inquit, 1. De procatarcticis cauſis, & lib. De cauſa morb. cap. 2. Cauſæ vero præcedentes ſunt quæcunque intus corpus alterant, vt catarrhus, qui ſub tenuitate penetrans in pulmonem ſui acrimonia mordens, vlcus in eo gignit: & ita fit ex deſtillationib. acutis, abſceſſibus peripneumonicis pleuriticiſve aut ſynanche, aut vomicis introrſum erumpentibus, vel ex propinquis pectoris partibus, diaphragmate (vt quidam volunt) nobiliſſima membrana, vel altera quæ medium diuidit pulmonem diſſepto dicto, & in ipſa quoque pulmonis ſubſtantia hæc peſtis oriri poteſt. Aliqui ad hanc etiam contagium referunt. Vel poſſunt hæc ipſa vltima, vt pulmonia (tum relicta dicta, vt præcedentes cauſæ phthiſis) cum putruerit & in ſaniem verſa eſt, & vlcerata, cauſa continens eſſe ipſius phthiſis, vt Benedict. Fauent. præceptor meus cap. proprio declarabat. Ab aliis igitur partibus quoque euenire poteſt hoc malum. Sic & Aëtius pulmonis exulcerationem ad ſanguinis ſpuitiones conſequi fatetur; cum videlicet ſanguinis eruptione ſuppreſſa, vlcus non fuerit conglutinatum, neque cicatrix inducta. Paulus quoque & ante illum Hippoc. Ex vomica, inquit, ſi ex toto non perpurgatur, in phthiſin protinus æger rapitur, tabeſcente pulmone. Quo autem modo interſtinguendæ ſint prædictæ tabis cauſæ, facile patere poterit, ſi quis eas, quæ prædeceſſerunt deſtillationes, ſanguinis reiectationes, ſuppurationes, vomicas, peripneumonias, & pleuritides ac anginas, ex his quæ in propriis earum affectionum capitibus hactenus retulimus, conſideraverit. Nunc ad alia ſigna progrediamur, primo adferentes exemplum pulmonis vlcerati.

Præcedentes

13

Cauſæ continentes.

OBSERVATIO LIV.

De vlcere pulmonis ac tabe, modo cum ſanguinis ſputo, modo ſine eo pus exſpuente.

1 CYprianus medicus doctiſſimus, collega meus melancholia diu affectus, longa & diuturna tuſſi & catarrho, tandem in ſputum ſanguinis, mox & in tabem & pulmonis vlcerationem incidit, licet longo tempore vitam protraheret, antequam decumberet: tandem præſidiis nihil iuuantibus vix 47. annum excedens, vera tabe ac pulmonis vlceratione obiit: nam ſigna, quæ perpetuo illi aderant, vlcus eſſe pulmonis & tabem ſignificabant, tum ex frequenti tuſſi per quam pus exſcreabatur interdum & cruentum aliquid; quod & Celſus adanimaduerterit. Hac enim incipiente frequens tuſſis moleſta eſt, qua cruentum aliquid ſine ſenſu doloris extunditur: hoc interdum ſubſiſtit etiam, dicente Fernelio, tuſſique ſordidum quiddam editur, deinde purulentum. Tuſſi perpetuo perdurante dum ſubinde ſputum cruentum eſſet, ſubinde purulentum, rurſus vero cruentum, denuo vero purulentum, non dubitauimus hoc vlcus in pulmone pati: cumque febris fixa, licet puſilla, ſemper ſui ſimilis eueniret, eo certius ſignum habuimus huius affectionis, multoque magis; cum prius præceſſiſſet ſputum ſanguinis, & nunc etiam ſaniem exſpueret; & ideo cum ſputum cruentum ſubſiſteret; & tuſſi ſordidum quid ederetur, & febricula leui adorta; cuius nulla fiebat intermiſſio: quæ tandem etiam hectica facta eſt, mox à cibo aliarum enim ore inualeſcente, & ſenſim vniuerſo corpore liqueſcente, certius adhuc indicium huius mali habuimus. Comitatur enim neceſſario affectum hunc totius corporis extenuatio, ac carnium conſumptio, & febris quædam lenta ſeu exigua, vt patet commentario *Aphoriſm. 16. libr. 7.* potiſſimum vbi pulmo exulceratus fuerit: nam &, iuxta Celſum, febricula leuis, etiam cum quieuit, tamen & repetit. Sed quod modo cruentum, modo rurſus purulentum exſcreabat, id idem & Fernelius refert in hunc modum: Vlcere magis magiſque ſerpente & ſordeſcente pus exſcreatur, fitque, quod dixit Hippoc. à ſanguinis ſputo puris ſputum. Hoc quum ſyncerum eſt, aquæ iectum minimè alterius ritu innatat, ſed (ſi purum eſt) in imum deſcendit ſubſidetque. Ac nihilominus quoties vel labore, vel tuſſis impetu, vel excandeſcentia vlcus puris lentore obductum refricatur, cruenta exſcreatio redit. Vti & noſtro collegæ euenichat. Confirmato ac iam inueterascente vitio, putris pulmonis portio tandem exibat (vti & Laurentio Adriano Alemariano contingebat, de quo antea diximus) & ſputum carbonibus iniectum, aut etiam per ſe, graue olebat; ſæpe etiam halitus contagione id imprudentes labefactat. Quod cum in aliis quoque ægris ſpectauiſſemus, pulmonis parenchyma iam vlceratum eſſe cognouimus, quod ex eiuſdem pulmonis eſſentiæ proprietate percepimus, cum ipſius pulmonis caruncula per tuſſim reiiceretur, haud ſecus quam bronchij pars quædam tuſſiendo ab ipſo Laurentio Adriano reiiciebatur, vt exulceratio pulmonis ſecundum aſperam arteriam proceſſerat. Hoc enim proprium pulmonis vlcerati indicium erat (*vt ipſe Galen. 1. & 6. De locis affect. docuit*) ſi vocatum ramentum, ſeu cruſtula quædam eius particulæ, à qua excernitur, Græcis ephelcis dicta, ſpiritalium inſtrumentorum, tuſſiendo excernatur; proprietas vero eſſentiæ eiuſdem affectæ partis proprium indicium eſt. Quod de ſputo carbonibus iniecto diximus, plurimi hoc modo diſcernunt purulentum liquorem, vt ex Cælio Aureliano liquet 2. *lib. cap.* 14. Phlegmata carbonibus imponentes, quo exuſta probentur: nam tetri odoris eſſe neceſſe eſt, omne quod natura fuerit mutatum, velut ex fluxione carnis veniens: itē in aquam mittunt ægrotantium ſputamina: etenim naturalia facile ſoluuntur, vitiata vero atque mutata perſeuerant, quadam tenuitate coacta, & ſubſidunt ſiquidem ſint grauia, & contra naturam ex defluxione carnis venientia. Verum tunc prius confirmatam tabem cognouimus præter carnium conſumptionem, quod genæ liueſcerent, tetro vapore eo ſublato, & inualeſcente febre vngues in manibus curuarentur, & exalbidi & pallidi euaderent: & malo iam vincente capilli è capite profluebant, idque alimenti penuria, alnique profluuium ſuperueniebat, quæ peſſima ſigna ab Hippocrate quoque numerantur: iam & præcordia ſurſum conuellebantur;

uellebantur; cum & coſtarum extrema ſiccitate (vt Fernelius refert) ſurſum quandoque reuelluntur, dum tandem corpus omne conſumptum contabe fiat, calorque natiuus exhauſto pabulo intereat. Sitis quoque illum magis tandem conficiebat, & faſtidium vrgebat, & id, quod ſurſum vergebat, ac per ſputum reiiciebatur, vehementis ac fœdi odoris erat, quale & Paulus extreme laborantibus adeſſe ſcribit, pulſuſque eidem, vt omnibus tabidis, languidus erat, ac paruus, propter imbecillitatem virtutis ſeu facultatis; non nimium celer, vt plerique febricitantes habent, quod non detineantur vrente febre. Aderat & pulſus hecticus, talem enim tabidi pulſum habent, hoc eſt, vndequaque ſimilem: quoniam & febrem habent hecticam; ſicut enim à febre, quæ vniuerſum corporis habitum occupauit; appellatur pulſus, vt lib. 4. de cauſis pulſuum Galenus ſcriptum reliquit.

Pus ſeu ſanies, quibus modis differat à pituita.

SCHOLIA.

3 SIgna igitur pulmonis vlcerati, ex hac obſeruatione ſatis cognita ſunt. At ſigna hecticæ febris habenda ſunt ex capite proprio & de maraſmo & eius, tum hecticæ, ſpeciebus, vt longo ſermone 4. lib. obſeru. De febribus hecticis, in quibus & diuiſiones febrium hecticarum poſuimus & maraſmi, per gradus quoſdam, vt horum ſigna non opus ſit denuo repetere. Verum quod ad ſigna aſperæ arteriæ exulceratæ attinet: ſicut enim in vlcere pulmonis caruncula pulmonis per tuſſim aliquando reiici diximus, haud ſecus, ſi bronchij particulam reiiciant ſecũdum aſperam arteriam, pulmonem tunc exulceratum exiſtimamus: ita quoque, ſi atteria quæpiam aut vena in ea exulcerata fuerit, ipſarum quoque portionem aliquam (præſertim vbi fruſtum vaſis haud parum fuerit) tuſſiendo exipui oportet. Orto vero in aſpera arteria vlcere, præter hoc, quod ſputum purulentum apparet, dolorem quoque in loco affecto, laborans ſentire conſueuit: ipſum vero per ea, quæ ſcreantur, quia exigua ſunt, ab vlcere, quod in pulmone natum eſt, diſcerni poteſt; quippe ab vlceribus pulmonis plurimum reiicitur. Ita quoque videmus interdum per exulcerationem exſcreari ex gutture corpuſculum aliquod à lingula (Græci ἐπιγλωτίδα vocant) cum pars ipſa afficitur; id vero non ſolum hoc indicio deprehenditur, verum etiam ex eo, quod in vlcerato loco doloris ſenſu laborans inſtatur, veluti de aſpera arteria dictum iam eſt. At ſi nullus in prædictis partibus dolor ſentiatur, nec aliquod iam dictorum ſignorum adſit, verum cum purulento ſputo in thoracis parte aliqua manifeſte ſenſus doloris adſit, thoracem affectum eſſe cenſeto. At hic medicus non ſine cruenta exſcreatione tabe reſolutus eſt. Magna autem inter ſcriptores controuerſia eſt, poſſit ne quis citra cruentam exſcreationem tabe reſolui? Nonnulli poſt ſolam ſcreationem humoris liquidi & ſubflaui, leui febricula correpti tabeſcere cœperunt, ac multo poſt tempore cruoris exiguum quiddam cum pure reiecerunt: ita & alius quidam flauam bilem exſcreauerat, & exili vel minori febre correptus, ne tuſſi purulentum exſpuit, deinde cruentas exſcreationes: inualuit ſubinde febris, ex qua membra tabeſcebant: demum ſanguinem reiecit; vnde tabefactis membris & deficientibus viribus, mortuus eſt: vlcus enim, vt tradit Galenus, occultum, irremediabilem morbum reddit. Alius quidem ſex menſibus ſic affectus obiit: quidam vero pluribus vitam miſeram traxerunt, donec morerentur. Sed non paucos animaduertit etiam Fernelius tabe ſenſim ſublatos, in quibus omnino nihil cruoris toto morbi decurſu comparuit: & nos tales quoque in praxi quotidiana vidimus phthiſi enecatos, ſolum pus exſpuendo. Volunt quidem hoc fieri vix poſſe; neque ex catarrho, qui in phthiſin labuntur, quin prius aliquid ſanguinis exſpuant. Vide de his Iacchinum. Poteſt tamen fieri citra ſanguinem, vt in externis vlceribus, quæ citra ſanguinem pus habent ſæpe. Tunc ergo aliis notis inueſtigare oportet, num vlcus adſit, ſputum conſiderando quale ſit. Etenim cum id ex catarrho accidat, color concocti in pectore catarrhi, & pus adeo ſæpe inter ſe ſimilia ſunt, vt peritos quoque fallant colore & conſiſtentia; ſicut & fallit vrinæ hypoſtaſis, quæ ſaniem referat, aut crudum ſuccum. Primum igitur febris ipſa aderit neceſſario, hectica in proceſſu, quæ ſigna euidentia referet, quæ de hecticis alias diximus. Deinde ſputum conſiderando, quoniam ſaniem refert: nam in globum & rotunditatem multam ſe colligit ſputum pituitæ: vnde & talia damnantur in prognoſticis: At ſanioſum diſpergitur, vtpote minore viſciditate, & craſſitie iunctum; vnde & minus albicat ex incluſo aëre, quantumuis coctum ſit, ſecundo lib. 46. vbi candida, glutinoſa ac rotunda ſputa appellat: vt vero facilem diuiſionem agnoſcant, in aquam ſpuere iubent. Nam materia facilè medium diuidens deſcendit; quæ vero non deſcendit, craſſa & glutinoſa eſt. Sæpe tamen admiſcentur; & impeditur agnitio: tunc ego ſputa in aquam calidam fundi iubeo; atque baculo aliquo concutiendo, puris partes diſſoluuntur & ſubſidunt, & pituitæ ſuperius natant & cohærent. Aliud purulenti ſputi ſignum eſt (*etiam à nobis dictum præcedente obſeruatione, quod ex 5. Aphor. 12. etiam deſcribitur*) ex fœtore, qui tum alias, tum maxime ſentitur, cum ſupra carbones proiicitur ſputum effumando. Sic fœtorem annotauit in veſicæ vlcere. Nec obſtat quod dictum eſt, optimum eſſe pus albumen, & minime fœtus 1. *progn. vltimo.* Neque enim ſine fœtore eſt pus, cum ſine putreſcentia non fiat, & veſtigia habeat putridi caloris: ſed ſicut graueolentia, vt Galenus ibi ait, eſt putredinis, non coctionis indicium; ita & modice fœtere bonum ſignum eſt: ideo non ſimpliciter pus eiectum vult eſſe olidum, ſed tunc ſentiri, cum exuritur. Sic enim maxime odores tetri, & boni quoque ſentiri ſolent. Præ omnibus vero ſaniem ſignificat colligi facile, & diſſipari in aqua: quod pituitæ ob viſcoſitatem non poteſt contingere: nam pus reſiduum eſt eius, quod eſt exuſtum in phlegmone partis, vt 3. præſag. ex pulmone dicitur, & ita vrinæ hypoſtaſis vera, non crudum humor. Illud tamen indicium ex ſputo & pure, non ſemper ſignificat verum, vt quidam annotarunt; cum ex empyemate & aliis vlceribus pectoris & non pulmonis tuſſi reiici poſſit. Illa tamen ſanies, quæ expectoratur cum vehementi tuſſi, phthiſin veram deſignat: & quando ſputum ſanioſum ſequitur ſputum ſanguineum proprium ſignum vlceris corrodentis: ſicut è contra quandoque ad ſanguinem ſequitur ſanioſum. Sed vbi cum pure ſimul cruſtæ (quas in collega vidimus) vel aliud ex pulmonis ſubſtantia exſcreatur, tunc minime dubitandum

Signa exulcerati pulmonis.

Signa exulcerati thoracis.

eſt de vera phthiſi. Iam quoque ſalſedo arguit vlcus corroſiuum. De differentia vero puris & pituitæ, eadem fere refert Gradus, quæ ſuperius attulimus; quem legere poteritis. Et ita ſigna demonſtratiua phthiſis ſatis enucleauimus: quæ etiam trium ſunt generum, vt in locis diuerſis ex Galeno colligitur; & per ordinem à Benedicto Fauentino præceptore meo in ſua Praxi declarantur: quum primum ſit indicantium eos, qui inclinati ſunt, vt ſua natura apte ad phthiſin perueniant: ſecundum autem eorum, qui iam facti ſunt phthiſici: tertium vero, à quibus generantur cauſis & humoribus ipſi phthiſici, vti ad longum ipſe explicat: quem conſulere poteritis. De quibus quidem ſignis quoniam ſatis nunc egimus, ad prognoſtica ſigna progrediamur; ſequenti tamen exemplo prius interpoſito.

OBSERVATIO LV.

De quibuſdam phthiſicis longo tempore ſuperuiuentibus & tandem mortuis; & de quibuſdam præter ſpem curatis.

1 REfert Gradus cum loqueretur cap. proprio De phthiſi & vlcere pulmonis, de induratione & exſiccatione vlceris, ſe mulierem quandam cognouiſſe Mediolani, quæ tamen non vtebatur medico, niſi regimine communi, ſed quaſi continuo igni adſiſtebat, & in locis valde ſiccis, cum furnaria eſſet; fuitque phthiſica plus 28. annis, ambulabat per domum & laborabat, atque perpetuo clibano aderat cum panem coqueret; vnde ſiccitas plurimum indurando & exſiccando vlcus, vitam multis annis prolongauit. At ego etiam mulierem Dordracenam noui, vxorem illius Petri Gualteri cereuiſiarij Delfenſis, pro cuius ædibus ciuitas Dordracena pro inſigni erat; quæ octo annos phthiſica ſuperuixit, continuo quid pituitæ aut purulenti quid exſcreans, licet tandem tabida obierit. Sunt & alij, qui ad 15. annos vel plures, eodem Grado teſte, vitam protraxerint; ſed de iis latius in ſcholio. Non deſunt quoque Hiſtoriæ, quoſdam phthiſicos eſſe curatos: ſic Arculan. ſuo tempore egregius medicus, dicit: Vbi phthiſis parum impreſſerit, neque fiat vlcus ambulatiuum, neque pendeat à cauſa incorrigibili, ſanari poteſt: ſed non apud negligentem neque ſtolidum aut imperitum: vbi vero maxime proceſſerit, vt plurimum cura caſſa eſt & vana, niſi iuſſu Dei omnipotentis id contigerit; quemadmodum eueniſſe Mediolani monacho cuidam Franciſcano ſcribitur, qui poſt annum quartum quo phthiſi correptus fuerat, ex ſanguinis ſputo, pluries reiterato, tandem peruenit, poſt multam corporis tabem, ad imponentiam exſpuendi cum oregmone: & cum crederetur ipſum eſſe morti proximum, miraculo quodam euaſit impinguatus. Refert etiam Valeſcus *cap. proprio.* ſe quendam monachum etiam phthiſicum verum curaſſe cum puluere Haly contra tabem (quo & nos vſi ſumus in fratre meo Theodoro Foreſto ex tabe & hectica laborante; & etiam curatus fuit, cum pus longo tempore ſubinde exſpueret; cuius hiſtoriam, tum aliorum etiam à maraſmo curatorum, poſuimus *lib. 4. obſ.* noſtrarum De feb. hectica) cuius ægritudo per annum durauerat, quæ videbatur interdum partem pulmonis cum ſputo eiicere: cui & tantus fetor aderat, vt nullus monachorum, neque in

2

3

refectorio, neque in menſa auderet illi approximari; ita vt perfecte adeſſent ſigna veræ phthiſis; qui etiam per me (*inquit Valeſcus*) & multos alios, fuit iudicatus de proximo moriturus. Sed cum illi eſſet amicus, curationem diligenter iniit, atque remedia ibidem deſcripta continuando, Dei iuſſu (*inquit ille*) curatus fuit. Auicenna quoque ponit hiſtoriam de muliere phthiſica, cuius iam parabantur funeralia: & frater eius (*vt etiam citatur à Gradu*) cum eidem ſuperueniſſet, eandem curauit cum zaccharo roſaceo.

SCHOLIA.

QVæritur nunquid omnis phthiſicus hecticus ſit, vti magna ex parte medici celebriores ſentiunt. Id tamen quidam contendunt, vt Gradus, non ſemper verum eſſe; cum aliqui vixerint x. aut xii. annis, imo pluribus, vt iam diximus: licet Gentilis de xii. annis meminit de iis, quæ vlcus pulmonis habebant cum hectica adiuncta: quod vix fieri nonnulli credunt, inde colligentes vlcerationem pulmonis hecticam non ſubſequi, niſi vlceratio illa fuerit admodum magna, praua & ſanioſa. Sed Gradus potius reſpondendum putat etiam hecticos antequam ad gradum debitum ſiccitatis perueniant, vſque ad 15. aut 20. annos poſſe ſuperuiuere, vtentes victu reſtaurante. Sed vbi hectici ad illam ſiccitatem peruenerint, quod capilli defluant, & aluus profluat, mors, iuxta Hippocrat. proxima eſt; quia adeo ſunt ſiccata ſolida, vt nutrimentum pilis non adſit. Quod albus vero profluit, id contentricis ventris imbecillitate fit: inteſtina grauata facile depellunt, vt nec alimentum in corpus diſtribuatur. Cum igitur vlcus præ magnitudine ſiccari nequit, tunc magnitudo vlceris mortem ſignificat, licet iam diutius ſuperuixerint, vt cum vaſorum fruſtula exſpuuntur, vel etiam arteriarum iam eroſa, tunc moriuntur. Diu autem viuere poſſunt, antequam eo res deueniat. Ita in ruſtico quadam vulnerato in pulmone, in pago Scermerio dicto, ad quem accitus, cum etiam tabidum & in vlcus pulmonis malum conuerſum ſignis præſentibus intelligerem, nec curari poſſet; noſtra tamen induſtria vita ad ſemiannum protracta eſt; ita vt filius, qui patrem vulnerauerat, veniam ſollicitaret, ac cum minori mulcta à principe gratiam inierit. Sed vtrum vere phthiſici curari poſſint, multi hæſitant: quamquam id fieri exemplis & auctoritate medicorum illuſtrium poſſe oſtendimus. Conſtat autem (teſte quoque Benedicto Veronenſi) innumerabilibus exemplis phthiſicos cura & diligentia à medicis ſanatos fuiſſe, & zacchari roſacei (vt ſcribit Galenus) auxilio: audita enim eius remedijs cauſa eſt, nec niſi experimento cognita. Attamen non deſunt quidam, qui curationem vlceris pulmonis nequaquam admittunt: alij rurſus dicunt difficulter curari, *vt liquet 4. De locis affect. tum. 5. method. medend.* nam & ipſe Galenus difficillima ſanatu pulmonis vlcera eſſe fatetur, vt quæ nec citra tuſſim expurgari poſſint; & ſi tuſſim excites, laceraueris: itaque quaſi per mutuas operas, malum iis in orbem redit: tum etiam quod ea, quæ idonea vlceribus medicamenta ſunt; contingere vlcus ſicuti in ventriculo, non poſſunt; adeo vt per medium interuallum, fere vim ſuam amittant, & præterea quod præter id, quod tuſſiendo lacerantur, reſpirando etiam mouentur.

4

5

6

Et proinde concludebat eodem 5. *meth. med.* quod cum in pulmone ruptum vas eſt, ſcire aperte licet (niſi protinus antequam phlegmone excitetur, glutinatum ſit) id poſtea inſanabile fore: quod ſi aliquando curetur, relinquitur tamen in ipſo res quædam calloſa fiſtuloſaque, quæ tractu temporis à leui occaſione expelli ſolet, *vt 4. De locis affect. liquet*: quamuis ſi exanthemata quædam in pulmone ſint orta propter vlcerum ſiccitatem, ſanari poſſint; præſertim vbi aſpera & ſcabioſa fuerint, vt idem Galen. teſtatur. *libr. 5. meth. medendi*, quemadmodum & omnino inſanabiles ſunt, qui ex ſucci vitioſi eroſione vlcus in pulmone habent, cum longo tempore omnino opus ſit, vt ſucci corrigatur vitium. Interea pro notitia ſpecierum phthiſis (vt Arculanus medicus inſignis dicebat) ſciendum eſt, vlcera membrorum ſpiritualium aliquando fieri in pleura; quod & prius oſtendimus, cum pleuritici non ſoluuntur, ſed ad ſuppurationem vertuntur: nam ſi illi in quadraginta diebus, vt dictum eſt, non repurgantur, teſte Hippocrate, in tabem tranſeunt: quamuis idem Arculanus refert ſe in duobus ægris vidiſſe vlcus pleuriticum non repurgatum in quatuor annis, nec tamen ad phthiſin peruenisſe. Quod licet forte contigerit rarum eſt, imo rariſſimum. Verum hic loquitur de pleura, ex qua fit, dum in ea ſuppuratio contingat, phthiſis: modo etiam in muſculis intrinſecis pectoris & oſſibus eiuſdem cum eorum corruptione; aliquando in diaphragmate, aliquando in mediaſtino, aliquando in canna pulmonis; quandoque in pulmone ipſo. In quibus omnibus & phthiſin & vlcera fieri contendit, quæ etiam ad tabem ſeu phthiſin referuntur. Attamen deteriora, inquit, cæteris paribus, ſunt illa, quæ fiunt in pulmone, deinde in diaphragmate, deinde in mediaſtino, deinde in pleura & partibus ei continuis: ita vt quidam arbitrentur, numquam vlcera pulmonis poſſe conſolidari, eo quod eſt in continuo motu: quibus Galen. 6. *De ingenio ſanit.* contradicit, motum non impedire conſolidationem, cum vlcera pectoris & diaphragmatis, quæ ſunt in continuo motu, poſſint conſolidari. Sed materiam limitando dicit, quod vlcera munda ſiue pura ſuperficialia pulmone conſolidantur; putrida vero corroſiua, apoſtemoſa, valde ſordida, aut virulenta, & huiuſmodi non poſſunt conſolidari. Cui ſententiæ Meſue conſentit: hinc & Conciliator (quem & Gradus ſequitur) voluit vlcus factum ex vulnere, vt ex ruptura, præſertim in canna pulmonis vel in partibus vicinis cannæ, poſſe conſolidari; licet Auicenna teſtetur ſe tempore iuuentutis quendam curaſſe, in quo caro pulmonis plurima diſſoluta eſſet. Quamquam tales (vti etiam mulier illa, quæ licet 22. annis vixit, tandem tamen tabe obiit) vt patet ex 5. *de locis affect.* omnes fere tandem extincti ſint. Quod ſi de confirmatis dicatur conualuiſſe, id potius monſtroſum eſſe quidam voluere. Sed tantum ſolutione facta in venis & arteriis, Auerrhoes id fieri poſſe credit; & aſſentit quidem poſſe fieri, eo quod filij Auenzoaris ſimile illi narrarunt, & retulerunt; ſcilicet quod in pluribus hominibus idem viderunt. Interea etiam credimus quoſdam eſſe curatos, cum ex pure thoracis tabem paterentur, & pus longo tempore exſpuerint, cum medici etiam illos veros phthiſicos eſſe putarent. Sunt etenim aliquando eo progreſſi ægrotantes, vt euidentiſſima ſigna extremæ maciei & tabis præ ſe ferrent, & tamen præter medicorum illuſtrium opinionem ſanati ſint: ita vt in iudicio quandoque expertiſſimi medici ſæpe aberrent, quod & doctiſſimus Iacchinus medicus de ſe ipſo fatetur ingenue, id ſibi euenisſe in filio egregio equitis, Cæſaris nobilis, qui præter ſpem eſt ſanatus. At quæ in thorace vlcera fiunt non omnino, veluti iam dicta, curationi reſiſtunt, etiam ſi diuturna fuerint, vt eodem 4. *de loc. affect. liquet.* Et enim, qua [illegible]ctore educuntur, triplex compendium, pi[illegible], quæ ex pulmone euacuantur, habent: nam & vaſa ipſa multo ſunt minora, & ſanies in ſpatium interius effluit, & in ſumma magis carnoſum eſt pectus, quam pulmo, vt patet eodem 5. *meth. medendi.* Sic etiam refert Arculanus, Vlcera pectoris & immunda ſiue impura conſolidantur multis de cauſis: Primo, quia pectus eſt carnoſum. Secundo, quia eſt cum paruo motu. Tertio non habet ſubſtantiam mollem, pronam in corroſionem & putredinem. Quarto non habet carnem ſpongioſam, in qua ſanies retineatur; imo quod ab vlcere pectoris reſudat, aut per aliam viam expellitur, ſuper diaphragmate colligitur, ſi non exſpuatur; poſtea paulatim expellitur ſecundum plurimum. Quinto non eſt multum ſubiectum catarrhis. Sexto, non nutritur ſanguine calidiſſimo, multæ choleræ admixto, impediente conſolidationem. Septimo, non habet venas magnas & amplas ſicut pulmo. Octauo, non ita cordi inſeruit ſicut pulmo. Cauſas vero declarauimus antea cur pulmo difficiliter curetur: addit Arculan. præter id, quod medicamenta exterius admota pulmonem num attingunt, & intus ſumpta ſi tranſglutiantur, multum transmittantur, & vis earum diminuitur, antequam ad pulmonem veniant, etſi in ore vel lambendo ſumantur, parum de ipſis ad pulmonem penetrat: ita & calida febrem augent; frigida ſputum impediunt, & tardius penetrant, ſi ſicca, idem præſtant & nocent hecticæ febri; humida vlceri obſunt. Si vlcus ad membranam tranſeat, dolorem auget, & rurſus dolor impedit conſolidationem, humores attrahendo: quare raro & ob motum & alias cauſas ſuperius ex Gal. citatas, vlcera pulmonis conſolidantur, niſi fuerint munda, & ſuperficialia, & non valde antiqua: quæ tamen exigunt medicum prudentem & diligentem. Profundiora vero ad ſubſtantiam pulmonis penetrantia, difficillime curantur; & ſi ad cartilagines peruenient, curationem non recipiunt. At cruſtoſa ſuperficialia & paucæ ſanies facilius rectificantur; & ſi non perfecte liberentur, longiſſimo tempore durant, antequam ægrum ad interitum deducant; ita vt talo vlcus, iuxta Auicennam, tempus prolonget ipſius phthiſis circiter 23. annos. Cæterum vlcera, quæ in aſperæ arteriæ interiore ſunt tunica, & potiſſimum quæ ſummæ eius parti, quam ἀδρυγὰ vocant, ſunt vicina, aut etiam ipſa; hæc & curationem recipiunt, & nos non paucos (vt Galenus præcitato loco inquit) eorum, qui ita ſunt affecti, ſanauimus: quorundam autem eorum hiſtoriam ibidem conſcripſit, potiſſimum vbi intetna eiuſdem aſperæ arteriæ tunica exulcerata fuerit: namque ea ſanatu eſt facillima, ac omnis, qui in ea ortus fuerit affectus, facile ſedatur, niſi forte aliquando à putredine aliqua magna ipſius portio corroſa cartilaginem nudam penitus deſtituerit. Verum ſi ipſius cartilagines exulceratæ ſint, aut inſanabiles, aut ſanatu difficillimæ erunt:

9 *Cur non omnino curationi reſiſtant thoracis vlcera.*

10 *Cur pulmo vlceratus raro curetur.*

11 *Vlcera arteriæ modo ſanabilia, modo incurabilia.*

namque cartilaginum affectus (*vt Galen. teſtis eſt, lib. 7. De vſu partium*) omnino inſanabiles ſunt
12 aut ſanatu quam difficillimi. Qua de re priuſquam malum ad cartilaginem peruaſerit, aſperæ arteriæ vlceratio protinus etiam vt ſanetur, laborandum erit. Vlcera vero diaphragmatis in parte carnoſa (inquit Arculanus) rectificantur, niſi vtrinque penetret; ſed in parte neruoſa, ſi ſint aliqualiter profunda; raro vel nunquam cutim recipiunt. Vlcera vero mediaſtini facilius rectificantur, quam vlcera diaphragmatis; & adhuc facilius vlcera pleuræ & muſculorum intercoſtalium, & coſtarum, etiamſi ſint corruptæ; ſed opus eſt ſectione aut cauterio in parte extrinſeca, vt perueniatur ad coſtam corruptam. Sed de his prius dictum eſt, quomodo ſectione aliqui curati ſint, antequam phthiſin veram incurrerent. Sed hæc iam dicta etiam ad ſigna prognoſtica pertinent, ſicuti illa quæ etiam ſequentur.

Vlcera diaphragmatis.

Vlcera mediaſtini & pleura.

OBSERVATIO LVI.

De ſacrificulo vlcere pulmonis lethali laborante, & ex pilulis mercurialibus ſumptis ſubito vitam finiente.

1 SAcrificulus quidam apud nos Alcmariæ, cui à puero facies combuſta erat, facie admodum pallida & macilentus, & propria natura debilis; ex continuo catarrho ſalſo in vlcus pulmonis incidit: ad quem, cum diu decubuiſſet, accitus ſum; & pus olidum exſpuebat, cum totius corporis extenuatione, imo vt iam cruſtulas ſpiritalium membrorum, nempe pulmonis, exſpueret. Quæ cum vidiſſem, & ſorori prædixiſſem, fratrem non poſſe ab hoc morbo ſanari; illa cum hæc audiuiſſet, me ſtatim ablegauit, atque in mandatis dedit, ne amplius redirem. Poſtea tamen minus prudens ſoror tonſorem empiricum quendam ad fratrem vocauit, qui ſe diſcipulum Paracelſi jactabat, atque ſacrificulum lue Gallica infectum dicebat, ob faciem deturpatam (vt exiſtimo) quam ex combuſtione ignis cum puer eſſet, vt paulo ante diximus, contraxerat; atque jactabundus, vt hoc ſolet hominum genus, illico ægrotantem ſe curaturum policebatur. Cum enim videret ſacrificulum pallidum eſſe, & quod pili è capite fluerent) quod tamen inopia alimenti ex tabe lethali contingebat; de qua re latius in ſcholio) pilarellam (ita enim vocant defluuium capillorum ex lue Gallica) eſſe exiſtimabat, certum morbi Gallici indicium, homo inſulſus ac ineptus medicus, quamuis medicinam ſibi falſo arrogabat, ignorans quod malo vincente in tabe confirmata capilli de capite defluunt, cui & alui profluuium ſuccedit, auctore diuiniſſimo noſtro Hippoc. vt mox latius dicturi ſumus. Verum quid de prædictionibus Hippoc. dicam, cum eiuſmodi Theophraſtiani omnes prædictiones contemnant, ac ſuo malo (ſignis omnibus aliis poſthabitis & neglectis) omnem morbum etiam quantumuis lethalem ſe poſſe curare apud miſeram plebem jactant, vti hic Empiricus ſibi perſuaſerat, & conſtanter ægro promiſerat: hinc deprompta vna pilula mercuriali, ex ſua chymica officina, ex argento viuo parata, quam omnibus aliis ægrotantibus indifferenter præbebat, adeo illam extollens, vt illa ſola, omnibus aliis præſidiis relictis, ſufficeret ad quoſuis morbos curandos. Quam cum ſuo ægrotanti obtruſiſſet, aluus ſupra

2 ac deorſum adeo perturbata eſt, vt iam pro morbo æger haberetur, ac extrema inunctione munitus ad ſuperos remeare crederetur. Sed poſtquam paululum quaſi reuiuiſcere cœpiſſet, vt colophonem curationi adderet, poſt octo dies iterum bis miſero ſacrificulo extrema macie confecto pilobtrudit: quam cum deglutiiſſet, enormi ſubſequente & vomitu & euacuatione, eodem die exſpirauit.

SCHOLIA.

OMittamus iſtos Paracelſiſtas, qui egregias prædictiones Hippoc. rident; quaſi ſi hic Cacurgus intellexiſſet, non ita hallucinatus fuiſſet in cognoſcendo morbum hunc fuiſſe lethalem, & ideo minime curandum, ſed prognoſticis relinquendum, vel ſaltem iis præſidiis protrahendum, qui vires tantum reſtaurarent; quas ad extremum debiles, ipſe ſuis pilulis facilè exſtinxit, & mortem maturius attulit. Cum enim hic duo præcipua mala adeſſent, vt ſputum grauceolens, iuxta Hipp. *aph. 11. lib 5.* deinde capilli defluentes, indiciũ certius, ex decreto *aph. 12. lib. 5.* facilè perceptu erat, huius tabidi mortem fuiſſe in ianua (vt dicebat præceptor meus Bened. Fauen. c. proprio. De phthiſi & vlcere pulmonis.) Quod ſi hoc intellexiſſet inſignis ille Paracelſiſta, tertium indicium non opus fuiſſet ſuis pilulis cõcitare, cum & alui profluuium accedat, & tanquam tertium indicium mortis eſſe ſoleat; etſi duo ſupradicta in diuturno vlcere pulmonis & confirmato, & in homine plane extenuato vera tabe, ad ſignificationem necis phthiſici ſufficiſſent: vbi autem citra hæc alui profluuium comitatur vel contigerit, ocyſſimæ mortis indicium exiſtit; quoniam alui profluuium (vt idem præceptor meus aiebat) comitatur dolor, & aſſiduus labor ſubſidendi, timorem ingerit defectionis animi. Quæ multo vehementiora hic fuere ex perturbatione illarum pilularum, ſyncopa vera accedente, cui illico mors ſubſequuta eſt: & ideo rectè dixit Gal. in commento 14. *aph. lib. 5.* à tabe habito profluuium alui ſuperueniens, lethale: multoque magis morti propinqui ſunt, ſi tria hæc in vnum conueniunt, videlicet male olentia ſputa, & alui profluuium, & capillorum de capite caſus. Tabe itaque laboranti ſi ſputum, quod extuſſiunt graue oleat iniectum carbonib. & capilli à capite defluunt, lethale: & iis alui profluuio ſuperueniente moriuntur, vt *aph. 11. 12. & 14. lib. 5. patet.* Verum idem Hippoc. de tabidis ſcriptum reliquit 16. *aph. lib. 7.* à puris ſputo phthiſis & fluxus; cum vero ſputum retinetur, moriuntur: modum ſiquidem oſtendens in hiſce verbis (vt Gal. in commento refert) illorum qui ex tabe moriuntur: eo vſque n. extenuati viuunt, donec per ea quæ exſpuunt, poſſunt pulmonem expurgare: cũ vero intus manent, obſcrantur quidem viæ ſpiritus, patientes vero ſtrangulentur. Morituris vix anhelitus auditur, & qui non ſuffocantur, inter colloquia moriuntur: quib. vngues incuruantur, cum cibi tædio, difficultate anhelitus, nulla prope ſaliua, ventris profluuio, & pedum tumore, ſubito moriuntur. Et quamuis in principio aliquando tuti videantur, poſtea tamen moriuntur, vt patet exemplo apud Gal. cum ſic dicat: Phthiſicum curare auſus ſum vel curioſius: odoramenta primum, quale ſpicatum vnguentum eſt, & alia pariter exſiccantia naribus indita ſunt diu noctuque.

Ac

Ac in potu Mithridaticam aut Theriacam, & Athanaſiam antidotum obtulimus: ægro vitam per annum prorogauimus: ſed tandem phthiſicus interiit. Vidé etiam exemplum apud eundem de Antipatro medico Romano, qui annos quinquaginta exceſſerat, prius ephemera laborans, ob tuberculum in pulmone per ſex menſes tandem difficillima ſuppuratione oborta, reſolutus tandem obiit. Ita & nos phthificam mulierem Brielenſem quandam habuimus præ manibus, quæ cum per interualla pus exſpueret, & ſubinde tanquam calcem induratam in calculos, licet diu ſuperuixit, tamen poſtea & hæc tabe obiit. Quamquam & inter exempla monſtrificam pulmonis naturam Gal. refert, quod ægrotus quidam tuſſiens viſcoſam primum materiam exſcreabat: deinde per aliquot dies in duritiem coacta, in calculos dureſcebat, qui grandinis modo eiiciebantur. Hunc Gal. veluti aſthmaticum curauit, qui de cætero eruiduntaxat magnitudine ac raritèr eiecit. Cæterum Hipp. lib. 2. Prædictionum, hæc de tabidis quoque ſcripta reliquit: Oportet enim eum qui probe liberari volet, facile ſputum per tuſſim reiicere: & id eſſe album & æquale, & eiuſdem coloris, ac ab inflammatione alienum: quod vero a capite defluit, ad nares conuerti, febrem autem non inuadere, vt ne à cœnis prohibeatur: neque ſitiat, venter autem egerat quotidie, & id quod egerit ſit durum: copia pro ratione ciborum ingeſtorum. Hominé vero quam minime tenuem eſſe oportet: pectus autem laudare conuenit quadrangulum & hirſutum: & os ipſius paruum ſit, & robuſte carnoſum: quicunque enim hæc omnia habuerit, maxime ſuperſtes erit: qui vero nihil horum habet, interitui proximus eſt. Ideo conſiderandum num naturæ ad tabem pronæ ſint tales autem ſunt (vt paulo antea diximus) quorum humeri eleuati, & pectoris partes deprimuntur, ita vt à qualibet occaſione pectus egeat dilatione, ipſum in motu illo alioqui violentiam patitur, ob oppugnantiam, quam inducit pectus per ſui depreſſionem: quo fit, vt cogente violentia, aut in pectore, aut in pulmone vena aliqua diſrupta, facile exſpuere faciat, inde pus & poſtea tabes, vt ex Gal. *epi. comm.* 1. colligitur: ita & aſthmaticos plurimos noui ad tabem deuenire, & multos cognoui eo non progreſſos, ſubito tamen extinctos etiam in platea: vti contigit M. Adriano Vventio Conſil. & Hugoni Grotio, vtriſque in platea extinctis: quos ſæpe admonueram hoc illis euenturum, ſi tempori ſibi non proſpicerent. Cæterum in tabem quoque maxime incidunt iuuenes, auctore Hipp. *aph. 29. lib. 3.* in eam tamen & potiſſimum (*vt Gal. in com. inquit*) quæ ad ſputum ſanguinis conſequitur. Illud vero non ob ætatis imbecillitatem, ſed ob incontinentiam, ſeu intemperatum victum. Hoc idem confirmauit Hipp. *aph. 9. lib. 5.* cum dixit: Tabes fiunt præcipue ætatibus à 18. vſque ad 34. annos, & Celſus morbum hunc ætate firmiſſima maxime oriri cenſuit, id eſt, ab anno 12. ad an. 25. ob id quoque iuuenes tabem incurrunt, diſrupto pulmonis vaſe: quoniam in vita & eius functionibus male morigerati exiſtunt, ita vt male regantur. Interea tamen licet maiores natu difficilius quam iuuenes in tabem concidant, ob ſicciratem tunicæ vaſorum, eorum diſruptioni obſtentem, difficilius quoque reſtituuntur, ob inopiam humidi glutinoſi, quo ſolita ſunt membra ſolida ex denſa diſrupta conſolidari: vel elicitur ex Gal. 5. *method. med.* & 3. & 4. eiuſdem. Minores natu iuuenibus, difficilius tabeſcunt, facilius vero ſuo habitui naturali reſtituuntur. Difficilius inquam, ob humidum in iis abundans; tunicæ vaſorum cedens: facilius autem reſtituuntur ob abundans humidum glutinabile in iis vigens, ob vicinitatem quam obtinent ad prima ſemina, vt colligi poteſt ab Hipp. *in lib. de genitura, & Gal. in lib. 2. de ſemine.* Infantes itaque ac adoleſcentes ad pubertatem vſque facile phthiſi liberantur. Mulieres quoque ac viri robuſtiores, ſeneſque durioris ſubſtantiæ haud difficulter ſanantur. Diutius perdurat phtificus, qui materiam bene maturando exſpuit, Gal. auctore. Verum non omnes, inquit, quibus trium menſium ſpatio exulcerantur, pulmones ſanari poſſunt: quoniam altius inſedit vitium. Acuti humores erodentes, vlcera magis exaſperant: pari modo vlcus irremediabile, ſi in ore marina ſalſugo adfuerit. Quicunque tabe moleſtantur, ſi eorum febri prauæ bilioſa febris acuta ſuperuenerit, malum: tum quoniam ex ardeſcente febrili calore; vt præceptor meus Benedictus Fauentinus dicebat, & ſicco eius, vehementer tabidus exſiccabitur: ita vt alimenti inopia, phthificus pereat. Et qui tabidi facti ſunt cum lenta febre, & ſi iis accidat quartana febris, vt aliquando contigit cuidam matronæ nobili, deterrimum eſt: tum quoniam ex abundanti ſicco ab humore melancholico prodeunte, tabidus ocyus perimetur, vt eidem matronæ euenit, vel eius ſiccitas augebitur, & tabes in longum prorogabitur: tum quoniam tabido acquiritur intemperantia frigida & ſicca, cum qua vita hominis diu ſtare nequit. Quicumque vero tabe corripiuntur, ſi iis pituitoſa febris acciderit, minori cum periculo eſt: quoniam ob pituitæ frigiditatem in iis remittitur calor habitualis factus, & in iiſdem ſiccum humido infringitur: periculum tamen eſt ob pituitæ humiditatem, ne à debili calore phthiſici in putredinem vertantur, ſub qua vires corporis perimuntur. Atque hæc ipſa fatis de ſignis prognoſticis eſſe puto.

OBSERVATIO LVII.

De pleuritico ſuppurato, qui cum non repurgaretur, in phthiſin incidit, qui etiam poſtea obiit.

PRætor in portu Delfenſi pleuritide correptus cum in principio neglectim haberetur, neque tempori remedia abhiberet, cum tandem medico adhibito, fruſtra remedia adhiberentur, neque pleuritis reſolui poſſet, facta eſt ſuppuratio: & cum illa non purgaretur intra 40. dies, ad tabem deuenit. Tunc & ſecundus medicus eum tractabat, vlcere tamen pulmonis ſemper in peius vergente, ac febre habituali magis acreſcente, autumno iam magis appropinquante. Inter anni tempora autumnus grauiſſimus eſt, auctore Hip. commoriuntur enim ægri, quum plurimum decidentibus arborum foliis: eo tempore plerique etiam phthiſi corripiuntur: & autumnus tabidis malus, iuxta 10. *aph. lib. 3.* tam pulmoni vlcerato, vt ait Gal. in Comento, quam omnibus aliis quomodocumque tabefactis. Ad hũc quoque ſub finem accitus fui: cumque viderem in homine extreme extenuato, & viribus iamdudum lapſis, atras virideſque exſcreationes, & quæ colore fuſcarentur, procul dubio mortiferæ erant, cum & carbonibus iniectæ grauiter olerent, & cum capillorum præterea & barba ac ſuperciliorum defluuio, mortale pronuntiaui apud amicos: eoque magis cum & ventris fluxus accederet. Et ita

facto prognoſtico, tantũ illa eſſe adhibenda dixi: quæ vires reſtaurarent, vt ſunt martij panes, pignolata, hordeata, amygdalata, & iura reſtaurantia, & confectiones ex carnibus cancrorum, conſummata & colatitia, de quibus ſatis ſuperque diximus *in noſtris lib. de obſ. de hectic. & maraſmo affectis*: & cum ita diſcederem, paulo poſt hic obiit.

Scholia.

3 HVic malo inter initia protinus occurrere neceſſe eſt, ex Celſi decreto: neq; enim, vt ipſe inquit, facile is morbus cum inueterauit, euincitur. Cæterum quomodo ſuppurati tam ex pleuritide, quam ex peripneumonia curentur: iam prius dictum eſt, & cum de ſputo ſanguinis verba fecimus, cruentorum adhuc vulnerum, tum pulmonis, tum aliorum inſtrumentorum reſpirationi deſeruientium, curandi modum docuimus, & quomodo pleuritici curentur: ſi ad ſuppurationem conuertentur. In eis igitur qui pus iam exſcreant, & in via ſunt, vt tabidi fiant, aggredi curationem oportet. Nam ſpes eſt ſiccato debitis remediis vlcere, prius tamen repurgato, ceſſare febrem, & ita conſummationem multis euenisſe Gal. teſtatur. Sed eos qui iam ad tabem peruenerunt, ſtultum eſt aggredi. Et cum neque in illis integram ſanitatem reſtituere poſſimus, neque id polliceri: ſed ſolum vitam protrahere, ſiſtendo cauſas ſiccationis: ideo ſemper continua præcautione vti oportebit, vt in his omnibus, qui dubia ſanitate fruuntur, & perpetua egent medici opera. Quibus autem modis vlcera in eiſdem partibus orta curentur, iam ex parte diximus: & quamuis, quæ in pulmone hæſerunt, vel difficiliora ad curandum ſint, vel eorum curatio perfici omnino nequeat, propter iam dictas cauſas: ne tamen tanquam deplorati deſtituantur. Quomodo hi tractandi erunt, ac reliqui, qui in aliis partibus iam dictis ab vlcere oblæſi, curandi ſint docebimus: id ramen prius commonefacientes, quod etſi nonnullæ traditæ ſint pulmonis, thoracis, ſeu aſperæ arteriæ vlcerum cauſæ, de ipſis haud quaquam ſermo faciendus erit, cum in præcedentibus ſingulatum cauſarum curationem exemplis quibuſdam oſtenderimus. Quare ſi qua earum adhuc permanſerit, ex iam dictis curationem petas: nunc autem de tabe duntaxat quædam addemus, quatenus vlcera pulmonis, thoracis, ſeu aſperæ arteriæ conſequitur, deque ipſis vlceribus agemus. De victus ratione ſatis ſuperque diximus *obſ. 35. præc.* hoc ſemper commemorantes, quod generalis curatio vlceris ſit exſiccatio, iuxta Gal. 4. *meth. med. cap.* 5. ſiquidem vlceris, qua vlcus eſt, ſanatio; mediocris ſiccatio eſt, 2. *art. cur. ad Glauc. cap.* 2. Ad quam intentionem exſiccationis peruenimus, *teſte Gal.* 3. *&* 4. *meth. med.* exactis duabus communibus intentionibus, mundificatione videl. & abſterſione, ad eas enim ſequitur exſiccatio vlceris. Poſt exſiccationem vlcus propenſius fit: vt conſolidetur & in cicatricem vertatur. Itaque initio abſtergendum, ſiue repurgandum, atque reſiccandum: vbi iam ſatis deterſum eſt, atque iam niſi ſanioſum repurgatur, glutinare oportet. Sed dũm hæc fiunt, extenuatio corporis reſtauranda eſt. Vtuntur ergo quidam mulſa initio ex aquæ potabilis ℔. j. *mellis* ℥ j. ß. per omnia, vbi detergendum, melle crudo quidam vtendum volunt, vbi glutinandum, melle cocto. Aliqui hic quæſtionem mouent, mulſum non conuenire hecticæ febri: ſed diluta non nocet, cum abſtergat vlcus, & marcori nec febri obſit. Hanc quæſtionem longius proſequitur Altimarus, quem perlegere poteritis, & de lacte exhibendo, cum pauco zacch. & mel. roſ. vt minus in ventriculo cogatur: maxime caprillum. Initio dat ℥ iij. vel iij. procedente tempore quantitatem augemus, de lacte dictum eſt prius, etiam 4. *obſ. noſtrarum de feb. hect.* Lac dandum eſt vacuo ventriculo, & mundato ventre. Quamobrem non imitandi illi qui lac præſcribunt non purgato ventre: cum ſua natura lac facile aceſcat; maxime in ventriculo. Ergo ſi opus eſt, ventriculus purgetur decocto galli antiqui, addita aliqua parte hordei mundati, vel integri iam ſemicocti: vel detur manna cum decocto galli: & ideo ſi aluus reſiſtat, poſſumus tunc quidem vti leui purgatione, cum materia adhuc fluat, vt manna cum iure pulli, vel caſſia; cum ſemine aniſi, vel decocto galli antiqui, in hunc modum parato, ℞. *paſſul. mun. iuiubar. ana num. ix. ſebeſten* 5. *medullæ ſem. carthami* ℥ ß. *his vnter galli impleatur, & coquantur in aqua cum. viatur illo iuſculo mane.* Et ſi ſatis non leniat, *adde mannæ* ℥ j. poteſt quidem capere: modo venter non ſit ſupra modum laxus & ſolutus: nam vbi conſumptum eſt, tunc omnino omittenda ſunt medicamenta purgantia, quæ exſiccant corpus, & ad tabem perducunt: his enim fluxus contrarius eſt, ideo iis tantum vtendum, ſi duriore ſint aluo, quæ ſolum leniunt, & vires non deiiciunt. His igitur, qui ſunt parati ad hunc morbum, & qui incipiunt laborare, ſummum eſt remedium, hordeatum mundatum dare, cum zacch. roſ. poſt tres horas, poſt cœnam in introitu lecti. Nam qui obnoxij ſunt huic morbo: calido ſunt hepate, vel ventriculo, vel corde, à quibus eleuantur fumi acres ad cerebrum, qui commixti pituitæ, penetrationem addunt, & ad pulmones demittunt. Hordeatum mundatum obtundit acrimoniam vaporum, & eos incraſſat: & prohibet ne aliquid ſurſum aſcendat, nec minus pulmones abſterget, & corpus vniuerſum humectat, vel vtatur confectione roſ. antiqua à cibo, maxime poſt cœnam, aut alia qua alia conſerua, quæ conſimilem effectum præſtet. Tota enim cura medici eſſe debet, vt paulo ante diximus: in præcauendo, ne morbus fiat, vel ſi factus ſit, ne creſcat, nec citiſſime augeatur. Nam illos perfecte curare, difficillimum eſſe diximus. Pro curatione vlcerum vtimur lacte aſinino, vt prius diximus, quod quidem abſterget vlcus, & corpus tabidum reficit: ſed ſi fieri poterit, citiſſime mulſum accipiatur. Alteratur facillime lac & corrumpitur. Lac etiam præparare oportet: nam interdum maior eſt intentio abſtergendi, interdum conſolidandi, alias refrigerandi. Cum refrigerare volumus, capram vel aſinam nutrimur herbis refrigerantibus, vt ſalice, foliis vitis, lactucæ, ſi autem abſtergere, damus eis hordeum integrum: ſi magis nutrire volumus, hordei farinam, vt tritic. ſi plus conſolidare ſit intentio, nutriatur oryza, & halica, & carnibus viſcoſis, & nutriatur capra foliis quercinis, pyrorum, rubi, & ſimilibus ſic etiam profecto multo magis conſtringet. Ouinum quoque & vaccinum, quia craſſiora magis nutriunt & conſolidant, vt Auic. teſtatur. Statim mulctum vel tepidum dandum eo modo, quo dictum eſt, neque ſuperdormiant, vel alium cibum ſumant, donec ſit concoctum: quod cognoſcetur, ſi ſtomachus nihil eructet. Imo quidam ita lac commendant, vt ſolo eo quaſi vtendum ſit, etenim cum pane ſiliginco, modo febris vehemens, & putrida non

prohibeat, & torrida: tunc ptiſanam præbent, & febre remiſſa denuo ad lac redeunt. Alij ad deterſionem imponunt parum mellis vel zacchari, ad conſolidationem boli armeni momentum. Sed vinum nunquam cum eo miſcendum more Anglorum, qui vinum cum lacte coquunt, & ſerum huius febricitantibus omnibus dant. Lac vero cum amylo, vel tragac. magis glutinat. Aliqui & oxygala vtuntur, ſi valde ſitiant & febricitent, ad caloris extinctionem. Cum tuſſis valde ſubinde moleſtiam afferat, in ore ſemper detineat diatrag. vel diapenidiatum, vel ſaccharum candi: & noctu zacchar. roſ. tabulatum, quo non eſt aliud præſtantius in hoc morbo. Alij vero in principio poſt mulſam, dilutam exhibitam, fœnugræci decocto, loti ſubinde, abiecta priori aqua vtuntur, in qua octaua pars, vel zacchari in calidiore conditione, vel alioquin mellis diſſoluitur: & vbi magis detergendum eſt, conficiunt eclegmata ex *ſucco marrubij & caulium, cum melle: vel man. j. marrubij. decoquunt in* ℔. 6. *aquæ ad dimidium*: colaturæ addendo ℔. j. *mellis plus minusue*, idque totum decoquunt ad craſſitudinem. Similiter è *butyro, melle, & terebinthina duobus horum aut tribus mixtis.* Eclegmata conficiunt: nam variandа remedia eiuſdem generis, ne fiat ſatietas, diuerſi vero generis ſumenda, cum mutantur indicationes. Sed vt ſummatim rem complectamur, medicari pulmonis vlceribus oportet (vt Aëtius refert) eo apparatu, quo facile ſurſum efferantur humores, cura ſimul adhibita, ne alij congregentur. Excogitata autem à medicis proinde ſunt, vbi expurgandum ex pectore & pulmone pus eſt fortiſſima, vt inquit Gal. 1. *met.* (quæque maxime diſſecant) pharmaca: in quem vſum ſummopere conducit, præter iam dicta, aqua mulſa per ſe, & cum amylo, aut iride, & rad. dulc. in ea decoctis, vel hyſſopo marrubio, aut toſtum hord. non decorticatum, ſi in ea coquatur: ita & ſyr. ex glyc. & ex diantho, hyſſ. aliaque eclegmata, è pulmone vulpis & pinoitum alia de tuſſi & aſthmate dicta, & præcipue de ſuppuratione. Atque dum hæc fiunt, hordeatis cum ſacch. aut melle, lacte amygd. vino albo tenui & ſubdulci, aliiſque rebus quæ vires fouent, vtendum. Iam purgato vlcere inſtauratis viribus: alimentis partim mediæ materiæ, partim reſiccantibus & glutinantibus vtendum eſt. Conſolidant hæc caſeus recens, lac vſtulatum, teſtæ cancrorum fictili vaſe crematæ: ita enim glutinando ſeruantur, bol. arm. terra ſigil. carabe, gum arab. coral. roſæ: dantur ex vitellis ouorum, & alia quædam ex lacte vſtulato, & propter tuſſim conficimus ex ijſdem eclegmata, adiecto aliquo ſyrup. ad tuſſim, quale eſt iniub. vel myrtinum, vel de ſputo ſanguinis dictum eſt. Iam quoque pro vlceris exſiccatione: quæ quidem eorum communis finis eſt, valida non exiſtente febri, veteres tabidis per interualla Mithridatis antidotum, aut Theriacam exhibebant: quod & poſteriores quoque fecerunt; Aëtius nimirum & Paulus: nec non & Ambroſiam & Athanaſiam: quibus omnibus, pro forti pulmonis exſiccatione, vſus fuit Gal. *vt patet* 4. *de loc. aff.* qua via tabidi id ſaltem lucrifaciebant vt vlcus non vltra progrederetur, nec maius fieret: ſed ſiccatum, ac ſeu callo duratum longiori vita eos frui ſinebat, ſi omnia præſidia rite fuiſſent adminiſtrata. Extrinſecus quoque per initia, vbi conquieuerit malum, Paulus & Aëtius applicant cataplaſmata ex althææ foliis, & ſem. lini, tritis tenuiſſimum pollinem; cum decoct. fœnugræc. & althææ vel maluæ, oleo ac melle permiſta. Et poſt temporis intercapedinem ad cerata tranſeunt, ex butyro, oleo laurin. ac cera, & tempore repurgationis ex Aëtio, ex terebint. oleo cyprino. butyro, medulla ceruina, & adipe taurino, iridiſque farina, & œſipo, æqualibus omnibus partibus commiſtis: loco autem cyprini olei, ſi deſit, irino, vel violaceo vtendum. Tempore autem quo cicatrix obducitur, oleum myrtin. aut roſ. extrinſecus thoraci inungendum, adiectis acacia, alumine, malicorio, & aliis apud Aëtium deſcriptis: etſi tuſſis moleſta grauiter, thimus tritus: & hyſſ. cum ſuc. rad. dulc. ac melle cocto excepta, formataque ſub lingua tenenda dentur, vt iidem auctores ſentiunt. Verum tum medicamentum hoc, tum & quoduis aliud humidum, quod ad eiuſmodi curanda vlcera faceret, ægro ſupino cubanti exhiberi dent; & iubent id in ore continere, paulatimque permittere in aſperam arteriam defluere, ex Galen. decreto 4. & 5. *met. med.* Qua ratione non ſolum pulmonis vlcera, ſed & thoracis, aſperæ arteriæ ac guttũris curari debent: influit enim ſic ſenſim ac paulatim de medicamento aliquid ſubtiliter & manifeſte in ipſam aſperam arteriam, & per eam ad pulmonem ac pectus, Alioqui veteres, deſperatos vrebant aut relegabant ad mare ſeu Tabias. Attamen in tabidis non eſt vtendum cauterio, ex iis quæ actu, neque ex his quæ potentia inurendi vim habent, nec capiti vllum adhibendum, niſi malum à fluxu acrium humorum ex capite factum ſit: his tantum Gal. doctrina 5. *meth. med.* capiti admouendum, præſertim qua parte ſagittalis ſutura coronali committitur: aut occipitio, inter primam & ſecundam vertebram, quo loco tutius fiet, non exiguo commodo, reliquis vero nequaquam vtemur, cum extenuationi eorum nullo modo proſint, imo maxime abſint; & ideo ab eis abſtinendum.

Cauterium.

OBSERVATIO LVIII.

De monacha phthiſica, pro deplorata habita, & quomodo euaſerit, de altero monacho quoquenadente.

MOnacha quædam phthiſica pro deplorata à medicis relicta, vt Romæ nobis relatum eſt cum ibid. agerem, ſequenti remedio intra 2. menſes ſanitati reſtituta dicebatur. Pullum exenteratum capiebat, ac in ventre ℥ iii. ſach. roſ. ponebat, ac demum aqua lẽto igne in olla cooperta coquebat: illoque decoct. ſupra cineres per totam noctem ollam relinquebat: mane vero ex pullo contuſo cum ſuo iure manens in lecto ſumebat, ſuper. dormiens, quo quidem remedio ſana euaſit. Alius monachus, cui oſſa præ macie crepitabant, vt poſtea lecto decumbere coactus fuerit per ſingulos dies: is quoque à medicis pro deplorato habitus, duo oua recentia igne aduerſo aſſabat in foco calido tantum, vt albumina vix coaleſcerent, albuminibus reiectis, vitella in ſcutella ponens: addebat pulu. ſulphuris viui ad fabæ quantitatem maiuſculæ, ſaccharo cando aſperſo eadem menſura, & ſalis momento: quæ ſimul mixta cum vitellis ouorum capiebat hora vna ante cibos alios: & deſuper bibebat vini optimi dulcis cyathum vnum: modo ſumebat aquam roris ſolis vna cum vitellis ouorum: interim & pro tuſſi vtebatur ſyr. de liq. viol. diatrag. frig. eclegmatis modo: intetim & aliis confectionibus deſtillationem inhibentibus. Idem deſtillabat limaces teneros ante ortum ſolis in vinetis collectos: cuius & cochlear cũ duobus vitellis ouorum ſubinde capiebat: ita vt macie

conſumptus, pinguis paucis menſibus euaſerit, & præter ſpem quoque ſanus factus ſit.

SCHOLIA.

2 SCribunt veteres medici, ſulphur linctis prodeſſe tuſſientibus purulenta, hinc & huic monachæ profuit cum vitellis ouorum. Eaſdem purulentias pulmonis, pectoriſque, & ab eo graueolentia halitus, butyrum efficaciſſime iuuat; cum pari modo mellis attici decoctum, donec rufeſcat, & matutinis horis inſumptum ad linguæ menſuram; quidam & laricis reſinam, vt ante dictum eſt, addunt. Sed hic puluis deſcript. Haly contra tabem, valde commendatur, quo & monachus ille de quo dictum eſt, prius à Tarrauo curatus fuit. ℞. *pap. albi* ʒ x. *gummi arab. amyg. tragac. ana* ʒ iij. *ſem. portulacæ, ſem. althææ. mal. ana* ʒ v. *ſem. cucum. melon. ſem. cucurb. citrulli. ſem. cydon. mun. an.* ʒ vij. *ſpodii, ſucc. liq. an.* ʒ iij. *penid. ad pond. omnium fiat pul.* Feliciſſime ergo & diuerſo modo hoc puluere in multis vſus ſum, modo cum vitello oui, modo cum ſyrup. pap. vel iuiub. inde etenim confecio morſellos & confectiones in tabulis, qui puluis complet omnes intentiones; prohibet enim deſcenſum pituitæ ad pulmones, incraſſando, ob ſem. pap. albi admixtum in magna quantitate, & quatenus iuuatur à gum. arab. & tragac. lenit pectus, & materiam humectat, vt facilius per tuſſim extrahatur, exſiccatur autem pulmo à ſpodio. Fieret autem puluis hic præſtantior iuxta Rondelet. ℞. *ſem. pap. albi* ʒ j. ß. *gum. tragac. & arab. farinæ orobi, ana* ʒ j. ß. *ſem. althææ, portul. cucum. melonum, citrulli, bombacis, ana* ʒ iij. ß. *cin. caner. fluuiat. coral. alb. vſti, ſucci glycyr. an.* ʒ. j. ß. *zacch. roſ. tab. ad pondus omnium fiat puluis: dentur* ʒ ij. *cum ſyr. de pap. vel iuiubino.* Hic puluis eſt

3 efficacior altero, quia ſemen bombacis recipit, ac alia, quæ magis humectant, vt ſemen citrulli, cucumeris. In minori quantitate recipit pro ſpodio quod conficitur ex oſſibus equi vel alterius animalis) cineres cancrorum, qui multum laudantur, in cancro & in morſu canis rabidi: & in hoc affectu, ob exſiccationem & ſimilitudinem, quam habet eorum caro cum pulmonibus: ob id eius decoctum multum laudatur. Coralli & cineres cancrorum abluantur leuiter cum aqua hordei, poſt aduſtionem. Nec oportet accipere aſtaces fluuiorum (vulgo *Eſcreuices*) qui habent ſimilitudinem cum cancris: cancri tamen non ſunt, vt dicebat Rondelet. vt ex Ariſt. conſtat, qui inquit ſolos cancros carere cauda, inter ea, quæ tenui teſta integuntur. Sed adhuc aſtaces præſtaret capere,

Siluij error. quam leporem marinum, vt facit Syluius in ſuis Succedaneis: Eſt enim prorſus venenum, & ſua natura pulmonē lædit. Ob id qui noxij ſunt huic morbo, ſoliginem non edant, quia lepus marinus iſtis commiſcitur: ita vt vix ab ea diſcerni poſſit: niſi tetro ſuo odore. Sed pro cancris fluuiatilibus qui paſſim reperiuntur in Italia, capiemus cancros marinos vel ſtagni, qui eandem habent facultatē, quamuis imbeciliorem: vt docuit Dioſc. *c.* 10. *lib.* 2. Neque reiiciantur ob falſedinem: nam ea aduſtione deponitur. Cum autem in cibo vel iuſculis apponuntur vel aſſumuntur, debent prius ablui aqua hordei, & caro & iuſculum aſſumenda ſunt. Valent etiam contra venenum leporis marini potum. Non me latet: inquit idem Rondelet. in exemplaribus Græcis pro *cancro marino*, legi *leporem marinum*; ſed corruptus eſt codex, vt patet ex Dioſ. *c. de cancris. lib.* 2. & ex Plinio: & pro *lepore* legendum *cancrum*. Vtimur quoque vt iam diximus, non ſola aqua cochlearum terreſtrium, ſed & decoctō eorumdem teſtudinum nemoralium. Vide de teſtudinum nemoralium & cancrorum condimentis apud auctores & apud Bened. præceptorem meum in ſua Empirica, de vlceribus pulmonis & ſputo ſaniei: quibus ego feliciſſime aliquando vſus ſum vt de hecticis febribus diximus. In ſua vero magna praxi ad phthiſin peruenerat: ſed vita defunctus non potuit vltra procedere, cum Bononiæ in celeberrimo gymnaſio in Italia per 50. annos & amplius publice docendo floruit: cuius & ego auditor fui cum Bononiæ agerem. Is & plura edidit commentaria, in Aph. Hipp. & in prædictiones, quibus clariſſimum tanti operis teſtimoniū nobis reliquit: ac veluti ideam cum ipſa ratione medendi: cuius & iucunda familiaritate vſi ſumus: quem nos apud Deum, nunc multo celebriorem eſſe ſperamus, cum & præfatio eius in Empirica pietatem erga Deum verum declaret. Verum quantum ad curationem attinet ipſius phthiſis, ſeu vlceris pulmonis, quamuis ſatis de ea dixerimus, ſi hæc nobis nondum ſatisfaciant, poteritis illos adiungere, qui in Rhaſ. ſcripſerunt & potiſſimum quæ longo ſermone narrantur ab Arculano: vel breuius à Gatenaria: Primo victum præſcribunt conuenientem, qui & cauſæ phthiſis reſiſtat: & hinc primo abſcindunt cauſam, quæ ægrum ad phthiſin deducere poſſit, curando catharrum, vel etiam anginam, pleuritidem, pulmoniam, ſputum ſanguinis, empyema: vel ſimilia, ſi in cauſa fuerint. Sed horum curationem iam diximus. Interea iſta curando etiam habent rationem phthiſis, Sed rationem cauſæ aliquando habentes, etiam ventrem ſoluunt, & aliquando ſectionem venæ adhibent, vt videre licet Arculanum. Sed vlcere iam facto, nullo modo conueniunt: neque phlebotomia, niſi noua fiat exſpuitio ſanguinis, aut venæ alicuius recens apertio metuatur, & vires ferant: ſed iis deiectis & extenuatis: neque ſolutiua, neque venæ ſectio conueniunt. At vbi vlcus eſt pulmonis, duas præcipuas intentiones ponunt, nempe abſterſionem, ſeu mundificationem, & conſolidationem: quibus & tertiam adiungunt, correctionem accidentium. Vlcus in pulmone abſtergunt cum ſyr. facilitantibus ſputum, vt eſt ſyr. de liquiritia, hyſſopo, marrubio, cum decoctis pectoralibus, eclegmatibus, potionibus. Deinde conſolidant: quamuis magis ſtudium eſſe volunt, in abſtergendo, cum poſtea natura ex ſe ipſa ſæpius incarnet & conſolidet: ideo præcipue vtuntur zaccharo roſ. Interea pro conſolidatione vtuntur pulueribus ſupradictis, ex terra ſigillata, bolo, & aliis apud Meſuem, tum Arculanum, & alios deſcriptis, cum lacte, aqua pluuiali, vel chalybeata: cum ſyr. è miua cotoneorum, & ſucco myrti, & ſimilibus: cautionem tamen adhibent, quod ſi eiuſmodi aſtringentibus ſputum retineatur, exhibent cum ſyr. de hyſſopo, de liqu. vel cum decoct. pectorali & ſimilibus. His & alij adiungunt adhuc intentionem exſiccandi & reſoluendi cum iis, quæ lambuntur & ſuffumigantur: de quibus vide Arculanum capite de tuſſi. Huius etiam fumigij mentionem facit Rondeletius. Hic tamen canonem obſeruari volunt, etiam cum de tuſſi loquerentur, quod non ſint adminiſtranda, niſi cum febre careant, vel exigua ſit materia. Quare cum cautione iſtis vtendum, & videndum nunquid ſputū retineant. Habes formulas deſcriptas ad vlc. pulm. apud Rond. *de med. int. fol.* 141. & ad alios affectus. Volunt tamen quidam, ne iis vtamur in vlcere pulmonis, & vbi multa eſt ſpatia ſanioſa

ſanioſa in pectotē, vti Gradus admonebat *c. de tuſſi* ideo & Arculanus cum ea ſuſpecta ſint, nolebat vti niſi leuioribus ex gummi cedri cum melle, adiecto exiguo galbano: & licet etiam ad hāc

7 intentionem Gal. vtebatur theriaca: eadem vt ſuſpitus, illi ſuſpecta erant ob hecticam. Sed Galenum Theriaca vſum fuiſſe credendum, febre non admodum valida exiſtente. Vltimo addunt correctionem accidentium: & præcipua duo ponunt, nempe fluxum ventris, & extenuationem: quibus alij addunt tuſſim validam, ſputum ſanguinis: conſtipationem ventris, faſtidium, febrem putridam, vt Arculan. facit, nonnulli & ſitim addunt, fluxui ventris occurrunt cum pul. deſcripto apud Rhaſ. *c. proprio, qui ſit ex pul. cum. arab. ſpodii. bol. armen. ſem. myrtini, an. p. æqual. vel* ʒ j. contritis in farinæ modum: ex *ex ſyr. myrtino vel*

8 *pap.* ſaluberrimè datur drachmæ pōdere. In phthiſi igitur rationem accidentium habere oportet. Sic pater meus chariſſimus Iordanus Foreſt. vir nobiliſſimus, p. m. cum ſenex annum 65. fere attingens, ex tabe moreretur: licet toto morbi decurſu nihil cruoris exſpueret, circa finem vitæ guttur quaſi inflatum erat, per abſceſſum, vt videbatur: ſed eo iterum deliteſcente, in alui profluuium incidit, cui ſtatim occurrebamus, cum iure reſtaurante ex capone & perdice, adiectis pyris & pomis cotoneis & ſemine berberis, adiecta pauca aqua roſ. & ſumach. & his ſimilibus: vt magis conſtringeret, & exiguo vino cotoneorum, vt illum ſimul reſtaurare poſſemus: etiam ventrem inunximus vnguentis reſtringentibus: nam fluxus ventris, vt recte admonebat Rondeletius, magis iuuatur ad extra aſtringentibus ventrem, vel remediis infuſis per ſedem: quæ ſi per os ſumantur, faciunt anhelitus difficultatem, & tuſſim excitant: vel ſputum retinent, conſerua tamen roſ. cum terra ſigillata vera, vel bolo cum ſyr. myrtino, minus nocet. Sed cum talis fluxus plerumque lethalis ſit, præcipue in fine, vt diximus, parum in patre meo chariſſimo iuuerunt: ita vt vir & ſenex admodum pius, anno 1559. vltim. Febr. die in Domino quieuerit, poſtquam bene-

9 dictione vltimo habita, nos filios ſuos tum filias Deo commendauiſſet Abrahami modo. Extenuationi vero occurritur reſtaurantibus, de quibus iam ſatis dictum eſt, quale illud eſt; quod habet *aliquid carnis teſtudinis mundatæ, & cancrorum fluuiatilium in aqua hordeacea decoctorum, mucum pinearum. piſtaciorum, amygdal. dulc. paſſul. mundat. ſeminis cucumeris ſatiui & melopeponis purgati: ſingula ſeparatim conterito, penid.* addito & ſacchari perpurgati albiſſimi q. ſ. ex aqua cochleatum deſtillata ad vnitatem redigito. Quidam adiiciunt ſuperſtitioſius, vt putant aliqui, *gemmarum quarundam farinam, porphyritæ marmoris tritam, vel aurum*: ſed diligenter

10 videndum ne aliqua fraude officinarum lapides illegitimi pro veris & pretioſis immiſceantur. Sed de nutrientibus & roborantibus antea dictum eſt & auctorum libri his ſcatent. Tuſſi autem ſubuenimus, vt cap. proprio de tuſſi dictum eſt: ita & ſputo ſanguinis: de quo prius ſatis egimus. Si igitur in vlcere pulmonis denuo ſputum ſanguinolentum appareat, vel ſuperueniat, vel præcedat, ad caput de ſanguinis ſputo recurrito. Conſtipationi ventris, quæ tamen non eſt adeo timenda in hoc malo: facillime occurrimus cum enemate leniente, infrigidantē & humēctante, vti ex *lacte, zaccharo, vitello oui, & oleo viol.* & ſi neceſſe eſt, caſſia adiecta, vel melle viol. ideo præſtat: *Lac ſumptum cum multo zaccharo, & iure gallinarum cum zaccharo.* Faſtidio autem & deiectioni appetitus obuiant exhibitione cotoneorum & miua, & emplaſtris ex cotoneis & vino ac aceto roſiſque, momento galliæ muſcatæ adiecto (modo non ſint mulieres, quæ morbo vterino laborant) ventriculo appoſitis: ego vtor ſolo cerato ex maſtiche ad ventriculum roborandum. Febri ſubuenitur aqua hordei & ptiſana hordeacea. Si inualeſcat febris putrida, conſtante virtute, digeratur humor febrem faciens, & euacuatur ſecundum exigentiam: ſed leuibus ob extenuationem. Et ſi adſit hectica ſine putrida feb. ſuccuratur balneo, eo modo de febribus hecticis ad longum docuimus. Vigiliis ſubuenimus emulſione *papauer. & ſyrup. eiuſdem*: qui optimus eſt in hoc morbo, ſi non retineatur materia intra pulmones & craſſitiem: nam tunc vbi ſputum retineretur, ab eo abſtinendum, & potius linimentis ſoporiferis circa tempora vtemur: *ſyrup. viol. cum aqua hordei*: dabimus, ſi ſputum retineatur, & relaxantibus vnguen. pect. inungemus, & eclegmatib. ſputum expectorātibus iam ſuperius dictis. Nunquam adeo attentum oportet eſſe ad id, quod magis vrget, vt omnino negligatur morbus aut aliud ſymptoma minus. Siti occurremus cum iis, quæ de ſiti diximus in febri & pilulis ſub lingua *ex muccagine cotoneorum, phyllij, ſemin. 4. frigid. maior. mund. & ſucco glycyrrhiſæ. & diatrag. frig.* quæ omnia etiam ad phthiſin & tuſſim ac exſiccationem faciunt. Si vlcera ſint in aſpera arteria, vel vt alij ſcribunt, in canna pulmonis: curantur vt vlcera pulmonis cum medicamentis abſtergentibus & conſolidantibus, quæ potius vt eclegma lambendo diu in ore detinenda, & paulatim deglutienda, vt in aſperam arteriam deſcendant ſine tuſſi: vt *diatrag. cum pauco melle vel ſyrup.* conuenientibus ad conſolidationem, *diatrag. cum bolo, vel terra ſigill. cum ſyr. mirtino*: ita & in vlcere pectoris procedendum, vt de pulmonis vlcere dictum eſt: ſi nec ita ſanetur, ſed in fiſtulam tranſeat, quales nos multos annos ſuperuixiſſe vidimus: nulla alia eſt via in curatione, vt antea dictum eſt, niſi aperiatur exterius, vbi tumor eſt, vel cauterio, vel ſcapello aut phlebotomo, vt antea dictum eſt, & egreſſo pure, & repurgato vlcere, conſolidetur. Quod ſi aliquid coſtæ ſit corruptum, pars eius corrupta medicinis, vel cauterio actuali euellenda; poſtea rurſus repurganda & conſolidanda. Nouimus tamen in multis poſt apertionem, exterius vlcus non potuiſſe conſolidari, & perpetuo virus è pectore euomuiſſe, & diu ita vitam protraxiſſe: imo noui quoſdam ita fiſtulas in pectore habentes, alioqui bene valere (*vt in quodam Cornelio Ioannis apud Delphenſes puerorum magiſtro*) præterquam quod fiſtula tale virus modo plus, modo minus euomat vſque ad vitæ finem ſine incommodo viuentes, quanquam miſere vitam trahunt ob virus & pus quod ita perpetuo euomitur & effluit. Et ita abſoluimus omnia thoracis ac pulmonis vitia ac morbos, tum partium vicinarum, quibus hunc librum finiendum duximus, & ad cordis mala accedendum.

Vlcera aſperæ arteriæ ſeu cannæ pulmonis.

Vlcera pulmonis fiſtulis.

Finis Libri decimi ſexti.

OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM

Liber decimus septimus.

DE CORDIS AC QVIBVSDAM MAMMILLARVM AFFECTIBVS.

OBSERVATIO I.

De cordis palpitatione, variisque exemplis eiusdem, & de quodam vulnerato vehementissimam palpitationem cordis incurrente.

PAlpitationem cordis (quæ nihil aliud est quam immoderata concussio vehementi diastole ac sistole molesta) veteres vel in sanguinis exsuperantiam retulerunt, vel in humorem copiosiorem in pericardio infixum, vt Fernelius censebat: & secundum eundem etiam retorrida bilis aliquando eandem peperit: quæ alias sponte vacuari consueuerat, in arterias effusa. De hac meminit Fernelius, duos à valida pilæ exercitatione repentina morte sublatos, cum in illis deprehenderit bilem in tophi nigri speciem concreuisse. In cæteris vero causam animaduertimus bilem esse peraßatam: interdum in præcordiis, sæpius in liene congestam. Quamobrem in hoc symptoma plurimum propensi sunt, qui hypochondriaca melancholia laborant, vt sæpe animaduertimus: atque his diebus iuuenē quendam nobilem Mansardum nomine, valde ingeniosum, doctum, sed melancholicum præ manibus habuimus, qui frequenter palpitationem cordis incurrebat, idque sæpissime ex tristitia. Vehementer exasperatur hoc malum immodica exercitatione: æstu, balneis, venere, crapula, excandescentia, meraciore vino. Is enim si præcipue vinum Rhenanum, quia subtile vt arbitror, sumeret, magis hoc malo tentabatur: & præcipue ex metu & tristitia: & quamuis sæpe per me curatus fuerit, ex leui causa in melancholico hoc malum redibat: aptis autem his remediis eo tempore à me curatus: quamquam idem postea hinc discedens, vt audio, non sine melancholia viuat, etiam hoc tempore anno 1590. cum hæc rursus colligerem. Frequentissime contingit à flatuosis, fumosis, malignis, crassis vaporibus atque spiritibus in pericardio magna ex parte, aliquando etiam in sinibus cordis conclusis, qui aut in corde generantur, aut aliunde inferuntur: nimirum ex hypochondriis, in hypochondriacha melancholia, vt nunc diximus, & in iis quibus lien bilis atræ copia turgescit. In his etiam circa lienem & pancreas conspicua, & molesta percipitur arteriæ palpitatio: ex eoque loco per arterias, quibus multis lien perfusus est, teter, aterque vapor prompte in cor vicinum, subit, cuius vi & malignitate irritatum, vehementiori pulsatione nititur: quod noxium est excutere: haud secus atque cerebrum in epilepsia. Iam etiam hoc malum oritur subinde ab vtero, ventre, aliisque corporis partibus male dispositis: ex partibus n. prædictis facile multi fœculenti, suliginosiq; vapores per arterias in cor subeunt. Sæpe quoque fit ab aquoso putridoque humore, vrinæ simili, à quo malus odor quoque efflorescit, qui maiori copia pericardio concluditur, quam vt cor libere se dilatare possit. Et licet ab ira, exercitio; tum suprædictus sæpe irritetur: animi & corporis quiete remittitur: contigit equidem cor à prædictis causis irritari, tuncque nititur, vt iam diximus, id quod noxium est valida pulsatione expellere: potest idem malum nasci ex tumore aliquo aquoso, sanguineo, vel carnoso in pericardio enato, vel à tuberculo, abscessu, vermibus, aut vellicantibus, subita euacuatione, imprægnatione, vt postea exemplum ponemus, inflammatione, item ab aqua tunicæ inclusa, & humore putri ac male olente, lapillis, venenosa qualitate in illa tunica hærentibus; aliqui addunt & à veneno, quod tamen negat Iacchinus: Ego, inquiens, omnes naturas venenorum legens, syncopas quædam facere audiui: cordis palpitationem non audiui. Ab halitu tamen & vapore flatuoso educto ex vitioso humore fieri volunt ob eandem causam & ictericis & spleneticis melancholicis fere omnibus, & cachexia laborantibus puellis & similibus, & qui in aquam intercutem incidunt. Sed & interpres Hollerij etiam venenosa qualitate & spirituoso halitu, tum aliis omnibus iam dictis oriri asserit, siue ab extremis, siue ab externis, siue in ventriculis cordiis: siue in substantia, siue in pericardio, siue in arteris causa subsistat, siue accidat extrinsecus, vt vtero, liene, hepate, ventriculo. Quæ omnia iam supradicta ab Hollerio obseruata sunt. Sic Archidiaconi, hoc malo interempti, corpore dissecto absessus in substantia cordis inuentus: in alterius pericardio, aqua: in Britone quodam inflammatio cordis: in alio absessus in vena arteriosa: in multis pericardium flatu distentum, qui tandem in aquam solet concrescere: nisi cordis calore dissoluatur. In muliere quæ quatuor mensium spatio incredibili vrinæ cruciatu laborauerat, duo calculi reperti in corde cum multis absessibus: integris renibus & vesica. Sed notatu dignissima historia Præsidis primarij Rothomagensis, nomine Remon, qui abeunte ætate ad annum quinquagesimum quintum, quo obiit, cordis palpitatione corripi solebat, præsertim à summo meridiano, & vbi arctius tibias constrictas habebat: Sensus quidam tremulus, erat ad carotidas: huic pulsus vel nullus, vel paruus, & sine ordine. Soluebatur paroxysmis edito crepitu, ructu, clystere, dolore in mediis clauiculis excitato, deinde in fronte, vel tussi satis violenta sponte mota. Relictis tibiarum vinculis, & sumno melius habebat. Eadem symptomata in muliere nobili apparuerunt. Vtrisque hepar calidius, ventriculus frigidior. Hinc multa fuliginosa excrementa, spirituosusque vapor & crassus, in arteriis interceptus, continebatur, qui in cor exhalans, incutiebat tremorem vel palpitationem: donec motu, attritu, aut calore, quod ad id non sufficeret facultas vitalis, dissolueretur, aut aliunde exitum haberet. Eodem modo, & ob eandem causam paulo ante & ictericis, spleneticis & melancholicis

lancholicis fere omnibus & cachexia affectis euenire diximus: eodem modo & Galenus, ex balneo & vitioso lignis accensis mulierem solitam animo deficere & palpitatione cordis laborare, scripsit: alteram ab vreri affectibus idem pati: cuidam, si vel per horam lauaretur, idem addere, nisi prius panis aliquid assumpsisset: hominem, dum exsolueretur: & cor fortiter palpitaret, repente interiisse. Sed omnibus neque eadem causa, neque eadem pars affecta modo enim in ore stomachi, modo in corde fit principium defectionis animi. Palpitatio quoque non semper causam habet in corde, sed pars affecta est, cum qua mutuum habet consensum, vt pericardium, & arteriæ, præsertim maiores & viciniores, inde vterus & similia. Causa autem modo per se morbum efficit, vt tuberculum, lapillus, aqua, inflammatio; de quibus paulo ante dictum est; modo aliquid commouet, quod morbum efficiat, vt balneum & ligna succensa in muliere, cuius meminit Galenus, & hepar ac ventriculus in præside Rothomagensi, quam causam Hippoc. manifestam appellat aphorismo adducto, sicut priorem non manifestam, è qua periculum mortis repentinæ imminet, non ab altera, licet tandem quoque interficiat. Ob idque vitam præses ad 55. annum produxit, cum cæteri eodem morbo, sed causa dissimili, breui perierint. Verum hæc euenisse compertum est: sed quod nunc referam rarissimum & minus à multis visum, quod iuueni cuidam accidit robusto, vigesimum octauum annum agenti. Hic in pago Schaga dicto, an. 1549. mense Iunio vulneratus fuit in dorso sub scapula sinistra, vulnere thoracem transeunte; qui mox febre valida continua acuta correptus est, & in cordis palpitationem adeo vehementem & violentam incidit, vt etiam extra domum, in qua æger decumbebat, à transeuntibus (potissimum, si fenestræ occlusæ aures admouerent) palpitatio cordis exaudiretur: vt in vita similem casum neque audierim neque viderim, neque à præceptoribus meis obseruatum compererim: quamquam Fernelius, medicus, si quis alius, clarissimus & doctissimus, scribit huius tantam vim esse, vt sæpe sit animaduersa thoracis vicinas costas effregisse; sæpe & eas, quæ supra mammam sunt, de propria sede depulisse; sæpe etiam arteria foras dilatasse in aneurisma, contracti pugni magnitudine, in quo & tactu & vsu conspicua erat pulsatio. Ita quidem affecto corde arteriæ omnes vehementius pulsant ac interdum dilatantur, præcipue vena, quæ supra iugulum sunt. Ad hunc iuuenem cum ingressus essem, hanc grauem palpitationem animaduerti ortum habere ex sanguine intus remanente, vel ibidem concreto: quamquam chirurgus (vt ij homines solent) omissa venæ sectione potiones vulnerarias & sanguinem dissoluentes exhibuerat: cum tamen venæ sectio in recenti vulnere facto (nisi in ventre consistat) statim fieri debeat, & expediat quoq; ex ipso vulnere statim sanguinem plus minusue effluente: quippe phlegmone sic minus tentabitur, tum vlcus ipsum, tum quæ circumposita ei loca sunt: & ideo etiam statim venæ sectionem adhibere oportet. Male igitur tonsores nostri, vel qui chirurgi esse volunt, in vulneribus magnis interiora penetrantibus ab initio sanguinis missionem omittunt, statimque tanquam ad sacram anchoram confugiunt ad suas potiones vulnerarias consuetas, easque subinde admodum calidas propinant, quibus amethodi perpetuo vtentes febrem ad phlegmonem inducunt, mortis causam inferentes. Siue igitur multus sanguis defluxerit ad cor (nam & à multo sanguine obstructionem faciente palpitatio oriri potest) semper & ratione febris & potissimum palpitationis conueniebat venæ sectio, idque in iuuene robusto, licet vulnerato, in quo sanguinis non satis ex vulnere fluxerat: cū & vulneris quoque ratione venæ sectio ineunda erat, vt 4. methodi medendi Galenus ex Hippocratis decreto docuit. Iam quoque multoties Galenus subito palpitationem cordis sine alio accidente, aut vulnere euenientem detractione sanguinis curauit: imo omnes palpitatione correptos (*vt 5. de locis affectis habetur*) venæ sectione sanauit: & quendam quotannis verno tempore incidentem in palpitationem eodem modo præseruauit, cum tales, si ab ea abstineant, magna ex parte subito quandoque intereant. Memini non ita pridem rusticum quendam vulneratum in pago Scermerio dicto etiam in palpitationem fere similem incidisse, & ob sectionem venæ prætermissam subito interiisse. Quare venam sinistri brachij tundere feci, sanguine satis pro viribus extracto; & illico à detractione sanguinis, inscio chirurgo, melissam viridem & boraginem accepi, contritas inquam herbas, ne ab astantibus, cognoscerentur, easque supra tegulam mundam ignitam posui, aqua rosacea & aceti momento irroratas: qua cum cordis regioni admouissē, miraculi seu incantamenti modo, illico cessauit cordis palpitatio omnibus admirantibus, qui præsentes erant; adeo vt vix aliquis vulneratus in eodem pago (tum tunc Alcmariæ in patria praxin exercerem) si postea decumberet vel male haberet, me non vna cum chirurgo in curatione admiserint, & tempestiue, ad quosuis vulneratos vocauerint. Hoc autem arcano, nulli nisi vero Pythagorico reuelando, aliquando vti videram præceptorem meum Elideum Forliuiensem, vel Paduanum, in praxi versatissimum, in nosocomio Bononiæ vulgo appellato Vitæ. Verum is solo melyssophyllo vtebatur; nos boraginem hoc tempore adiecimus. Cæterum licet palpitatio curata foret, nec amplius rediret: attamen ratione febris tum vulneris, cum postea aluum non satis deponeret, sequens leniens medicamentum præpinaui: ℞. *diacatholici* ʒ vj. *electuar. de succo ros.* ʒ i ß. *dissolue cum* ʒ iij. *decoctionis infrascriptæ*: ℞. *vngulæ caballinæ viridis, consolidæ virius que & maioris, & bellidis scabiosæ, buglæ, saniculæ, capill. veneris, agrimon. viol. ana* m. j. *radic. fœniculi, bugloss. glycyrrhizæ rasæ ana* ʒ j. *cicerum rubr.* ʒ ij. *fiat decoctio in sero lactis pro* ℔ j. *zaccharo colat. dulcoretur; sumpsit autem in diluculo lenitiuæ iam dictæ cum* ʒ iij. *huius decoctionis*: altero die post venam sectam optime aluum excreuit, febre cessante nec palpitatione cordis redeunte. Interea pro vulnere reliquo decocto bis in die vtebatur ʒ j. inter ebulliendum rubia tinctorum adiecta, & pro tussi, quæ tunc leuis aderat, modo ex syr. sequentibus, modo ex diatrag. in tabulis exiguum quid sumebat: ℞. *syr. viol. glycyr. an.* ʒ ij. *borag.* ʒ j. *postremo & his herbis in cerussia decoctis & colatura facta bis in die pro vulnere repurgando & consolidando vtebatur*: ℞. *caulium rub. saniculæ, bugloss æ, vngulæ caballinæ, artemisiæ rubescentis, melissæ an. m. j. incisæ in cerussia communi coquantur*: quibus remediis vulnere intus repurgato, opera deinde chirurgi, breui vulnus sanatum est, ac nutu Dei æger conualuit.

SCHOLIA.

12 HIc quidam antequam ad cordis affectus deſcendant, cordis naturam deſcribunt, eiuſque ſtructuram & ſitum, ac cordis & cerebri opera, de quib. quia nos in præfatione nonnihil diximus, deinde etiam, quia Galenus, De vſu partium abunde de iis egit, & poſt eum alij auctores, vt Arculanus & Iacchinus, tum alij plures, eos perlegere poteritis, & Benedict. Veronenſem. Sed quia hic breuiter de cordis affectibus agere inſtitutum eſt; Cordis igitur mala hæc plerumque ſunt, palpitatio cordis frequens, animi defectus, cardiacus morbus, habitudinis corruptio, ſicut eſt hectica diſpoſitio, de qua ſatis dictum eſt in libris noſtris, De febribus hecticis & maraſmo. At vlcuſcula non patitur membri nobilitas, nedum vulnera aut abſceſſus: protinus enim, teſte Paulo Ægineta, ſubducuntur ſpiritus, & extrema ſudore profluunt, & frigore corripiuntur exitiali:imo auctore Plinio quouis modo læſum mortem adfert. Mulier tamen quædam Clara nomine & genere, apud Beniuenium c. 35. cordis dolore interdum vexabatur, quem medici à malo ipſius cordis habitu fieri arbitrabantur. Sed cum plurib. iam annis connubio iuncta non conciperet, & ſterilitatis cauſam quæreret, ac tollere conaretur multis præſidiis, ita demum dolor ille cordis increſcere cœpit, vt perpetuus fieret. Ex quo ſæpius etiam mulier ipſa deficiens, recreari vix poterat, donec, eo iam magis magiſque inualeſcente, è medio ſublata eſt. Cæterum mortuæ corpore inciſo, & fruſtulum nigrioris carnis in ſiniſtro cordis ventriculo ſupra arteriam, quod meſpili formam haberet: & vulua à medio infra verſus imam eius partem iunctis oris obcalluiſſe reperta eſt, quare vt tuberculum illud mortis, ita hoc ſterilitatis cauſam fuiſſe cognouimus. Callum quoque cuidam in arteria magna, loco cordi proximo, natum obſeruauit Dodonæus medicus mihi familiaris. Multis hic annis cordis palpitationi obnoxius crebro fuerat; ſex vero ante mortem menſibus in ſiniſtro carpo pulſum tam exiguum habuit, vt nullus frequenter apparuerit, ac ſæpe ſentiri non potuerit. Fuit quoque, palpitante corde, difficile admodum huic potum admittere, ita vt vix vnciam ſimul bibere potuerit. In pectoris huius ſpatio ſublutei coloris humor collectus quoque fuerat. At vulnus cor penetrans ſtatim lethale eſt: vti meo tempore euenit in iuuene illo, fratre cuiuſdam chorauli Alemariani, qui à quodam Veneo dicto vulneratus in pectore iuxta mammillam ſiniſtram, protinus ſanguine effluente mortuus eſt. Galenus hoc ipſum confirmauit, neceſſe eſſe hominem mori, idque præcipue ſi ſiniſtræ partis cordis ventriculus vel venter fuerit vulneratus. Si vero non ad ventrem vſque pertingat, ſed in cordis ſubſtantia conſiſtat vulnus, ex ita affectis aliqui non ſolum ea die, qua vulnerati fuerunt, ſed ſequenti quoque nocte viuere potuerunt, qui oborta deinde inflammatione exſtincti ſunt; vt vir ille in Scermerio pago, de quo diximus obſ. præcedente, etiam mortuus eſt. Sed ij quam diu vixerunt, mentis compotes inuenti ſunt: vnde euidens ſibi teſtimonium ſumit Galen. & eiuſdem cordis ſubſtantia ſecta, negat rationalem animæ vim in corde conſiſtere. Mirabile tamen quid refert Beniuenius, de abditis rerum cauſ. cap. 42. De cordis parte patefacta: Inciſo inquit, abſceſſu, qui ſupra ſeptimam vertebram innatum longo temporis interuallo ſinum fecerat, intimamque membranam ſua ſanie prorſus eroſerat, minima ipſius cordis pars oculis cernentium patefacta eſt. Verum cum hominem ſumma & diligentia & ſolicitudine curaremus, in priſtinam redactus eſt ſanitatem. Hic tamen cor læſum non videbatur, licet aliqua pars ipſius oculis cerneretur: nam ſicuti cor vulnera non ſuſtinet, ita nec eius membranæ inuolucrum, cuius aquoſus humor effluit: eo quoque abundante macies ſubſequuta fuit in ſimia ſecta apud Galen. vt de Maraſmo diximus in 4. lib. febrium hecticarum ſcholio obſ. 10. quæ cum ad extremam maciem deueniſſet, vitam cum morte mutauit, cum & palpitatio cordis ex eadem aquoſitate abundante fieri poſſit. Refert tamen idem Beniuenius ictum in cordis tunica conualuiſſe in quodam iuuene à fratre læſo, in quo ſigna lethalia aderant; quem idem ad ſanitatem perduxit, cum eius cordis tunica tantum leuiter fuiſſet ex vulnere perſtricta. Hunc videas hiſtoriam eodem lib. cap. 65. Verum hæc ad vulnera pertinent. Sed nunc de cordis palpitatione agamus, prætermiſſis iis vitiis, quibus, vt Ægineta refert, etiam cor afficitur, nempe ex phlegmone, eryſipelate, cæteris vehementiſſimis diſtemperantiis, acutiſſimis febribus, de quib. in libris noſtris obſ. de febrib. egimus: cum multi ex animi mœrore, terrore & ſubita ingenti & inſperata lætitia animo defecerint, & exſtincti fuerint. ideo vtile eſt ex quibuſdam notis qualitates cordis prius dignoſcere; dequibus Gal. in primis conſulito in libello, qui titulo Artis parvæ circumfertur, & de calidi, frigidi, humidi & ſicci cordis ſignis; quæ ad longum etiam à Ben. Alex. Veronenſis lib. 10. c. 3. referuntur. Sed illud valde admirandum, quod Beniuenius refert de quodam Iacobo latrone, qui è patibulo, quo ſuſpenſus fuerat veluti iam mortuus, cum tamen adhuc viueret, depoſitus atque curatus conualuit. Verum vt erat homo ingenio malo prauoque, ad eadem ſtatim ſcelera reuolutus, quib. antea extremum promouerat ſupplicium, iterum capitur atque ſuſpenditur. Quare hominis admirati (inquit Beniuenius) nequitiam, mortui cadauer incidendum curauimus: & inuentum eſt cor eius ob eximiam caliditatem vndique pilis refertum. Hoc idem inuentum eſt in corde Ariſtomenis Græci, qui ſolus perhibetur integras acies pugnando in fugam vertiſſe. Eſt ergo non tantum ſceleſti ingenij ſignum ſed quandoque etiam rarę fortitudinis. Ita & alius quidam Iacobus apud Amatum *cent. 6. curat. 65.* pilos in lingua genitos habebat, ſatis longos. Sed & Ferrariæ idem vidit alium conſectum, cor pilis circumſpectũ habuiſſe, eumque inſignẽ quoque latronem & graſſatorem. Verum quod ad palpitationem cordis attinet, cuius iam cauſas fere omnes retulimus, hanc Galen. à frigidis tantum cauſis euenire putat; & ideo, vti veteres medici quoque, calefacientibus ac extenuantibus remediis, tum attenuante victu curabant. At Arabes, & iuniores medici quidam, etiam qui Galeni doctrinam profitentur, ex calida poſſe oriri contendunt. Vtrinque inter ſe digladiantur. Sic alij priorem partem defendunt ex frigore ſolo oriri; vti longo ſermone videre licet apud Altimarum, & etiam Iacchinum, & alios non paucos. Alij & ab intemperie calida fieri contendunt, vt Rondeletius, qui & contra intemperiem calidam, ſi ab ipſa oriatur, diamarg. frig. & diatrag. frigidum præſcribit. Holerius quoque ab vtraque intemperie poſſe fieri, vt & omnes, qui Arabum decreta ſequuntur, autumat. Medici quoq; etiam illuſtriores quidam confundunt palpitationem cum tremore. Diximus autem obſeru. 99. *lib.* 10. (& ſcholio eiuſdem, cum de tremore manuum loqueremur) tremorem à palpitatione & iectigatione (etiam ſcholio obſeru. 100. cum de palpitatione & iectigatione in muſculis ageremus) multum differre; cum tremor (vt etiam Gal. ſcriptum reliquit libro De palpitatione, tremore, rigore & conuulſione (Græcis τρόμος dictus, ſit motus inuoluntarius ſurſum & deorſum motarum partium ab inuicem, vt patet apud Galenum præcitato loco; vt à palpitatione diſcrepet, quoniam non idem eſt ſurſum ferri & eleuari, neq; deorſum ferri & deprimi: cũ palpitatio ſit partiũ eleuatio quædã præter naturam atque depreſſio, eodem Galen. auctore loco citato. Et itra tremor cum alio priorem locum mutat; eleuata vero & depreſſa in palpitatione ſeruant antiquam ſedem, vtriſque tamen commune, quod moueantur non ſponte, ſed inuoluntarie & præter naturam: ſed proprium palpitationi, maiorem & minorem locum, non relicto primo, occupare: proprium vero tremoris, primum locum relinquere. Tremoris motus quoque mixtus eſt & compoſitus, qualis eſt arteriarum pulſus, & præſertim pulſus formicantis non abſimilis. Nam tanquam in hoc pulſu arteriæ motus in minima ſpatij intercapedine agitur, ſic in tremore animalis, particula quæcunque ab imbecilla virtute mouetur; viciſſitudo autem motus non ab vna proficiſcitur natura, ſicut in arteriis, ſed ex pugna virtutis & ponderis corporis: & quamuis omnino huius ſymptomatis genetatio cum conatu ſit mouendi: eſt tamen cum virtutis infirmitate. Neque idem locus in trementibus ac palpitantibus afficitur: nam tremor inualidæ virtutis actio eſt; in ipſa vero palpitatione, facultas haudquaquam læditur, ſed inſtrumenta ſeu partes ipſæ quæcunque præter naturam dilatari poſſunt & rurſus ſubſidere, vt in cute ſæpe incidit & ſubiectis muſculis, poſtremo ventriculo, veſica, vtero, inteſtinis, iecinore, liene; ſepto tranſuerſo ac arteriis & corde, de quo nunc loquimur, quod afficitur per ſe vel ex locis vicinis, vt iam diximus. Tremor autem eſt impotentis ſymptoma, cum imbecillitas ſit virtutis motiuæ corporis; neque vna cauſæ ſpecies, quæ tremorem efficiat, reperitur veluti palpitationum, vt quidam volunt: quarum ortus eſt à nebuloſo, craſſo, vaporoſoque ſpiritu. Neque remediorum vnum genus tremoribus & palpitationibus, vt lib. citato apud Galen. conſtat de palpit. trem. quo item loco ac *lib. 2. de cauſ. ſymptom. & de morbis vulg.* diuerſas tremoris cauſas conſcriptas diſcere poteris. Ideo errant, qui palpitationem cum tremore cordis etiam confundunt, licet nonnulli de iiſdem vno capite tractent: & quidam etiam volunt, tremorem ex leui cauſa fieri, palpitationem vero ex grauiori. Differt quoque palpitatio cordis à pulſu, cum palpitatio nihil aliud ſit, quam ipſius eleuatio & depreſſio, vt diximus, præter naturam, vel ipſiuſmet cordis dilatatio præter naturam. At in pulſu eſt ſecundum naturam diaſtole & ſyſtole. Palpitatio itaque eſt ſymptoma deprauati motus pulſatilis cordis præter naturam, ſequens morbum conſimilem, nempe malam & inæqualem temperaturam cordis eſſentialem, vel ipſi aliunde communicatam. Altimarus vero ait ſequi intemperiem frigidam cordis: alij & calidam, & ex lib. De palp. dicit etiam ad vnitatis quodammodo ſolutionem conſequi, cum vel tumor præter naturam in eadem ambiente cor tunica, dura ſiquidem, fieri poſſet, aut humorem in ſe continente, qualem puſtulæ, quas Græci hydatidas vocant, emittere ſolent. Facile autem cognoſcitur ex ægri relatione: namque cor ipſum præter pulſum palpitare ſentiunt, quem proprium motum cordis appellamus: inſuper & medici ipſi manu adhibita ſupra thoracem, loco quo cor ipſum ſitum eſt, tum tangendo ſentiunt, qui adeo grauis fuit in noſtro vulnerato, vt etiam exaudiretur, vt dictum eſt. Adeſt quoque ſpiratio exigua & rara, & pulſus inæqualis, ex eo, quod cor affectum eſt per ſe vel per conſenſum, vt iam ſatis in obſeru. præcedente declarauimus.

Hiſtoria tuberculi ſupra cordis arteriam.

Cordis vulnerato ſpiritus mors ſequitur.

Hiſtoria Beniuenij, De cordis parte patefactæ.

Tremor quid ſit.

Palpitatio quid.

18 *Tremoris & palpitationis conuenientia & differentia.*

Medici generatim cordis affectus.

19

Quatenus peripneumonia ſit affectio palpitationis.

20 *Medic. differentes Palpitationis & pulſus.*

OBSERVATIO II.

De palpitatione cordis ex ſanguinis multitudine.

IVuenis quidam tempore veris, integra valetudine vtens (licet antea, vt ab aſtantibus intelligere potui, multis alimentis multum ſanguinem gignentibus vſus eſſet, etiam copioſo vino, & carne multa) cum ſubito in cordis palpitationem incidiſſet, atque ad eum acciti eſſemus, ſtatim mihi in mentem venit illud Galeni dictum, *libro* 5. *De loc. affect. capite* 1. quod palpitatio cordis, pluribus integra valetudine degentibus, tum adoleſcentibus, tum adultis, ſubito ſine alio manifeſto accidente euenire viſa eſt, atque omnes eos ſanguinis detractio iuuit. Atque hoc accidente plane liberati ſunt, qui poſt miſſionem ſanguinis tenui victu, medicamentiſque ſimilibus vſi ſunt: quos vero rurſus huiuſmodi accidens infeſtauit, eadem via curati ſunt. Cæterum noui quendam (inquit idem Gal. eodem loco) quotannis, verno tempore huiuſmodi palpitationis accidente vexatum: qui eum per tres annos à ſanguinis detractione ſe adiutum intelligeret, anno quarto, antea quam accidens ipſum inuaderet, ſanguinem miſit: idque plurib. deinceps annis faciendo, illa quæ poſt ſanguinis miſſionem facere oportuit, diligenter obſeruauit. At nihilominus hic quoque ante ſenectutem morte præuentus eſt: ſicuti & reliqui omnes, quorum alij quidem per acutas febres, alij vero cum ſani degerent, affatim ſyncope intercepti, interierunt: quamuis vnus vel duo, citra ſyncopam, alia quadam mortis ſpecie perierint. At vero ſi affectorum magna pars, ætatem agebat quinquaginta quidem annis inferiorem, ſed quæ quadraginta annos excederet. Hæc Galen. cuius verba diligenter animaduertens, ſtatim in iuuene carnoſo, (virtute ac ætate, ſeu alio quopiam non inhibente) venam internam dextri cubiti ſecari iuſſi, cum totius corporis plenitudo adeſſet, quæ ſi non adfuiſſet, in ſiniſtro miſiſſem: & quia hic ſanguis in bene valente ſatis multus eſſet & craſſus, ſua copia obſtructionem faciens coarctatoriam, victũ attenuantem & medicamenta deinceps attenuantia & cordialia præſcripſi, & mandaui vt in aëre mediocriter calido & ſicco degeret, grauiſque odoris experte, quinimo vt ſuauiter oleret arte id pararet. Omnia odorata cordi familiaria ſunt. Somnum vero moderatum amiſit, iubens tamen vt vigilias immodicas vitaret, & maxime immodicos animi affectus, præcipue mœſtitiam & metum atque etiam lætitiam immodicam, motũque vehementiorem & Venerem præcipue: & ſi leui exercitio vti vellet, illud quidem temperatum conceſſi; & vt aluum leuem ſeruaret arte vel clyſteribus aut balanis, & vt cibos eligeret immodicę humiditatis ac flatus expertes, ſed boni nutrimenti faciliſq; concoctionis vt ſunt

quis præter naturam affectus, & quem cordis morbum ſectetur, Signa.

carnes pullorum gallinacëorum, ſtarnarum, gallinarum, phaſianorum, perdicum, merularum, turdorum, cuniculorum paruorum, ac aliarum auium paruarum montanarum, vitulorum, leporum; eiſque vteretur præcepi modo aſſis, modo elixis, hyſſopo, ſerpillo, ſatureia, & præcipue meliſſa, borag. bugloſſ. pimpinella, & ſimilibus adiectis, & in carnium iure caryophyllis vel macere aut cinnamomo & exiguo croco iniectis, quæ cor refocillant: & ad recreandum vires vino exiguo vteretur tenui & dulci mediæ ætatis, cum aqua boraginis, meliſſæ diluto, vel ſubinde iniectis floribus boraginis, bugloſſæ, vel ipſa pimpinella, ſi virides haberi poſſint. Deinde exhibui *ſyr. de pomis, de epithymo, de corticibus citri ex infuſ. roſ. cum decocto meliſſæ.* Leniente medicamento deinde vtebar, ſumendo ℥ i ß. *vel* ij. *ſyrup. infuſ. roſ. pallid.* cum foliis ſenæ cum ℥ iij. aquæ meliſſæ. A purgationibus ſortib. oportet abſtinere. Adhibui quoque medicamenta attenuatoria, vt diambram, diamoſ. *dulc. & amar. ſubinde & diacymamomum.* Poſtremo etiam theriacam dedi *ad* ϑ ii ß. ſuperbibendo parum aquæ meliſſæ. Exterius etiam epithema hoc vel ſimile cordi apponebam: ℞. *aquæ meliſſæ. florum citrangulorum, modo habere poſſit, vel eius loco aquæ borag. an.* ℔ ß. *aquæ roſ.* ℥ ij. *maceris, caryoph. cymamomi, ligni aloes, corticum citri an.* ʒ ß. *ſeminis ocymi* ϑ j. *croci gran.* v. *vini odoriferi* ℥ iij. *ambræ, moſci an. grana* iij. (modo non ſit mulier vterino malo laborans, tali etiam vtimur maxime in viris) fiat epithema cordiale. Quibus remediis vel his ſimilibus non ſolum hic iuuenis, ſed alij multi conualuere.

4

Scholia.

Signa demonſtratiua palpitationis per ſe nota ſunt: at cauſarum & ſpecierum quibuſdam notis indigent, ita hic à ſanguinis quidem copia, craſſioris ſcilicet, non adeo calidi (alioqui febrem intuliſſet) hoc malum originem habebat, eratque ſimilis caſus à Galeno iam deſcriptus. Vbi enim ſanguis valde calidus eſt, æger maiorem æſtum ſentit, reſpirationem vitiatã ac magnam & velocem. Sed hic erat potius craſſus, vtpote ſæpius eueniens & in ſanis, non præcipiti periculo, ita vt curam ſuſcipere poſſit: nam altera, quæ fit ex ſanguine admodum calido, periculoſior eſt. At præter hæc, quod à ſanguine obſtruente contingeret, monſtrabat anni tempus (quemadmodum & apud Galenum, eo quod vere euenit, cum funduntur humores, & per corpus mouentur. Sed & copiam animaduertimus in venis, quæ potius crudiorem ſanguinem ſignificabat, etiam ex ætate, temperamento, victus ratione, colore corporis, ſymptomatis ſomni, inappetentiæ, & aliorum, de quibus in lib. De plenitudine agitur. Si vero à melancholia, vel ab humore melancholico, aderunt & ſymptomata melancholica, triſtitia, ſolicitudo, metus & alia, quæ de melancholia diximus. A frigore vero & humorib. frigidis & pituitoſis, cauſæ præceſſerunt, quæ calorem innatum exſtinguere ſolent, vt aër frigidus, & alia, quæ etiam per accidens calorem innatum exſtinguunt, vt euacuationes excedentes, cibi frigidi: aderunt & pulſus tardi, rari, praui, & anhelitus ſimilis etiam extra paroxyſmum; frigoris ſenſatio, & alia ſigna addunt, quæ frigidos, crudos, pituitoſoſque humores abundare notant. Qui autem etiam à bile fieri volunt, cauſæ præcedentes exſiccantes calfacienteſque & ægritudines bilioſæ id demonſtrabunt, pulſus, anhelitus magni, ve-

Signa à copia ſanguinis craſſioris vel calidi.

Signa ab humore melancholico. 6

Signa frigoris & pituitoſi humoris. 1

loces, frequentes & duri, inflammatio, ſitis, & reliqua, vt anni temptus, habitudo bilioſa, æſtas, qui & fame ſitique & exercitio lædantur, vti pituitoſi ab iiſdẽ iuuantur. Aliquando ex aquoſitate in pericardio contingit: neque enim mirum videri debet, tantam humoris multitudinem cumulari aliquando (vt Galenus dicebat lib. 5. De locis affect. c. 1.) in ambiente cor tunica, vt ipſum ne attollatur, impedire poſſit. Quippe in animalibus affectis vidimus plerumque plurimum humoris, vrinæ ſpeciem referentis, in eo, qui ipſum inuoluit, panniculo contineri. Etenim ſimia quædam, quum emaciari indies videretur, eam tamen neceſſariis noſtris negotiis impedit, ſecare in tempore non potuimus; poſt mortem vero, reliquis corporis partib. omnib. illæſis, inuentus eſt in ambiente cor tunica tumor præter naturam, humorem in ſe continens, qualem puſtulæ, quas Græci hydatydas vocant, emittere ſolent. Atque in gallo quoque vidimus cordis tunicam, huiuſmodi tumore, & quidem duro, affectam, perinde ac ſi plures craſſæ membranæ inuolutæ altera alteri fuiſſent: verum in eo nihil humoris continebatur. Vnde veriſimilis coniectura elicitur, homines etiam ſimilibus poſſe affectib. infeſtari. Quod autem de ſimia dixit Galenus, id quoque de aliis aquoſitatem habentibus in pericardio intelligi poteſt, nempe hominibus, quoniam & ſine manifeſta cauſa emaciantur & tabidi fiunt. Sed cur id eueniat, Galen. non dicit. At cauſa emaciationis eſt, quoniam ſuccedit hectica febris: nam ex cordis anguſtia febricula fixa neceſſario oritur: nam ſupercalfieri eſt neceſſarium, ſi non libere attrahit aërem. Alij & hoc ſignum addunt ex ægrorum relatione, quod ipſis videatur quaſi cor aquæ innatet, & inde comprimatur, & deterius pulſet. Gignitur vero & acerbatur auctis cauſis naturalibus, vt ſcilicet denſa admodum tunica ſit, multaque humiditas circa viſcus, vt in mulier. plus aggregari accidit, & animalibus humidis, ſicut patet ex diſſectione. Si vero conſumitur humiditas exiſtens in capſula cordis ſeu pericardio, corpus exſiccatur, vt Arculanus vult, & arefit indies abſque febre; vbi enim fit à caliditate ſuperflua, id per inflammationem in corde perceptam notatur, modo non fuerit fixa: ſi autem fixa per inflammationem ſanatam ante ſixionem, pulſus anhelitus ſunt magni, veloces, frequentes etiam extra paroxyſmum, ac cauſæ præceſſerunt calfacientes, vt febris, motus fortis & ſimilia. A flatu vero fieri indicant repentina acceſſio, aſthma, motus tremulus in genis aut palpitatio in genis, oculorum, vel in aliqua parte, aut dolores repentini, qui ſtatim ceſſant ſponte ſua: oculi etiam quodammodo obtenebrantur, ſonitus aut ſibilus aurium his ſolet accidere: excitatur n. leuiſſima coporis motione, & tandem aſthmatici fiunt. Si ab oſtructione, per diuerſitatem pulſus magni, parui, tardi, velocis dignoſcitur. Ita & à debilitate non facit pulſum fortem, eſtque cum priuatione ſignorum repletionis. Si ex malo ſitu aut compreſſione, cor ſuffocari & conſtringi videbitur: ita & ſolutio continui per proprias cauſas noſcitur, vel apoſtemate præcedente vel abſceſſu aut vulnere, quod & per diſſectio immediate demonſtrabit. Si per communitatem totius, vt in febribus, id febres indicabunt: nam iis decreſcentibus diſcedet. Si per conſenſum aliorum membrorum, vt à ventriculo fiat, id nauſea, bilis vomitus, & ſimilia facile aperient, & circa ſtomachum dolor. Ita & de aliis membris cenſendum. Et ſi à criſi, ſigna critica

Signa præſagientia.

Prognoſtica.

critica adernnt. A vermibus, punctiones id quoque indicabunt. At ſigna, quæ præſagiunt futuram palpitationem, habentur ex cauſis occurrentibus, & malum cordi imptimentibus, atque cordis temperamenti exceſſu, & aliis cauſis diſponentibus. Prognoſtica quoque nunc fere patent ex prædictis in obſeru. præcedente: nam licet quidam videantur ab hoc ſymptomate liberati per venæ ſectionem, victumque extenuantem, à medicamentorum ope, nihilominus permulti (vt ex Gal. oſtendimus) poſt annum vel plures menſes eodem malo rurſus correpti, ante ſenectutem morte præuenti ſunt: alij per acutas febres, alij ſani degentes, ſyncope correpti & exſtincti ſunt; periculum enim repentinæ mortis impendet, ſi diutius ſuperfluequeque affligat, crebroque repetat. Hoc malum quoque familiare eſt ſyncope correptis: quam ægritudinenem & antecedere, & in quã etiam mutari ſolet. Et iis quoq; quibus lien tumidum eſt atro fæculentoque ſanguine, & qui hypochondriaca melancholia laborant, meticuloſi mœſtique quoque hoc malo familiariter perturbari ſolent. Et licet adoleſcentibus tum adultis euenire poſſit, magis tamen accidit iis, qui ætatem agunt quinquaginta quidem annis inferiorem, ſed quæ 40. annos excedat. Si quoque in pericardio multam generet materiam, vel humiditatem conſumat, vel apoſtema adſit, ſubitas mortes infert. Ad ea, quæ ex flatu vel vaporibus fit, aut per conſenſum, minus periculoſa eſt: ſed quæuis confirmata periculo non vacat, & quouis modo fiat, circa initia curatio non eſt negligenda: nam aucta vel perdurans in ſyncopen (*vt diximus*) permutatur. Sed hæc, quæ de ſignis diximus, clatiora exemplis ſequentibus euadent.

10

OBSERVATIO III.

De palpitatione cordis à frigore & materia pituitoſa.

DIximus frequentius à cauſa frigida & pituitoſa, iuxta Galenum, palpitationem fieri, vt ex eiuſdem curatione liquet, cum medicamenta potius attenuantia & diſſecantia quam frigida præſcribat: ita iſtis dieb. mulier valde pallida, ſi aliquo frigore tentaretur, in palpitationem cordis incidebat: caputque huic graue erat, frigebat, crudiſque humoribus frigidis abundabat, eratque hyems valde pluuioſa & nebuloſa, cum ad illam accitus eſſem, & cordis palpitatione affligebatur, qua & antea quoque correpta fuerat, vt ipſamet narrabat, præcipue ſi frigore aliquo modo obrueretur. Pulſus huic valde tardus erat: cui & hoc epithema ſtatim præſcripſi: ℞. *aquar. bugloſſ. meliſſæ an.* ℔ ß. *vini maluatici* ℥ iij. *pul. ſpecier. electuarij de gemmis, caryophill. an.* ʒ i ß. *pul. diambræ.* (cum fateretur morbo vterino nunquam ſe obnoxiam fuiſſe) ϑ ij ß. *ſem. citri, beben albi & rubri, oſſis de corde cerui an.* ϑ j. *croci* ϑ ß. *fiat epithema*; quod calide cordi cum panno rubro ſcarlato applicabatur. Cum parum frigeret, lubebam etiam tum manus, tum pedes panno calido calfieri; quo paroxyſmus ad tempus ceſſauit. Verum, ne rediret, materiam pituitoſam, adiectis etiam cordialibus, hoc modo vel ſimili digerendam eſſe, propoſui: ℞. *ſyr. de bugloſſ. mellis roſ. colati, ſyr. de byzantiis ana* ℥ j. *aquæ meliſſæ betonicæ, hyſſopi an.* ʒ ij. *miſce fiat ſyr.* p. ij. *doſibus, vtatur cum ſyr.* ℥ ij. *pro vice electr. diamoſci, dulc. in tabulis.* Syrupum adhuc ſemel cepit, deinde illam purgaui hoc modo: ℞. *ſyr.*

Ex infuſ. roſ. pallid. cum foliis ſenæ ℥ i ß. *diaphœnici* ʒ j. *aquæ meliſſæ, borag. & veriſimarini ana* ℥ j. *miſce, fiat potio*: quibus optime aluum depoſuit: poſtea *dedi theriacæ optimæ* ϑ ij. *conſeruæ florum borag.* ʒ ij. capiebat poſtridie mane ſex horis ante paſtum, & melius habere cœpit: quamuis poſt menſem iterum eo malo apprehenderetur, ſed non ita fortiter. Iuſſi vt ſingulis menſibus caperet has pilulas: ℞. *pilul. de hiera ſimplici, pilul. elephang. agarici trochiſcati an* ϑ j. *cum ſyr. conſeruat. citri, fiant pilulæ* vij. *mane ſumendæ.* Interea quoque præcepi, vt ex hoc condito omni mane ſumeret: ℞. *corticum citri zacch. conditi, conſeru. ſummitatũ meliſſæ, conſeruæ borag. an.* ℥ j. *conſeru. flor. anthos* ʒ ß. *ſpec. lætificantis Gal. pul. diambræ, diamoſci dul. an.* ʒ j. *ſeminis citri, oſſis de corde cerui an.* ϑ j. *myrobal. vnum emblicum conditum, fragment. omnium lapid. pretioſ.* ϑ j. *cum ſyr. conſer. corticis citri q. ſ.* fiat electuarium moderate liquidum. De quo ſumebat mane & veſperi tribus horis ante paſtum, ad magnitudinem paruæ caſtaneæ: quo deglutito, vt parum vini maluatici minime diluti biberet, conſului. Interea etiam ſi vellet, & ſi magis delectaretur ſolido electuario, vt modo hoc, modo præcedente vteretur, mandaui: ℞. *ſpecier. electr. de gemmis, ſpecier. lætific. Gal. diambræ an.* ʒ j. *diſſolut. in aqua meliſſ. adiect. zacchar. albiſſ.* ℥ iij. fingaturque electuarium ſolidum in teſſellarum figuram; ſintque ſingulæ ponderis ʒ ij. & ſumatur vna mane, altera veſperi, duabus aut tribus horis ante paſtum; mox cochlear vnum vini maluatici ſuperdeglutiebat. Quibus hæc optime ſe habuit: interim ei præcepi, vt optimo victu attenuante (de quo ſuperius dictum eſt) vteretur, ne recidiuam incurreret.

3

Scholia.

HVic autem mulieri, cum in hyemẽ eſſemus, venam non ſecuimus. Attamen inſtante vere, cum morb. hic magnus eſſet, venæ ſectio, vt fieret, imperauimus, ſaltem ratione partis affectæ, etſi intemperatum ad frigidum in hoc affectu ſit cor, tamen quia princeps viſcus eſt, & cum ipſa venæ ſectio ſecundum Galen. ſaltem reuulſionis gratia conferat, prohibens ne ad ipſum excrementa confluãt, tum quod imbecillum ſit, tum etiam, ne propter hunc præter naturam palpitationis motum excrementa quoque trahat, ideo vt fieret venæ ſectio iuſſimus, ex ſiniſtri cubiti vena lienari dicta, eo quod plenitudo totius corporis non adeſſet: interea tamen iubebam (vt etiam aliquando in principio facere conſueuimus) ne multa ſanguinis copia per venæ ſectionem vacuaretur; cum & alias, ſi opus fuerit, potius iterandum eſſe ducimus: nam quanto maiorem in numerum particulares auxeris detractiones, tanto reuulſionem efficaciorem effeceris, vt à Galeno decretum eſt libr. De curat. per venæ ſectionem. At in valde debilibus, frigidis & exanguibus, vt valde ſenibus, à venæ ſectione aliquando abſtinuimus. Ita frater meus cariſſimus, Nannius Foreſtus, ſupremi Senatus Conſiliarius, cum anno 1589 palpitatione cordis in hyeme afficeretur, iiſdem fere remediis ſupradictis ſine venæ ſectione, cum annum 62. ſuperauerat, vt mulier præcedens, curatus fuit; vir exanguis, debilis & melancholicus, ita vt à venæ ſectione, cum facile in ſyncopen incideret, eo tempore abſtinuerimus. Sed huic mulieri tantum ſemel, inſtante vere, vt ſanguinem, non tamen multum, detraheret, conſului. Facile enim tales deficiunt.

4

Venæ ſectio ad reuulſionem tantum quomodo inſtituenda.

5

si plus æquo detrahatur: imo & pituitosos & melancholicos vidimus, si eis tres aut quatuor vnciæ auferebantur, præsertim si paulo debiliores essent, animo deficere. Sic cum Mansardo nobili melancholico (de quo in 1. obs. huius libri mentio facta est) in vere palpitationi cordis sæpius obnoxio vix parum sanguinis detraheretur, illico animo deficiebat, vt statim vena occlusa in palpitationem cordis & syncopen satis frigidam incurrerit; à qua frictionib. & aqua in faciem conspersa, magna cum difficultate ad se redierit, etiam vertiginosus. In quibus tum palpitantibus, maxima huius ratio habenda est, vt pulsum tangendo, si is minuatur (vti nos hic fecimus) venam occludi iubeamus. Si itaque cum frigida intemperie, frigidorum quoque humorum sit abundantia, antequam ad valde attenuantia medicamanta perueniamus, à venæ sectione, ea quæ iam dictos succos concoquendi præparandique vim habent, tribuenda sunt; & deinde purgandum: & sic in pituitoso conueniet *mel. ros. oxymel. simpl. compositum, aut scillitum, cum syr. è cort. citri. aut de hyssopo, & decocto sampsuci pulegij, origani, melissæ, additis syr. cordialibus, de bugloss. de borag. capill. ven. & similibus*: deinde purgandi *cum myrobal. embl. vel infus. agarici, aliquo cardiali addito; abstinendo à colocynthide*, quia cor lædit; aut hoc modo: ℞. *agarici trochisc. in vino albo infusi* ʒ j. *exprimatur fortiter, & cum decoct. pass. & flor. cord. in aqua borag. decoct. fiat potio; addendo mannæ* ℥ j. *vel* ʒ i ß. & si non sufficit, adde decoctioni summitatum thymi & seminis carthami contusi an. ʒ ß. A purgatione vero, vt vsus postulat, medicamentis calfacientibus & attenuantibus, vt xylo aloe, diacalamentho, dianiso, tum aliis supradictis, vtitor. Etiam electuaria vel opiatæ ex diamar. calid. de gemmis & de hyacintho, confect. alkermes, conserv. rad. bugloss. borag. & florum rorif. bugloss. & helenij, conueniunt: quæ etiam valent in humore melancholico. De quo postea etiam exemplum dabimus.

6 *Si pituitosus redundarit humor, quomodo is præparandus, & deinde purgandus sit.*

OBSERVATIO IV.

De palpitatione cordis à materia calida bilios.

1 PAlpitationem quoque fieri à materia calida & biliosa, non solum Rondeletius & Holerius admittunt; verum & Fernelius, & multi alij, de eadem exempla posuere: nos autem vnum tantum adiiciemus. Iuuenis quidam biliosus, cum circa caniculam lusu pilæ incaluisset, in syncopen quasi incidit cum cordis palpitatione, qua & postea ex leui incandescentia aut animi motu vehementiore corripiebatur. Hic autem consultandi causa me accessit: erat admodum raræ constitutionis, qui ægre sanguinis detractionem ferebat: nam cum illi vena aliquando secta esset, animo deficiebat; quare sanguinem detrahere nolui. Nam recte Rondeletium dixisse arbitror. Sunt qui (inquit) in omni palpitatione laudant missionem sanguinis: qui laudandi non sunt, si fiat iis, quibus non competat phlebotomia, sed tantum euacuatio. Cum igitur à bilis copia huius mali origo fieret, consultius mihi videbatur, primo syrupis vti, & refrigerantibus & alterantibus; deinde leuibus medicamentis; cum cor fortia laxantia non sustineat. Quare vt hunc syrupum vel similem per triduum biberet, mandaui: ℞. *syr. de succo acetos. de acetos. citri, de ribes ana* ℥ i ß. *aquæ cichorij, borag. bugloss. an.* ʒ iv. *misc. & ieiunus per triduum in diluculo bibat.* Postea hoc infuso rhabar. illum leuiter purgaui: ℞. *rhab. selecti* ʒ i ß. *spicæ* ∋ ß. *infunde per noctem facta prius leui ebul. in aquæ cichorij* ℥ v. *mane huius fortiss. express. accipe* ʒ iij. *addendo syr. ex infus. ros. pallid.* ʒ j. *pulpæ thamarind. cum aquæ borag. extractæ* ʒ ij. *misce, fiat potio*, detur in diluculo; qua satis bene excreuit. Vacuato corpore consului, vt quotidie matutinis horis vteretur electuar. sequenti iij. horis ante pastum, ad paruæ castaneæ magnitudinem: ℞. *conseruæ ros. vnius anni, conseruæ viol. conseruæ rad. bugloss. an.* ʒ ß. *conseruæ summitatum mel. ssæ* ʒ ij. *pul. specier. diarod. abb. trionsant. diamarg. frig. an.* ʒ ij. *ossis de corde cerui, sem. citri ana* ∋ j. *diamarg. frig. lapid. pretios. commun. ana* ∋ i ß. *coralli rub.* ∋ ß. *cum syrup. de acetos. citri; fiat elect. molle.* Sed & hoc epithema vel huius æmulum similiter præscripsi: ℞. *aquæ ros.* ℔ ß. *aquæ borag. bugloss. ana* ʒ ij. *aquæ melissæ* ʒ iij. *coralli vtriusque, omnium santal. specier. diamarg. frig. an.* ʒ j. *caphuræ* ℈ ij. *croci* ∋ j. *aceti vini optimi exigunum*; fiat epithema cordi mane & vesperi ante pastum tepide admouendum. Consului quoque, vt sacculum pyramidali figura de serico panno raro, cui & puluercs sequentes insuantur, cordi apponeret: ℞. *florum ros. rub. exsiccat. florum bugloss. borag. etiam siccorum flor. viol. siccorum ana* ℥j. *folior. melissæ exsiccat.* ʒ ß. *omnium santal. ana* ʒ i ß. *coral. rub. ossis de cord. cerui pul. ana* ʒ ß. *behen albi & rub. ana* ʒ j. *misce, & fiat pul.* qui sacculo, vt dictum est, insuatur. Irrigetur cum *aqua ros. & bugloss.*, & regioni cordis applicetur. Talia, vt etiam epithemata in materia frigida obseruatione præcedente descripta, aliquando adhiberi possunt, vrgente palpitatione cordis, extrinsecus, corpore etiam nondum vacuato.

SCHOLIA.

MAteriæ, quæ cordi conueniant, præcipue in palpitatione & in syncope, aliæ frigidæ sunt calidæ causæ conuenientes; aliæ calidæ in frigida, quæ & medicamenta cordialia appellantur. Ex frigidis vero, *violæ, nymphææ, rosa, santali, caphura, acetum, emphacium, berberis, cerasa, pruna acidula, acetosa, succus malorum granatorum, citri, limonum, citrangulorum, pomorum odoriferorum, persica, carabe, coriand. præpara. cydonia, pyra, lac acetosum, diarod. abb. sine specieb. diamarg. frig. trionsantal. condita ex his, conserua & syr. Ambigua, aurum, argentum, margarita, coralli, os de corde cerui, vnicornis, fragmenta hyacinthi, smaragd. blattæ, byzantia, spodium, doronicum, melissa, borag. bugloss.* Sed horum quædam ad calida referri possunt, Hollerio teste. Ex his trochisci comparantur; fiunt epithemata, poma odorifera, stragula & vestes suaui odore imbuuntur, potionesque & elect. solida, quæ & palpitationi & cordi conueniunt. At calida, *vt ambra, storax, calamintha, muscus, lignum aloes, caryoph. cynam. cortex citri, & citranguletum croci, nux muscata, macis, sem. maior. basilici, vinum aromat. odoriferum, enula, fœniculum, petrosel. galanga, zedoaria, amomum, cardomomum, cubebæ, rosmarinus, mentha, polium, calendula, theriaca, mithridatium, elect. lætific. Gal. & Rhas. diambra, diamarg. calidum, diarod. cum specieb. alipta moscata, gallia moscata, pluris sarcoticon, capus, perdix & volatilia.* Similes vero cordiales medicinæ descriptæ sunt ab Auicenna, cuius catalogus recensentur ab Arculano; & harum rationes adduntur, & qua ratione ita dicantur, vel quod sint temperatæ aliquæ ex iis, vel quod confortent virtute secunda, vt stipticitate vel odore, vt rosæ & muscus; & à proprietate occulta, adiuta à qualitate manifesta, vt spica, crocus,

cus, per aromaticitatem (vt medici loquuntur) & caliditatem, & temperamentum & stipticitatem, vel per proprietatem occultam adiuta vt hyacinthus, & similes. Veræque cordiales sunt temperatæ medicinæ, aliæ theriacales vel bezoarticæ dictæ. De quibus ad longum videas Arculanum supra *Rhas. cap. 73. De passionibus cordis.*

OBSERVATIO V.

De monacho melancholico sæpe ex inani metu palpitationem cordis incurrente.

1 MOnachus quidam ex ordine Carthusianorum, & is, quem Procuratorem vocabant, natura melancholicus, & etiam ordinis ratione (cum & solitarij fere omnes tales melancholici euadant) ex inani metu subinde palpitationem incurrebat. Hic enim cum tempore pestis peregre proficisceretur, domum forte ex improuiso accedens, in qua nonnulli peste exstincti essent, adeo horrore corripiebatur, vt statim accederet, seque ex metu peste infectum conquerebatur, qua tamen minime laborabat; & vt hanc imaginationem quamuis falsam ab eo depellerem; remedia quædam apta, tum euacuationem leuem per pharmaca ad præcautionem facientia præscripsi: quibus licet bene habere cœperit; inanis tamen ille metus per multa tempora, etiam mensesilli adhæsit, vt si solummodo de peste cogitaret, melancholia etiam laborans, statim horrore concutiebatur, & palpitationem cordis etiam grauem postea incurrebat, & tandem totus melancholicus euasit: ita, si vel stramina præ foribus aeri exposita ad euentilationem cerneret, aliquem ibi mortuum esse ex peste sibi persuadebat, & imaginabatur, neque ædes trãsire audebat; & 2 nunquam à longe tantum stramina per plateam dispersa videret, quin mox palpitatione cordis corriperetur. Cum itaque succus melancholicus huius palpitationis causa esset, vt humor concoqueretur, pro huius mali curatione præscripsi syr. sequentes: ℞. *syrup. de pomis, de corticibus citri, de succo borag. an.* ʒ i ß. *decoctionis melissæ, borag. lupulorum* ʒ ix. *misc. pro* iij. *dosibus matutinis*, Cocto humore præparato purgauimus cum decocto senæ & syrup. de epithymo. Postea etiam sanguinem in moderata quantitate, cum in Aprili hoc sympromate afficeretur, & in vere essemus; extraximus ex vena basilica cubiti sinistri: & postea eadem adhibuimus remedia, quæ ad melancholiam hypochondriacam valere scripsimus. Eodem modo & curationem instituimus in nobili quodam iuuene Mansardo, diu melancholico & palpitatione cordis affecto, de quo prius diximus. Post 3 syr. exhibitos ex succo borag. bugloss. de pomis, de epithymo, & betonica cum decoct. melissæ, cardui benedicti, borag. bugloss. & summitatum lupul. eundem purgauimus hoc modo: ℞. *syr. ex infus. ros. pallid. cum foliis senæ* ʒ i. ß. *aquæ melissæ* ℥ ij ß. *elect. lenitiui* ʒ ij. *misce*: reiterauimus sæpe syrup. supradictos, & è corticibus citri, cum decoctis cordialibus; & iterum illum purgauimus in hunc vel similem modum: ℞. *syr. ex infus. ros. pallid. cum foliis senæ* ʒ j. *confectionis hamech.* ʒ iij. *aquæ melissæ* ℥ ij. *misce.* qua potione quinquies vel sexies aluum deiecit. Dedimus *condita ex conser. borag. bugloss., melissæ, betonicæ adiectis diamarg. frig. lid. diambræ, diamoschi, cum syrup. de limonibus, è corticibus citri: & ad sacculos cord., & elect.* ad solida superius dicta commode deuenimus: quibus subinde palpitatio cordis cessabat, licet sæpius recidiuam pateretur, ob diuturnam, & longam melancholiam confirmatam. Aliis quoque simili malo affectis consuluimus, vt aliquando pilulas caperent de lapide lazuli ad ʒ j. in paulo robustioribus: deinde vt ad attenuantia medicamenta superius descripta deuenirent, cordialibus medicamentis semper adiectis.

SCHOLIA.

SI autem palpitatio cordis fiat ab humore me- 4
lancholico, eodem fere modo curatur, vt melancholia hypochondriaca, adiectis semper iis cordialibus tum attenuantibus, quæ etiam ad pituitam valere diximus, interim humorem melancholicum prius concoquendo & expurgando. Si fiat à flatibus cuius signa antea posuimus, prima ventriculi concoctio perfecta procurari debet, & flatus qui in ventriculo & intestinis sunt collecti, discutiendi: idque duabus intentionib. perficietur, & materiam illam pituitosam expurgando, & aqueam, ex qua flatus gignuntur, pilulis aromaticis, de hiera & syrup. materiam concoquentibus cum syr. dictis in decoctis, adiiciendo aliquid anisi: & rursus euacuando cum pilulis fortioribus, vt sine quibus, vel aggregatiuis. In crastinum danda theriaca antiqua vel confect. arom. ros. vt causa illa efficiens corrigatur, nempe calor diminutus. Huc referenda omnia illa remedia, quæ dicentur capite, De inflatione ventriculi. Si sit ex melancholia flatuosa, etiam illa adhibenda, quæ de hypochondriaca melancholia diximus, additis semper flatus discutientibus in maiori quantitate: & si fiat ab 5
obstructione, addenda deobstruentia. Fere eadem ratiò erit curandi hunc affectum ab obstructione, cum illo qui fit à pituita: sed istis decoctionibus addenda erunt, anisi, fœniculi & alia flatus discutientia, vt galanga, garyoph. macis. Nam magna ex parte morbus hic ex generantibus flatus accidit, illis hominibus qui patiuntur obstructiones hepatis & lienis, vt licet videre in puellis patientibus cachexiam, vt antea meminimus, & male coloratis. Detur etiam theriaca, cum aqua bugloss. & melissæ. Post purgationem conueniunt & electuaria vel condita superius descripta, & epithemata etiam in melancholicis, & alia topica, vt olea, nempe costinum, nardinum, quibus & pulneres addendi, vel ligni aloes, cinnamomi, maceris, croci momentum, & ceræ, vt in vnguentum coeant, pauco addito vino odorifero. Quibus regio cordis inungenda statim post epithemata; eodem modo & sacculi supradicti ex cordialibus compositi. Rõdeletius optimum medicamentum parat & alimentum ex corde porci (in quo inditi sint garyophylli) in veru assato, vel super prunas prius cocto in aqua, vt caro tenerior fiat, alioqui dura est, quia fibrosa: vt *Recipe cordis porci n.* ij. *cordis cerui vel bouis, nn.* iij. *garyoph. galangæ maioris & minoris sem. basilicouis an.* ʒ ij. *macis* ʒ iij. *florum bugloss. borag. ana p.* j. *florum anthos p.* iij. *temperentur in vino malnatico per noctem, & destillentur omnia in alembico.* aqua vsui seruetur. *Recipe aquæ prædictæ* ʒ iiij. *zucch. parum fiat inleb.* Aqua illa valet in omni passione cordis, à materia frigida, flatuosa, vel à vaporibus, & in melancholica passione: sed in materia non frigida adde aquæ ros. partes æquales, & vtatur cum aqua bugloss. vel boraginis. Dosis huius aquæ est ʒ ß. superbibendo vini hypocratici ℥ ij. Sacculi ad fotus cordis, qui etiam ab eodem magis laudantur quam emplastra vel epithemata,

Curatio à flatu.

Ab obstructione.

Topica.

6 *Aqua mirabilis ad cordis palpitationem.*

themata, fiunt hoc modo: *Recipe caryoph. rof. flor. anthos* ʒ ij. *cortic. citri, ficci, macis, ligni aloes, fant. albi, & rubri & muſcati, liui, ſeminis ocymi ana* ʒ j. *ſpicæ celticæ & lauendulæ foliorum lauricæ* ʒ ß. *contundantur, & fiat puluis, & ex eo ſacculus interſutus, vt artis eſt*, pro corde paretur: irroretur cum vino albo, & aqua bugloſſæ vel meliſſæ; applicetur calfactus. Eſt & hoc optimum: *Recipe florum cordial. ana p. j. caryoph. maioris, id eſt, anthophylli* ʒ j. *decoquantur leniter in aqua bugloſſæ & meliſſæ. in* ℔ j. *decoctionis, adde vini albi vel clari* ℔. iij. *caryoph.* ʒ ij. *cardam.* ʒ ß. *ſacch. q. ſ. fiat ſyrup. aromatiſetur cum* ʒ j. *cinnamomi*. Si à ſeroſis humoribus auctis fiat palpitatio, danda eſt opera, vt euacuentur, qui in venis continentur. Nam id, quod collectum eſt in pericardio, ſi nil amplius in illud reſudarit è venis, calore cordis abſumetur. Scroſi autem humores, iuxta eundem Rondeletium, euacuantur vſu ſeri caprini, vel aſinini, vel ſucco roſ. decocto, braſſicæ marinæ, ſeminis carthami, foliis ſenæ, & aliis medicamentis capit. De hydrope & cachex. In hoc tantum differt, quod hæc remedia ſunt imbecilliora & magis cordialia, & ea, quæ minus cordi aduerſantur, vſurpantur: *Recipe rad. graminis, vuſci, aſparagi an.* ʒ iij. *rubiæ maioris* ʒ ij. *galan. & cyperi an.* ʒ ß. *herb. capill. fumar. cich. end. an.* m. j. *ſem. aniſi, apij, petroſ. an.* ʒ iij. *medullæ ſem. carthami, polypodij querc. ſenæ orient. an.* ʒ ij. *cicerum rub. p.* j. *ſem. hederæ, rad. irridis an.* ʒ j. *fol. braſſicæ marinæ* m. j. *flor. anthos, bugl. an. p.* j. *fiat decoctio in ſero caprino ad lib.* j. *cui adde ſuc. roſ. & ſyr. roſ. lax. an.* ʒ iiij. *zacch. ſolidi* ʒ vj. *fiat ſy. mediæ decoc. capiat* ʒ vj. pro doſi, alternis diebus vel quotidie, prout magis vel minus operabitur. Si paretur tempore calido, paretur ſine ſero, quia facile aceſcit, & ſyrup. corrumpit. Præter illa remedia, deſcribenda cap. de cachexia, ſunt adhibendi ſacculi ſupra pectus, qui vim habent ſiccandi. *Recipe cort. citri, ſant al. omnium, galangæ, cyperi ana* ʒ ij. *pul. de gemmis, & diamarg. frig. ana* ʒ j. *caphuræ* ℈ j ß. *bombace excipiantur, & fiat ſacculus interbaſtatus*, qui irroretur vino & aqua meliſſæ. Idem etiam poteſt apponi, ſi à cauſa flatulenta fiat affectus, addendo tantum aniſum vel cyminum, vel aliud flatus diſcutiens. Opiatæ etiam cor magis reſpicere debent, quam quæ in ſupracitatis capitibus deſcribentur: vt *Recipe cort. citri conditi cum zacch.* ʒ ß. *conſer. anthos* ʒ j. *conſer. ſtœchad. & florum cichory an.* ʒ iij. *confect. aromatici roſ.* ʒ j. *pul. diagalang. & diamarg. calidi, vel de gemmis an.* ʒ j. *cum ſyrup. conſeruationis corticis citri*, fiat opiata. Hic aduertere oportet, quod neque conſeruas violarum, neque bugloſ. vel borag. addimus, quia nimis humectant; & hic potius ſiccandum quam humectandum. Caphura in hoc morbo magnam vim habet, etiam in collo ſuſpenſa, à quacunque cauſa proueniat. Optima victus ratio in hoc morbo eſt maxime neceſſaria, quæ magis exiccãs ſit. Rhaſes autem etiam, ſi ex aqua in pericardio fiat, ſiccis & calidis curat, ſed non quibuſuis, ſed aromaticis, vt trochiſcato muſcato, quem in potu exhibet; & diamoſchum pretioſum ad ſyncopen valens & ad triſtitiam cordis & tremorẽ. Sed horum vſus vtilis quidem priuſquam maraſmus inuadat, nam tunc alia ratione hic affectus curandus. Refert Amatus pulcherrimam hiſtoriam cuiuſdam monachæ Florentinæ, palpitatione cordis ab humore aquoſo laborantis, & curatæ, cui & aſſueti menſes fluebant. Sanguinem detraxit ad libram ſemiſſem, & ſyr. propinauit ex ſucco meliſſæ *Zacch. puri* ʒ j. *ſyr. de pomis Saboris, de mentha an.* ʒ vj. *decoct. ſenæ cum additione pomorum camuſiorum optime redolentium, vt Antuerpiæ inueniuntur, vel eorum vice Apianorum in Italia repertorum* ʒ v. *cum albumine oui, clarificetur &* ℈ j. *ligni aloes opt. aromatiſetur.* per aliquot dies continuauit. Victus ratio huic erat exſiccatoria, attenuatoria, ſed optimi ſucci. Potus vinum meracius. Materiam per octo dies præparatam expurgauit pharmaco ex *Rhab. & agar. concinnato*: & ſi aluum ſponte non redderet, clyſtere vel balano ſoluebat: & poſt duos dies à purgatione cucurbitulam vnam magnam cum multa flamma ignitam regioni cordis affigi fecit, & cuti, poſt parua vulnuſcula inciſa, ſale reſperſit ſub finem, ex quibus humor multus ad aliquot dies exſudauit: interim epithematis cordialibus ſæpe admotis in hunc modum deſcriptis: *Recipe aquar. florum arantij, meliſſæ an. lib.* ß. *ſpecier. diamoſci, diambræ ana* ℈ ij. *croci optimi grana* iij. *vini maluatici* ʒ ij. *gallæ muſcatæ Meſ.* ℈ j. *caryoph. corticum citri, an.* ʒ ß. *florum arantiorum, pſeudodiptæmi ana* ʒ j. omnia in olla noua, vt decet tractentur, & ad ignem admota, in iiſdem pannus ruber de cocco vel charmuſino infectus immergatur, & paululum expreſſus ſic calidus cordi admoueatur, & ſæpe innouetur. Vſa eſt & conſeruis ventriculum & cor corroborantibus: etiam hoc ſacculo cordi admoto, quem ſemper deferebat: *℞. ſpecier. diamoſci dul.* ʒ ij. *diambræ.* ʒ j. *florum arant. meliſſ. bugloſſi an.* m. j. *xyloaloes* ʒ ß. *cinnam. opt. & veri, caryoph. an.* ʒ iiij. *corticum citri* ʒ ij. omnia in puluerem redacta, ſacculo inſuantur, fiat ſacculus ſerico interceptus. Quibus remediis hæc intra menſem ex toto ſanata eſt.

7 *A ſeroſis humoribus curatio.*

8

9 *Cent. 3. cura. 43. De monacha curata à palpitatione cordis ab humore aquoſo in pericardio contento.*

OBSERVATIO VI.

De palpitatione cordis ab vtero orta.

MVlier macilenta, procera, nigriuſcula, atrabiliaria, quæ Delphis in interſignio Portus Delfici habitabat, vteri ſuffocatione ſubinde detinebatur, cum magna cordis palpitatione. Empiricus puluerem (vt nos poſtea conſpeximus) contra luem Gallicam ex argento viuo mixtum & cinabari, carbonibus ignitis inſpergebat, fumigio facto ad nares. Quo malum ita auxit, vt etiam mulierculas medicaſtras in conſilium adhiberet, quæ & puluerem ſuccini nigri (noſtri *ſuuerie ameren* vocant) propinarunt, ita vt circa ventriculum ita angeretur, vt ſe veneno intoxicatam clamaret, palpitatione cordis plurimum aucta, vna cum vteri præfocatione, vt pro mortua ab aſtantibus haberetur. At tunc prius me vocarunt. Frictionibus partium infernarum per me ſtatim adhibitis, & vinculis circa femora iectis, ad diuerſionem globulum infraſcriptum odorandum naribus obieci: *Recipe aſſæ fœtidæ* ℈ ij. *caſtorei pinguis* ℈ j. *cum panno lineo; fiat globulus, inferius quoque odoriferis ſubiectis*, vmbilico emplaſtrum appoſui. *Recipe emplaſtri contra matricem* ʒ ß. *ducatur ſupra aluum rotundam, paulo ampliorem dalero, & in circuitu galbano obducatur.* Quibus remediis ad ſe redire cœpit. Sed & tunc pro palpitatione cordis, vſus ſum iis, quæ vapores diſſiparent; & licet aliquid aromaticitatis haberent, interim & amara eſſent, cum vterus vix aromata fera, ſi dulcia ſint. Repurgato corpore & vtero cum pilulis maſtichinis & de hiera, dedi decoctum florum chamomillæ in cereuiſia decoctorum. Ructibus autem emiſſis plurimũ iuuabatur. Exhibui quoque conſeruam florum roriſmarini, puluere zedoariæ exiguo adicto, poſtea etiam theriacam circiter ʒ j. cum aqua meliſſæ. Quibus bene ſe habuit. Rurſus etiam purgaui cum infuſo ſequenti: *Recipe folior. ſenæ* ℈ ij. ß. *rhab.* ʒ ß. *agarici trochiſc.* ℈ j. *ſeminis aniſi, fœniculi, carui an.* ʒ ß. *cinnamomi* ℈ j. *infunde per noctem; facta prius leui ebullitione in* ℔ v. *decoct. communis, cum flor. cordialibus & mane fortiſſimæ expreſſioni adde ſyrup. de artemiſia ſyrup. abſinthij an.* ʒ ß. *miſce* & quinquies aluum depoſuit, quia debilis & facilis ſolutionis optime tunc habuit, vt per multos dies malum non fuerit reuerſum: ita vt amplius illam non inuiſerem. Poſtea vero, cum iterum ſentiret cor palpitare ac tremere, mulier ignaua neceſſi rationem habens, ex mulierc arum conſilio decoctum fœni putridi, granorum myrtillorum, & aliarum herbarum fœtentium in vrina valde olida, ſubtus vaporem excipiebat: vnde iterum ad illam ingreſſus, ſolidum illum vaporem & fœtidum ſentiens, rogaui, quæ circa illam acta eſſent: quæ vix eloqui potuit, reſpondit ſe ex iam dictis rebus fœtentibus ſedentem in ſella perforata, ſubtus vaporem illum excipere. Stultam autem mulierculam increpans, quæ ſibi necem ex inſperato intuliſſet, ea omnia amoueri iubeo; rurſuſque præſidiis ſupradictis adhibitis, à paroxyſmo ac vteri ſuffocatione tum cordis palpitatione liberata eſt. Mox illam refecimus cordialibus medicamentis, & iterum cereuiſia ebibita, in qua flores chamomillæ incocti eſſent, ructibus emiſſis recte deinde habuit. Interim cum malum hoc ab vtero originem habuiſſet, & nunc in hyeme exiſteremus, conſului, vt inſtante vere vena malleoli pertuſa ſanguinem, moderatè tamen, extraheret, ne idem malum incurreret.

3

10

SCHOLIA.

4 *Curatio ſi in febribus fiat.*

Si palpitatio cordis per conſenſum fiat, conſiderandum nunquid per communitatem totius fiat, vt in febribus, curatur tunc febrium curatione, & roboratione cordis, & reſiſtendo malitiæ intemperiei, impreſſæ, vel à febre aut cauſis eiuſdem, quæ ſecundum plurimum eſt calida, & indiget frigidis cordialibus intra aſſumptis & extra admotis: licet aliquando ſit frigida, ſicuti in ſyncopali humoroſa, cuius exemplum poſuimus *lib. 3. obſerv. 29.* De febre ſyncopali humorali, de muliere ſyncopen & palpitationem cordis incurrente. Si autem fiat per criſin, eius finem attendere oportet; tamen cor tuendo ſecundum quod expediat. Curatio vero à membris particularibus, duabus intentionibus perficitur, habendo rationem membri communicantis; euacuando materiam, & diuertendo eandem vel vapores, & remouendo malam intemperiem in ipſo membro exiſtentem, vel alterius cuiuſcunque nocumenti; roborando, vt ſit minera laudabilium humorum. Secunda intentio debetur cordi, ipſum confortando, & reſiſtendo nocumento impreſſo, & imprimendo in ipſum, ſecundum quod eſt expediens. Refert Rhaſes carnem accipitris à proprietate valere ad cordis palpitationem, ex hiſtoria viri cuiuſdam ex Syria. Si igitur à ventriculo, vtero, liene, vel hepate, aut aliis membris fuit, horum nocumenta prius curanda: & roborentur membra, ne tranſmittant, & ne cor recipiat. Sic de ventriculo, & aliis propriis locis dicetur: ita quoque (vt quidam volunt) ſi fiat à peſte, aër alteretur, & curetur, vt de peſte ſcripſimus. Et ſi à venenis aſſumptis, curetur eductione eiuſdem per vomitum aut pharmacum, exhibeantur antidota propria & bezoartica, &

A cauſ. Curatio ſi per conſenſum aliarũ partium.

A peſte, veneno.

A vermib.

A cauſis Primitiuis.

A rarefactione meatuum, & ſudore diaphoretico, balneo & exercitio.

infiſtatur cordis roborationi. Si à vermibus, interficiantur ſem. zedoariæ, & educantur, vt cap. proprio De vermibus dicetur. Si ab aliis cauſis primitiuis, remoueantur, & cor roboretur. Si à rarefactione pororum & ſudore diaphoretico, balneo, aut exercitio vehementi, fiant inunctiones refrigerantes, cordiales & modice aſtringentes, vt vng. roſ. adiectis roſ. ſantalis pulueriſatis ad maiorem conſtrictionem, inuncta ſpina, dorſo, pectore, pulſa, & hypochondriis. Cum cautione tamen, etiam zacch. roſaceo exhibito. A ſolutione continui vel cordis apoſtemate non curatur, niſi in principio inflammationis, cum ſang. detractione, euacuatione, & diuerſione. Si à dolore cordis, per remotionem cauſarum doloris curatur: ita ſi & à ſenſibilitate fiat, danda aromatica frigida, prohibendo omnes cauſas potentes lædere cor, & ipſum cor roborando, & iis, quæ ſenſum remittunt. Sic etiam à debilitate remouendo cauſas debilitatis, & cor quoque roborando. Sic matrona nobilis de Loo, vxor Penſionarij Delfenſis: cum diuturno fluxu menſtruorum laboraſſet, cordis tremorem paſſa eſt; ſed reſtaurantibus medicamentis, & iure reſtaurante & cordialibus recreata & conſtringentibus; etiã cucurbitula ſicca mammis appoſita, iuxta *Aphor. 50. lib. 5.* ad tempus reſtringebantur: quamuis hæc per annum eo malo laborans, viribus proſtratis, hecticam tantum & maraſmum incurreus, fruſtra medicorum excellentium ope vtens, vitam finijt menſe Octobri, anno 1562. Et contra ſi fiat ex vapore ſanguinis corrupti, vt menſtruorum aut hæmorrhoidum retentione, prouocentur, & vena ex talo incidatur. Domina de Merode, ſoror Dominæ de Somerdyck, cum aſtaret ſorori morienti, ex triſtitia me præſente in animi deliquium incidit, & vteri ſuffocationem, ac cordis palpitationem, & vnius brachij tremorem; vt aſtantes, tum ipſa, apoplexiam metuerent: ſtatim dedi exiguum theriacæ optimæ, cum oxymelite ſcyllino; & hunc puluerem cum cereuiſia: *Recipe rad. gentianæ, ſeminis oſtruij an.* ℈ j. *ſemen. dauci* ℈ ß. *miſce*: eoque aſſumpto, miraculi inſtar ad ſe rediit. Fuerat tamen antea iiſdem ſymptomatibus obnoxia, vt referebat Domina de Cornes, vxor Domini de Aſperen, quam Dominam de Aſperen, alias cum prægnans eſſet, à dyſenteria & vrinæ retentione curauimus. Frequenter etiam & hæc prægnans, & alias cum grauida non foret, cordis palpitatione vehementiori afficiebatur, ita vt in apoplexiam, vertiginem vel epilepſiam incidere metueret. Maritus cum apud Dominum Principem Auraicum ageret, conſultandi cauſa pro hoc malo me acceſſit. Conditum ſequens per me deſcriptum vxori miſit, quo omni mane vtebatur ad magnitudinem caſtaneæ; cuius vſu, vt poſtea idem ille Dominus de Aſperen mihi retulit, abilla palpitatione cordis in totum liberata fuit: *℞. conſeruæ borag. bugloſſæ, conſeruæ foliorum meliſſæ*, (nam hæc vltima ſæpe ad cordis palpitationem ſola nobis ſufficit) *ana* ʒ j. *corticum citri conditi* ʒ vij. *myrobal. emblic. conditorum* ʒ iiij. *ſpec. lætificantis Galeni* ʒ j. *manus Chriſti cum perlis* ʒ ß. *ſyrup. conſeruationis corticum citri, ſyrup. de limonibus ana* ʒ ij. *miſce*, fiat electuarium molle. Quod prægnantes aliquando palpitationem cordis incurrant & ſyncopen, forte fit à vaporibus ex vtero delatis; cum eo tempore ob fœtum menſes retineantur. Sic memini matrem meam cariſſimam, Margaretam Nanniam, ex familia Baierorum, cum prægnans eſſet, facile ſyncope tentatam fuiſſe, ſi modo altius

6 *A ſolutione continui, apoſtemate. A dolore cordis. A ſenſibilitate.*

A debilitate.

7 *Hiſtoria aliquot mulierum nobilium cordis palpitatione ex diuerſis cauſis laborantium curatarum.*

8

tius ſederet: ſed ſale oti impoſito ad ſe redibat, quo mulieres noſtræ paſſim vtuntur, magno iuuamento, forte ideo quod ſal diſſipat vapores tetros ex vtero eleuatos. Et ita omnem curationem palpitationis cordis abſoluimus, iuxta veteres & neotericos medicos: quanquam aliqui, vt ante diximus, palpitationem non velint fieri ex cauſa calida, vt Altimarus quoque ſentit, licet alij ex verbis Galeni, *Aph.* 65. *lib.* 4. velint ex
9 maximo incendio vitalis facultatis, quæ in corde conſiſtit, palpitationem oriri poſſe; vbi Gal. ponderans verbum καρδιωγμὸν ab Hippoc. poſitum, ipſum bifariam intelligi poſſe indicat; vno modo, vt idem ſignificet, quod καρδιακγλία: ſecundo modo, vt nonnullis viſum eſt, motum quendam, cordis palpitationi ſimilem per καρδιωγμὸν intelligunt, hoc eſt, crebrum & velocem cordis motum, & præcipue ſimilem palpitationi, de hoc quoque malo agit Paul. *lib.* 3. *c.* 34. Sed de forti cordis palpitatione vult Altimarus Paulum loqui; nihil aliud intelligens, quam crebrum & velocem cordis motum, ſimilem palpitationi exiſtentem, & non de vera palpitatione. Et ſic idem, atque alij nonnulli, hunc morbum cardiacum, & cardialgiam, & cardiogmon, ad oris ventriculi morbum referunt, de quo poſtea. Quamuis & hic morbus cardiacus etiam à doctiſſimis medicis confunditur cum cordis palpitatione; vt ab Alexandro Benedicto Veronenſi fit, *qui lib.* 10. *cap.* 5. De cardiaco morbo modo refert ad palpitationem cordis, cum ita ſcribat: Cardiacus morbus, etſi ſine dolore, tamen periculoſiſſimus eſt; præternaturalis eſt: ſupra modum enim cor palpitat, contremiſcere exinde ſentitur, tum diffla-
10 tur ſpiritus, ac in totum ſubducitur & paulo poſt aſſerit fieri ex cauſa calida modo frigida: vocatque cardiacam calidam, modo frigidam: quibus adiungit cardiacam diaphoreticam, quæ in febri cũ ſudore iungitur; de qua cũ de febribus diximus. Vocat & aliam capit. ſequenti cardiacã ſtomachicam ob vicinitatem oris ſtomachi euenientem: quam paulo ante ad Cardialgiam retulimus: de ea nos exemplum poſuimus *lib.* 7. *De ſympt. feb. obſer.* 12. Nunc ad ſyncopen progrediamur, quæ ſubinde palpitationem cordis ſequitur, vel aliam ob cauſam fit: de qua licet longiore ſermone egimus *lib.* 7. iam citato, de ſymptomatis febrium, & multa exempla ac varia in medium adduximus, & licet ea tyronibus medicis ſufficere videantur, tamen pauca hic adferemus, ad maiorem huius mali enucleationem.

Cardiacus morbus iuxta Alexand. Benedictum Veronenſem

OBSERVATIO VII.

De ſyncope ab vtero orta, ventriculo etiam ſimul patiente.

MVlier admodum prolifica, ita vt 23. proles ab vno marito ſuſcepiſſet, cui anno ætatis ſuæ quinquageſimo, etiam menſes non deficiebant, illis ſubito reſtrictis, poſt aliquot dies in ſtomachi dolorem incidit, valde nauſebunda, & præcordiis ſimul dolentibus ſubito ſyncopen paſſa eſt. Frictionibus & ligaturis partium infernarum, à paroxyſmo leuata, loqui cœpit. Verum cum hæc ſyncopis mox à cibo aſſumpto illam apprehendiſſet, & ad vomitum procliuis videretur, hordei decoctum tepide cum zaccharo & exiguo butyro adiuncto exhibui. Quo poſtquam plurima pituitoſa vomuiſſet, poſt horam vnam aluus quoque per ſe ſoluta fuit, atque ab omni dolore ſubleuata. Quamquam inter auctores quidam quæſtionem mouent, num in ſyncopi vomitus competat, tandemque concludant competere quidem, his conditionibus, ſi æger ad vomitum facilis ſit, vel materia ſyncopen efficiens in motu ſit, & nauſeam & ſubuerſionem (vti hic fiebat) incitet: quo & dolor ille circa ventriculum & præcordia ceſſauit; quamuis altero die, ſed leuior, rediret abſque ſyncope. At exhibita ʒ j. pil. hieræ ſimplicis Galeni, cum huic matronæ aluus facile moueretur, quinquies & pituitoſa & pauca bilioſa depoſuit, ita vt dolor amplius non redierit: quamuis & huic poſtea ſemel menſes fluxere; idque naturali modo. Ab eo tamen tempore defecere, nec amplius viti ſunt, defectu naturæ, illa ipſa deinde valida ac ſana permanente.

SCHOLIA.

DE ſyncope acturi, ſi omnia denuo excutere vellemus, quæ de hac ipſa diximus *in lib.* 7. De ſymptomatis febrium, magis hic occurreret campus diſputandi, quam in alio quocumque affectu. Primum propter cauſarum varietatem, quas in pauca capita non facile eſſet reducere; & tamen eſt neceſſarium, ſiquidem ſumma cauſa quærenda eſt apud Ariſtotelem. Remotæ n. proprie naturam rei non aperiunt, neque ab illis indicatio curandi ſumitur, cum ſæpe receſſerint, vt in ea, quæ ex ira, vel æſtu balnei fit. Præterea neque exacte declararunt ſcriptores (teſte Iachino) quid per eam vocem intelligant, & qualis ſit ægri ſtatus, & quo modo differant ea nomina ἔκλυσις, λιποθυμία, λειποψυχία, συγκοπή. Nam ſi hæc confundamus, magnam ambiguitatem faciunt, ἔκλυσιν, Latini nominant Exſolutionem: non deſunt qui velint neque ipſam λιποθυμίαν, ab eo affectu quam Græci ἔκλυσιν nominant, Latini, Exſolutionem, diſſentire, auctoritate quadam freti ipſius Galeni, libr. 1. De arte curat. ad Glauconem; etſi eo loco aliorum medicorum auctoritate loquatur: nam quod inter ſe diſcrepent, ab Hipp. decretum eſt aph. 8. libr. 7. cum dixit, ὅτι φύματος εἴσω ῥήξεως ἔκλυσις ἱμάτιος ἢ λιποψυχὴν γίνεται. Similiter à Paulo c. 34. libr. 3. qui inter ſyncopes indicia cum exſolutionem, tum animi defectum connumerauit: λιποθυμία vero nomen compoſitum eſt à verbo Græco λείπω, quod Latine ſonat Linquo ſeu Deficio; & θυμὸς, Latine animus, Deliquium, ſeu Defectionem animi ſignificat: qua ratione quidam putarunt aliud eſſe λειποθυμίαν, à λειποψυχίαν: cum λιποθυμία animi defectum, λιποψυχία autem non animi, ſed animæ defectionem ſignificet: compoſitum etenim nomen eſt à verbo λείπω & ψυχὴ, quæ non animus, ſed anima Latine dicitur. Verum quamuis nominum ſignificata inſpicienti diſſentire videantur, reperitur tamen Hippocratem interdum vno, quandoque altero vſum fuiſſe, volentem in re idem intelligere, *vt patet* 23. *Aphoriſm. libr.* 1. *&* 8. *libr.* 7. *quod & Galenus primo, De art. curat. ad Glauc. &* 12. *meth. meden.* Nam in primo præcitato loco, verbo Leipothymia vtitur, & lib. 12. meth. λιποψυχία, idem per vtramque intelligens: ideo prædicta nomina haudquaquam diſſentiunt, ſed inuicem confunduntur, ex Hippocrat. & Galeni ſententia: nam eadem pars, quæ afficitur in vtriſque; idem ſymptoma ac eaſdem diſpoſitiones ſeu cauſas conſequuntur; & ita quicquid de vno dicitur, de reliquo dictum putato. Nam nihil aliud per ea ſignificare volumus, quam animi defectum, per animum intelligentes, animam ipſam animoſam, quæ ex Galeni decreto ſedem in corde habet.

bet. Cum itaq; deficit animoſitas, tenor ac promptitudo hæc animæ, ex quacunque cauſa ortum habet λειποθυμίας aut λειποψυχίας appellatur. At quod Græcis συγκοπὴ nominatur, à verbo συγκόπτω, Latine Ferio, verbero, ſeu concido, deriuatum eſt, ita vt etiam animi conciſionem, latine ſignificare poſſit, licet Latini proprio nomine careant, etiam ſyncopen appellant, licet cum aliis dictis affectibus magna ex parte communicet, & quaſi ſimilis ſit animi deliquio, ab eo tamen diſcrepat.
6 Nam (vt Galen. inquit) defectus animi præcedere conſueuit ſyncopen ipſam; vt patet eodem *primo, De art. curat. ad Glauconem: & lib.* 12. *meth. medendi* inter lipopſychiam & ſyncopen differentiam tradit, cum maiorem cauſam ſyncope requirat, quam lipopſychia, etſi eadẽ poſſit vtriuſque eſſe, tamen prout maior, aut minor exiſtit, vnam vel alteram affectionem efficit. Idem refert Aëtius *lib.* 5. *cap.* 96. Nam animi deliquium (*vt ipſe inquit*) derepente incidit, ſenſu & motu hominem priuans; & omnino non ſudant: ſyncope vero & vigilantes & dormientes inuadit, & omnino cum ſudoribus, qui συγκοπτικοὶ appellari ſolent. Cum igitur ex eadem cauſa proueniant, & non alia ratione curentur, ideo etiam cum de ſyncope verba faciemus, quamuis maius ſit malum, patebit quoque & defectus animi curatio. Syncope igitur nihil aliud eſt, quam præceps vitium lapſus, & animalium, quoniam ſenſu & motu priuatur homo, cum ſyncope afficitur; ac primo omnium vitalium, cum & cor ipſum læditur, vel per ſe, vel per conſenſum: nam pars affecta eſt ipſum cor; id, quod patet ex præcipiti omnium virium lapſu, ex imbecillitate paruitateque pulſus, ab extremorum frigiditate. Eſt autem ſymptoma pertinens ad actionem læſam omnium facultatum; omnium tamen primo vitalium, eſt enim ſyncope præceps virium lapſus; malumque morti finitimũ, cum ſit ſolutionis initium ipſius naturæ: lipothymia autem præcedens ſyncopen, ſignificat animi quidem defectionem, abſque ſudore tamen, frigeſcentibus tantum extremis corporis partibus; ſuntque tunc ſpiritus diſſoluti, vel aliqua ratione vitali, facultate vitiati nõ omnino diſſoluta exiſtente. At in ſyncope lapſus grauior eſt, quod etiam Galen. ſignificauit per vocem ἐξὺ. Nos enim multos vidimus, dum longo tempore (*nam ſunt iam* 46. *anni*) praxim exercuimus, qui nihil à mortuis differre videbantur, quamuis poſtea reuiuiſcunt: nam pulſus ſunt modo inſenſiles, vel exigui, vt plurimum, langnidi, inæquales, *vt* 4. *De cauſ. pul.* 12. ſæpe intermittentes, quod mortis aliquando ſignum exiſtit: debilis quoque reſpiratio, aliquando & frigida. Vbi vero acutiſſima eſt, & morti proxima, motus deficit, ſæpe & ſenſus, vel valde obtuſus fit. Abit & omnis flos faciei, tum in figura vultus, tum in colore, quem ſtatum deſcribit *Galen.* 10. *meth.* in illo iuuene, quem ſcinerat ſyncopen incidere, qui prorſus ſine pulſu erat: vix ſentiebat impellentem: refrigeratus totus non loquebatur. Sed vt rem melius complectamur, lapſus hic magis minuſque ſuſcipit. Quamuis enim quilibet ſubito fiat: at multa eſt differentia, maioris & minoris, quod experientia ſæpe viſitur. Nam alij hæc accidentia omnia habent; & inter hos, alij mitiora, alij vehementiora, alij quædam horum tantum, quæ ſymptomata à prioribus plurimum grauitate vincuntur. Igitur ſyncopen auctores grandem affectum eſſe ſignificare voluerunt, terribilem, & qui mortis ſpeciem multum referat: & ideo leuiores affectus vel diſſolutiones, vel animi deliquia dixere Græci ſuis vocibus. Nam & gradu ab his differt ſyncope. Quod non aduertentes quidam, vt Auerrhoes, arbitrati ſunt vacuatione Galenum ducere ægros ad ſyncopen: quod nunquam dixit ipſe vel Hippocrates: ſed μήχει λειποθυμίας: & ſic rationes Auerr. contra Galen. inefficaces ſunt. Interea (vt diximus) cor laborat aliquando per ſe, cum videlicet nullus alius affectus anteceſſit, nullumque ſignum præceſſit alicuius alterius partis affectæ. Id autem accidit aut propter magnam eius intemperiem, tunc autem ſubito non perit animal: aut propter vitioſum venenoſumque aliquem humorem. Subinde quoque fit propter inflammationem tumoremque ab aliquo alio humore excitatum; tunc plerunque ſubitanea comitatur mors. Alias laborat per conſenſum, quem habet cum ore ventriculi, diciturque tunc ſyncope ſtomachica, & tunc vomitus, nauſea, aut dolor eiuſdem partis, ſeu morſus quidam præceſſit: ſic quoque affectis primo reliquis partibus, vt vtero, vel aliis, corde vero conſentiente, dicendum erit. Ex quibus etiam facile conſtat, ad quos cordis affectus conſequatur ſyncope, nempe cordis intemperiem vel cum vitioſo ſeu venenoſo humore, vel eryſipelas, vel inflammationem, aut quempiam præter naturam tumorem, ſi per ſe fiat, vt patet *lib.* 5. De locis affect. & ſimplex intemperies minus nocet: ſed ea, quæ ad inſtrumentales partes pertinet, ſubito enecat, ad ſimilares minus: inſtrumentales ſubito id præſtant, prius tamen præcedentibus quandoque ſignis quibuſdam, quorum vnum meminit Hippoc. *Aphor.* 41. *lib.* 2. *ſic dicens.* Qui ſæpe & multum exſoluuntur, ſine cauſa manifeſta, ij repente moriuntur.

8 *Auerrhoes deceptus contra Galenum temere inuehitur.*

OBSERVATIO VIII.

De ſyncope, ab immodico menſium profluuio oborta.

CVm ſyncope ſit præceps virium lapſus (vt diximus) idque ex inſigni ſpiritus euacuatione, alteratione, interceptione; euacuatur ſpiritus, quia ſubtilior factus eſt, quia corpus rarius eſt in acri vehementique calore. In vehementi animi motu, cum iis, quæ excernuntur immodice, doloris grauitate, morbi magnitudine, fame, abſceſſus eruptione, & maxime in parte principe, aut quæ arteriis plena eſt, neruo aut neruoſa parte, affectis longo labore, ore ventriculi inſigniter affecto. Iam etiam virium lapſus, qui ad ſolidorum corporum digeſtam ſubſtantiam ſuccedit cauſam habere poteſt longiſſimos præcedentes morbos, extenuato ægro ex atrophia, id eſt, nutrimenti defectu: præterea ex febribus acutis, quæ corpus liquant, excitari contingit. Sic Galenus magnum cauſarum chaos ponit 1. *ad Glauc.* & ita fieri quotidiana experientia monſtrat. Nam ad immodicas omnes excretiones ſuccedit (vt à cauſis manifeſtis ordiamur) ſeu ſanguis euacuetur, ſeu quiuis alius humor; tametſi aliquando noxia materia ſit, vt de his quibus aqua extrahitur per paracenteſin. Sic nos aliquando vidimus in iuuene quodam Delfenſi, cui Ioannes Bokelli nomen erat, qui cum ex nimio vomitu ſanguinis, incidiſſet in ſyncopen, per nos tamen recreatus, poſt aliquot menſes, idem in hydropem aſcitem incidit: de cuius ratione cum deſperarem, multis deinde aliis adhibitis medicis & empiricis, ſemper peius habuit, ita

vt habita consultatio fuerit, nunquid paracentesis fieri posset: quam minime admittere volebam, ob certas rationes, cum eò debilitatis deuenisset, vt illam ferre non posset, altero vero medico tum chirurgo eam suadentibus, à curatione excludor, ob veritatem quam prætulerim. Post duos itaque menses facta paracentesi, & aqua copiose effluxa, mox syncope æger hic magna cum prædictorũ ignominia exstinctus est anno 1579. Ian. mense, qui præ macie niger erat, plane exãguis, & viribus deiectis, antequam in hydropem incidisset: quam curationem homo extreme debilis & macilentus, spiritib. iam dissipatis, ferre non potuit. Ita quoque contingere potest in iis, qui vtuntur in empyemate, 6. *aph.* 27. etsi abscessus rumpatur: vt Bellarmarto, & vxori Boëthi accidit. Qui autem in syncopen inciderunt ex dolore, eorum exempla posuimus *obser.* 1. & 3. & 4. *lib.* 7. & qui ob calorem febrilem animo defecerunt. *obser.* 7. & qui ex fluxu, vomitu enormi syncopen incurrere, *obseru.* 8. & 9. ex sudore nimio in febricitante, & *obseru.* 10. ex sanguinis detract. & 13. de muliere, quæ in syncopen incidit ob exsiccationem in febre hectica, *lib.* 7. iam citato, quibus exemplis euacuationum facilè causæ syncopis & deliquij animi innotescent, ac eorundem curationes. Sic etiam ab hæmorrhoidibus, tum mensibus nimium fluentibus contingunt syncopes & animi deliquia, cuius nunc vnum exemplum proferemus. Sic mulier quædam Alcmariana, cui nomen Cornelia Cannia erat, anno 1547. mense Octobr. cum filia eiusdem in carcerem detrusa esset, & ibidem detineretur; hoc per nuntium ad eam delato, statim passa est aborsum, cum grauida foret; & subsequutum profluuium adeo immoderatum, vt in syncopen grauissimam lapsa fuerit, cum loquelæ ablatione & sudore frigido, astantes eam pro mortua habentes, vltima inunctione tanquam hinc statim emigraturam munierunt. Interea & ego ad illam accitus sum: & factis frictionibus in partibus superioribus, nempe brachiis, & vinculis iniectis ad diuersionem, ad se rediit, ab orco quasi in lucem reuocata: & cum iã loqui cœpisset, submisse tamen, vt vix intelligi posset, confectionem manus Christi sumpsit: & ex hac mixtura sequenti, ad fluxus inhibitionem & virium restaurationem: ℞. *conser. rosa. veteris* ʒ j. *manus Christi perlat.* ʒ iij. *fragmentorum* ℥ ß. *pulu. sem. myrtill. rosar. rub. an.* ϑ ij. *conser. bugloss.* ʒ ij. *cum syr. coroneorum fiat mixtura, superbibebat* ʒ iiij. *vel* v. *vini Gallici rubri & styptici* & linimento subsequenti ventrem & lumbos inungebat: ℞. *olei myrtini, ros. mastichini, coroneorum an.* ʒ ß. *misce.* quibus præsidiis virtute roborata fluxus cessare cœpit, simul & hoc electuario solido vtens. ℞. *sem. plantag. exsic. sem. sanguinariæ trochisc. de carabe an.* ʒ ß. *pul. frag. lapid. pretios. gr.* xx. *specier. diarod. abb. trionf. an.* ϑ j. *dissol. in aqua plantag. adiecto zacharo albiss. q. s. vt artis est, fiat confectio in tabul. dos.* ʒ iij. *superbibendo cochlear vnum vini rub. styptici sui à syncope liberata, & fluxu plane constricto*, perfecte curata est, vt eandem amplius non inuiserem.

Scholia.

Sicuti quosdam ex insperata lætitia scimus mortuos, vt etiam apud Valerium legitur, sanguine & spiritu subito ad exteriora retractis: sic etiam ex tristitia, sanguine & spiritu cor opprimente, syncope fieri potest, vti ex omnib. animi vehementibus affectibus. Et sicuti fit ab euacuatione nimia, vt nunc diximus, ita fieri potest à multitudine ventrem grauante, seu sola multitudo sit, vel etiam materiei prauitas: vt in eo qui bilem æruginosam euomuit; & omnino ex prauæ substantiæ cibis, vt fungis, fiunt, vti aliquando contigisse nobis relatum fuit, nobili cuidam, vt ex venenis sumptis fere omnibus. Fiunt quoque, vt iam diximus atque exemplis ostendimus in lib. 7. obs. nostrarum, ex doloribus vehementibus, non in intestinis solum, & ileo, sed & circa alias partes valde sensitiuas, vt in vulneribus quoque circa capita musculorum. Præcedunt & comitiales morbos, & apoplexias: vteri quoque strangulatus comitantur. Accidunt & in paroxysmorum initiis, vt etiam exemplis ostendimus in lib. nostris, de febribus: & in statu quibusdam etiam inclinante febre, & in febribus acutis malignis, citra manifestam causam: vt quibusdam adhuc sanis statim irruunt, & prægnantibus, vt sæpe conspeximus. Comitantur quoque crises laboriosas, præcipue prauas, quæ ad necem finiuntur, vel periculum inducunt. Accidit & ventris inflammationibus, ileo affectis, *vt obser. 3. & 4. lib. 7.* retulimus, & validis intemperaturis stomachi, cordis etiam, & post longas palpitationes, vt iuueni nobili Mansardo contingit, & fratri meo Nannio, consiliario, à me curato; de quibus & antea dictum est. Ex immodico æstu vel frigore, etiam eueniunt iter agentibus, ex vigiliis, inedia, exercitiis fortibus: vt qui fugati sunt in bello, cum currererent, quod his nostris temporibus (proh dolor) nunc per viginti annos bello grassante sæpe visum est. Eædem porro genere causæ faciunt, si leues sint, leues affectus; si vero graues, grauiores, vt modo lipothymiam modo syncopen facere dicantur. Omnes autem hæ causæ non primo agunt, sed necesse est (vt Iacchinus supra Rhasen dicebat) aliquo vno genere vel pluribus comprehendi, quibus primo conuenit id efficere: eruntque illæ primæ, & summæ causæ, quas quærere opus est. Videntur igitur vires concidere, vel quia grauantur nimium, & opprimitur vel suffocatur calor innatus, vel quia eius vehiculum, spiritus scilicet, absumuntur & pereunt: vel quia inepti fiunt ad actiones, propter alterationem; quæ alteratio, aut est in qualitate euidenti, quia calfacti nimium sunt, vel siccati, vel refrigerati, aut in occulta, quoniam venenosa qualitate inficiuntur: vel aliter vitiosus est sanguis è quo generari debent: vt si ex parui succi cibis sit genitus, vel in corpore corruptus, quod contingit in humorum corruptela. Igitur ad præfocationem pertinet, quæ in principio paroxysmorum euenit, ob id, quod calor omnis & sanguis in viscera confluunt: quod si crudi sint & frigidi, vt non cito, sed sero incalescant, præfocatio talis fieri potest, vt prorsus opprimat, si leuior, syncopen faciet. De hoc vide Gal. 3. *de crisib.* Similiter accidit hoc, vbi magna phlegmone interna fuerit, vt in lipyriis dictis, vt dicit Galen. de inflam. iecinoris vel stomachi 1. ad Glauc. Ad hoc etiam genus pertinent, quæ per principum partium obstructiones fiunt: nam calor innatus, vbi ventilatio prohibita sit, suffocatur & perit. Sic apoplexiam comitatur, & comitialem prauum, id est, qui ad apoplexiam tendit, & illi est proximus: opprimatur enim copia obstruente calor innatus. Huius generis est, qui ex humoribus frigidis os ventris grauantibus euenit: infrigidatum enim & molestatum ab his, molestiam quoque communicat. Omnis autem molestia communicata cordi, potest

Ex gaudio quidam expir.

test syncopen facere, ipsum debilitando. Venter autem communicat adeo (dixit Auicenna) ob vicinitatem, etiam ob sensus acritudinem, vnde valde molestias sentit. Alia causa est, spiritus resolutio; de qua obseruat, præcedente ex parte egimus: resoluitur enim nimium tenuitate cum raritate corporis. Et hinc fit syncope, in quibusdam febribus, digesto à calore febrili spiritu; præsertim si sit æstas, & æstuosus vt quibusdam exemplis in libris nostris, de febribus ostendimus. Resoluitur & nimio motu, primum corporis, vt in exercitiis, etiam in Venere nimia, vt in syncopen quosdam compertum est hac ratione incidisse: præsertim quibus molle corpus est & rarum. Vnde delirantes sæpe incidunt in id malũ. Resoluitur & ex animi affectibus, qui motus quidam sunt, sed exire non proueniunt, nisi præfocatio accidat ex conferto motu, vel ex bile mota os ventris mordeatur. Resoluitur, vbi paucus est spiritus in lætitia expansus: in consternatione vero metus intro latus, & frigidus factus opprimitur, ideo ad primum genus pertinet. Non mouetur igitur ad externa, sed intro cogitur, & suffocatur, vel ab affectionibus animi vehementioribus, vt ingenti tristitia, anxietate, mœrore, dolore, cura, & similibus, vnde sæpe syncope & interitus, vt Galenus docet de symptomatum causis. Vel fit à corpore, vt respiratione prohibita, multitudine & crassitie crudorum humorum exiguos meatus obstruentium; vnde syncope: aut si non obstruant neque onerent, λειποψυχία oritur, vt Galen. docet 12. *method.* Huc referri possunt tumor aliquis præter naturam in corde vel pericardio, vt in dissecto, cuius ex Galeno meminit Philothens, tunica inclusa in ventriculo cordis, plena humore putri male olente; tum alia, quæ aliquando obstruunt. Resoluitur quoque ex doloribus, dum natura multo motu mouetur, vt opem ferat, vndique sanguinem & spiritum perpetuo mouens impetu: sic ex morsu ventris. Resoluitur quoque in vacuationibus (vt iam diximus) immoderatis omnibus, quia vna vtile quoque excernitur, siue sit vacuatio per naturam, seu per artem. Quod si sit per naturam, vt in crisi, si laboriosa sit multum, resoluit commotione multa, & agitatione spiritus. Sic in sudoribus, alui profluuiis, sanguinis fluoribus, etiam in partu, euenit. Sic & motu è corde affatim & repente aliquando foras dissipatur spiritus, & euanescit, eodem modo, quo intro cogitur; vel ab affectu animi vehementiore, vt in gaudio, voluptate, ira, vigiliis, risu: vel causa in corpore contenta (vt iam diximus) nempe insigni euacuatione, purgatione per medicamenta, quod sæpe vidimus à Paracelsis fieri, qui antimonio, turbith minerali, tum ex iis alij colocynthide, ventrem inaniunt, non purgant, syncopen sæpe & mortem inducentes, vel concurrentium ad aliquam partem dolore affectam vehementi, aut erosam, vt os ventriculi valde sensile, suppuratione, aut ruptione apostematis vel tuberculi, siue introrsum facta, vt in ventriculum, siue extrorsum, vt in aqua in hydropicis educenda, vt paulo ante diximus: simul enim exhauritur spiritus, & vna cum ruptione euanescit, vt *aphor.* 27. *lib.* 6. & 8. *lib* 7. in partibus quoque exsolutionem fieri, vt vacuatione sanguinis, ita & puris, 2. *Epid.* Sic & Hollerius testatur se vidisse syncope mortuos in huiusmodi ruptione è liene. Dissipatur etiam spiritus (vt modo diximus) pluribus motibus, tenuitate, raritate corporum ipsos continentium, tenui humore & calido, sudore nimio. Alia vero & tertia causa erat, spiritus alteratio: vnde vel ineptus fit ad opera naturæ, vel etiam inimicus; vt qui venenosam qualitatem acquisiuit, ex ebibito veneno, vel ex mala aëris infectione. Ad hoc genus pertinet euaporatio facta ex odoribus malis, vt cadauerum & aliarum putredinum, vt eorum, qui in foueis tritici præfocantur: sic & euaporatio à matrice sublata; praua enim putredo in ea gignitur, & per multitudinem arteriarum multum cordi communicat. Ita & alterantur spiritus, tum ex vitiosis abundantibus succis, tum ex ambientis malitia, qui alias alia de causa in hunc est mutatus, vtpote ex metallis, caminis, aut barathris, aut ex leguminibus & eorundem putredine, olerum vel animalium, aut si halitum ex stagnis, vel paludibus, vel fluminibus recipiat, & ex venenatis facultatibus, aut animalium, quæ virus reiectant, venenis. Cum itaque vires sint in spiritu calori natiuo innato, & temperamento solidarum partium calore insito & humore primogenio siue radicali constante; ergo in tam præcipiti virium lapsu, vel spiritus vitalis, vel temperamentum, vel vtrumque collabitur. Spiritus autem vitalis cum sit in corde, duplicemque motum habeat, vel intro, foras: vel foris intro (vt iam ostendimus) deficit, vel non generatur, vel corrumpitur à proprio receptaculo, propter intemperiem fortem cordis, vt scribit *Galenus* 1. *libro quinto*, de locis affectis: vel defectu alimenti, vel alteratur, vel non mouetur, vel dissipatur, vt iam ostendimus. Cunctæ igitur causæ, aut cordis spiritus vel solidum eius corpus offendunt: quæcunque enim causa syncopen excitat, aut prædictorum corporum solidorum, aut spirituum essentiam corrumpit, vel saltem eorum temperiem mutat, quemadmodum apud Gal. legitur, 12. *method. med.* namque in his duabus substantiis virium essentia consistit: quæ insuper sic custodiendæ sunt, vt tum qualitate, tum quantitate (quod fieri licet) naturaliter se habeant. Iam vero quomodo alterentur spiritus, ex vitiosis succis, vel ambientis vitio vel veneno; & quomodo corrumpantur, iam etiam diximus, ex ingenti dolore, crebris motibus, vigiliis, & defectu alimenti. At quibus causis digeratur solidorum corporum substantia, id quoque ex parte dictum est, ob longissimos præcedentes morbos ægro extenuato, ob atrophiam & defectum nutrimenti, ex feb. acutis corpus colliquantibus, cuius exempla etiam posuimus *in lib. de febrib.* Alterantur autem intemperie mutata, immodica ventris inanitione: de quibus omnibus vide Gal. *de caus. syncop. lib.* 1. *ad Glauc.* & Martinum Acakiam, qui in eundem librum commentaria egregia scripsit. Morbi enim tam diuturni quam acuti temperamentum partium solidarum destruunt. Et hæc plusquam satis dicta sint de causis syncopis.

OBSERVATIO IX.

De syncope ex nimio sanguinis fluxu è naribus & de alia post medicamentum purgans oborta.

PVella cum vehementer sanguinem funderet è naribus, nec vllo modo restringi posset, ad eam cum intrassem & syncope corriperetur; crura, iuxta doctrinam Galen. 1. ad Glauconem, pluribus & valentibus ligaturis stringere iussi; iecori,

jecori, cum è nare dextra cruor emanaret, ventosam magnam affixi ; quibus præsidiis à syncope liberata, etiam sanguis, qui affatim profluebat, restrictus est. At iuueni valetudinario, cui medicamentum vehementissimum ab empirico propinatum erat, ex nimio alui profluuio & fluxu concitatiore syncopen patienti, supra lectum posito, faciem aqua irrorabam, vel potius conspergebam, vt ita excitaretur. Brachia, tum crura vinciebam, manibus etiam pluribus & vehementibus vinculis inicctis : talia enim ad se humores reuocant. Interea & frictionibus partium supernarum vtebar, & exiguum theriacæ recentis propinaui : hæc enim (vt Rondeletius vir doctissimus asserit) valde confert syncopi obortæ post medicamentum nimis purgans: quod si non adsit recens, antiquam exhibet, addendo opij gra. ij. cum vino : sed cum recentem haberemus, annum vix excedentem, dedimus ℈ ij. cum vino. Interim oleo quoque sequenti ventriculum tum ventrem inunximus : ℞. *olei cotoneor. myrtill. ana* ℥ j. *olei absinthij* ℥ iij. *aceti parum. Alteri dedi* ʒ j. *terræ sigillatæ veræ, & micam panis vino intinctam*, cum viderem ex nimia purgatione signa animi deliquij futura, ex faciei pallore, ac pulsus varietate & deficientia : nam signis præsagientibus syncopen, vel eam præcedentibus (de quibus latius scholio sequenti,) apparentibus, statim animum intendere oportet ad remotionem causæ syncopis futuræ, ne ea ipsa confirmetur.

2

Scholia.

3 *Signa præsagientia syncopen.*

Inter signa vero (de quibus nunc agendum, cum omnes causas enucleauerimus) syncopen præsagientia, non erunt omittenda ea, quæ deliquium præcedunt ; nam hæc ad præcautionem valde vtilia censentur, priusquam quis graui syncope prehendatur. Hæc quidem cognoscuntur ab excessu temperamenti ipsius cordis, & à strictura viarum ipsius cordis & pectoris, & raritate totius : corpora etenim calida, rara, facillime resoluuntur, & sicca & qui subtiles humores habent, latosque poros, & acuti sunt sensus ; tales enim facile syncopen incurrunt : macilenta quoque corpora & extenuata, & sudoribus, & euacuationibus resoluta, & ex infantibus & senibus, qui difficulter famem ferunt, tam ægri quam sani, & maxime in æstate, potissimum macilenti, extenuati, aut longo morbo consumpti, cum id malum peculiare existit pueris senibusque micropsychisque omnibus conualescentibus, & fame laborantibus, & firmioribus quoque, nimio sudore profusis. Deliquium quod à repentina causa non oritur, languidos prius arteriarum pulsus reddit, facies pallescere videtur, palpebræ resoluuntur, extrema frigescunt, frigido sudore rorescit cutis, tremulum redditur cor, ac languet ceruix, oculorum debilis adest motus, & liuor, imaginationesque non consuetæ, visui obiiciuntur, ex motu spirituum inordinato : tum ex vaporibus ad ipsos eleuatis, impotentia loquendi accidit. Signa ipsius syncopis præsentis, ex se nota sunt, tum ex illis, quæ diximus, ex facie homini mortuo simili, pallida, cineritia, cum sanguis intro ruat, frigent extrema & sudor frigidus erumpit, anxietas suboritur & animi perturbatio, & tandem animus deficit, ita vt corpus resolutum sentiendi mouendique vi destituatur, in tantum, vt stans cadat : pedes, nec nonmanus, plicabiles manent. Hoc etiam mihi semel in lecto contigit, cum nocte lotium in lecto existens rederem, & genibus incumberem, subito lapsus in syncopen, matula, manibus cadente, lotio profuso & corpus vxoris meæ attingente, atque ita ipsa exprerecta, me syncope affectum sine loquela arripit, vnde excitatus reuiuiscere cœpi. Bene dixit omnium nostrorum parens omnipotens, hominem solum existere non esse bonum : si enim Eua mea & nomine & re ipsa, mihi non adfuisset, syncope ita extinctus fuissem. Spectra quoque noua, malo inuadente, visui offeruntur ; inpotentia sequitur ad loquendum, & bene respirandi facultas intercipitur, palpebræ concidunt, pulsus fit rarus, obscurus & quasi abolitus, nec non formicans. Signa vero causarum, & quæ causa syncopen inferat, & quo modo affligat, hæ sunt pius in promptu cuique sunt. Nam si causæ vacuantes præcesserint, scimus ad inanitionis genus pertinere, seu profluuia, seu dolores, vel animi affectus, vel lætitia, vel metus, vel inedia, vel vigiliæ, vel ambientis æstus. Si immanifestæ sint & non prægressæ, statim suspicio incidit, esse succorum tenuitatem, & corporis raritatem : ideo naturam corporis contemplaberis : hoc enim tibi statim aperiet, vt si gracilis sit, calida & sicca præter modum temperies : quanquam nec sic syncopen faceret, nisi ali qua dissoluens causa iungeretur, vt febris, vel ambientis æstus nimius. Sed erunt hæ tales, quæ in alio corpore id non facerent, ideo in eas occasiones referuntur ex habitu scilicet corporis. At si quis adeo prætenues succos & spiritus habeat, vt ocyssime exhalent, adeoque imbecillem habeat per vniuersam corporis molem retentricem facultatem, expultricem autem immoderatius concitatam, vt propterea in syncopen incidat in eiusmodi affectibus, mortifera illa species in facie celeriter appareat, nasus videlicet acutus, oculi caui, astricta tempora, & reliqua quæ deinceps ab Hippocrat. in *prognost.* sunt conscripta : quamuis aluus non multum excreuerit, neque vigilauerint, aut tristes fuerint, aut fame affecti ægri ipsi : ex his namque minus malum est, quamuis absque his emaciati fuerint, eodem Hippocrat. auctore, & Galeno cum 1. prognost. tum 12. method. medend. quem sectati sunt Aëtius *cap.* 98. *lib.* 5. & Paul. *cap.* 37. *lib.* 2. Si vero ex grauatione, pulsus monstrant : habent enim propias inæqualitates : sed si iam premitur multum æger, & pulsus, affectus ratione, fiunt inæquales, coniicies copiam, & copiæ qualitatem, scilicet cruditatem & frigiditatem humorum : præterea & multa stomachi nausea præcessit, & cibi fastidium ; & color corporis, vt ait Galenus, id monstrat. Si itaque ex magna humorum crudorum copia ex cruditatibus vel alia quapiam occasione congesta syncope excitetur, vna cum oris ventris (quod stomachum vocant) offensione, his namque & præcordia inflata, & totum corpus ampliori mole, quam pro naturæ modo cernitur : tum calor aliis ad albidius, quam pro naturali habitu, & aqua intercute laborantium magis simile, est mutatus, nonnullis etiam ad nigrius, aut liuidius, quos medici plumbei coloris appellant. Omnes vero pulsus minores sunt, quam pro caloris ratione, si febricitauerint : præterea obscuri, omninoque inæquales sæpe ea inæqualitate, quam systematicen Græci vocãt ; semper vero ea, quæ in vno est ictu, vt legitur apud Galen. 12. *meth. medend.* & Aëtium *cap.*

4 *Deliquium præcedentia.*

Signæ præsentis syncopis.

cap. 46. *lib.* 3. ac Paulum *cap.* 36. *lib.* 2. Eos vero, quibus ex flaua bile, quæ os ventriculi infestet, syncope incidit, cum ex reliquis, tum etiam ex assidua oris ventriculi mordicatione, anxietate, vellicatione ac dolore cognosces. Si itaque ex vitio stomachi, nauseæ antecedunt, ac varij oculos colores subeunt : ex cerebro, vulua & iecore vitia aut offensiones antecedent ; & aderunt horum propria signa : ita ex tineis seu vermibus eadem aderunt, quæ de vermibus dicentur : præter dolores & crebras punctiones, etiam dentibus stridٍent, importuneque clamant, & ij per supera vel inferna quandoque emittuntur. Quod si ab apostemate, signa eius quoque aderunt : si ex obstructione principium partium, hi vero subito concidunt, vt ait Hippocrates, & in accessione signa habere non potes : sed si releuantur, ex pulsibus hoc dignosces, vt Galenus in medico illo sensit. Si ex alteratione spirituum, si ab externa causa, excomesta nota erit : si ex euidendi aëris qualitate, similiter : sed si ab occulta, si ab aëre, communis erit multis. Prognostica autem hæc sunt, inquit Paulus, vt etiam Iacchinus annotauit : Si affectus vehemens, si magna syncope, omnino peribit ; nec est remedio locus : neque decipiaris, quia aliquando ex conatu naturæ tursus reuerti videntur ; statim enim leui motu facto concidunt. Significabit prauitatem, quod licet leuati sint, pulsu carent, vel exiguum & obscurum habent ; præterea neque color vnius redit, neque sani facies : frigent quoque vehementer. Quæ vero significant prope aduentare (præter illa signa, quæ superius diximus) pulsus sunt, vt Galen. docet in lib. de venæ sect. cum ad obscuritatem & inæqualitatem tendit. Præterea antecedunt crebra animi deliquia vehementes illas syncopes, dum è lecto assurgunt, dum caput attollunt, sensus quoque hebetantur. Mortis etiam signum est, si calor non reuocatur. Ex speciebus vero, quæ per consensum salubriores esse videntur, vt omnis per consensum affectus generatim. Verum si syncope valida, medicinæ locus non est, vt idem inquit Paulus *cap.* 34. *lib.* 3. vt etiam Altimarus annotauit. At si vires adhuc tantillarum constant, aliquando ad sanitatem recursus est, vt ipse refert : Cæterum vbi cor proprio affectu laborauerit in syncope, valido existente animæ robore, ex quibusuis animi affectibus, ipsa excitetur, numquam æger succumbet, Galeno teste 5. *de locis affectis.* Si vero propter eius intemperiem syncope eueniat, pernicioſior erit, quam ex cerebri intemperie : quemadmodum hæc periculosior est, quam si iecur primum effectum fuerit, vt testatur Paulus *cap.* 38. *libr.* 2. *& Aetius*, *cap.* 94. *lib.* 5. quamuis non ita subito syncopes necare possint, quæ ex cordis intemperie oriuntur, quam illæ, quæ instrumentales eius morbos sectantur, vt patet eodem *lib. de loc. affect.* Pestifera autem est syncope illa, quæ extenuato spiritu ac sanguine originem trahit ; potissimum vbi imbecillitas adsit retentricis facultatis totius corporis, ac expultrix immoderatius concitata fuerit. Prorsus autem exitiosa syncope erit, si corpore succis erudis refertogeneretur ; aut ex redundante flaua bile os ventriculi infestante : siue ex extenuatis succis, vbi iecur vel ventriculum phlegmone obsederit, quemadmodum scriptum reliquit Gal. eodem 12. *meth. medend.* Verum si citra phlegmonem stomachicæ syncopes fiant, ventriculi ore affecto primo ac consentiente corde, curationem magna ex parte admittunt : nam minus periculosæ sunt ; quam si exsiccatæ fuerint ex aliquo trium principiorum ; quemadmodum colligi potest ex Galen. *verbis præcitatis, lib.* 2. *meth. medend.* Arabes vero confirmatam syncopen ex causa confirmata incurabilem constituunt, quæ ad vltimam malitiam (vt illi referunt) deuenit, in qua facies viridis apparet, calore innato exstincto, vna cum colli connexione, virtute motiua iam debilitata ; vt caput eleuare non possint ad inspirandum aërem, ita vt constricto pectore mors subsequatur. Sed ab vtero licet frequens sit, vt plurimum salua ; & ab aliis membris modo causa ad extremum fixa non adsit. Omnis vero, quæ frequens est : & vehemens, damnatur, quoniam ocyssime interimit. Longo quoque morbo consumptis frequenter animus deficit, ac lethalis est is morbus, & apoplexiam quandoque denuntiat. Ex febribus, (*vt etiam in libris de febribus egimus*) maxime acutis, periculosa animi defectio, sicut ex carbunculis vel phlegmonibus pestiferis, sub principibus membris, vt in peste Delfica sæpe obseruauimus, de qua egimus *lib.* 6. nostrarum observationum. Pueri quoque & imbecilles, præparci animi, ex animi mœrore vel leui deficiunt : & iis euenit, qui in maioribus musculis, vel genu præcipue, vulnerati sunt, & qui ex causa tacita interna oritur, hominem frequenter rapit, magisque si certo ordine ac sæpius redit. Cor præterea, quo magis angustum est, eo magis ab ea peste tutum est. Animæ quoque defectionis conclamatæ indicium faciunt, vana sternutatoria naribus indita : pulsus formicans, exiguam præsagit spem. Quibusdam tamen senibus pulsus penitus conciderat, quo exinde reuocato, diu postea vixere. In vndis submersi post octo & quadraginta horas recreati reuixere. Fœminæ aliquando in vuluæ cruciatu elatæ in sepulchris ad vitam rediere : quo pro alterius mortui sepultura detectæ locum mutauere, atque ita miserrimè mortuæ inuentæ sunt. Septuaginta propterea & duas horas antequam humentur decreuere : patia quoque interualla debent iis, qui animo deliquere sine manifesta causa.

12

Qui non statim sepeliendi.

15

Observatio X.

De syncope ex nimio sudore.

1 Quidam cum cursitando valde laborasset, sudore largiter è corpore emanante, animo delinquebat : cui neque frictiones adhibui, nec vinum propinaui, cum talia magis sudores moueant, cum potius sint meatus cutis obstruendi, vt sudor sistatur. Faciem irrorari iussi aqua rosarum etiam frigida, & apertis fenestris, vt aër intraret. Sicuti olim valde febricitans ex nimio sudore nobilis quidam syncopen incurrebat. Imperaui, vt leuiter operiretur & euentaretur, atque vt per cubiculum herbæ frigidæ spargerentur, vt folia salicis & vitis : quibus præsidiis & hic quoque ad se rediit, aqua quoque frigida in faciem conspersa. Huius & aliud vides exemplum à nobis positum *lib.* 7. *obs.* 9.

Scholia.

2 Cum causæ sint diuersæ, propterea non vnus modus curationis cuiusuis syncopis est, sed singulæ earum propriam curam desiderant, vt ad longum

longum docuit Galen. 1. ad Glauc. pro diuersitate causarum, ex quibus excitantur. In vno tamen omnes communicant: quod si deprehensus syncope cubans est, omnis sollicitudo medentis ad symptoma vertitur: si necdum premitur, vtriusque cutam habebit, vt & symptoma non incidat, & vt morbus paulatim discutiatur secundum Galen. 12. *lib.* 12. *meth. medend.* Nec minus & in alio quoque inueniunt, quod siue per essentiam fuerit orta syncope, siue per consensum affecto corde, semper ipsi prospiciendum erit, cum & principalissimum viscus sit, saltem quo ad vitam: & propterea robur eius perpetuo seruandum erit; nec syncope aliqua gigni potest (vt prius diximus) nisi & ipsum cor afficiatur. Hanc etiam ob causam alij curationem in tria capita distinguunt: vel etiam imminet accessio syncopis, vel actu incidit, vel releuatus est ab accessione, sed non perfecte, vt facile relabatur: & in his omnibus quoque diuersam curam exigit. Nam si
3 imminet, solum affectum summouebimus, à quo incipit: & ita hic incipiendo de resolutione, si sit ex euacuatione nimia, sistemus, cum primum aduentare ex signis iam superius dictis sentiamus. Si ex calore, educemus ægrum; hoc sæpe fit in febricitantibus, cubiculi ratione nimis calidi, cuius exemplum posuimus *libr.* 2. *obsern.* 30. de domino de Lokhorst: ita vbi ex distemperantia calida contigerit membrorum principalium, contrarijs occurrimus remedijs. Si ex odore malo, hunc tollemus bonis, & in vniuersum aërem alterabimus. Si corpus quia rarum est, & tenuibus succis resoluitur, non sinemus, quin ante accessionem cibemus, vt possit sufficere, idque cibis, qui non facile dissoluantur, qui enim ob prætenues succos syncope opprimuntur, accedente quoque corporis raritudine, diuersa ratione curantur, quam illi, qui ob crudorum humorum copiam laborant. Huius curationem quoque explicauimus *lib.* 2. *obs.* 41. de febre syncopali continua à bilioso humore, & *lib.* 2. *obsernat.* 19. de febre syncopali intermittente, à bilioso humore orto. *& obser.* 5. *libr.* 7. de febre continua cum syncope ex acri & tenui humore, ventriculum vellicante, vbi & in scholio huius curationem, tum ex Galeno & Aëtio exposuimus. His frigidus aër astringensque
4 conuenit ex rosis, aut myrti foliis seu vitium pampinis, in domo substratis, corpusque rarefactum pensandum. Vngendi quoque, si opus est, vnguentis astringentibus, rosaceo, omphacino; & refrigerantia, præcordiis & stomacho apponenda, cataplasmata ex ros. palmulis, hypocistide, & cibi dandi, qui non admodum prompte effluant, vt est sorbitio ex alica, fructus austeri, vt cydonia pyra, mala punica (de his vide Galenum, Paulum & Aëtium, & vitellum ouorum 12. *method.* & testes gallinaceorum, qui lacte sunt aliti. Et si syncope sit ex flaua bile, quæ os ventriculi infestet, contrario modo curanda, quam illa, quæ ex crudorum copia fiat. Aër frigidus adhibendus, vt in obseru. citati ostendimus; somno liberaliori indulgendum; cibis frigidis & potu frigido vtendum, ptisanæ cremore, pane non multo sed modico, ex vino aquoso frigida diluto: bilisque, quæ ventriculum lancinat, calida aqua vel exiguo aceto adiecto, aut syr. acetoso simplici, vomitu leuiter expurganda, vel aluus cienda thamarindis, vel manna, aut rhab. cum cautione, si opus est, cum exquisitas euacuationes non ferant, vt in obser.
5 citatis latius docuimus. Ventriculum roborabimus syr. granat. acidorum, ex acetos. citri, oxyzacchar. quidam hic post purgationem exhibent decoctum absinthij. Sed videndum, si vna febris adest, ne nimium calefaciat. Si ex animi affectibus, hos & contrarijs mitigabimus, nimium lætos tristi nuntio, dolore animi afflictos, consolatoriis, & amicorum præsentia. Timor, qui syncopen facit, quod inspirato eueniat & casu, præuisionem habere non potest, vt fortes nec animi affectus. In summa, quibus ex resolutione syncope imminet, scopi sunt causas tollere & dissolutionem, quæ facta est, resarcire cibis: quod facile fieri adhuc poterit, quia vires infirmæ hactenus non adeo sunt. Si ex ingenti dolore, curanda causa doloris erit. Huius syncopis posuimus exemplum lib. 7. obseruatione 4. de muliere ex ilei dolore syncopen grauissimum incurrente: ideo si ex dolore affectus summouendus, si id facile possit, si periculum instet syncopes, etiam neglecta tantisper causa. Symptoma respicientes, solum stupefacientibus vtemur; cum cautione tamen, hoc enim est proprie aduersus symptoma pugnare, non aduersus causam symptomatis. Hæc *lib.* 12. *method.* Fugimus his præsens periculum resolutionis, quam per se facit dolor ob commotionem in spiritu, per accidens vero vigilia, quam inducit; quæ & ipsa motus quidam est. His omnibus obuiam hæc eunt: nam & dolore leuant, & somnum conciliant. Quod si dolor à causa calida sit, vt bile mordente, nihil oberit etiam effectui, vt eodem lib. Galen. testatur: nam temperat sua frigiditate bilis acrimoniam. Sed cum dolores diuersi sint, & diuersam causam habeant, ea semper erit tollenda quoque, vt latius docuimus scholio *obseru.* 4. *lib.* 7. Si
6 sit ex fame, sæpe paulatim nutriemus, & leuibus cibis: contingit hoc in obsidionibus aliquando, quod nostro tempore in his bellis, quibus (proh dolor) affligimur, contigit in obsidione Harlemensi & Leydana. Restituimus vero, quod antea resolutum est, tum alimento, tum aëris temperie, tum alterando hunc prout oportet, tum etiam gratos odores adhibendo. Nam & aëre spiritus alitur. Hanc enim prouidentiam exigunt (vt etiam Iacchinus docte expressit) qui mox à
7 syncope releuati, in periculo tamen sunt, ne leui momento recidant. Nam & in his causas summouere oportet, dissoluentes, & resarcire quod est amissum, tum cibo, tum aëre, qui inspiratur. Sed maiore negotio instare oportet, quod maior est motus; & exquisitiore diligentia, quod vires imbecilliores. Primum igitur si ex vacuatione resolutæ sunt vires, cum primum releuatur: si cessauit (quod in multis euenit) vt sanguinis fluore & ventris, tunc nihil circa hoc erit negotij; sin perstent, tentandum est propriis ingenijs succurrere; primum auersionibus, non per vacuationes, quia non ferunt; sed frictionibus (vt paulo antea docuimus) contrariarū partium, & vinculis. Iuuat & ad auertendum, cucurbitulas affigere contrarijs, quæ recte respondeant, vt in sanguine è naribus, hypochondriis eas applicare; in eo, qui per vterum fertur, mammillis; si
8 ex hæmorrhoidibus, non dicunt, credo, ratione bona, quod hypochondriis: nam ad superna traducere oportet, & in principia, vnde est fluxionis origo. Sed quomodo sistere oporteat, priuatim diximus, & aliis quoque exemplis ostendimus *lib.* 3. *obs. nostrarum de symptomatis febrium.* Sed vt subita & prompta remedia habeamus, si sit è naribus,
9 astringentia

In quibus communicāt omnes syncopes pro earum euitatione.

Si à dolore.

Si vires.

astringentia & frigida fronti & temporibus admouenda, & per nares traiicienda; & facies frigida sæpe spargenda: & si adstringens sit, melius erit vt ex myrti floribus, vel ligustri, vel rosar. etiam sylueſtrium, quæ sunt cani rubi. Medicamentum quoque Galeni 5. *method.* optimum est ad sanguinem sistendum, ex aloe, thure, albo oui, & pilis leporis. Ita & in sanguinis missione (huius quoque exemplum posuimus *obseru.* 10. *libr.* 7. De animi deliquio ea sanguinis missione in febre acuta eueniente) ægros præseruamus à deliquio, si supinis mittitur sanguis, ac naribus odorata subdita fuerint, rosacea, vino & aceto permixtis: vino quoque granato madens panis, si deuoratur, salutaris est. Si sit ventris profluuium, ea quæ capite proprio scribuntur, nempe adstringentia, adhibenda, & fluxus cohibendus: si vero ex sudore & digestione multa insensili (quæ eueniſ in febribus, his qui tenuissimum sanguinem habent, & continenter spiritum, & raro admodum habita sunt) tunc similiter profluuium sistere oportet, idque adstringentibus, & vna frigidis, aërem alterando, tum aqua inspersa, & sæpius aëre flabellis innouato, & admisto aceto,
9 & aqua rosacea: etiam proderit stratum sternere germinibus frigidis adstringentibus, vt & cubiculum irrorare iisdem. Similiter & vnguentis eius corporis habitus densandus, quæ astringant. Vomitionibus exhausti, vino aqua frigida permixto recreandi: verum febris & capitis ratio habenda est. Si animæ defectus ex vomica aperta, aut hydrope soluta oriatur, quæ spiritus recreant, protinus danda sunt. Tales omnes & sudore resolutos non oportet mouere, sed iacentes
10 in omni quiete retinere. Iuuat vero & his sæpe extremis refrigerantia adhibere, & pectori frigida epithemata, & vnguenta, maxime ad cordis regionem in iis, qui sudore diaphoretico resoluuntur frigus enim densat & sistit, & crassiora reddit, quæ tenuia sunt. Quomodo vero resarciatur, quod resolutum est, patet, quoniam prima materia spiritu generandi est sanguis bonus; ideo vt hic restituatur procurandum est. Qualis debeat esse cibus, Galenus exponit, id est, qui non prompte diffluat, hoc est, à quo sanguis ille adeo tenuis, & difflabilis non generetur; & dat exemplum de alica, quæ fit ex zea, cibarium ex farre. Et cibi adstringentes, vt fructus & panis. Contra ea, quæ tardas habent excretiones, fero quoque nutriunt. At hic veloci nutritione opus est. Respondetur, Non est hic tanta necessitas, quando releuatus est, sed datur spatium concoquendi interim, vnde hoc est interim mederi affectui, qui est succorum tenuitas: sic enim crassior redditur massa sanguinea, vt optime dixit idem Iacchinus. Aliud est, cum syncope accessit. Cum vero iam validior redditur, etiam validioribus vtetur. De vini potu Galenus dicit, his vinum aquosum dari: ipse vero paulo ante eodem libro vniuersim in omni syncope vult dari flauum, & quod celerrime nutriat. At hoc exiguum nutrimentum præbet (ὅπωσε πρέφει) & non ita celerrime ducitur, vt tenue flauum. Auicenna his dari vult vinum nigrum, crassum, austerum: ratio esse potest, ob quam Galenus quoque his austera poma dedit, vt languidas partes firmaret, & astringeret corpora. Paulus in hac cura vinum aquosum accipit. Respondeo, aliud est in accessione, vbi solum contra symptoma pugnamus: aliud extra, vti etiam causam respicimus.

Loquebatur prius Galenus in omni accessione, hic vero extra eam. Quoniam vero communiter in his affectibus celeri nutritione est opus, ideo & aqua carnis vtimur, quam quidem gratissimam conficimus, capos non saginatos capientes, & irrorantes, dum assantur, aqua rosata, & aceto ros. vel succo granatorum: postea exprimimus. Si etiam febris absit, loco aceti vinum flauum admiscemus. Quantitas eius ℥ ij. cum modico vino. Huius generis est vitellus oui. Vino austero crasso vtitur Galen. in fluxu sanguinis è naribus: quoniam tenuior calore & fusione potest affectui nocere: in cæteris calidum & tenue præeligit. Hic quoque extra syncopen intelligit: nam in ea est alia ratio. Si enim vinum dandum, tenue & calidum dandum. Sed num actu frigidum? Gal. in hoc respicit consuetudinem & aëris temperiem, & corporis naturam calidam vel frigidam: & sic calidum vel frigidum propinat: vbi nota quod veteribus mos fuit temperare vinum calida: vt Horat. Quis aquam temperet ignibus, &c. Britannicus in calida venenū hausit. Nota etiam ex Galeno conditiones, quæ faciunt abstinere à vino, scilicet febris ardens, cruda, quia concoquendis succis iuuabit, 11. *meth.* lædet aliter calore, fusione, etsi adsit apostema, quoniam auget illud: sic si delirium instet, vel capitis dolor grauis: Auicenna addit, & si resolutio ex inedia non fit; lædit enim merum iuuenes, ob id, quod neruos lædit, vnde spasmus, vel delirium: eius loco aqua carnis semper & in syncope, & extra vel simul admista. Si ex morsu ventris, vbi affectum curaueris, iisdem vtitur. Debet enim interim causa tolli. Concludendo igitur, in euacuatione nimia reficiendus æger, vino diluto, theriaca recenti, irrigatione aquæ frigidæ in ipsa accessione, extra & ante, ventriculi linimento, frictione partium superiorum: & excretio, vt in cæteris, retinenda.

OBSERVATIO XI.

De quibusdam à difficili syncope releuatis & curatis.

QVoniam syncope extraordinarium malum est, ac sæpe præsentissimum, omissa sæpe morbi origine, deficientes excitandi sunt protinus remediis, & spiritus reuocandi ad extrema, modo aqua frigida, modo rosacea, aceto mixta, vel vt alii voluut, aqua rosacea moscata, si ad manum sit alioqui sola aqua frigida in faciem sparsa, de qua latius in scholio. Odoratus ad nares, frictionesque adhibendæ, prout ratio dictat, & pro varietate causarum. Sic mulier nobis vicina, ex violento partu & fœtu mortuo dum vi pareret, sanguine etiam per inferiora copioso profuso, in syncopen validam incidit, vt omnes illam morti vicinam iudicarent. Ad hanc subito ingressus, cum nihil capere posset, factis frictionibus digitorum, vinum pro odoratu naribus obiiciens, & digito intincto in aquam frigidam, cum nihil ad manum esset, & in faciem conspersa ea aqua, & temporibus confricatis cum vino & aqua rosacea, quæ tunc adferebatur, oculos aperuit: mox cum videretur aliquid posse sumere, dedi cum cochleari exiguo parum aquæ cinnamomi, qua fuit excitata, & ad se præter omnem opinionem rediit vino atque odoribus gratis, cum nodulo caryophil. Postea etiam aqua carnis & vino refocillata, optimis aliis præsidiis adhibitis, non

amplius redeunt syncope fuit probe curata. Cuidam, qui ex fame in obsidione, spiritibus resolutis, in syncopen inciderat, aquam frigidam non insperſi in faciem ; sed vino & odoribus bonis naribus admotis quieti permittebam, panisque frusta, tum cum ad se nonnihil rediisset, vino diluto immersa exhibui, quod cum adhuc ex syncope nondum perfecte releuatus, comedere non posset pulli ius sorbendum exhibui, & aliarum recentium carnium cum vino. Et hic quoque deinde leuibus cibis, tum vino vtens, diluto etiam cum pane, firmam sanitatem consequutus est. At sororcula apud Clarissæas, quæ adhuc viuit, cum mammillam cancrosam chirurgus funditus excideret, me & Cornelio Heydio collega meo præsentibus, tam ex fluxu sanguinis, quam ex ingenti dolore animo defecit : sed odoribus vini, & temporibus ac fronte cum aqua rosac. & aceto dilutis, irrigatis leuiter cum leui frictione, tandem excitata, & emplastro restringente mammillæ appositο, optimis deinde aliis præsidiis adhibitis, & alimentis bonis ac lenibus refocillata, etiam ad sanitatem peruenit, carcinomate quoque egregie curato, eadem adhuc viuente anno 1591. mense Octobri, dum hæc in ordinem redigeremus.

Scholia.

3 AD syncopis accessionis & irruentis curationem deueniendo, statim præsidia optima, quæ ægros reuocent & excitent afferre oportet, ratione id dictante, ne statim succumbant. Hi ergo bifariam se habent : vel enim adeo oppressi sunt, vt nihil possint capere, vel vt possint ; qualis erat æger ille iuuenis apud Gal. lib. 10. meth. medendi, cuius historiam legere poteritis : primo modo erat Boëthi vxor. Hic vero primum generalia quædam proponant medici, vt & Iacchinus doctissimus annotauit in omni scilicet accessione : & sunt excitatio (est enim velut torpor quidam facultatum) prohibitio resolutionis, & quanto citius fieri potest restauratio. Galenus ita eos tractat : primum frigida faciem spargit, & est remedium mulieribus vsitatissimum, quo passim in quaque syncope vtuntur, & illud experientia videmus excitare. Non desunt tamen aliqui, qui volunt, vt in syncope si causa frigida aut immodico alui fluore, non fiat, quem frigida intus comprimens augeret, & in fame quoque ab ea abstineri volunt. Sed in aliis, vt demittatur in faciem, iubent, vt sopiti spiritus excitentur, & si qui adhuc in partibus externis remanserint, resolui prohibeant : & hanc præcipue imperant, in iis, qui ab æstu, aut febris incendio, aut alia causa calida oriantur. Sed expositores hoc præsidium cum legerent apud Auicennam, non excitandi gratia fieri credidere, sed denſandi, ne scilicet exhalent spiritus, sed detineantur : facies enim ea est, ad quam multi concurrunt. Sed prior ratio sanior est, quoniam maxime sensilis pars & neruosa, ideo subito illo occursu maxime commouetur, & spiritus ad eam vertuntur, siquidem omnino his destitutum cor non sit, aliter peribit. Assiduare igitur volt Iacchinus donec excitetur. Secundum remedium est, eos nomine compellare ad aures, donec excitentur. Nam ex sono feriente vis sensitiua aurium excitatur, & reuocat spirituum mensuram, & caloris. Subdit Galenus & nares apprehendere similiter ad excitandum, in cura vxoris Boethi. Alij & os & nares ; vt comprimantur iubent, vt inspiratus aër interiora petens, & paulo mox egredi volens, calefactus ad cor redeat, ipsumque calfaciat, spirituſque reficiat & excitet : id forte in causa frigida magis conducit. Addit Galenus & odorata naribus admouenda : quæ ea sint, non scribit. Hæc vero tum ad vim cuigilandam, tum ad spiritus restaurandos faciunt : quæ tamen hoc casu eligi debent, quæ grata illi esse solent, vt vim animæ alliciant, nec refugiat. Vinum ergo maluaticum, aut aliter maxime odorum conuenit. Auget vero vim eius, si tostum panem assumas calidum, ac persundas : quod si fortiorem odorem velis, etiam acetum acerrimum rosacea temperatum, & garyophyllis, & santalis similiter offeres, & in faciem irrorabis : quod si carnophoræ grana iiij. addas, vehemens erit odor & gratus. Sic & Aërem totum cubiculi odoratum reddes ex rosacea, & garyophyllis. Componuntur quoque poma ex speciebus epith. cor. cum ladano, sed reuocatis deseruiunt magis. Hic alij in causa frigida spiritus instaurant aluntque, qui non solum naribus ægrotantis admouent, vt olfaciant, sed etiam inflando naribus immittunt odoramenta in tenuissimum puluerem redacta : algalia, moschus, styrax, calamita, ladanum, & id genus alia permulta boni odoris, ad hanc rem sunt idonea. In causa calida odoret santala, præsertim citrina, rosas, caphuram. Interea cautio habenda, si à præfocatione vteri fiat, vel mulieres (vt ex interrogatione astantium discere licet, si non loquantur) ei sint obnoxiæ, à iucundis illis odoribus abstinendum, quin grauiter olentia naribus quidem iniucunda, ac vulnæ suauiter olentia admouenda. Quidam altis vociferationibus & clamoribus spiritus circa cor sopitos excitant. Prodest quoque ad excitationem artus confricare & ventrem : artus quidem vt calor rursus ad externa redeat, qui ob paucitatem in cor erat retractus, idque si ad brachia fiat, vino calente odoro, optimum erit. Sic & in historia Boëthi Gal. facit. Ventrem vero odoratis confricat, vt erit quondam nardinum vnguentum : ego potius nostro spicaceo vterer : nam iuuare sæpius vidimus ventris affectus. Hoc fit, vt ventrem robores, qui sæpe lædi solet in syncopes affectu ex confluxu bilis, & sine ea affligi cordis consensu : præterea cum valido sit sensu, eius contrectatio ad euigilandum facit. Sed quid iubet, vt vomat ? an quasi fœdus humor in ventrem confluxerit ? At hoc accidentarium est, neque enim ex ventris morsu, vel dolore statuimus syncopen euenisse. Aut similiter vt excitet, nauseam excitando ? Nam nec vomitiua dat Galenus, hoc casu, sed proritat solum : similiter ad excitandum postrema sunt, quæ sternutationem mouent, zinziber & piper : illa vehementiora sunt. Sed quibus modis curetur syncope ex bile flaua, iam prius quoque diximus : sed quando ea tentantur, vinum etiam flauum tenue, vel aquosa & antiqua vina propinant Gal. alij & panem in vino granato madentem dant. Et ita prohibere ne amplius resoluantur, fiet remouendo causam (vt etiam de febricitantibus diximus) etiam externam, si adsit, vt calor aëris, & alterando : præterea & auersionee ad vacuationes faciendo ad contraria, quamuis sisti soleant, sudore excepto, imo hic augeri ex debili contentrice naturali corporum, vel etiam raritate. In sudore igitur vtemur his, quæ ad præuisionem dicta sunt.

Quomodo excitandi.

Cum

Quando à syncope releuatus est æger, quid faciendum.

Cum vero à syncope releuatus est æger, causam, si adsit, respicere oportet. Habes exemplum apud Iacchinum de dolore, si causa existat, à quo æger leuari debet : alioqui recidet. Causa tollitur aut mitigantibus, aut lenientibus, aut stupefacientibus : cum cautione, vt 5. *simpl.* 18. & 12. *meth.* 8. & 5. *meth.* Reliqua vide apud Iacchinum, & quæ nos de dolore diximus *lib.* 7. *obser. de feb.* Auicenna, si sit materia dolorem faciens ipsam vacuat, causam tollendo, vomitu, clysteri, vel sectione venæ ; cum à syncope est releuatus æger. Verum id videtur fieri non posse : nam virtus necessario est debilis : ideo vacuatio nocet : si ita debilis manet, tentanda non est : sed cum à symptomate reficitur : at non nisi sedato dolore, semper enim dissoluetur spiritus. Quod si dicas, quomodo debilis stante sanguinis copia in venis ? A sanguine enim vires. Respondetur, non esse necessarium : sed primo à spiritus copia (non enim semper vires augentur) vt in lib. de plenitud. Vnde & Gal. cum de synocha loquitur, quam fieri ait in bono habitu, & multi sanguinis, cum sanguinem vult mittere, addit, si vires ferant : stat enim cum sanguinis copia, spiritum multum vacuatum, vel alteratum, vnde vires labant. Si stupefaciendum vtuntur philonio, vel pilul. de cynogloſſa, vel theriaca noua sex mensium, modo robusta sint corpora natura & colore, dant theriacam fere ad ʒ j. Pueris vero ciceris forma. Sed Philonis antidotum fortius est, cum restinguat, sistat : somnum faciat. De aliis causis, vt vacuatione immodica, certum est quod retineri debeat, si sequatur : sed de his suo loco, & cap. de dysenteria, cum & quasdam sponte deficere diximus. Sudores quoque prosequuti sumus. Si animi affectus, vti paulo ante admonuimus, contrariis sedandus, aut monitoriis præceptis vtendum : vbi vero timor, ne eueniat ad causam maxime respiciendum, eam tollendo : tollitur vero propriis remedis : quæ his in affectibus enumerantur. Si Auicenna dimittit, & dolor si est similiter sedandus, primum tentando causam remouere, aut per paregorica, alioqui stupefacientibus. Si ex febris vehementia, ad ipsam refrigerandam accedemus, vt de febribus diximus. In resolutione itaque spirituum, alimenti optimi succi : facile & cito nutrientia, humectantia. Diogenes Laertius scribit Democritum multos annos et fluentem spiritum retinuisse medulla panis albi intincta vino optimo, vt Cretico, & conspersa puluere menthæ, appositaque stomacho & naribus. Ita quoque si ex crebris & inordinatis motibus fiat, quies iniungenda, ex respirato prohibito, respiratio procuranda, ex animi affectibus statim ab eo affectu reuocandi. Si vero ex aliqua trium principiorum intemperie fuerit excitata, per contrariam intemperiem, moderate tamen vindicatam, syncope curabitur. Si ob inflammationis magnitudinem, aut vehementis febris malignitatem, syncopes generentur propriis curationibus, inflammationis scilicet, aut febris, curandæ sunt, tempore quo syncope deprehensi cubantes non sint : quouis enim modo fiat ob defectus spirituum post labores, vel morbus, vel medicamentum : nutriendus erit æger alimentis optimi succi, cito nutrientibus, & humectantibus, de quibus vide auctores. Ad causarum genus pertinent ea, quæ calorem suffocant : vt si copia solum in viscera irruat, aliquando & ea frigida sit ; aliquando non quod copia sit, sed quia exilis est calor, vt æger lib. 10. meth. Causæ vero sunt, quod vel ex victu in viscera acerbata est, vt iis qui crapula vtuntur, & in otio degunt vitam : sæpe vero & intempestiue exercitantur, vt humores fundantur crudi : & viscera petunt : sæpe ex retentis vacuationibus. Causas copiæ videre licet lib. proprio de plenitudine. Ad hoc genus pertinent obstructiones factæ in membris principalibus : sic quidam in iocinore tales obstructiones habebat, & crebro exsoluebantur, quem & Iacchinus curauit. Fit ex confluxu etiam confertim facto, vt in timore, & februm principiis : vel ob prauitatem vel caloris inepiam in resolutis, vel apostema. Ex apostematibus autem magnis, vt 4. Aphoris. 48. Eædem intentiones in eiusmodi curatione, causam remouere : nempe multitudinem, & euigilare, & calorem extinctum restituere. Primum autem & secundum scopum explent, quæ euigilare faciunt : retrahunt enim ad externa humores, qui in viscera ferebantur, & qui manent. Id faciemus per eadem ingenia : aqua tamen non inspergimus, vt monet Auicenna, sicut in superiori : sed extra vehementius fricabimus (nam sæpe crudorum copia in eo est) & ventrem odoratis inungemus, & nares vt oleo iasmino, benzoino, styracino, sunt enim hæc acriora. Hic quoque sternumenta magis iuuant. Sic & cordi calida epithemata adhibemus, vt melissæ, cardui benedicti, & sampsuchi aquam cum vino aromatico & speciebus diambræ : & calide actu apponimus. Tertia intentio calorem extinctum excitat & restituit. Quod si sponte sua fiat, vt in febribus, laborandum non est : sed febris curanda remediis propriis. Si non fiat, sed adhuc langueat, vt in timore, & causa tollenda est, & cibo & potu calido fanandus æger. Sic si sit oppressus calor ex debilitate : quamquam præstabit antea id feciſſe, vt 10. meth. med. Gal. ait. Si vero ex inflammatione ; vel febris malignitate, Galenus abstinere iubet prorsus, & euigilantibus vti : nam si dederis, inquit, necabis : quamquam exitialis affectus non debeat à medico tractari. Si vero ex crudorum copia, hic varius esse videtur, illorum artus plurimum fricat, calfacit ac ligat. Cæterum à vino & cibis temperare iubet. atque etiam à balneis, si febris adsit, & vt contenti sint mulsæ potu, in qua thymum, origanum ; pulegium, vel hyssopum concoctum sit, Confert autem & acetum mulsum. Mulsa varie apparantur : vide Acakiam in Commento supra *Gal. ad Glauc.* Abstinet igitur cibo & vino Galenus, potat incidentibus medicamentis. At lib. 12. vinum & cibum dat quo periculum in præsens euitet. Si tamen vehementer non febricitent, aquosum vinum statim exhibet, & in eo panem dilatum, modo in aliquo viscere non adsit phlegmone. Vide de his ad longum Altimarum, quæ ipse tum ex Galeno, Aëtio, Paulo, ad syncopen ex crudorum humorum copia refert. Dubitatur & de inflammatione : nam perpetuo accidentibus vires præseruantibus vtendum est, & dandus cibus. Respondetur, cum dicit abstinendum, in copia recte dicit, indicans causæ medelam, non symptomatis. Itaque distinguendum est, prout in accessione est vel extra. Signum quod hoc velit : quoniam subdit dandum oxymel, & mulsum cum herbis illis incoctis. Et sunt remedia, quæ ad hunc affectum Galenus affert, quæ causam respiciunt, vt recte dicebat Iacchinus, & ita vtilia sunt quando à syncope est excitatus. At in accessione cibi aliquid offert, si potest, & vini, 12. meth. Contra affectus eget detractione. Imo errant, inquit, grauiter, qui his, qui ex dolore ; & morbi magnitudine deliquium patiuntur, cibum offerunt, sed potius detrahendum est 2. *de vict.*

Si ex suffocatione caloris syncope fiat, quomodo curetur.

48. Respondet ipse, concedo: sed id facimus, vt periculum euitemus: & hoc annotauit Auicenna cum ait: & non cogas sumere cibum, nisi vinum: quoniam à syncope cogimur, & recitat curam affectus, itidem vt Galenus & Galeni verba, quod multi ab ignaris medicis pereunt, dum robur addere viribus volunt, & præfocant. Patet autem quod vinum calida mixtum dari debet, nisi æstus
13 impediat. Quæ autem sit integra affectus crudorum curatio in lib. de febr. diximus, *lib. obs. 26. de feb. syncopali humorali*: vbi & egregium exemplum habes de muliere egregie curata. Et lib. 7. obs. 6. de muliere pituitosa febricitante; in syncopen incidente, ex collectione humorum pituitosorum in stomacho. Si vero adsit febris, horum curatio, dum adhuc modum non creat magnum, *ad 4. lib. sanitat. spectat*: si syncopen affert, ad hunc locum: contra si accidentia vires deiiciant, dandus est cibus, 1. Aphor. 8. Respondetur tantum vt remedio sit, non vt sanguinem & copiam augeat: & vbi cuitauerimus periculum, ad abstinentiam reuertimur. Contra cur non, vbi inflammatio? An duplex est periculum à cibo, & ratione inflammationis, & ratione principij febris præfocantis? Vnde si oneretur virtus, prorsus præfocabitur: hic vero non nisi cruditas: nam si esset motus principij; prorsus non daremus, etiam in hoc: sed euenit his syncope, etiam sine retractione, quæ sit in principio. Contra cur his syncope affectis tribuis, non illis? quomodo viuificabis vires? Respondit Galen. 12. *meth. cap.* 13. quod si destituuntur alimento: quoniam crudi
14 succi non nutriunt priusquam concoquantur: ideo noui aliquid damus in præsens. At in illis non est alimenti inopia, sed copia. Sat est ergo reuocare ad extimum spiritum, & calorem: habent viscera quo alantur. Præterea nisi detur aliquid, stomachus languet, & in affecto alias corpore, & debili virtute: facile syncopen accersetset, hoc prioribus non accidit. Nam & in cruditatibus; maxime à ventriculo offenso, & ita imbecillo facto eius ore: syncopas euenire innuit. Gal. 12. meth. 8. Quærendum etiam est, num quod vulgo suadetur, faciendum, vt in timore: postquam animi affectus ablatus est, vacuationem aliquam moliamur? Respondetur, visum esse, ne fiat, sæpe magna euenire mala, vt in quartanario vidit Iacchinus, subita respirandi difficultate & palpitatione, & syncope mortuo. Sed quid potest facere timor, vt hæc exigat? An ex confluxu illo, aliqua obstructio in vasis, vel in plegmone, vel abscessus aliquis fieri potest: quamuis multæ copiæ nota non appareat, est faciendum. De causis vero quomodo obuiam eundum, ne rursus in syncopen decidant, ex propriis capitibus habendum quomodo tollantur.

OBSERVATIO XII.

De syncope ex vtero.

3 PVella nobilis, octodecim annos nata, cum vteri suffocationi sæpius obnoxia esset, in grauissimam syncopen incidit: huic enim crura potius quam brachia, iuxta Galenum 1. ad Glauconem, deligauimus, atque præfricauimus, & quia sursum reuulsus retractusque in latus vterus esset, cucurbitulas femoribus apposuimus, & naribus obiecimus grauissimos odores, ex castoreo, ex assa fœtida: vtero vero suaues, atque circa vterum olea relaxantia & calfacientia adhibuimus, quibus præsidiis mox restituta fuit, & à syncope releuata. Vterum repurgauimus cum pistulis mastichinis. Sed & postea viro copulata, ex nostro consilio, amplius hoc malo: admodum prolifica non corripiebatur.

SCHOLIA.

ANimo destituuntur mulieres (vt de cauſis diximus) quibus vel sursum, vel ad latus retrahitur vterus, & quibus large menses fluunt. In priore affectu crura deliganda sunt, ac perfricanda, vt humoris copia, quæ hos affectus parit, foras euocetur. Communitatem enim vterus per venas, per quas possit is humor deriuari, cum cruribus habet, hac ratione inguinibus & coxis admouendæ cucurbitulæ sunt, quibus potenter trahendi facultas ineſt. Naribus quoque obiicienda sunt quæ grauiter olent: vtero vero quæ suauem spirant odorem. Natura enim ad id quod obiicitur, si iucundum familiareque est, monetur, sin triste alienumque, auersatur à tetro odore naribus obiecto; inferius depellitur in locum suum, ad suauem vero inferius admodum se conuertit. At in largo vteri profluuio, *vt obser. 8. huius libri diximus*: brachia liganda: & vinculis constringenda, & mammis cucurbitulæ affigendæ sunt. Ita & in alicuius partis sympathia, topica, vnctiones, cordis roboratio, partis affectæ curatio, ex stomachi quidem imbecillitate: imponenda, iuxta Galenum, quæ roborandi vim obtinent: emplastra ex palmulis confecta, vino, polentis, croco & aloe: & mastiche, oleo absynthino, mastichino, nardino inungendus. Æstuante stomacho aliquid refrigerans admiscendum, vt cucurbitam, lactucam: portulacam, & vuæ acerbæ succum. His vero qui alicuius frigoris sensu afficiuntur, diatrionpipereon exhibendum, aut absynthium in potu. Si vitiosi humores os ventris mordeant: aqua calida epota, vel hydræleo vomitus imperandus. Si non facile vomant, prius partes stomacho adiacentes, & manus & pedes calfaciendi sunt. Quod si nec sic vomant, immissis in os pennis vel digitis: stomachus irritandus est: si nec sic, rursus oleum calidum adhibendum, quod non solum vomitum prouocat: sed ventrem quoque emollit. Postea absinthij coma, aqua mulsa incocta: in potu danda: deinde vinum, modisque omnibus roborandæ partes sunt, tum medicamentis forinsecus impositis, tum absinthij potu. At non perinitia, sed repurgato ventre, quando succos continet, non abstringendus, sed calfaciendus, vt prius dictum est. Si pituita in ore collecta, mulsam dabimus, in qua vel hyssopum vel id genus aliud maduerit, & acetum mulsum & piper: & postea diatrionpiperon: plurimumque stomachum fouebimus oleo; in quo absinthium decoctum sit: victumque attenuantem adhibebimus. Plura vide 1. *ad Glauc. De arte curat. apud Gal.* cum ibidem ad omnes causas præsidia vtilia ad syncopen ad longum referat.

OBSERVATIO XIII.

De syncope à veneno assumpto.

MVlier quę pisces in foro Delphis vendebat, ex animi desperatione misera, vt seipsam interficeret ʒ ij. auripigmentiin ceruisia sumpsit quæ post grauissima symptomata, vt ventris torsiones, conuulsiones: tandem in syncopen incidit: sed frictionibus à mulierculis adhibitis à syncope quidem releuata, pessime angebatur. Hoc tempore

tempore cum in Hagha Comitis essem, accersitus est pharmacopœus, qui oleo oliuarum propinato vomitum prouocabat, & mox theriacam potandam dabat: qua me in simili casu recte vsum fuisse viderat. At me reuersum meridie ex Haga vocant, quæ tunc pro deplorata habebatur, tam ob continuum spasmum, quam ventris torsiones, supernas quoque ac infernas deiectiones: sitibunda æstu se præfocari clamabat: ideo decoctum sequens propinaui. ℞. *folior. maluæ, viol. hordei mundati, ana. m. j. sem. malvæ, cotoneor. ana* ʒ j. *sem. lini* ʒ ß. *coquantur in aqua communi pro* ℔ j. *colaturæ, adde syrup. viol.* ʒ iij. quo iulebo & ventrem deiiciebat & vomebat, syncope non amplius reuertente. Dedimus etiam lac calidũ. Illud enim iuxta Aëtium lib. 13. cã. 40. si assiduo vomitu reiectent, valet his, qui calcem, sandaracham & auripigmentum potarunt: nam hæc dolorem ventris & intestinorum, cum vehementi morsu inducunt. Iuuantur etiam eodem Aëtio auctore, succi maluæ potu, aut seminis lini, aut orizæ, aut halicæ, pinguibus iusculis potatis & aqua mulsa. Cæterum symptomatis dictis cessantibus, decocto iam dicto, pro corroboratione & siti continuo sumebat ex diatrag. frig. & subinde syr. violar. Omnia enim lenientia hic valde commẽdantur, vt oleum amygd. dulc. expressum, quo non solum in hac, sed in aliis (vt de venenis dicturi sumus, si Deus me superstitem fecerit) commodissime sæpe vsi sumus: propinando quoque indesinenter butyrum cum ceruisia, huic negotio admodum conueniens. Quibus quidem præsidiis hæc mulier euasit: quãuis postea post annum vnum atque alterum ad cachexiam deuenerit, & postea obierit.

Animi quinam vteri.

SCHOLIA.

3 HOc gẽnus syncopis à veneno vel ab aëre infecto, vt in odoribus; seu cibis, vt esu fungorum, ex praua hortorum putredine, pertinet ad caput de alteratione spirituũ: siue prauitatem in corpore acquisierint: & qualitatem venenosam: vt cum corripiuntur succi aliqui, vt de hiꝯericis quoque Galenus habet 6. de locis affectis, vel etiam venenũ potatum sit, vel morsu relictum: fere enim omnibus superuenit hoc symptoma. Fit etiam maxime in frigiditate: vnde ad frigidum distemperantur, vt in vsu stupidorum euenit. Nam à calore potius resolutio multa esse videtur: ab aliis qualitatibus longi potius morbi fient, quam syncope, quod tardæ sint actiones. Cum igitur de natura causæ certus fueris (quod hic facile est) quod quidem ad eius summotionem attinet, dum actu est implicitus æger ad frigidum affectum: calidis veteris, aere, epithematis, odoribus, frictionibus, fouendo ventrem, & omnibus modis hos excitando: mox vino maluatico; & aqua carnis & ouis restitues. Si vero venenosa
4 qualitas sit, si quidem ab vtero, eisdem modis reuocanda erit, pessis, suffitu, odore tetro ad nares, infernorum frictionibus, cucurbitulis ad coxas: & pubem, vinculis, vt scholio præcedente docuimus. Cum vero resipuerint, causa spectanda: & ei obuiandum. Si materia venenosa, vt in vomitu æruginoso (*de quo etiam mentionem fecimus in lib. de febr.* (ea quæ abluunt propinanda: etsi adfueris antequam incidat, quæ temperent exhibenda, vt aqua & oleum dulce: vel amygdalinum, mulsa, lac potare debent. A vomitu, terra sigillata exhibenda, & theriaca: naribus odores, cordi epithemata. Si vero iam inciderit in syncopen, exigua spes est, si sit valida: tentandum tamen

OBSERVATIO XIV.

De paralisi satis vniuersali, animi deliquio leui asthmate.

IAcobus Iunius quæstor Dominide Wasanaer; apud Haganos, senex annũ sexagesimũ octauũ iam attingens, alioqui vir minime melancholicus, hilaris & facetus, subito incidit in paralysin quasi vniuersalem, cruribus, tum brachiis, ac manibus resolutis, loquela etiam nonnihil impedita, valde debilis, vt animi deliquium quasi incurreret, cum asthmate subinde ac pectoris angustia. Ad quẽ primo accitus est Antonius Schinckelius medicus Haganus, qui aqua lauendulæ tempora & membra paralytica irrorari & confricari iussit, & eidem syrupus infrascriptus aliquando exhiberetur. ℞. *syrupi è stœchade, de betonica, rosacei solutiui. ana* ʒ j. *olei vitrioli guttas nouem, misce.* Hæc præscripta fuere 16. Augusti. Altero die me vocarunt: cumque eundem reperissem in hoc statu & debilem, neque aluum deponeret, visum mihi fuit: vt glans statim iniiceretur ad diuersionem & alui subductionem, quod cum medico præsenti quoq; vtile videretur, hæc glans, iniecta fuit. ℞. *pulueris specierum hieræ picræ: trochiſc. cinerum alhandal. ana* ʒ j. *salis parum, mellis q. s. fiat glans seu suppositorium*, quo bis terve aluum deposuit, atque hæc glans, cum facilis solutionis esset, secundo vel tertio quoque die reiterata fuit, vt 20. Augusti. 27. & 6. & 14. Septemb. Deinde reliqua subsequentia medicamenta, vna præscripsimus: statim quoque à ventris solutione, cum prima glande, inunctionem sequentem. ℞. *olei sambuchini, olei costini, ana* ʒ ß. *misce.* Inungatur mane & vesperi tota spina dorsi, à nucha incipiendo, vsqee ad os sacrum. Interea cum paulo melius medicamenta ferre posset, has pilulas vna præscripsimus. ℞. *pilul. cochiar.* ʒ ß. *pilul. aureat.* ʒ ß. *fiant pilul. vij.* maiores deuorare difficile poterat, *& deaurentur.* Habuit inde vij. sedes; cum admodum facilis

facilis solutionis esset, vt paulo ante diximus. Postea 20. Augusti etiam & hoc solutiuum exhibitū fuit. ℞. *syrup. ex infus. ros. cum foliis senæ* ℥ j ß. *agarici trochisc. specierum benedictæ laxat. ana* ʒ ß. *aquæ saluiæ* ℥ j. ß. *misce.* qua potione vltra sex habuit secessus: tunc etiam imperauimus, vt crura & membra paralytica hoc linimento inungeret, saltem bis in die. ℞. *olei sampsuchini, olei costini, ana,* ℥ ß. *aquæ vitæ* ℥ j. *misce.* 21. August. hoc apozema præscriptum est. ℞. *corticum radic. cichorij. pœoniæ, ana* ℥ j. *florum flœchados, rorismarini, ana p.* 3 *j. herbæ paralysis, betonicæ, maioranæ, saluiæ, origani, foliorum lauri, ana m.* j. *prun. damasc. num. xiij. uuar. passul. ab axillis repurg.* ℥ j. *semin. carthami parum contusi* ℥ ß. *folior. senæ à stipitibus repurgatorum* ʒ vj. *polypodij quercini* ℥ j. *seminis anisi* ʒ j ß. *coquantur in aqua communi, pro* ℔ j. *colaturæ addendo syrup. de beton. ex sola betonica confecti: oximelitis simplic. ana* ℥ j. ß. *misce pro quatuor dosibus:* deinde & hoc quod sequitur. *Recipe confer. florum betonicæ, saluiæ, borag. rorismarini, ana* ℥ ß. *nucis muscatæ conditæ* ʒ iij. *confectionis mithridaticæ* ʒ ij. *oximelitis simplicis, syrup. de succo betonicæ, ana* ℥ j ß. fiat conditum: ex quo capiebat bis aut ter in die, ad magnitudinem castaneæ 23. Augusti sequens etiam conditum præscriptum ℞. *conseruæ boraginis* ℥ j. *conseruæ betonicæ, salinæ ana,* ʒ ß. *manus Christi cum perlis, propter leue deliquium animi* ʒ. ij. *misce.* erat autem valde exiguum illud deliquium, vti & asthma, quo subinde afficiebatur, vt prius dictum est, cum pectoris angustia: pro quo accidente lingebat aliquando syrupos sequentes. *Recipe syrup. capill. ven.* ʒ iiij. *syrup. de hyssopo* ʒ j. *misce* pectus inungebat cum oleo amygdal. dulc. Quibus remediis dicta symptomata cessabant. Sed rursus ad paralysin, quæ omnium grauissima erat, 24. Augusti decoctum infrascriptum in officina fieri iussimus *Recipe corticum radicum cichorij, dentis leonis* (cum breuiter febricitaret) *ana* ℥ j ß. *florum cordialium p.* j. *cichorij, boraginis, betonicæ, capill. ven. politric. herbæ paralysis ana m.* j. *sem.* 4. *frigido. maiorum, ana* ʒ j. *passul. ab axil. repurga.* ℥ j. *coquantur in aqua communi pro* ʒ *ix. colaturæ, adde syr. capill. ven.* (ob tussim, licet leuem, quæ aderat) *syr. de beton. ana* ʒ j. *misce fiat apozema pro* iij. *dosibus.* Postea & hoc decoctum sumpsit, cum adhuc febricitare videretur. ℞. *corticum radic. cichorij, dentis leonis, ana* ℥ j. *flor. cordial. p.* j. *herbæ paralysis, betonicæ, cardui benedicti: chamad. an. m.* j. *sem.* 4. *frig. maior, ana* ʒ j. *seminis carthami parum contusi* ℥ ß. *uuar. passul. ab axillis repurg.* ℥ j. *fiat decoctio in aqua communi: pro* ℔ j. *colaturæ, adde syr. rasacei soluiui* ℥ ij. *misce. fiat. apozema pro* iiij. *dosibus mautinis:* semper ad minus ex eo bis in die excreuit. Et cum aliquando dormire non posset, hoc hordeato sub noctem aliquando vsi sumus. ℞. *hordei mundati* ℥ j ß. *sem. quat. frigid. maior mund. ana* ϑ j. *seminis lactucæ* ʒ ß. *fiat hordeatum pro* ℥ *viij. dulcoretur zacch. perlato, vt artis est.* Hoc hordeato tantum bis aut ter vsus est, cum paralysis magis calidiora requireret, & sicciora & attenuentia, vt est diambra, diamoscus, confectio mithridarica: qua prius vsus fuerat, & theriaca. Quamobrem cum iam bene dormiret, & febricula eum non amplius apprehenderet, & supradicta symptomata cessassent, ad paralysin omnino curandam magis attenti fumus. Et sic 28. Augusti pilulas supradictas iterum exhibuimns, & 30. Augusti, vt magis sudaret, accepit mane ϑ ij: theriacæ optimæ cum pauco vino Rhenano, & egregie sudauit, alioqui rursus exhibuissemus ad ʒ j. Deinde continuando inunctiones suprascriptas, manus iam ad caput mouere poterat, & simul sustenta-

tus à famulo per cubiculum leuiter inambulabat. Septimo Septembris ad paralysin & maius robur membris paralyticis inducendum, hoc quoque apozema præscriptum est. ℞. *rad. pœoniæ* ʒ ß. *flor. rorismarini stœchados, ana p.* j. *saluiæ, betonicæ, maioranæ, herbæ paralysis: folior. lauri, cardui benedicti, ana m.* j. *uuar. passul. ab axill. repurg.* ℥ j. *sem. coriand. præparati* ʒ ß. *cubebar.* ϑ j. *coquantur in aqua communi pro* ℥ *ix. stent. infusa supra herbas, mane colaturæ, adde cinnamomi selecti* ʒ j. *pro aromatizatione, addendo syrup. è stœchade, de betonica, ana* ℥ j. *misce. apozema ad modum clareti, pro* iij. *dosibus.* Hoc apozemate bis terue reiterato, & conditis supradictis, & istis omnibus remediis cum vsus esset, continuando inunctionem quoque iam dictam: ad membra paralytica destinatam, non solum loquela, sed omnia membra paralytica intra mensem suo robori restituta sunt, adeo; vt hic senex miraculo quodam perfecte sanatus, non solum recte incedat, & omnia membra moueat, sed quouis modo, quo velit, ambulet & proficiscatur, nullo vestigio paralyseos relicto, & nunc anno 1592. 2. Iunij, cum hæc rescriberem atque colligerem, optime ac pancratice valet. Hic autem inter curandum fuit obsequentissimus, & strictè quæ ad victum tum potum probe extenuantem & exiccantem conueniebant, & vt sitim toleraret, imperauimus: quod hic maxime vtile est. Hæc, inquam omnia quam diligentissime obseruauit, ne latum quidem digitum ab amborum nostrorum præscripto discedens: quæ equidem maxime ad curationem iuuerunt, & cum venter per se satis solubilis esset: & leuibus quoque pharmacis adiutus: topica remedia & continuæ inunctiones membris paralyticis eo magis robur addiderunt.

Scholia.

QVantum ad animi deliquium attinebat: valde leue erat, & vix effatu dignum, à quo facile euasit remediis ad asthma valentibus, vt syrupo de hyssopo & similibus: vt filius Procuratoris Regij apud interpretem Hollerij, de quo ante dictum est, qui asthmaticis remediis quoque curatus fuit: quibus & hic asthma, quod similiter leue erat, facile discussum est. At paralysis omnino vniuersalis multo vehementior erat quamquam & hæc magna cum nostra laude in sene curata à nobis sit. Cæterum licet lib. 10. obs. nostrarum, aliunde diximus de paralysi, tamen cum & hic senex nobis familiarissimus, aliique viri non minus graues quam docti, me instigauerint, vt hunc casum hic insererem, quique hunc virum ita laborantem & viderunt & norunt, voluerunt, vt hac curatione eximia librum meum quoque condecorarem. Quod nullo modo omittendum duxi, cum in vita nunquam expertus fuerim curationem feliciorem hac ipsa, licet 47. annis nunc medicinam fecerim. Imo id ipsum libenter egimus, idque in laudem medicinæ, & potissimum omnipotentis Dei, cui non solum hæc, sed omnia alia nostra debemus. Hoc enim casu: licet difficillimo, mecum & alij omnes medici docentur, ne statim animum abiiciant in morbis difficilibus curandis, qui & continuam ac indefessam diligentiam & maiorem, quam cæteri morbi, qui minus contumaces sunt, requirunt. Quod etiam infrascriptus casus, non minus admirabilis & rarus, quam iam dictus: indicabit.

OBSER-

OBSERVATIO XV.

De prægnante, quæ peperit infantem sine osse coagulato à cubito vsque ad humerum, qui infans egregie curatus fuit.

ALeida de Renes, matrona nobilis, vxor Ioannis de Oestrum, viri nobilitate clari, & quondam vrbis & arcis Wordenæ præfecti, anno 1587. Delphis habitans in ædibus Adriani Ioannis Ichthyopolæ in platea Frandrica dicta. Quæ quidem prægnans mane ancillis suis absentibus: audiens ploratum infantium, subito ax lecto surgens per scalas admodum præcipites inferius descendens: inopinato cecidit supra latus dextrum, & dextrum cubitum versus humerum, & circumuoluta etiam in caput prolapsa est, non sine contusione eiusdem cum vulnere. At paulo post restituta sanitati 8. menses cum dimidio in Haga Comitis tunc agens in domo Præposituræ, anno 1588. 3. Iulij die peperit puellum: cum brachio dextro à cubito vsque ad humerum non tantum resoluto; sed omnino osse non coagulato, vt brachium instar lori in omnem partem flexile, flaccidumque concideret, ita vt in brachio à cubito vsque ad humerum os abesse videretur. Ad infantem ego accitus vna cum magistro Ioanne Quartellario & Iacobo Timano Capitone dicto, chirurgis. Ex communi consilio adhibuimus medicamentum defensiuum & conglutinans (*vt in ossium fracturis communiter fieri solet*) ex bolo armeno, farina volatili, puluere myrtillorum, oleo rosaceo, & albumine oui concinnatum, mox superimpositis ferulis, primo ligneis (*quas infans ferre non poterat*) deinde chartaceis, ex charta paulo duriore & crassiore (*quas nos magis laudauimus*) insuper super inductis debite fasciis à cubito vsque in humerum: vt ita os paulatim coagulari posset. Quibus remediis præter omnium hominum opinionem hic infans (*cui Brunync de Oestrum nomen erat*) miraculose intra tres septimanas sanitati restitutus est, non solum osse coagulato, & paulatim indurato, tum brachio etiam valido existente, verum etiam belle puellus nutritus, si quis alius, inter multos infantes & robustissimus & pulcherrimus euasit, adeo vt ad libitum etiam quo velit brachium moueat in omnem partem, non sine admiratione eorum qui puerum viderunt & nouerunt.

Scholia.

CAsus hic apud omnes Haganos celebris ac notus, certe dignus est, vt tyronibus medicis & chirurgis, nec non & aliis omnibus innotescat, vt sciant quid medicina & chirurgia præstare possint, etiam in illis morbis, qui in vtero materno originem habent; modo opitulante Deo ab artis exercitatis recte & debite tractentur. Hic autem omnes puerum nunquam ad sanitatem posse peruenire censebant. Attamen Deus Opt. Max. suam benignitatem in puello restituendo demonstrare voluit, qui semper laudandus in mirabilibus suis, & qui medicinam cœlitus ad nos demissam ad sanandos ægros eum colentibus, liberaliter concessit. Sed mirabitur hic aliquis, vnde puer in vtero tale vitium contraxerit. Cui facile respondebitur, *cum aliam causam ignoremus*, non aliter quam ex metu vel imaginatione, vt in prægnantibus subito metu perculsis, ex improuiso diuersa stigmata pueris in vtero materno existentibus imprimuntur, vel alia vitia in vtero contrahunt, tantum valet imaginatio subito expressa, vt longiore sermone dicturi sumus: *lib.* 28. *nostrarum obser. de mulierum morbis.* Si Deus me superstite fecerit. Placuit igitur hunc casum hic interseuere, quamuis proprie ad illa loca, vbi de prægnantibus & puerperis agemus, pertineat, ad quæ etiam transferri poterit: cum ex professo de iisdem impressionibus tunc agemus. Ita puellæ ex casu matris in vtero existenti tale vitium in brachio inflictum fuit, vt os à cubito ad humerum vsque non recte nec debite coagulatum fuerit. Sed rursus alius inferet: cur non etiam in capite puellæ aliquid vitij relictum est? An hoc ex metu primo & subitaneo per imaginationem factum, cum mater prius caderet in latus dextrum supra cubitum, postea circumuoluta in caput, ita vt primus metus & subitaneus, vel prima imaginatio vehementior fuerit secunda, cum in caput prolaberetur. Nam & alia stigmata quam plurima ex momentaneo metu, vel subita imaginatione contingunt pueris in vtero matris existentibus, quæ & natis in diuersis partibus corporis per totam vitam permanent: quanquam hic puellus à tam insigni malo recte curatus fuerit. Deinde cum puerpera, scilicet mater ipsa, recte habens & bene valens puellum optime lactauerit, & commoda victus ratione vsa fuerit, cibisque boni succi, & optimi nutrimenti, iisque quæ & lac augmentare solent, vnde quoque magno cum successu, etiam adhibitis remediis ad hoc aptis, puellus citius sanitatem consequutus fuit, cum & domi quoque nutrix adesset, vt infans modo lac matris modo nutricis sugens, debite nutriretur, ita robustior euaserit: & attracto nutrimento ad os ipsum, admodum breui intra tres septimanas, vt diximus, debite & recte coagulatum fuerit. At omnibus morbis & symptomatibus cordis paulo ante absolutis, nunc ad nonnulla mammarum vitia progrediemur, quæ post pectoris & cordis mala etiam ab aliis auctoribus explicari solent.

OBSERVATIO XVI.

De lactis defectu.

CVm thoracis affectus ac cordis absoluerimus, etiam mammillarum aggredi consentaneum est, quæ cum thoraci incumbant, & cor attingant (*Galeno teste de vsu partium. lib.* 7.) de his quoque agemus, non tamen de omnibus, cum nonnulli mammillarū affectus ad libros potius pertineant de tumoribus præter naturam. Mammæ itaque & ipsæ pectori impositæ: cordi præsidio sunt, ipsum subiectum contingentes pariter & calore fouentes, glandulosa substantia, in quo loco in mulieribus copiosum benigni alimenti superfluum colligi potest: lac videlicet, cuius causa extiterunt. Propterea & mammarum ac vteri maximus consensus est: ita vt neque lactatio, neque menstrua purgatio simul esse possint. Quomodo autem generetur ex optimo sanguine, ex Galeno loco citato, quis intelligit. Dealbatum quidem natura, licet ex sanguine: ne videretur crudele, inquit Rondeletius, pueros sanguine nutriri. Reliqua de his apud Gal. loco citato, & Rondeletium. Nos autem hic primo de lactis defectu agemus. Cum igitur lac in mammis ex sanguine generetur (*idem enim est cum sanguine, colore tantum differens.* Et cum sanguis sit lactis materia, mulieres quæ lac habere volunt, multo sanguine præditas esse oportet, & vt sanguis ad mammas fluat,

curandum.

curandum. Quare duæ erunt potissimum penuriæ lactis, aut quia paucus est sanguis, aut quia ad mammarum venas non peruenit: sed de causis latius in scholio. Cæterum matrona proba Iodoca Teylingia Augustini Teylingij vxor socrus mea, quæ viginti proles ex vno marito exceperat; ne lac deficeret, semper solita erat vti lacte decocto cum hordeo excorticato in partes contrito: vulgares appellant *gort*, alij *grutten*: quo cibo perpetuo vtens: miraculi instar lac ad mãmillas euocabat. Solent enim mulieres Alcmarianæ hoc solo præsidio vti. Refert Amatus centuria 4. curat. 92. de muliere puerum lactante, cui deficiebat lac, non propter mãmillarum aut corporis totius siccam intemperiem? neque ob sanguinem altera qualitatum infectum, calida, frigida, humida, sicca, neque ob puerum imbecillem lac fugere è mammis non valentem: sed quia sanguis bonus, sed paucus in corpore esset; ideo iubebat, vt cibariis optimis & sanguinem gignentibus vteretur. Sic & nos istis diebus talem quoque nacti, consuluimus, *vt ouis recentibus, testiculis gallorum, ficedularum, turdorum, perdicis, phasiani, attagenis, tum assis, tum etiam iurulentis, adiecta oriza*, vteretur: carnibus quoque vitulinis, veruecis, & ferculo Hispanico (Græci λευκόφαγον appellant) quod per se sufficit. Dedimus *& mattos panes, amygdalas zaccharo incrustatas, vuam passam, & varia bellaria, vinum quoque optimum & odoriferum.* Quibus lac ad mammas attractum fuit. Anconitanæ mulieres hippocampum piscículum flexuosum, in puluerem redactum: & vino exceptum, ad lac prouocandum bibunt, & optime votis respondet.

3

Scholia.

4 *Quid intelligendum per lactis defectum*

Lactis defectum appellamus: vel quod exiguum admodum existat, vel omnino deficiat. Facile etiam hic percipitur, mãmillas affectas esse. A partu enim cum natus est infans: mammis rursum totum alimentum affluit. Quo fit, vt lac menstruo germanum esse inquiat Hipp. & quod eodem tempore menstrua belle procedere nequeant, & fæmina lactare: vt Galen. asserit. Proinde quibus menses mediocriter feruntur, iis lac in mammillis non colligitur: quibus vero hoc large suppetit, iis plane menses supprimuntur. Hoc itaque tempore, ac reliquo toto, quo mulier lactauerit, si lac deficiat, mammillas affectas esse non absre fatemur: siue per essentiam, siue per consensum affectæ sint. Earum vero affectus symptoma est in genere retentorum immodice. Causas duas potissimum esse diximus penuriam lactis, aut quia paucus est sanguis, aut quia ad mammarum venas non peruenit. Si multus sit sanguis in corpore, & ad mammas non perueniat, hoc fit, vel propter venarum angustiam: vt Rondeletius dicebat; aut obstructionem, aut propter sanguinis crassitiem. Defectus sanguinis est, aut propter totius corporis atrophiam, quam mulier ob picam: aut alimentorum fastidium contraxit tempore imprægnationis, vel quia post partum tanta sanguinis copia fluxit, vt retractus sit ad partem inferiorẽ, aut quia venæ plus iusto inanitæ sunt. At quoniam lactis materia sanguis est, vt dictum est prius, in venis contentus, quantitate aut qualitate contemperatus, tum ab aliis partibus transmissus: tum etiam à mãnis ipsis attractus, vt 5. de simpl. medic. facult. est videre, propterea non ab re ipsum sanguinem contemplari eodem loco præcipit Galen. & citatur ab Altimaro, quo promptè inueniatur causa paucitatis, aut omnino defectus lactis. Namq; inuenies quod aut paucior est quam conueniat, aut deterior, vt ipse inquit: paucior autem esse poterit, vel quod in toto corpore exiguus affuerit sanguis, vel quod licet exiguus in toto non fuerit, parcior à mãmillis attrahitur? id autem interstinguere poteris ex totius corporis temperamento, ac habitu sicciore existente. Ex immodicis item sanguinis aut aliorum humorum euacuationibus præcedentibus, vehementibus exercitiis, laboribus, vigiliis, fame, mœrore, vel solicitudine: aut arida æstuanteque febre, vel id genus aliis: quæcunque plus quam expediat: corpus deficcauerint ac calefecerint. Hæc enim sunt: quæ inter alia lac lædunt, ipsumque prouenire prohibent, vt legitur apud Gal. eod. lib. 5. de simpl. med. facul. nedum sanguinem ipsum minorem reddentia, sed partim etiam qualitatem ipsius vitiantia: quamuis & immodice refrigerantia huiusmodi quoque naturæ sint. Si vero hæc non adsint: inspexeris autem aridas, macilentas, ac graciles mammillas ipsas, ob propriam earum imbecillitatem, ac aridam intemperiem prouenire lactis defectum coniicere poteris, vt pote: quæ non valeant tantum, quantum indigent pro lactis generatione, sanguinis copiam attrahere. At si propterea quod sanguis deterior seu vitiosus fuerit, vt pote biliosus aut pituitosus, vel melancholicus existens, lac ipsum deficiat, id tum ex lactis colore, tum substantia, & sapore potissimum interstinguere poteris, præsertim si non omnino defecerit: non tamen posthabita cognitione temperamenti habitusque totius corporis & ætatis. Namque si biliosus fuerit, præter eius tenuitatem ac flauum colorem, amari quodammodo saporis lac erit, aderitque temperamentum biliosum, habitus gracilis, ac ætas florens. Si vero pituitosus sanguis, crassioris substantiæ, albi aut pallidi coloris: acidi saporis, odorisque lac existit, lactantisque intemperies, habitus, ac ætas pituitosi quoque erunt, quemadmodum si vehementioris fuerit spissitudinis, ac paucitatis: obscurioris que, ac quodammodo nigri coloris lac ipsum & reliqua quæ diximus, melancholica fuerint, melancholicum quoque sanguinem adesse significabunt. Hæc tamen affectio, quamuis infantibus magis quam mulieribus grauis sit, teste Aëtio, cap. 33. lib. 16. non propterea despicienda erit: cum absque aliquo eiusdem mulieris præter naturam affectu, etiam gigni non possit: quapropter vbi imminuitur lac, aut omnino extinguitur vel corrumpitur: aut spissatur, vel attenuatur: præstat quidem alterius nutricis lac præberc, quemadmodum Aëtius præcipit lib. 4. cap. 6. Sin autem id non permittat res aliqua instans, victu nutrix curanda est, vt ne in morbum incidat infans, vt ipse inquit, ac ipsa sibi quoque meliorem vindicet sanitatem. Neoterici, vt Valescus, hæc insignis prognosticis adiiciũt ex Rhas. 4. Almanz. Lac illud melius est, cuius gutta vna supra vnguem stillata neque multum subtile sit, nec vaide crassum aut coagulatum: bonum habens odorem & dulcedinem conuenientem optimum est: at salsum, male olens, nullo modo infanti conuenit. At mulieri in vtero habenti, lac ex mammillis multum fluens, debilem fœtum (*ex 5. aphor. 52.*) notat. Si mammas duras habeat, fœtum sanum designat: si mulier quæ neque prægnans est, neque conceperit, lac habeat, huic menstrua defecere *ex. aph. 38.*

5 *Causa.*

Quæ pars afficitur.

Quis affectus præter naturam sit defectus lactis.

Qua via inuestigandus sit defectus lactis.

OBSER-

OBSERVATIO XVII.

De muliere satis extenuata & graciles mammas habente, ex defectu lactis laborante.

Matrona quædam proba cum peperisset & defectu lactis laboraret, neque libenter infantem alteri nutrici commisisset, ad eandem cũ consilij causa intrassem, atque animaduertissem, eam mammas satis graciles habere, & quod ipsa esset vtcumque extenuata, huic alimenta optima calida mediocriter & humida, quæ plurimum nutrirent, & multum sanguinem generarent, præscripsi, cum & ipse Gal. in lactis defectu ex sanguinis paucitate victum humectantem & calfacientem vtilem esse scribat 5. De simpl. med. facul. & cum medicamenta, ait, quæ non deficcant & modice calfaciunt, lacti generando vtilia sint: quorum copiam habes apud eundem, & Paulum & Aëtium, *lib. 16. c. 33.* Ideo & alimentum augere duxi, & melioris succi cibos dare, panem optimũ scilicet, oua recentia sorbilia, iuscula, carnium succos, & vinum optimum, cum satis diues esset, & pullos gallinaceos, & ex fructib. uuas passas, pistachia, amygdalasque dulces: Iussi quoque vt mammas confricarent, & aqua tepida cum spongiis fouerent: hoc enim modo venæ, quæ ibi sunt, dilatantur: tum vberum frictione moderata ac fomentis per spongias, Aëtio teste, sanguis etiam ad mammas trahitur. Animi affectus immodicos, præsertim mœstitiam vt vitaret, imperaui, & vt bene dormiret ac alereturi caseum quoque recentem concessi, & præcipue lac cum oriza & hordeo mundato. Radices quoque pastinacæ domesticæ in iure pulli ac veruecis commode sumebat. Quibus quidem cibis medicamentosis non solum habitior euasit, verum etiam infantem alere potuit, vt non opus fuerit aliena nutrice.

Scholia.

3 *Cibotis pro humectante vsurpatur.*

In defectu lactis, causæ ipsæ diligenter prius perscrutandæ, deinde amolliendæ. Si enim diminuatur lac ob exercitium, dimittendum, & nutrix in quiete & tranquillitate seruanda: si ob aliquem fluxum vel ventris, vel menstruorum, vel hæmorrhoidum, is prius restrin gendus erit. Ideo si menses nimis fluant, retinendi sunt. Si itaque ob totius corporis atrophiam ob famem, vel quia post partum sanguinis copia fluxit, & venæ plus iusto inanitæ sunt, nutriendæ erunt optimis alimentis calidis & humidis euchymis, vt iam diximus. Si propter crassitiem sanguis non fluat, leuiter incidentibus & attenuantibus, neque multum exsiccantibus, est vtendum, & illa sint potius alimenta medicamentosa, aut condimenta alimentis permixta, vt herba fœniculi, apij, petrosel. vel radices aut anethi virid. Illa sunt iusculis admiscenda, & recentia esse debent, ne siccitate sua potius lac exstinguant, quam generent. Zinziber magis tamen conditum, vel siccum, non tamen exangue, & cinnamomum in pauca quantitate in condimentis sunt vtilia. Vinum quoque tenue, album, vel suluum conuenit. Neque illis vsus est interdicendus cœparum coctarum, vel in iusculis vel sub cineribus. Valent & fotus mammarum cum rebus humectantibus, decocto maluæ, althææ tam rad. quam foliorum, post frictiones, vt venæ dilatentur. Sed minime audiendi practici illi, vt admonuit Rondeletius, qui pul. ex sem. fœniculi & aliis calfacientibus & attenuantib. & resiccantibus componunt, vt corallo, qui nec sanguinem generat, cum non concoquatur, nec in sanguinem vertatur ob siccitatem & duritiem, neque propter eius qualitatem, cum sit frigidus & siccus, potest iuuare concoctionem, neque sanguinis generationem. Herba fœniculi ob suam humiditatem minus siccat, & ad sanguinis distributionem multum valet, & proinde ad lactis generationem; semen, cum siccum sit, deficcat: sed recens, vt eruca recens, auget; sicca minuit. Ad res calidæ & humidæ, multum sanguinis generant, vt lac animalium in cibis sumptum, dulcia, & alia id genus. Si autem sanguis non fluat ob angustiam venarum, optimum erit aqua tepida mammas fouere, vel sinapismum debilem, aut dropacem supra pectus ponere, vt sanguinem ad partem trahant. Sed diutius non oportet supra mammas sinere, ne id quod attrahunt, digerant, aut inflammationem in ea parte procreent. Hoc modo fiet, iuxta Rondelẽtium. ℞. *ficuum maceratarum in aqua* ℔ j. *pistentur diligenter, postea adde sem. synapi tenuissime triti* ℥ j. *misce.* ponatur supra mammas vel dissoluatur, & pix misceatur multo oleo: & post aliquam frictionem applicetur supra mammas, vel potius in circuitu mammarum, sub clauiculis, & sub alis; nam per illas regiones venæ ad mammas perueniunt. Frequenter fugere mammas, vel exprimere, lac effluere facit. Cucurbitularum appositio cum pauco igne, paulo infra clauiculas ad sanguinis attractionem prodest.

OBSERVATIO XVIII.

De defectu lactis ex lacte vitiato.

Laudatissimum lac est, moderatum (*inquit Paulus lib. 1. cap. 3.*) spissitudine, copia, colore, odore, & gustu. Commendatur & quod in vnguem pollicis instillatum, eo inclinato ad lucem, neque subito, neque tarde videtur defluere. Iam vero in hunc modum probari potest: infuso lacti in vas vitreum, coaguli exiguum admiscetur, digitisque agitatur. In quo postquam concreuerit, inspicietur, num casei portio minor fuerit quam serum; hoc enim lac inutile est. Contrarium huic concoctu contumax: probatissimum, quod vtraque habet mediocria. Sic nos ad nutricem acciti, vt lac probaremus, biliosum, quod & deficiebat & corruptum erat tenue, flauum & aliquo modo amarum: vt illud corrigeremus, dedimus prius syr. ex succo intybi, & ex succo infus. rosar. communium, vt ita ad purgationem magis præpararetur humor biliosus. Deinde purgans medicamentum elegimus, quod humectaret, & minime exsiccaret; & sequens dedimus. ℞. *syr. ros. pallid. sapius infus.* ℥ j. *cassiæ recens extractæ, mannæ selectæ, an* ℥ ß. *aquæ casei* ℥ ij ß. *misce, fiat potio breuis sorbitionibus, in quib. lactuca & hordeum excorticatum incocta erant, aluimus:* & vt nutrix laborib. abstineret, iussimus: à vigiliis quoque, tum fame ac mœrore: & ad lac etiam augendum, fœniculi radicem in ptisana decoctum præbuimus.

Scholia.

Si ex deteriore sanguine biliosolactis defectus contingat, bilis erit contemperanda, & leuiter purganda cum syr. ex pluribus infus. ros. & simil. ib. vbi enim acrius tenuiusque lac euaserit, iuxta Paulum, multis quidem tunc laboribus nutricem leuare, sorbitionibus autem & carnib.

fuillis, fæpeque & vini dulcis potu reficere conuenit: omne vero lac vitioſum, ſiue craſſum ſiue acre fuerit & fœtidum, puerum, qui prius ſuxerit, eadem qualitate inficit. Lac autem acre numquam ieiuno exhiberi debet. Fœtorem eius vinum odoratum & cibi dulces (*eodem Paulo auctore*) emendare poſſunt. At pari ratione nigra biliis, ſi ea cauſa vitioſi ſanguinis fuerit, ac defectus lactis, expurganda erit medicamento, quod talem vim habeat, nec tamen exſiccet; veluti eſt diacatholicum ſeu ſyr. Domini Auguſtini, ſi cum manna aut caſſia fiſtula ea permiſceas. Verum ſi pituitoſus fuerit ſanguis, medicamenta requirit, Galeno teſte, excalfacientia, aut primo aut ſecundo ordine, non tamen deſiccantia; & inter ea potiora ſunt medicamenta nutritoria, vt fœniculum & anethum, virentia tamen & humida; radix & ſemen fœniculi ptiſanæ incocta, iuxta Paulum. Et ideo ſi lac craſſius fuerit, pituita vomitu elicietur, epoto oxymelite: laboribus cibum præcedentibus eadem extenuabitur: & in cibo conducunt hyſſopus, origanum. Ad lac quoque generandum valet, paſtinacæ radix; ita & lini ſemen cum melle linctum; iuxta Aëtium. Sic & radices ſiſeris, caryotæ coctæ cum iure pulli, & comeſtæ, lac præſtant.

OBSERVATIO XIX.

De lactis redundantia.

REdundantia lactis laborant mulieres primis diebus poſt partum, quia multus ſanguis mittitur (inquit Rondeletius) & non abſumitur; aut quia non ſugitur. Quando enim plus alimenti ad mammas defertur, adeo lac redundat, vt ex eius ampliore plenitudine mulier grauetur ac doleat, ita vt copiam eius ferre nequeat: præſertim cum è mammis non effluat, & propterea intus detinetur. Contingit autem ſæpius puerperis, non raro autem reliquis lactantibus, vt in ſcholio latius dicturi ſumus. Sic nutrix quædam ad nos venit adeo lacte abundans, vt mammæ dolerent, lacte intus retento. Huic ſtatim occurrendum eſſe putaui, ne in inflammationem mammillarum incideret, vel caſei inſtar lac coagularetur, ſeu in grumos verteretur: facile enim, ſi & lac vitiatum fuerit, mammarum vaſa exulcerat, ſcabiem, panos, & papularum eruptiones quoque inducit, vt Aëtius annotauit, & nos quoque ſæpe in praxi quotidiana vidimus. Quapropter vt lac minueremus, pauciſſimos cibos minuſque alentes vt caperet, conſuluimus, exiguum quoque potum & ceruiſiam tenuem; ita & craſſiorem & vinum inhibuimus: partium vero infernarum exercitia conceſſimus, & quia ſanguine abundabat, & vires ferebant, venam mediam in brachio ſecari inſſimus. Sic quidam, ſi in toto corpore ſanguis abundat, fieri iubent, vel internam venam ſecant: poſtea & tali venam incidunt, modo vires ferant: imo circa initia, ſi quid non impedierit, poplitis vel tali venam ſecant, copioſumque ſanguinem ex ea vacuant, per eam enim fieri inflammationem prohibent. Et ſi altera mammillarum magis oblæſa ſit, è directo venam ſecant, potiſſimum autem id ſeruari iubent in puerperis, vbi menſes retineantur, totiſque viribus præter venæ ſectionem, eos prouocare conatur: nam quibus menſes mediocriter feruntur, vt prius dictum eſt ex Galeni ſententia, iis lac in mammillis, multum præſertim, non colligitur. At ſi men retenti ſunt, mediam vel internam ſecant. Poſt venæ mediæ ſectionē ſpongia puram, molli poſca egelida imbutā expreſſamque ſuper mammas, faſciis accommodauimus, atque linteum aceto imbutum impoſuimus, & aſſidue iuxta Aëtium humectauimus, ita vt non ſit ſubſequuta inflammatio: & corpus etiam purganimus medicamento non admodum calfaciente, in hunc modum. ℞. *ſyr. ex infuſ. roſ. pallid. cum agarico* ℥ß. *aquæ agrimoniæ* ℥ iij. *miſce*, & victu attenuante vtens, ac incidente, & copiam ſanguinis minuente, à dolore mammarum ex lactis plenitudine ſanata fuit.

Scholia.

LAc autem vt plurimum colligitur, oppletis ſanguine communibus venis, quæ à mammis pertingunt ad vteros. Id etiam contingit mulieribus vtero gerentibus, interdum ob conceptus imbecillitatem, interdum vero cum neque grauida eſt, neque peperit, ſed ei menſtrua defecerunt. Hipp. auctore *Aph. 39. & 52. lib. 5.* de quibus modo noſter ſermo non eſt, cum de his verba facimus, quibus à partu, aut reliquo lactationis tempore, adeo creuerit in mammillis, vt propterea mulieres grauentur, ac doleant, ita vt metus ſit, ne vbera inflammatione corripiantur. At in mulieribus, quæ primis diebus poſt partum hac redundantia laborant, Rondeletius ſuadet, vt potius ante partum aliqua repellentia apponantur ſupra mamas, ne tantam ſanguinis copiam recipiant. Nam poſtquam lac multum receptum eſt, non poteſt repelli, ſed per mammas euacuari debet, aut ſuctu aut alia ratione. Attamen Soranus vbi mammæ aſſidue doleant, ſcribit non debere à mulieribus neque infantibus exſugi, nam ſuctione plus materiæ attrahi aſſerit: id quod Paulus confirmauit *cap. 35. lib. 3.* Altimarus ex Aëtij ſententia, *cap. 34. lib. 16.* ab adultis ac peritis mulieribus mammas puerperarum leuiter exſugi poſſe ſcribit: præſertim vbi non immodice doleant, ſeu inflammatæ ſint: effertur namque foras leni hac exſuctione, quod in mammillis lac continetur, neque plus materiæ ad eas trahitur, & propterea inflammationem fieri per eam prohibetur, potius quam irritetur. Prohibetur quoque lactis exſuperantia, dorſum trahendo, & appoſitione cucurbitularum in emunctoriis & peſſariis, ſi ſufficienter non fluat ſanguis: deinde liuimento in circuitu mãmarum & ſub alis impoſito, *vt boli arm.* ℥ ij. *Spongiæ bedeg. rad. biſtortæ, an.* ℥ ß. *cum oleo roſ. & pauco aceto reducantur ad formam liniment*: illinantur prædictæ partes. Supra mammas cataplaſmata digerentia ex hord. far. cum oxymelite, vel ex herbis digerentib. cum quadam adſtrictione apponenda, vt mentha, abſinth. & aliis. ℞. *menthæ ſiccæ*, m. ij. *abſinth.* m. j. *fiat decoct. tundantur, & per cribrum excipiantur: quibus adde farinæ fabarum vel orobi vel lupinor. an.* ℥ iij. *cum decoct. & pauco oleo lior. fiat catap.* Supra papillam vtile erit. *rad. chelidon. maioris decoctam & contritam apponere*, ſi hæc non iuuent, *ceruſam, litharg. cadmiam in vnguenta reducere*, commodum erit, & alia adhibere, quæ citra calfactionem digerunt, & medicamentis pituitam purgantibus corpus vacuare, & tenui victu attenuante & incidente vtendo, copiam ſanguinis abſumere. Aëtius palmulam, cum pane ac poſca tritam apponit: deinde eas moderate vincendo conſtringit, vel ouo toto cum roſaceo inducit, vel lentes aqua marina incoquit, & cum decocto mammas abluit, lenteſque contuſas impoſuit. Quod ſi lac omnino reſtinguere volueris, alumen & pſyllium cum aceto & coriandri ſucco ac roſaceo adhibeto, ex eiuſdem Aëtij teſtimonio. Hæc tamen in puerperis, quæ vltro lactis exſiccationem poſtulant, vt *ſequenti Obſer.* dicemus, cum cautione adhibenda exiſtimo: nam ſæpe vidimus, qui multa repellentia mulierum mammis poſt partum appoſuere, peſſima ſymptomata induxiſſe: præſertim ſi aſthmate vel ex pectore laborent, vt euenit Barthildæ Verlaniæ, vxori Bartholomæi Teylingij ſororij mei: cui cum appoſitum eſſet ex alicuius medici alioqui doctiſſimi conſilio, emplaſtrum ſupra mammas poſt partum exſiccatiuum, facta eſt deinde magna obſtructio in membris ſpiritalibus, etiam oborta tuſſi cum catarrho ad pectus deſtillante, vt per ſex deinde annos continuo peſſime habuerit, perpetuo catarrho ac tuſſi obnoxia, vt tandem tabida quaſi euaſerit, & ad finem perpetuo valetudinaria vixerit, licet noſtra induſtria, Deo auxilium præbente, longius vitam protraxerit.

OBSERVATIO XX.

De lactis exſiccatione in puerperis nobilibus.

NOn deſunt delicatæ & nobiles puerperæ, quæ proles ſuas minime nutrire velint (*quod tamen præſtantius eſſet*) ita vt à partu ſtatim lac in mammis exſiccari iubeant, vtque mammæ ſolidiores maneant ſine lactatione: ideo quædam obſtetrices mammas oblinunt melle, hoc enim modo Gheertrudi Bronkhorſtiæ cognatæ noſtræ lac exſiccatum fuit. Noui & alias, linteum aceto inculcatum, in quo prius ebullierat crocus hortulanus, commode applicuiſſe: nonnullas & folia viridia nucum appoſuiſſe. Sunt & qui prohibent lactis generationem in mammillis, cum vnguento populeo, aut panno lineo, ſucco menthæ inculcato & appoſito: aut cataplaſmate inducto, ex radic. caulium, farina fabarum & lentium, cum croco & ſale, & nuce cupreſſi. Matronæ Venetæ, quæ creſcere mammas non patiuntur à partu, inhibent lactis prouentum (*teſte Alex. Benedicto Veronenſi, lib. 11. c. 16.*) emplaſtro ex melle, croco, terebinthina confecto, mammis impoſito. Atque eo tempore iuſcula non ſumunt, neque vinum album bibunt, neque tenue. Sed & aqua marina fotu prodeſt. Obſtretrices Delfenſes lac exſiccant in puerperis panno lineo, oleo raparum intincto, vndique mammillis impoſito: aliumque pannum lineum melle intinctum vel illinitum primo panno ſuperimponunt: interim ſub parte inferiore incipiendo mammillas debite conſtringunt, vt minus propendeant, illud in Iodoca Teylingia cognata noſtra experti ſumus.

Scholia.

MVlieribus nobilib. ac ditioribus, quæ à partu lac omnino reſtringere petunt, præſtat minus repellentibus ac reprimentibus vti, ſed tutius iis medicamentis, quæ ipſum ſiccant atque digerunt, adhibitis, tamen prius per vincula, curbitulas, frictiones, ſeu venæ tali ſectionem, modo vires ferant, prout poſtulabit vſus. Tale habes medicamentum per Altimarum expertum, miraculo quodam id præſtans, ſine metu futuræ inflammationis. Habet autem *fœniculi, apij, petroſelini, malauarum & althææ cum rad. an.* p. j. *foliorum lauri, florum chamæmeli, an.* m. ß. quibus in aqua arte decoctis, ac in largiori vaſe proiectis, tectis

deſuper panno lineo mammillis, eas foueri præcepit: deinde eodem decocto mammas abluit, ac poſt ablutionem, roſaceo omphacino illinit, quo tempore, vt leuiter quoque exſugantur, permittit, vt reliquum quod in mammis continetur lac fuſum ac liquatum promptius foris effluat, nec materia aliqua ad eas trahatur. Reſinæ therebinthinæ deinceps quantitatem, quæ ſatis ſit, aſſumens, vino albo & odorifero, ac aqua roſ. ſæpius abluere iubet; cui duo aut tria oua tota, ac croci ℈ j. adiicere permittit, & in emplaſtri formam ſeu cerati, cera addita, redigit: quod ſuper lineo linteo, eoque craſſo extenſum (perforato tamen in duabus partibus, ex quibus mammillarum papillæ extra prominere poſſint) imponit, ac faſciis circumligat moderateque conſtringit. Singula autem dicta iterari facit bis ſaltem in die, videlicet mane & veſperi, ante cibum, ita vt prius mammæ foueantur, abluantur deinceps & illinantur, exſuganturque leniter, & demum emplaſtrum dictum imponatur: & faſciis moderate conſtringãtur, ac ligentur. Elidæus Paduanus medicus & præceptor meus Bononiæ, lac exſiccabat inunctione olei roſ. & menthæ, etiam mammis emplaſtrum de mentha imponens.

OBSERVATIO XXI.

De lacte in grumos conuerſo.

A Partu aliquando, teſte Paulo, lac in mammillis caſei modo coagulatur; vel in grumos concreſcit: quamquam hic affectus neque idem ſit, vt aliqui ſentiunt, neque eandem cauſam generationis habeat, cum lac in grumos concreſcat ex ſola cauſa frigida, ſed tantum coaguletur in ſpeciem caſei cauſa calida, vt ad longum videre poteris ex mente Galeni, Pauli & Aëtij apud Altimarum: & ambo affectus pertinent ad morbum in numero ſeu magnitudine, & facile ab inuicem diſtinguuntur, grumeſcens quidam à frigida intemperie, & lac coactum caſei modo, à calida. Vterque autem affectus ſtatim curandus eſt, ne inflammationem pariat aut vlcerationem mammillarum, præſertim, ſi etiam vitiatum lac fuerit. Ita Maria Ioannis, vxor Iacobi Teylingij, ſororis mei, cum poſt partum lacte in mammilla dextra abundaret, & inter ſugendum mammillam nimis nudaſſet tempore admodum frigido, mammilla indurata eſt, & dolorem incurrebat. Cum itaque ſuſpicionem haberem lac in grumum eſſe commutatum, præcepi vt mammillam inungeret oleo liliaceo amyg. dul. & butyro recenti ſimul mixtis, addita adipe gallinacea: quo remedio dolor imminutus eſt, & durities mitigata, ita vt denuo effluente lacte infantem lactare potuerit.

Scholia.

AMbo, nempe coagulatio in caſeum vel grũmos, modo fiunt ex lactis copia, modo ex lactis craſſitie: vel poteſt lac concreſcere in mammis, poſt vſum medicamentorum refrigerantium, vel nimis calefacientium, aut poſt contuſionem aliquam. Hæc facile innoteſcunt, vt iam diximus ex ægræ ſermonib. & temperie: lac enim, teſte Gal. non aliter quam ſanguis extra vaſa exiſtens, in grumum conuertitur frigefactus. Et quia ex variis cauſis fiunt, curatio etiam varianda. Si enim ex craſſitie lactis eueniat, extenuante victu vtendum. Si ex redundantia lactis, & nondum in grumum conuerſa, à peritis mulierculis,

vt prius dictum est, leniter exsugendum, atque sensim menthæ & fœnugræci succo illinendæ, & alia peragenda, quæ de lactis exuberantia diximus. Si ab immodico calore caseatum sit, victus ratione ad frigidum inclinante instituta, eisdem fere medicamentis, præsertim circa initia, vtendum erit, quæ *scholio Obs.* 17. *De lactis exundantia* diximus, ex Paulo & Aëtio: priuatim autem Aëtius furfures in aceto coctos, cum decocto rutæ mammis imponit, vel mentham cum polenta, aut iuglandes cum ruta ac melle: vel cuminum cum polenta, & crocum cum lacte, aut apium viride, vel folia solani seu halicacabi, cum brassicæ foliis, pauca myrrha ac croco adiectis, & exiguo aceto iuuant & epithemata ex fœnug. sem. lini & althææ decocto, cum oleo viol. & exiguo aceto. Si in grumos sit conuersum lac, victu extenuante vtendum, ad calidum inclinante, lentium decocto, & aqua marina fouendæ, aut oleo calido dulci: inungendæ cum oleo amyg. dulc. aneth. amygd. & polline farinaceo, cum sem. lini apposito, coagulum leporis potum, vel pauco aceto, butyro mixtum cum oleis dictis illinendæ. Alij cataplasmatib. & vng. incidentibus & detergentibus lac dissoluunt: vt ℞. *succi apij quart.* ij. *oxymel.* ℥ ij. *farinæ cicerum rub. & oryzæ, an. q. s. ad incorporandum* fiat cataplasma. Si his medicamentis non dissoluatur, vel glandulæ indurentur, & suppurentur, tunc suppurantibus iuuanda est natura vt rad. althææ. lilior. alb. an. quart. j. ficuum paru. xx. decoq. in aqua donec mollescant: quibus adde axungiæ porcinæ non salitæ, aut butyri recentis quart. ß. coquantur, & cocta contundantur, & fiat cataplasma, adde olei communis parum. Quando materia est suppurata, aperitur locus, & curatur postea vt vlcus sordidum, de quo postea. Est & aliud quoddam vitium in ipsis mammillis, Græce πεῖρα. Latinis Pilare malum dictum: cuius & meminit Aristoteles *lib.* 7. *cap.* 2. de quo & Benedictus Veronensis medicus etiam mentionem facit *lib.* 11. *cap.* 12. Plinius & pilos in mammis è partu innasci tradit: eos mastos herba (*inquit*) sanat indita. Gisbertus Horstius medicus nosocomij Mariæ consolationis Romæ, cum ibi essem, hoc malum fieri dicebat, tum puerperapilum hauserit, tumque dolor magnus mouetur in mammis, nec sedatur donec pressus exeat, vel sponte, vel cum lacte exsugatur, vtebantur in nosocomio vng. ex lithar. aceto, & oleo, sed præstantius est, vt exsugatur.

Curatio caseati lactis.

Lactis in grumos conuersi curatio.

OBSERVATIO XXII.

De dextræ mammillæ inflammatione.

PVerperæ bene purgatæ in partu inflammatio obortа est, post tres septimanas in mammilla dextra: in febrem tertianam quoque incidit hæc ipsa. Ad quam acciti, cum mammilla rubicunda esset, cumque aluum non dejiceret, lenitiuum exhibuimus: deinde altero die, cum minus febricitaret, internam gibberi venam secuimus, moderate sanguine extracto. Quod si in principio mensis non satis fluxissent, & retenti fuissent, ex tali vena id fieri iussissem. Mammam quoque statim inunximus vng. popul. & ros. simul mixtis. Sed cum inflammatio non sedaretur, rosaceo vsi sumus, etiam succo solani cum aceto, postea etiam adiecto decosto chamæmeli & sem. lini. Cum autem transacto inflammationis principio nondum cessaret malum spongijs in hoc decocto madefactis, & etiam cum linteis lineis impositis, id mitigare in hunc modum studuimus. ℞. *folior. maluæ, viol. an.* m. j. *flor. chamæmill. meliloti. an.* m. ß. *rad. althææ* ℥ j. *ſe. althææ, lini fœnugr. an.* ℥ ij. *summitatum anethi* m. ß. *bulliant in aqua communi. q. s. adde olei ros. chamæm. an.* ℥ ij. *aceti* ℥ j. *misce.* postea ex farina hordei, lini, fœnugræci cum pane trito in oleo sesamino & aqua decoctis, adiectis duob. vitellis oui & croci exiguo, fiat emplastrum, quod mammis apponatur. Et cum rursus purgata esset cum infus. rhab. febris cessauit, & topicis dictis ab inflammatione etiam liberata fuit, neque ad suppurationem malum deuenit.

Lactis exundantia.

Pilare malum.

SCHOLIA.

MAmmæ, vt cæteræ partes corporis, sæpe inflammationem incurrunt, non solum confluente ad eas sanguine, verum etiam ob lactis copulam vel coagulationem caſei instar. De quibus dictum est prius, & propriis signis facile internoscuntur. Quæ à sanguine fit, omni tempore euenire potest: reliqua non nisi puerperis & vtero gerentibus, vel quib. menses detenti sunt præter naturam. Ex quacunque causa fiat, non est spernenda eius curatio: nam cum latior & adenosa earum substantia sit, nec multum obtineant innatum calidum; metus est, ne in scirrosum tumorem & demum in cancrosum vergat, aut ea suppurata, ac ad abscessum progrediente exedens vlcus consequatur. Iuuat autem hic in principio, modo vires ferant, venæ sectio, vt iam diximus: etiam purgatio, quæ leniendo purgat, vt manna, cassia, elect. lenit. diacatholicon. Postea hæc ad topica confugiendum, quæ reprimunt & repellunt: non tamen valida, vt madefacti linei ex aceto, vini albi & aqua gelida mammis impositi, sæpe reiterati. In incremento, farina hordei cum oleo rosaceo, repellentia cum digerentibus permiscendo, vt farinam hordei cum succo semperuiui, olei chamæmill. & pul. ros. postea in statu addendo magis digerentia, vt oleum aneth. chamæmil. acetum, cum decoct. rad. alth. & seminis lini, & emplast. ex sem. lini, fœnugræci & rad. althææ: & in declinatione etiam de muccilaginibus. Quibus si non discutiatur, & ad suppurationem veniat, tunc erit iuuanda suppuratio, vt exemplo sequenti docebitur.

Causa.

Signa.

Prognosis.

Curatio.

OBSERVATIO XXIII.

De inflammatione seu apostemate mammillæ sinistræ in suppurationem conuerso.

MVlier intra mœnia Delsis, ad fossam aqueam dictam, decumbens, cum inflammationem mammillæ sinistræ pateretur, quæ neque resolui posset discutientibus, & ad suppurationem tenderet, illico suppurationem adiuuandam esse duximus, idque medicamentis temperate calidis & humidis emplasticam vim habentibus, quæ & maturationi & suppurationi, iuxta Gal. 5. De simpl. medic. facult. opitulantur. Ideo post fotum emollientē ex rad. althææ & foliis maluæ, rad. lilior. & foliis viol. ac flor. meliloti, etiam sequens cataplasma mammillæ imposuimus. ℞. *folior. rad. maluæ, an.* m. ij. *rad. althææ,* ℥ iij. *rad. lilior. albor.* ℥ ij. *coctis & contusis, adiecta farina tritici, ac hordei farbar. an.* ℥ j. *butyri recentis,* ℥ ij. *ping. gallinæ, caponis, porci crassirati. an.* ℥ i ß. *olei liliacei q. s. fiat cataplasma.* quo sine incisione ruptus est abscessus, alioqui inflammatione in pus permutata ad disruptionem ferro vel acrioribus medicamentis deue-

Apostema validum.

nissem. Quemadmodum istis diebus in nostra vicina, filia Ioan. Montfortij Machtilda nomine, præcepimus, vt scalpello aperiretur: quam empirica mulier tractans, cum ingenti dolore & febre magis afficeretur, etiam postea ex pure corrupto, noluit adhibere, nisi prostremo coacta eam admisit, & scalpello per chirurgum aperta pure effluente, nocte subsequente egregie dormiuit, cum multis antea dieb. dormire non potuisset. Et ita huic, tum alteri mulieri supradictæ, repurgato vlcere, chirurgica ope ad consolidationem tandem absessus deductus est. Libet hic apponere quoddam arcanum, licet superstitiosum, ad inflammationem mammillarum, vt si quis occiderit manu dextra 25. ranas, manumque mammillæ postea applicuerit, idque in principio, curabitur inflammatio sine suppuratione. Aliud quod non est minus superstitiosum, si quis manu tenendo talpam occiderit, tam diu comprimendo donec moriatur, is si manum leuiter ad mammam apposuerit initio; & hic inflammationem curabit absque suppuratione. Talem fuisse in Hagha-Comitis virum constat, nomine Cornelium, cognomento Cannium, mercatorem vestium holosericarum, vt nobis retulit matrona alioqui honesta. Numquid verum sit, penes matronam sit fides.

SCHOLIA.

APostema calidum, præmissis vniuersalibus remediis, in principio sanat aqua solatri, cum aceto & oleo ros. concussa & apposita. Apponatur emplastrum ex far. fab. foliis solani, oleo ros. aceto & melle paratum, coctum cum succo caulium. Discutit & resoluit materiam paratam & dolorem sedat. Alioqui si non resoluatur. ℞. *far. fabar. fœnugr. sem. lini, medullæ panis, farinæ hordei an.* ℥ ij. *croci* ʒ i ß. *rad. bismaluæ coctæ & contusæ* ℥ ij. *vitellor. onor. num.* vj. *olei viol. chamæm. an. q. s. fiat emplastrum.* Valet in augmento & statu. Vbi maturum est, aperiatur: mundificetur cum melle & succo apij & vitello oui; vt linamentum imponatur, & curetur vt aliud vlcus. Si sit frigidum, non conferunt repercutientia sola in principio, nisi misceantur cum resoluentibus & corpore prius purgato. Chirurgus quidam magna cum experientia in apostemate pituitoso vtebatur emplastro ex rad. lapathij acuti, maluæ, rad. fœnic. in lacte decoctis: quidam in principio adhibent fotum ex vino albo, aqua & aceto spongia tepida admota; postea & emplastro, iuxta Auicen. ex foliis apij bullitis cum vino, atque contusis. Si maturandum, fiat emplast. ex caricis pinguib. rad. lilior. & cum farina fœnugræci & lini, & axungia porcina: illud enim maturat & dolorem mitigat. Maturum aperiatur, vt dictum est. Amatus aperit candente ferro, vt in vxore Eduardi *cent.* 1. *curat.* 47. Sed is admonet, quod raro mammilla affecta ad sanitatem reducatur, nisi altera sana à lacte exsiccetur. Exsiccabitur autem lac, si modo infanti mulier lac sugendum non dederit. Idem si lineis pannis frigida madefactis, mammillam frigefecerit, vt super eam pulticulam ex fabis & aceto paratam imposuerit. Nec enim timeas de lactis exsiccatione; quia bene habente mammilla, vel facillime lac reuocabis; præcipue infantis attractione suctuue. Visæ enim sūt mulieres, quibus menses ob ætatem grandiorem supressi erant; & tamen illis lac copiosissimum ad mãmillas deuenit, solo puerorum suctu; quo postea lactarunt, & ad annum & plus, atque ita ac si eos peperissent, tractarunt. Ex iis autem mulierib. ab Amato vna Ferrariensis, ætatis quinque supra quinquaginta annorum visa est: altera vero nobilis apud Lusitanos Santaranensis, nata annos prope sexaginta. Lac aliquando in mammillis virorum admodum calidorum & carnosorum, in exigua quantitate visum est; sed rarissime, vt quidã medici referunt.

Apostema validum.

OBSERVATIO XXIV.

De scirrho mammarum, & duritie.

SCirrhus mammarum fit post inflammationes, aut concretiones lactis, aut diuturniorem vsum repellentium, quæ materiam congelarunt; aut post fortiter detergentia, quæ id quod tenue est, euacuarunt, & quod est crassarum partium, crassius reddiderunt. Si autem glandulæ indurentur, strumæ, siue chœrades à Galeno dicuntur, cum adenes induratas ait χοιράδας esse. Curatur a scirrhus eadem ratione, vt in aliis partibus, nempe partim emollientibus, repellentibus & digerentibus: vbi enim inflammatio ad duritiem vergat, ea quæ molliendi vim habent, adhibere conuenit: in quem vsum laudauit Aëtius, *cap.* 38. *lib.* 16. semen lini aut fœnugræci, cum aceto mulso coctum & impositum, aut sesamum illotum modice tostum, cum melle tritum, & calidum appositum: vel stercus caninum album, terebinthina exceptum superimpositum. Cæterum si ex coagulato lacte inflammatio fuerit excitata, eisdem circa initia vtendum medicamentis erit, quæ paulo ante de coagulato lacte conferre diximus. Verum si neque eis inflammatio cedat, ad ea, quæ modo commemorauimus, medicamenta progrediendum erit. Et si ad duritiem tendat, ea ipsa quoque adhibenda, quæ modo retulimus. Sic mulieri, cui mamma ad duritiem peruenit, ceratum ex muccagine foliorum liliorum alborum & bismaluæ, cui oleum liliaceum incoctum cera erat, modica addita, sparadrapi instar liquata, per pãnum lineum rarum seu detritum nonnihil tractum, mammæ apponere iussimus. Est egregium medicamentum, ad omnem duritiem, etiam conferens puerperis, si puerum ablactare velint; ad lactis quoque resolutionem: nam appositum non solum mammam induratam emollit; verum etiam lac intra 24. horas resoluit, & in apostema vt transeat, præcauet, etsi videantur suppurari, estque leniens atque emolliens medicamentum & leue maturatiuum. Vtor quoque ad mammarum duritiem cerato de muccilaginibus. At Barthildæ Verlaniæ, de qua alias diximus, puerperæ existenti, mammillarum apostemate correptæ, cum ad suppurationem veniret, & abscessus per chirurgum scalpello apertus esset cum pus postea non bene exiret, dum repurgantibus medicamentis vteretur, duritie quoque oborta in mammilla exulcerata, pus minus effluebat, oborto quoque dolore. Chirurgus cum pultem ex farina siliginis cum vngu. populeo mammis imposuisset, dolor magis increuit, duritie etiam aucta, neque pure debite effluente. Ad quam accitus, febrem metuens, amota pulte hoc emplastrum admoueri iussit. ℞. *rad. alth.* ℥ ij. *rad. enulæ campanæ* ℥ ß. *folior. maluæ, viol. flor. meliloti, an.* m. j. *coctis in aquæ ad mollitiem, & contusis adde farin. hord. & olei amygd. dul.* quod satis est ad emplastri formam; eoque mammillæ prius oleo amyg. dulc. bene inunctæ appositо, durities cessauit, ac dolor & pus, quod antea crassum erat ac retentum, commode effluere cœpit; ita vt breui facta vlceris mundificatione, ope chirurgi deinde probe curata fuerit.

SCHOLIA.

4 *Ad duritiē mammillarum.*

TRiticum ad mollitiem coctum & contusum cum fabulo, quod ex cotib. in lintribus, dum ferra acuuntur, defluit, immixtum & appositum, iuuat ad duritiem mammarum: & dialthæa cum vnguento Agrippæ ros. oleo simul mixta & inuncta. Et quod habet *farinæ hordei, fabar. an.* m. j. *farinæ fœnug. lini, an.* ʒ ß. *vel* m. ß. *olei ros.* ʒ iij. *croci* ϑ j. *misce.* & mammis duris imponantur. Nodi vero ac glandulæ foliis persici mali recentibus & ruta vna contritis sanantur, vt quidam referunt: tragac. gummi arab. vitella ouorum simul mixta cum oleo viol. imponantur. At in muliere mammillas vlceratas habente cum duritie, cum pus retineretur, emplastrum emolliens & simul maturans appositum: & pure effluente, rupto abscessu eandem, vt vlcus, curari imperauimus. Ad vlcera mammillarum corrodentia scribit Tharantanus eadem valere, quæ ad linguam & os vlcera conueniunt & ad aphthas, ponit lotionem ex mente Auicennæ ex decocto vini nigri styptici, sumach tinctorum, nucis cupressi, cassiæ ligneæ, gallarum & agrimoniæ. Bayrus ad vlcera mammillarum componit cataplasmata ex foliis hederæ, & cum decocto vlcera foueri iubet. Refert & cannabem syluestrem tusam cum axungia tumores & duricies mammillarum curare, saniem expurgare, & dolorem auferre, mammis impositam. Ad fistulas mammillarum ex Valesco valet quotidie bis cum decocto agrimoniæ, aluminis & myrrhæ lauare, & vnguentum cum tenta imponere. ℞. *succi agrimoniæ* ʒ j. *aloes, myrrhæ, sarcocollæ, aluminis de pluma, ana* ʒ j. *cum melle incorporetur vnguenti instar.* Vlcus sigillatur puluere sequenti. ℞. *aloes hepat. myrrhæ sarcocollæ, thuris, farinæ volatilis, sanguin. draconis, terræ sigillatæ, aluminis rochæ combusti, corall. rub. myrob. citrinorum, balaust. ana* ϑ j. *fiat pul. subtilissimus.*

5 *Ad vlcera mammillarum corrodentia.*

Ad fistulas mammillarum.

Ad vlcera mammillæ sigillanda.

OBSERVATIO XXV.

De mammarum incremento.

1 MVlieri nobili, cum imprægnata esset, consilium petenti, ne mammillæ supra modum crescerent, præcepi vt panno duplicato in medio perforato, per quod transit papilla, tepide balnearet hoc liquore. *Recipe aquæ portulacæ* ʒ iv. *aceti* ʒ ß. *misce.* Hoc modo ante me Ioannes Tyengius medicus Amstelrodamensis, idem ponebat supra mammillam eo die, quo mulier cognouerit se imprægnatam esse, vsque quo sentiat infantem. Alij aquam pomorum arboris quercus in alembico destillant, & panno lineo inculcato apponunt, ne mammæ augmententur; quod etiam à partu fieri iubent, ne lacte repleantur. Idem præstare volunt aquam tegulæ ignitæ & sæpius extinctæ.

SCHOLIA.

2 *Causa cur mammæ increscant.*

MAmmæ non solum increscunt prægnantibus vel puerperis ex abundantia lactis; verum etiam puellis, postquam ad eam magnitudinem fere peruenerint, ad quam natæ sunt peruenire: vel quia incipiunt pinguescere, ob redundātiam alimenti, vel quia multus sanguis ad eas partes profluit, ante mensium eruptionem. Aliis quoque increscunt mammæ, quia aluntur flatulentis alimentis, vt castaneis, rapis: quod mulieribus monticolis accidit, vt refert Rondeletius; quæ mammas admodum indecoras & magnas habent. Quare si quis velit earum incrementum prohibere; sanguinis attractionem impediat, & partes illas densas reddat, vt non facile sanguinem influentem recipiant. Commendatus succus cicutæ (*prohibet enim incrementum*) aqua myrti, peculi ros. & aqua destillationis pinearum, cum pauco aceto, & alumine positæ super mammas, intinctis pannis. Vt mammæ paruæ & duræ maneant, nouem diebus mane & vesperi cum succo cicutæ fomententur; & herba trita superligetur. Galenus spongiam ex aceto madentem superimponi iubet. Erigit mammillas pannus lineus madefactus in decocto gallitrici, mammis superpositus. Vastiores minuit, iuxta Paulum, cuminum tritum ex aqua impositum; & spongia aceto madens superimposita, & fasciis alligata. Plura vide apud Valescum, Gordonium, & Benedictum Veronensem, *cap.* 17. *lib.* 11. At extenuatæ mammæ non ita facile agmentantur, facilius est enim exsiccare, quam siccum humectare, teste Gal. 7. *method.* Frictionibus in principio augmentantur, contrectationibus, & emplastro de pice, & omnibus iis, quæ sanguinem augent, & illis, quæ ad atrophiam antea valere scripsimus. Vide *Bern. Bonenensem de ingrassatione & extenuatione mammillarum.* Verum hic minime prætereundum, quod papillæ mammillarum puerperis intus lateant absconditæ, vt pueros lactare non possint; quod paupercularum molestum est, multoque magis si puellæ exsistentes papillas frictione in totum aboleuerint. Quib. autem latent, phialam vitream (*vt Amatus iubet cent. 5. curat. 51. in muliere Venera nobili*) oris non admodum latam circumferentiam habentem, feruenti aqua impleri iubemus, ac illico ab ea aquam totam deponi: cuius phialæ sic calentis os ad papillam admouemus (mirum in modum attrahit) qua attractione papillæ formatæ manent. Quamuis huius phialæ attractio prius dolorem patiat: quem facile postea cotemnunt mulierculæ, cum tantum iuuamentum se inde consecutas videant.

OBSERVATIO XXVI.

De mammarum cancro.

QVamquam hic affectus ad chirurgiam pertineat, pauca hic adferemus. Cum enim tumor durus sit cancer, qui sensim incipit, scirrho similis, nisi quod dolorem parit: scirrhus vero sine dolore est. Licet graue sit malum, solet aliquando diu protrahi antequam vlceretur: vti euenit Catharinæ Bokelli Delfensi mulieri, septuagenariæ, quæ per sex annos cancrum non vlceratum in mamma sinistra habuit; postea etiam vlceratum: quo cum integro anno correpta esset vetula, mense Augusto, anno 1650. me prius in consilium adhibuit, cum hactenus nullis præsidiis vsa esset, re iam deplorata, ita vt neque opera manuali, nempe abscissione, curari posset in tam senili corpore, neque enim eradicari poterat sine periculo mortis; cum neque Bertapalia vmquam viderit cancrum curatum, etiam incipientem, (quamuis multa de eius curatione medici scribant & nunc quidam temerarij multa promittant) absque incisione. Sed vidi, inquit, cancrum instar ciceris in muliere pulcherrima; & rogatu amicorum, totali incisione & ruptorio radicitus exstirpaui: & partim mihi male successit; & iterum reuersus fui ad curationem, cum euacuationibus

tionibus debitis præcedentibus, & bono regimine & localibus remediis, quæ meo iudicio putabam conuenire. Sed qui aliter se intromittit curationi, vitam ægrotantium ad mortem deducit. Et narrat quomodo vetula post illum in curationem admissa saluiam pistam & dentibus masticatam apposuerit, & præter spem sanata fuerit; vt sic ipse habuerit laborem, & altera honorem. Et quamquam Galen. fateatur. 2. *ad Glauc.* se recentes cancros curasse: confirmatos tamen nequaquam; ideo prognostico habito, hanc nostram septuagenariam curari non posse prædixi. Idem & mecum sensit Henricus Vergerius medicus Haghanus doctissimus, qui vna mecū ad consilium accitus fuit. Post purgationem materiæ melancholicæ (quamquam incipienti sanguinis missione & purgatione & topicis remediis, iuxta Rondeletium aliquando curari possit, vel absciss̄ione si fieri potest) sectionem venæ hic in vetula adhibere noluimus: sed purgationem potius, sed leuiorem, in vetula: deinde & hoc medicamento topico communi consensu vsi sumus, ad palliationem vt vocant: *Recipe succi solani repurgati seu despumati*, & diu in mortario plumbeo, pistilloque plumbeo contriti ad leuem spissitudinem ʒ viij. *Recipe rutæ vulgaris decies lotæ in aqua solani* ʒ ij. *plumbi vsti & similiter loti, vt supra* ʒ j. *olei ros.* ʒ ß. *succi solani, vt supra repurgati q. s. in mortario plumbeo ac pistillo plumbeo ad linimenti formam ducantur.* Sic Gal. lib. 2. ad Glauc. solani succum imponit; hoc enim medicamentum est eiusmodi affectib. vtilissimum. Quod si ægrotus, inquit, tam liquidum medicamentum imponi nolit, præsertim cum domo exire, solitaque opera exercere cogitur, medicamentum ex pompholyge imponendum, quo ad vlceratos cancros me vti (inquit Gal.) vidisti. Et ita neoterici quoque vtuntur vng. albo de tutia, de plumbo, de pompholyge. Cæterum longiore tempore hæc vetula sic tractata, nec vlcere admodum præcedente, superuixit, donec annosa obierit. Memini istis diebus nobilem virginem nomine de Meer, quæ cancrum vlceratum in mamma non haberet: cui consului, vt nullo modo vteretur iis, quæ cancrum ad vlcerationem deducerent, cum iam satis longo tempore eodem malo laborasset, licet satis confirmato: sed vt venæ sectione vteretur, cum vires satis constarent, & non adeo vetula esset, & purgationibus insisteret, & iis topicis vteretur, quæ ad palliationem cancri facerent. Sed nostro consilio minime auscultans, ad empiricam mulierem lapsa, & mammillæ vstione vsa est: & magna facta eschara locus apertus fuit: vnde vlcus magis serpens, totam mammillam occupauit vsque ad alas: & tandem totum brachium inflatum fuit, & magna miseria & dolore exhausta, cum cruciatu ingenti, misere vitam protraxit, donec moreretur. Eodem fere modo Margareta Cornelij in insigni Rosæ Delfis, mulier crassa & satis vetula, cum cancrum occultum in mammilla haberet, ac consuluissem, ne eum medicamentis irritaret, vel aperiret, ad empiricam mulierem conuersa, ad cancrum confirmatum excedentem & vlceratum deuenit, cum tanto fœtore, vt quis apud eam vix consistere posset, etiam ad alas & brachium inflatum deueniens, misere tandem obiit. Palliatione ad tempus in ea vsi sumus, post venæ sectionem & purgationem, cum denuo nostro consilio vteretur, his medicamentis ad tempus pro palliatione chirurgus vtebatur. *Recipe gummi tragacanthi dissolui in aqua solani* ʒ j. *vitellum ouorum* (propter dolorem & erosionem) *nunc* ij. *camphoræ* ʒ ß. *ducantur in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo, adiecto olee ros. q. s. pro vnguento:* desuper ponebatur *vnguent. diapompholygos*, postea *vngu. priori vng. ros. & simul oleum ouorum, ad* ʒ ß. aliquando *succ. solani cum oleo ouorum.* etiam postea adiecto oleo cheirino, in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo. Aliquando ex oleo ouorum solo cum cera, in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo agitatis. Sed etiam febri continua lenta paulatim cum magno fœtore & miseria vitam tandem clausit, anno 1589.

SCHOLIA.

6 CArcinosi tumores in omnibus consueuerunt fieri corporis partibus, sed præcipue in mamillis mulierum, quando potissimum naturali sua purgatione priuantur, vt testatur Galenus *libr. 2. art. curat. ad Glauc. cap.* 10. *& libr.* 14. *method. medend.* maxime vero in monachis religiosis & melancholicis, vti in hac vltima domicella de Meer dicta in Campo regio quondam canonica. Vidimus innumeras religiosas apud Clarissas Delfenses hoc malo laborasse, & etiam obiisse; & vnam quæ adhuc viuit, quæ abscisso cancro restituta fuit, nostro consilio, de quo alias diximus. Huius etiam exemplum quoque habes apud Amatum, *cent. 3. curat.* 32. Quorum originem etiam ad dignoscendi rationem ante Galen. diuinus Hippocrat. prosequitur *lib. 2. de morbis mulierum.* Zoar vero in cruribus potissimum cancros nasci *lib. 2. sui Theysir, capit. 27. contendit.* In cruribus ego tantum mulierem affectam vidi; & Amatus vnum tantum se vidisse commemorat in crure cancrum patientem. Vidi & rusticum, qui in mento & circa labia cancrum habebat: quem Guillelmus de Dalen chirurgus, me præsente, excidit & curauit. Vidimus & mulierem in nosocomio non solum cancrum circa mentum & nasum, sed per totam faciem habuisse, ex lue Gallica prius ortum: & nunc totam faciem exederat ita, vt monstrum potius, quam mulier videretur; quæ longo tempore vitam misere protraxit, donec cum horribili dolore moreretur. In locis quoque arenosis, maxime vero in collo, axillis & inguinibus, euenisse visum est. In corporis quoque partibus penitioribus sæpe innascuntur, palato, sede, & vtero muliebri, vt sæpe vidimus (præcipue in duabus mulieribus Delfensibus, ex qua vna obiit & altera misere vitam traxit, donec moreretur) quod & Gal. *testatur lib. 6. Aphor.* 38. quos & cancros occultos appellat, non solum eos qui absconditi sunt, & non apparent, sed & eos qui apparent, & sine vlceratione fiunt.

7

8 *Quare cancri in mammis fœminarum pessimum contingant. Signa.*

Præcipue tamen contingunt in fœminarum mammis, quæ quia fungosæ & inanes, ideo materiam prompte excipiunt: sed in eas, tum è capite, tum ex vtero facilis est decursus. Huius obscura sunt rudimenta, ac plerumque tumor exoriens ciceris magnitudine, cum dolore & calore, quasi ferientis candentis acus (ita hisce quoque diebus Hazæ Cæsareæ vulgo dictæ in mamma originem habuit) interdum etiam dolore multo: hinc fabæ, deinde iuglandis & oui magnitudinem æquat (ita & in eadem Haza seu Hester vetula muliere iam dicta admodum biliosa & melancholica excrescebat) dum tandem in ampliorem molem attollatur & increscat. Vidimus sæpe totam mammam occupasse in tribus religiosis seu monachis, vsque ad axillas, quæ omnes tandem misere vitam finierunt. Quum iam illius

materia aut vetuſtate, aut errore viuendi, aut medicamentis incaleſcit, dolor calorque citra inflammationem vehementer exercet: pars conſpicue liueſcit, aut nigricat, venæ in ambitu craſſo nigroque ſanguine turgent. Huius continens cauſa eſt bilis atra, ſanguiſue feruidus ac retorridus: ſæpe ex ſuppreſſis menſtruis, aut hæmorrhoidibus, nonnunquam ex quartana febri cumulatus. Quo pigrior & ignauior humor eſt, hoc mitiorem cancrum infert: grauiorem vero, quo is calidior acriorque fuerit. Sic cancer latens citra vlcus, ſecundum Gal. ab humore melancholico miti oritur: at exulceratus ab acriori & contumaciore fit, vt Galen. *de atra bile & variis locis docuit.* Ille non niſi irritatus excandeſcit, diu citra perniciem conſiſtit, vt in vetula illa ſeptuagenaria. Hic vero coerceri vix poteſt, qui breui exeſa cute ſe detegat, fiatque cancer exulceratus, vt poſtea eidem ſeptuagenariæ tum domicellæ ſupradictæ euenit. Sed domicellæ propter irritationem, in qua & corruptæ carnis ſpeciem tumor exhibebat, cum fœtore & ſordida illuuie, horrido aſpectu (vt quiuis cancer exulceratus) labris præduris & inuerſis. Ex quo & ſanies tenuis, nigra aut fulua manabat: vapor enim cordi exſpiratur cerebroque grauis, febris aſſidua (vt Fernelius doctiſſime annotauit) eaque lēta ineſt, frequens animi defectio, quum præſertim cancer mammis inhæret: exeſis ſæpe venis ſanguis profunditur (vt in domicella prædicta & monacha apud Clariſſeas) & niſi malignitate ocyus interimat, longe lateque prorepit. Curatio clarior euadet exemplo ſubſequenti.

Cauſæ

OBSERVATIO XXVII.

De cancro mammillæ per modum Conſultationis.

1 MAlū hoc, quo vxor tua laborat, vir doctiſſime, cancer eſt, toti mammillæ inhærens, vt eam quoque apprehendiſſe videatur: qui licet nondum ſerpat procedendo, eſt tamen occultus & latens, quamuis ſit tumor inæqualis liueſcens & aſpectu teter. Incepit autem per ſe (licet alias ſcirrho ſuccedere ſoleat) quantum ex tua cariſſima vxore intelligere potui: licet primo exiguum locum tenuerit: nunc tantam in molem excreuit, vt totam mammillam occupauerit inſtar cancri animalis fluuiatilis (vnde nomen habet) cum in iſto pedes ex vtraque parte ſint corporis, ita in hoc malo venæ oppletæ, & in ambitu tenſæ, pedes huius animalis repræſentare videntur: vel quia adeo pertinaciter hærent loco, quem apprehendunt, vt cancer animal. Puto hoc malum ab atra bile originem traxiſſe, etiam à menſibus ſuppreſſis: nam præter id, quod menſes ſuo tempore non debite fluxere, etiam vxor tua ſterilis eſt, cum numquam proles ſuſceperit: ſupra modum etiam melancholica eſſe videtur. Et quamquam hoc malum per ſui initia, priuſquam in membro figitur, curari poteſt: tamen vbi in molem ſatis inſignem attollitur, inſanabile efficitur, nemoque illud ſine manus opere curabit. Idipſum a.accidit propter ſui craſſitiem: nam nec repelli nec diſcuti poteſt, nec totius corporis purgationi cedit: ſed tanta eius vitij malignitas eſt, vt miriora plane contemnat remedia: vehementioribus vero irritetur, excandeſcatque atque efferatur. Præterea cum ipſa iam longo tempore vſa ſit optimis remediis per inſignes medicos adhibitis; & ſanguinis miſſione & purgatione, & parum medici iuuarint, vix ſperandum eſt, quod curari poſſit medicamentis: neque etiam abſciſſione, cum iam multum locum occupauerit: quoniam ſi cum paruus eſſet, neque altas radices egiſſet ac abſcindi poſſet, ſectionem admittere noluit; certe nunc minus ſectio eſt admittenda, cum nullum iuuamentum adferre poteſt. Sola igitur palliatione vtendum: atque trib. ſcopis; primo humorem atrabilarem prohibendo, cum victu conuenienti & concoctu facili, & ſanguinem bonum generante, vtendo carnib. gallinæ, caponis, hœdi, ouorum luteis, cremore hordei, borag. bugloſ. malua, beta, atriplice, ſero lactis, & piſcibus ſaxatilibus; abſtinendo à carnibus bubulis, ſalſis, fumo induratis, ceruinis, leporinis, caſeo, & ab omnibus cibis melancholicis & flatulentis. Secundo humorem genitum, & per totum corpus diſperſum vacuabimus, prius eundem præparando *cum ſyr. de fumo terræ, de pomis, de epith. de aceroſ. de bugloſ.* deinde euacuabimus, ſemper à leniorib. incipendo, *vt cum epithymo in ſero lactis ſyr. ex infuſ. roſ. pallid. cum foliis ſenæ* poſtea *cum elect. lenit. confect. hamech. diacath.* Idque ſenſim & per interualla. Et ſi medicis præſentibus viſum eſt, menſes euocabimus; etiam ſecta vena in talo. Tertio humorem, qui in particulam affectam procubuit, digeremus, & particulam firmabimus, ne quid humorum redundantiæ ad eam confluat. Regerendi vel repellendi quod influxit, tempus accommodum eſt in principio, tam in ipſo purgationis tempore, quam ante. Vbi vero totum corpus exquiſite purgauerimus, tunc digeremus. Vti poteris vng. de tutia ſeu pompholyge: & mihi videretur commodum, laminam illam plumbeā, quam diu geſtauit, relinquere; quia virus è mammilla exhalat, ita vt breui vlcerabitur & aperietur: nam cancer hic magnus eſt ſatis, & videtur materia in eo ſatis collecta eſſe & putrefacta: ſatius itaque erit materiæ exitum dare, & non retinere per laminam, aut materiam illam putrefactam ibidem relinquere: cuius habemus egregium exemplum apud Rondeletium: nam experientia (inquit ille) didicimus, materiam illam grauiſſimos dolores inferre, qui poſt apertionem mitigantur. Adde, quod ex diſſectione nouimus, thoracem repleri ſero ſanguineo, nimio vſu repellentium: quod ſuperiori anno 1553. mercatori cuidam euenit in Montagnac. ciuitate Galliæ Narbonenſis; qui priuſquam moreretur, laborauit magna anhelandi difficultate: nihil aut parum exſpuebat: tādem vita diſceſſit, & in thorace repertæ ſunt ſeri amphoræ quatuor. Quod accidiſſe puto propter laminam illā plumbeam, quam ſemper geſtabat, & medicamenta fortiter refrigerantia, & repellentia, quibus vſus eſt, etiam poſt ſuppurationem. Argumento eſt ſanguinem reſudaſſe in pectus, quia tumor maximus erat, qui detumuit & longe minor factus eſt poſt vſum illorum remediorum: & cum prius laboraret difficultate anhelandi, ab eo tempore difficulter anhelauit, donec è vita diſceſſerit. Serum illud erat ſanguineum, id eſt, videbatur ſanguis paucus in ſero diſſolutus, nec tale eſſe, quale reperitur in peritonæo & pericarpio. Ideo chirurgus vel medicus, qui vxori medetur, admonendus erit, vt à valde repellentibus & refrigerantibus abſtineat. Audio medicum apponere aquā cardui benedicti; illa quidem non ita refrigerat & repellit. Non deſunt Neoterici, qui ad palliationem apponant herbam Roberti, ſcabioſam, chærefolium, caprifolium, tapſum barbatum, puluerem ſtercoris humani, cum anetho. Nonnulli procedunt cum appoſitione carnium gallinarum; propter

propter quod vulgares Lupum appellabant, eo quod cancer in die gallinam vnam comedebat; quam ſi non comederet, ægrum comediſſet. Sed caro talis facile putreſcit, & putredinem, qua cancer vlceratus facile afficitur, auget; ita vt eiuſmodi remedia muliercularum, quæ & carnem crudam collo apponere iubent in dolore capitis, fœtorem inducendo, plus noxæ quam commodi adferant. Hæc ſunt, vir humaniſſime, quæ ad palliationem huius mali, quo vxor tua laborat, valere putamus: quæ in commune hoc tempore conſulere voluimus. Vale. *Raptim Delfis, 26. Iulij, anno* 1585.

SCHOLIA.

7 HÆc mulier Amſtelrodami habitabat: verum non diu poſt, cancer hic exulceratus fuit, cum tanto fœtore, vt vix quis adeſſe potuerit, totam mammillam occupans, ad axillas vſque; ita vt poſt duos deinde annos miſere quoque vitam trahens (*vt poſtea mihi relatum fuit*) tandem obierit. At cauſa cancri vlcerati eadem eſt cum ſuperiori, ex humore atrabilari, ſed acriore, vt diximus; & ideo exulcerat. Signa quoque in hoc ſolummodo differunt, quod in cancro vlcerato, præter dolórem, duritiem tumoremque, vlcera eroſa ac inæqualia conſpiciuntur, plurima ex parte ſordida, labris prætumidis, aſpectu horrenda, & concreta humorum, colluuie ingrata. Iiſdem ſcopis & remediis curatur, venæ ſectione, purgatione humoris atri acrioris; & in mulierib. ſi menſes deſunt, tali venæ inciſione; vel menſes euocentur. In viris hæmorrhoides proritandæ, ſi modo eas pati conſueuerint. Locum laborantem firmabimus cum ſupradictis topicis. Inſigniter etiam leniunt, & ſolantur plurimum in ipſis exacerbationibus, & cruciatus tempore, malua aut althæa in mulſo ſubacta liquefactaue, & roſaceo paululo lænigata, inſtar cataplaſmatis illita. Quod ad abſciſſionem attinet, modo paruus ſit & altas radices non gerat, hæc ad chirurgiam pertinent: de quibus ſuo loco: hoc tantum nunc admonito, quando abſcinditur, oportet ſectionem incipere à parte ſterno proximiore, procedendo ad ſuperiorem partem, propterea quod venæ maiores vltimo loco ſint abſcindendæ. Nā copia ſanguinis vtriuſque (*ſcilicet venarum & arteriarum*) ægrum ſeu ægram & aſſiſtentes perterret, & ægri ſeu ægræ vires deiicit: ideo oportet hoc modo incidere. Deinde cauteriis vel potius cauſtico medicamento conſtringente (*vt nos in lithotomo Guillelmo de Dalen vidimus*) ſanguinem ſiſtere. Neque ſtatim compeſcendus eſt ſanguis, propterea quod vtcumque infectus, eſt euacuandus. At Rodolphus lithotomus, cum noſtro conſilio mammillam cancroſam in Gerthrude Nicolai exſcinderet, quæ fruſtra cauſticis remediis curabatur, ita vt denuo cancro mammilla multo maior intumeſceret vlcerato, cum acu filo perducto, vt manu vna mammam eleuare poſſet, cum nouacula dextre abſcindebat, venaſque ſanguinem effundentes filo alter miniſter cōſtringebat; & radicitus cancro cum tota mamma abſciſſo, mox reſtrictorium medicamentum applicabat; poſtquam craſſiorem ſanguinem ex ipſis venis expreſſiſſet, deinde aliorum vlcerum modo curabat. Hæc autem mulier habitabat Delfis in Elephante; quæ recte per abſciſſionem fuit curata: vti & altera mulier è Vi[illegible], me præſente; & tertia ſatis vetula. Hæc peritis chirurgis committenda. Cuius modum abſcindendi apud alios au-

ctores, qui de tumoribus præter naturam ſcripſerunt, tum apud chirurgiæ ſcriptores inuenies, ita vt non opus ſit hæc omnia hic commemorare: quamuis ille modus exſcindendi, quo Rodolphus ſupradictus vtebatur, præ cæteris mihi placebat.

OBSERVATIO XXVIII.

De fiſſuris papillarum.

PApillæ aliquando finduntur vel vlcerātur, vt puerperæ & nutrices pueros præ ingenti dolore ſugere non permittant aut ferre poſſint. Sic Ataliæ vxoris Hugonis Iacobi pharmacopolæ, papillarum ſciſſuras habentis, oleo liliacco, in quo pul. tutiæ immixtus eſſet papillæ inunctæ ſunt, inſperſo deinde puluere tutiæ exiguo, & ſuperimpoſito folio violaceo viridi, ne camiſia adhæreret: quibus præſidiis ſana facta eſt. Vxori Ioannis Foreſti fratris mei, in puerperio axungia canina inuncta ſola profuit: & anno ſequenti etiam pomatum album. Sed & in alia vſus ſum feliciter vnguento ex pul. tutiæ lotæ in aqua *roſ. & vng. roſ. ſimul mixtis.* Vxor Adriani pharmacopœi noſtri, *gummi tragacantho diſſoluto in aqua roſ. adiecto exiguo tormeſil*, vt magis rubeat, *ad ſpiſſitudinem mellis ſoluto*, inungebatur, & ſtatim ſanata eſt, Retinuit hoc remedium in officina ſemper paratum; quo etiam ad lichenes, vulgo (*Haarwurm*) vtebatur magna cum experientia, vti & nos ſæpius experti ſumus. Commendatur præterea oleum de ſperma ceti, ſi eo papillæ vlceratæ & fiſſæ inungantur. Bickerus quidam ſolo zaccharo papillis inſperſo vxorem ſuam curauit, ſuper impoſita argentea capſula ad papillæ formam eleuata, ne camiſiæ adhæreret: Zaccharum enim vim abſtergendi & mundificandi habet: ideo vlcera leuia ac vulnera minuta, nequaquam effatu digna curat: poſt abſterſionem natura ipſamet poſtea eadem conſolidante. Ita & vulnera in manu cultello leuiter inciſa ſolo zaccharo inſperſo idem curabat: ſed huius rationem ignorabat, quam eidem aperui, propter abſterſionem hoc fieri. Sibi ſatisfactum dicebat.

Haarwurm

SCHOLIA.

AMatus ad papillarum dolores & fiſſuras hoc vnguentum commendat cent. 6. curat. 38. *℞. vng. populei, vng. de plumbo, an. ℥ j. opij thebaici gr. v. miſce* fac vnguentum, & eo inunge mammillarum papillas: quas cum mulier lac dare voluerit puero, vino diluto lauet, & poſtea iteret; eſt ſane remedium hoc certum & indubitatum. Aliud Petri Spinolæ quondam pharmacopœi noſtri, nunc Dordraci agentis, quod in officina paratum erat, ad fiſſuras papillarum (& ideo à mulieribus vulgo vocatum Tepel ſalf.) valet etiam ad vlcera inueterata, tum cruris vlcera, & ad noli me tangere. *Recipe lapidis calaminaris præparati* (ſcilicet in vrina pueri non polluti, igniti, & ter quaterque exſtincti, & in pollinem ſeu puluerem ſubtiliſſimum redacti) ℥ iij. *terræ ſigillatæ ℥ j. olibani, ceruſſæ, terebinthinæ, ceræ, an. ℥ j. maſticis, aluminis vſti, olei roſ. lini, an. ℥ ß. ſeui ouilli ℥ ij. axungiæ porcinæ recentis ſeu inſulſæ ℥ ß. vini Rhenenſis ℥ ß. fiat vng.* vt attis eſt, vel ad formam emplaſtri; & ſuper pannum lineum ducatur, & papillis applicetur. Illa quoque valent, quæ *obſer. 1. lib. 14.* ſcripſimus vtilia eſſe ad fiſſuras labiorum. Sed illud hic minime prætereundum puto, quod labra infantium

infantium ex papillarum duritie & calore, subinde scindantur & fissuras incurrant: quas facile cum lana succo plantaginis minoris, butyro & adipe gallinaceo recenti inuoluta,& rimis indita percurabimus. Absolutis mammillarum vitiis, quidam hic annectunt ea, quæ vitia alarum, & grauem odorem abolent. Ideo vnum exemplum addemus.

OBSERVATIO XXIX.

De fœtore alarum.

Cum eius febricitantium fœtent.

1 IVenis quidam bilioſus, cum alas & axillas fœtentes haberet, vt puellis fere ob odorem fœtidum exosus esset, huic consului, vt bile prius euacuata & contemperata, cypero cum oleo illineret axillas. Ad alarum enim vitia valent, & grauem odorem totius corporis abolent. Si vitio sanguinis est, Benedictus Veronensis lib. II. c. 18. illum demere, inquit, prius necesse est, ac corpus perpurgare. Si bilis in vitio fuerit, eam perpurgabis: in vtraque causa humores temperabis. Grauolentiam abolet iris, scholimonque per se, nam per vrinam effluit id vitium. Rosæ quoque succus per se, oleumque myrteum, seminis fœnugræci decoctum graueolentiam alarum emendat; nitrum quoque ex aqua quotidiano fotu, virus earum tollit, & alumen: nam & sudores sedant. Ægineta has mixturas commendauit, *aluminis liquidi p. j. myrrhæ p. j. vino diluta illinuntur.*

Quibus odores sedes fœtent.

3 Signis.

Scholia.

2 Causæ. CAusæ huius mali possunt esse procatarcticæ, vt motus excedens, & labor, tempore calido, tarda vestiũ mutatio, & coitus superfluus. Antecedentes sunt multitudo humorum corruptorum in corpore. Gordonius etiam ab humore melancholico fieri putat, & corruptione propriæ substantiæ. Causas coniunctas ad vapores refert ab humoribus corruptis elatos. Axillæ in iuuenibus magis fœtent, quam in senibus, licet materia corrupta senes quoque abundent; deficit tamen calor mouens: nam & iuuenes peioris sunt regiminis; & calor est fortis; Crassiores quoque quia faci[le] sudant, plurimum fœtent. Sed cur febricitantium corpora in febrib. putridis, in quib. mali sunt humores putridi, ita non fœtent? an quia calor febrilis vehemens & fortis consumit illam putrefactionem, cum & fœtor cum febrili calore expellatur? neque corruptio diu manet, sed incipit immediate cum febre, & cum eadem cessat. Quod coitus superfluus fœtorem excitet, fit eo, quod materiæ ad exteriora moueantur & exeat ad cutem vapor putridus. Præterea sciendum, quod coarctatio & non euentatio vaporum venientium ad axillas, inguina & pedes, iuuant multum ad inferendum fœtorem: nam illi conuersi in sudorem, non euentantur. Is vero sudor corrumpitur, & facit fœtorem. Hinc pedes frequenter propter sudorem retentum & inclusum neque euaporatum, emittunt fœtorem. Plurimis hoc vitium familiare est, quib. conuenit, vt caligas sæpe mutent, & soccos lineos sæpe induant & mutent, præcipue æstate; hoc n. tempore magis obnoxij sunt: pedesque frequenter lauentur aqua decoct. nucum & foliorum cypress. & aliarum rerum atque herbarum aromaticarum. Signis hic non opus est, cum satis innotescant (*siue in axillis siue in pedibus, siue in toto corpore*) per suas causas & effectus: cum & is, qui apud eos versetur facile odorem olidum & fœtentem percipiat. Hanc quidem putredinem ex *prog. 1. com. 16.* Gal. non abhorret; cum & eandem laudet: tamen odor vehementis fœtoris, notat putrefactionem, & cacon maturationem. Idem dicit Gal. *3. prog. com. 22. Axillarum fœtor & totius corporis per longum tempus durans, sine manifesta causa, læpram præsagit*, iuxta Gordonium, & Gerardum Cremonensem super Viaticum. Curantur fœtores humorib. prius præparatis & expurgatis, vel venæ sectione, si opus est. Deinde confert vti balneis, decoct. herbarum odoriferarum, vt sysimbrij, melissæ, lauan. rad. ireos, & similium. Et in exitu balnei axillæ, tum totum corpus, lauari poterunt hoc decocto. *2. amisi, cumini, ros. rub. an. ℥ ij. cyperi, spicæ nardi, schœnan. an. ℥ ij. rad. ireos siccæ pul. ℥ j. fiat decoct. in ℔ iij. aqu.* Poterit & camisia in eodem decocto lauari, & demum exsiccata indui, iisdem, tum vestibus sæpe mutatis. Reliqua vide apud Bened. Veron. loco citato, & apud Paulum. Nunc tempestiuum est, vt hoc finito libro, ad ventriculi affectus transeamus.

Cura.

Finis Libri decimi septimi.

OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM

Liber decimus octauus.

DE STOMACHI ET VENTRICVLI AFFECTIBVS.

OBSERVATIO I.

De oris ventriculi inflammatione.

4 QVibus os vẽtriculi inflammatur, in maximum dolorem, ob eius exactiorem sensum, incidunt: quibus & vrina rubra est: sitiunt, & febre continua affliguntur: vt quidam euenit. Huic statim clysterem emollientem & detergentem, cum aluum non redderet, iniiciendum esse consuluimus: & vt aluo soluta sanguis statim ex vena interna, plenitudine apparente, mitteretur: cautione tamen adhibita, ne plus sanguinis euacuaretur, quam opus esset: solet enim hunc affectum syncope & virium imbecillitas, ob vehementem dolorem, sæpe subsequi. Et ideo in sanguinis missione hic summa cautio adhibenda est. Nam præcipuus scopus est in eo remedij genere, virium robur. Mox à venæ sectione, ad dolorem sedandum, hoc vel simile cataplasma applicandum esse duximus: *℞. farinæ hordei ℥ vj. florum chamæmillæ, meliloti, ros. rub. ana p. ß. sem. coriand. santal. omnium ana ℥ ij. spicæ ℥ ß. olei ros. ℥ iij. olei chamæmillini, cotoneorum ana ℥ ß. misce.* fiat cataplasma. Interea mandauimus, vt subinde syrupos caperet, eosque prius adstringentes, quales sunt syrup. cotoneor. de agresta, ex rosis siccis, in progressu vero hos vel similes: *℞. syrup. viol. nymphææ, portulacæ end. ana ℥ j. aquæ ros. cichorij, end. ana ℥ iij ß. aquæ menthæ ℥ ß. misce.* Catarctica per os sumpta huic minus conueniunt: quia ad affectam partem trahunt. Sed post doloris sedationem, sola cassia cum pauco rhab. satis est: qua etiam hic, tum in aliis, commode vsi sumus: etiam confectionibus cordialibus, circa initia hoc modo vel simili, conseruæ ros. & aliorum adstringentium dosim augentes, & violarum magis minuentes: *vt, ℞. conserv. viol. buglossæ ana ℥ j. conserv. rosa. ℥ ß. corticum citri conditi ℥ iij. pul. diamargariti frigidi ℥ j. diarod. sbb. ℥ ß. coralli rub. ℈ j. manus Christi perlatæ ℥ iij. cum syrup. cotoneorum*, fiat conditum. Pro siti quoque egregie profuit rob. de ribes, & conser. foliorum acetosæ, & cerasa amarella dicta, & lactuca condita: quibus & in feb. continuis ad sitim feliciter vtimur, vt in libris nostris De febribus cernere licet. In fine etiam tabulis trionsant. commode vtebatur. His & similibus remediis hic conualuit: & alij similiter sanitatem consequentur. Deo iuuante. Interea hic magna diligentia opus est, cum malum sit periculosum, & minime contemnendum.

Curatio.

Prognost.

Scholia.

3 SImilibus quoque affectibus os ventri, vt œsophagus (*de quibus diximus libr. 15. scholio Oiser. 31. 32.*) tentatur, vt doctissimus Fernelius dicebat: quos & iisdem licet notis deprehendere. Præterea vero & mentis alienatio accedit, ob eos neruos, quos è sexta coniugatione suscipit. Mulierem vidi (inquit) grauidam, cui tuberculo duro eoque ingenti ita os vẽtriculi obturabatur, vt quicquid indebatur, attracto ventriculi ore mox remearet atque redderetur. Sic astantiũ omniũ iudicio nihil cibi potusve bimestri vel conatu maximo eo vorauit. Tandem morbo, desipientia febreque confecta decessit, edito partu, quem vitæ superstitem reliquit. Affectus enim ventriculi (vt interpres Holleri) summatim enumerat) in œsophago, stomacho, siue orificio, fundo, tunicis, pyloro infiniti prope reperiuntur: tanto periculosiore, quanto coctio & distributio, cibi magis necessaria vniuerso corpori. Quales sunt intẽperies omnis generis, tumores præter naturam, obstructiones, defluxiones, excrementa illic collecta vel nata, vel aliunde immissa, cibus intẽpestiuus nimius bilioſus, deiecta appetẽtia, nausea, vomitus, humores in tunicis infarti, aut in sũdo fluitãtes, inflãmatio, inflatio, dolor, exulceratio à causa interna, vt humore acri, pharmaco, cibo, osse acuto, præcedente abscessu: erosio, fames canina, immoderata sitis, & similes, quorum signa, causas, remedia explicare maioris est operis. Multa ex Galeno colligi possunt *3. & 6. De morb. & sympt. 5. De loc. affect. de sanit. tuenda. 7. Methodi.* Signa ex Arte parua desumuntur. 8. καθ' ὅπως describit stomachicos, contra Andromachum, qui stomachicas confectiones sine discrimine scripserat prodesse stomachicis. Quod & vulgo hodie etiã empirici faciũt. Nos de singulis exẽpla quædam adferemus, certa & vera methodo curationem instituentes.

Cum eius febricitantium fœtent.

Quibus odores sedes fœtent.

Signis.

Prognost.

Curatio.

OBSERVATIO II.

De ventriculi imbecillitate, ex intemperie frigida & humida: cui postea etiam materia pituitosa accessit.

1 IVenis, annos circiter viginti natus admodum studiosus, & doctus, Guillelmus Cripius Haghanus, cum longo tempore valetudinarius fuisset, in ventriculi imbecillitatem lapsus est, ex intemperie frigida & humida: quam sitis nulla vel exigua, acidique ructus, & saliuæ copia comitabantur: & humiditatem aliquando vomitus subsequebatur, sine vllo magno dolore, post horam vnam à sumpto cibo: ita vt tandem ventriculus ex nuda primum intemperie adeo imbecillis facile humores pituitosos receperit, qui eo confluxerunt: ita vt non tantum nuda intemperies morbum constituat, sed & humor pituitosus: ideo & vomitu pituitæ sine dolore, & etiam sub finem vomitus cibus, qui reiiciebatur, subacidum quid sapiebat: ad frigidum enim ventriculum, iuxta Galenum, proprie accitus rectus refertur. Aderat similiter inflatio quædam & ventriculi duricies, ob flatulentos humores & frigidos, in fundo ventriculi magis hærentes. Quibus autem remediis hic sanitatem consequeretur, me consuluit. Huic igitur præscripsi cibos faciles bonique succi, vtque auibus montanis, cuniculis, assisque potius quam elixis vteretur. Concessi vinum medicatum ex absinthio: & cereuisiam absinthitem, capares, diacydonium, cum speciebus. Et vbi ad vomitum procliuis esset, vt exiguum decoct. hordei, cum raphano, pauco adiecto oxymelite, debite biberet: & vt pro præparatione, decocta menthæ, absinthij vtriusque sumeret: adiecto syr. menthaceo, cotoneorum, & absinthij. Et subinde cum pilulis leuioribus expurgaretur: vt alephanginis, ex hiera simplici, vel mastichinis. Deinde, vt vteretur elect. *arom. ros. diarion piperon, diecalamenthon. Et, vt stomachum inungeret oleo nardino, mastichino, macerino, pauca adiecta cera: & emplastrum ex mastiche, stomacho apponeret; & vt subinde vinum generosum sumeret.* Quibus remediis hic optime habuit: vt alius iuuenis licentiatus iuris studiosus (nam studiosi magna ex parte stomachum imbecillem habent, quæ imbecillitas plerumque iis adhæret, vt vmbra corpori: ad quam plerumque consequuntur ciborum cruditas, ructus acidus, nauseæ, vomitus, fastidium) qui præter imbecillitatem ex diuturnitate mali natam, multam pituitam in ventriculo humido & frigido collectam habebat: cui & oxymel sæpe lambendum dedi, & mel rosa. modo cum decocto absinthij: tandem & pilulas mastichinas ad ʒ j. postea triplicata purgatione per hieram picram Galeni, assiduo potu vini absinthij, & subinde assumpto syr. menthaceo, & aromatico ros. & stomacho exterius roborato cum cerato stomachico Galen. & mastiche, adiecto exiguo croco & cinnamomo, ac rad. cyperi, & oleo absinth. tandem hic, tum alij plurimi, vt frater meus Theodorus Forestus, sanitatem adeptus est. Et alij quoque haud pauci conualescentes, imbecillitate stomachi laborantes, prius aliquando hiera purgati.

Curatio.

Scho-

SCHOLIA.

IMbecillitas ſtomachi ſeu ventriculi, fit multis de cauſis, non ſolum ſtudioſis, vt iſtis duobus euenit: verum & conualeſcentibus, & aliquando ſanis. Conualeſcentibus vero frequens eſt: magis etiam ab imperfecta criſi: in quo reuocanda ſententia Hippocratis: Si à morbo cibum aſſumens quis non corroboratur, largiori alimento corpus vti ſignificatur. Quod ſi non aſſumenti cibum hoc accidat, ſcire oportet, quod indiget euacuatione. Conualeſcentes à morbo aliquando multum appetunt, ob extenuationem membrorum, non ſolum ab inanitione ſpiritus & humoris, balneo, profluuio (*quod & interpres Hollerij recte animaduertit, & nos in praxi quotidiana ſæpius vidimus*) ſudoribus quoque & inſenſibili perſpiratione, colliquatione, & ſimilibus: ſed etiam à ieiunio, inopia alimenti, calore langueſcente, vt flamma quæ in elychnio inſita, ab oleo & aëre fomitem & pabulum ſumit. Aliquando vero appetentiam habent deiectam, ob vitioſos humores relictos. Vtrique ſæpe, niſi accurate tractentur, in recidiuam incidunt. Priores quidem, quia cum extenuata membra multum appetant, non tamen ſumpta conficere poteſt imbecillus calor. Nota eſt enim hiſtoria multorum, qui à longa inedia ſeſe repleuerant, adeo, vt inde ſuffocati fuerint: vti nos cognouimus noſtro tempore, tam in obſidione Harlemenſi, quam Leydana præcipue contigiſſe: quando obſidione liberati ciues victu pleniore ſe replentes mortem quam plurimi incurrerunt. Poſteriores vero, quia reliquias morbi tandem natura ſtimulata aggredi cogitur: Quanto enim plus nutriuntur, tanto magis læduntur: donec accreſcente malo, morbus repetit. Hi igitur curantur vacuatione, vt docet Gal. *De ſang. miſſ. contra Eraſiſtratum, & hiſtoria 6. Eride. Illis vero remedio ſunt, rerum non naturalium commoderatis, labor, cibus, potus, ſomnus, Venus, omnia mediocria: deinde longo tempore ſubſtantia reparatio per alimenta pauca, bene nutrientia, facilia coctu, ſæpius exhibita.* Nam pauca non ſufficiunt, nimia non coquuntur. In conualeſcentibus ergo, quibus reddita eſt appetentia, imbecillitas ventriculi non poteſt tantum concoquere vel conficere, quantum appetit. Modica itaque quantitate, 6 ſed breuibus interuallis cibi boni ſucci & qui facile coquantur reficiendi ſunt. In aliis, quibus appetentia non redditur, reliquiæ morbi in cauſa ſunt: quæ optime vel rhabar. vel hiera picra, ex decocto cicerum aut abſinthij, repurgantur. Sed de conualeſcentibus ſatis diximus, & exempla poſuimus de febricitantibus: at nunc loquimur potiſſimum de ſanis: in quibus imbecillitas eſt vel à ſola temperie. Ventriculus enim varios morbos patitur, & ſymptomata varia, quæ à diuerſis morbis naſcuntur. Morbi autem ſunt, intemperies calida frigida, humida & ſicca: ſine materia, vel cum materia: eaque pituitoſa, bilioſa, vel melancholica. Quare, ſi quis velit ſymptomatis occurrere, morbos agnoſcat oportet: quod ex dolore, functione læſa, & alui recrementis dignoſcetur. Difficilius vero dignoſcuntur, quam curantur. Intemperaturæ ſine materia raro ſiunt: quod ſi fiant, diu ſine ea eſſe non poſſunt, vti oſtendimus in iſtis duobus iuuenibus. Nam omnis intemperies ventriculi nata eſt coctionem impedire. Quod ſi frigida intemperies vel ſicca præſens ſit, cruditatem faciunt, à qua multa pituita aſſeruatur in ventriculo. Si calida vel cibos vrit, vel corrumpit, vel aliam cruditatem facit. At frigidæ indicia ſunt frigoris ſenſus in parte infirma, nulla ſitis, ſaliuatio, aliquando multi ructus acidi: quos & ſequitur appetentia & coctionis tarditas. Cui valent vina generoſa & antiqua, præaſſumpta duabus aut tribus horis ante paſtum, vinum Hippocraticum dictum, vel cui addita ſint piperis grana aliquot, conſer. aroſ. diagal. diacinnamomum, roſata nouella, pliriſſarcot. diamoſ. diambra, diatrionpipereon, dioſpoliticum: quæ & calfaciunt, & ventriculo grata ſunt. In tabulis vel opiatis, conſer. anthos, ſtœchad. & ſuperbibant aquam menthæ abſ. hyſſopi, cum vino generoſo, ſyr. de mentha, de abſinth. hic conferunt, propter caliditatem & adſtrictionem, quæ grata eſt huic parti & neceſſaria. Calidæ ſigna ſunt, æſtus in medico corpore, ſitis aſſidua, lingua arida, iactatio corporis, à cibo nidoroſi ructus: licet ſitis magis ſiccitatem notet. Valent *refrig. opiata, ex conſeru. viol. roſ. flor. cichor. trionſan. diamar. frig. diatragacant. frigidi, & lactuca condita, & carnes cucurbitæ conditæ*, quæ refrigerant, ventriculo & palato gratiſſima ſunt: abluantur aqua frigida: & per duas horas ante paſtum dentur: ſuperbibendo parum aquæ: & fiat hæc vel ſimilis opiata: *Recipe conſ. roſ.* ℥ j. *conſ. flor. cich. nenuph. ana* ℥ ß. *pul. trionſ.* ℥ ij. *diatr. frig.* ℥ iß. *diamar. frig.* ℈ j. *conſeru. viol.* ℥ ij. *cum ſyr. end. ſimpl.* fiat opiata vel conditum. Humida vero intemperies fluctuationem & ſitis inappetentiam, & coctionis tarditatem facit. Curatur facilius ſicca intemperie; quia partes humidæ facilius vim medicamentorum ſuſcipiunt quam ſiccæ: ſiccæ enim propterea quod partes conciderunt & denſiores factæ ſunt, non facile (*vt dicebat Rondeletius*) cedunt medicamentis. Adde, quod medicamenta humida, non multum agunt, neque multum reſiſtunt. Curabitur igitur humida intemperies, inedia, aut victu tenuiore aut exſiccante: abſtineat à multo potu vini diluti: & potius generoſo meraciori vtatur: vel poſca, vel oxymelite, hydromelite parum coctis, & multum dilutis, vt magis detergant & minus nutriant. Abſtineant iuſculis, vtantur carnibus & piſcibus ſalſis, pane biſcocto, cum multo ſale. Rondeletius commendat cineres viperarum: valet pul. galangæ, cinnamomi, piperis, & cineres hirundinum, conſerua acori, ſaluiæ, anthos, & vinum antiquum, cum aqua abſinthij, ceratum maſticis, & alia, vt apud Rondeletium videre licet. In ſicca intemperie tarda etiam fit concoctio, adeſt linguæ ſiccitas, corporis extenuatio, ſaliuæ paucitas, ſitiſque vehementiſſima. Intemperies ſicca omnium difficillime curatur, vt omnes alij morbi: quæ enim conſummata eſt, inſanabilis exiſtit: ſed quæ ſanari poteſt, curatur vſu lactis, quia humectat & nutrit: & balneo: & ſtatim à balneo, oleo dulci inungendum: & in lectulo à balneo, vbi quieuerit, lac propinandum: de quibus diximus *lib. 2. De feb. hectic.*: de quibus etiam vide ad longum Iacchinum doctiſſimum, *ſupra Rhaſ. cap.* 43. De affectibus ſtomachi, à quibus vitiatur concoctio. Habes ibidem egregia ad omnem intemperiem conferentia, tam ſine materia quam cum materia: quæ etiam ad cauſam, ſigna, & curationem ſpectant, de imbecillitate ſtomachi, & ibi hiſtoriam egregiam ponit, ſe eiuſmodi affectam curaſſe ex nimia circa ventrem diligentia in parco victu, & ſæpe longa abſtinentia, medicamentis ad roborandum ventrem datis: ac præfecto eò deuenerat, vt mortuum deambulare crediderat.

Intemperies ſola diu exiſtere non poteſt.

Frigida ſigna & curatio.

Calida ſigna & curatio.

diſſes. Sed & ex vacuatione talis euaſerat, quod ſenex iam & gracilis iuuenculam duxerat: hoc autem maxime corpus ſiccat, curatus autem eſt iiſdem præſidiis, quæ Galenus ponit: id eſt victu humectante. His valent vinum dilutum non antiquum: juſcula pinguia ex capis, gallinis, carnibus vituli lactantis, hœdi, adiecto vino exiguo, ad faciliorem diſtributionem, & concoctionem: cremor ptiſanæ, cum oleo amygdalæ dulcis lactuca, violis, boragine, in iuſculis decoctis, inunctiones ex oleo violarum amygdalarum dulcium adiecta axungia gallinæ, pro linimentis, lactucæ conditæ, cucurbitæ carnes conditæ, conſeruarum violarum & ſimilia, vel ſi olea dicta nimis relaxant, adde parum olei roſarum cotoneorum: & tempore inunctionis guttas vini ad penetrationem. Si compoſitæ fuerint, ſigna vtriuſque poſita coniungenda. Verum ſi intemperies fuerit cum materia, copiam vitiorum humorum nauſea, vomitus, grauitas ventriculi, & ructus potiſſimum à cibo oſtendunt. Ideo videndum quomodo adeſſe materiam diſtinguamus. Primum ergo materiam frigidam adeſſe ſtatus monſtrant, qui etiam ſine cibi aſſumptione ſentiuntur. Secundo percepta grauitas quædam & angor, præſertim ſi os ventris optimant valde ſenſile. Tertio grauitas capitis, & dormitatio: præſertim ſi cruda pituita ſit: à qua etiam appetentia tollitur, *vt Galen. lib. De pleuitud.* ad finem teſtatur: & 5. *de vſu partium ad principium*, quod ſcilicet opprimant & grauent. Contra acida, quæ tenuis eſt, appetentiam facit, vt de canino appetitu dicemus: quod ſi nauſeet vel vomat, erit apertum. Pituita quoque nullam prorſus ventriculi eroſionem excitabit, niſi ſalſa fuerit: hinc & acidi ructus, nulla ſitis, tenſioque ventriculi adſunt. Quod ſi flaua bilis, & nauſea & vomitus accidunt, & triſtitia & morſus: & iracundi fiunt: aperitur eius qualitas per vomitus, caput vero dolet: vel ſomnos turbatos efficit & breues: & ſapor amarus ſentitur, præſertim ſi pluſculum ieiunauerunt. Hippoc. 2. *De victu.* Et ſic ſi atra bilis abundet, triſtitia metuſque, ructus & exſcreationes fœtidæ, piſciſque olentis, ſomnus cum acceſſione imaginationum alienarū, contractioque & dolor poplitum & ſurarum. Sed num in ipſo gignantur, aut aliunde influant, apparet primo *De loc. & 2. de temperamentis ad fin.* Diſtingues conſiderando temperamentum principum partium, ſi tale ſit bilioſum: &, ſi vt in ventre, ita & in inteſtinis continetur: quod ex deiectione reprehendes, conſidera à quibus partibus poteſt venter recipere. Demum excrementi qualitas conſideranda eſt, ſi euomat: nam porracea in ventre; in iecinore vero flaua vel pallida gignitur. Erit etiam pulchra tentatio, nam ſi à ſola intemperie, ſi cibos dederis, qui reſiſtant, non vitiabuntur: ſi ex humoribus, quoniam illis admiſcentur, vitiabuntur. Sed illarum partium notas & affectus perpendes. Hæc quidem exemplis clariora euadent.

OBSERVATIO III.

De imbecillitate ventriculi ex laxitate & mollitie, in quo pituita poſtea coacernata fuit.

SCribit Rondeletius, ventriculi aliquando imbecillitatem fieri ex partis mollitie & nimia laxitate, citra intemperiem aliam, vel citra mate-

riam; vt ipſe colligit ex Galeni verbis 1. ad Glauconem: vbi ait, ſyncopen fieri ab imbecillitate ventriculi: quam ſolis curat aſtringentibus appoſitis ſupra ventriculum, quam affectionem fieri autumat Rondeletius poſt multas comeſtationes, quæ ventriculum multum diſtenderunt; aut quia ventriculus ſuapte natura eſt magis laxus, aut maior quam oporteat: & quia vſus eſt æger nimis relaxantibus. Omnes iſtæ cauſæ diſtentionem ventriculi faciunt; quæ facit vt minus bene cibos amplectatur: quod ſi non facit, non bene concoquit. Apponenda igitur medicamenta primis qualitatib. temperata & adſtringentia. Quod ſi minus proſint, ſunt augenda frigida adſtringentia, quia magis adſtringunt quam calida, & ad intra repellendo calorem excitare poſſunt. Poſt cibum aſſumenda, quæ per partem ſuperiorem ventriculum poſſunt conſtringere, vt ſunt pulu. adſtringentes, ex roſ. cinnamomo, cort. cyperi, corallo & aliis. Sed quia ventriculi infrigidatio magis periculoſa eſt, calida etiam adiungenda, vt galanga. Sic nuper puella laxitate ventriculi laborabat: cui à cibo præſcripſi cotonea mala, pyra cocta, vel condita, & extinſecus cum oleo myrteo, cotoneor. & abſinthij, ventriculum inungebam. Verum cum eiuſmodi ventriculus laxus imbecillis non diu ſine coaceruatione materiæ perſiſtere poſſet, vti huic puellæ euenit, pituita coaceruata eſt in ventriculo, vt intemperies materialis acceſſerit, quæ non aliunde pendebat: quæ plerumque frigida & humida eſt: nam generatio humorum plerumque attinet pituitæ, lib. De atra bile, & 2. *De facult. naturalibus*, fit enim ex cibis, qui ob frigiditatem & humiditatem, caloris venetris fruſtrantur actionem: præſertim ſi natura venter ſit debilis. Erat autem hæc pituita in ſpatio ventris, non autem infixa tunicis inhærens; eratque pituita aliquantulum craſſa. Ideo oxymel ſimplex, poſtea & ſcyllinum dedi, deinde vt vomitu leuiter pituitam expelleret, conſului vt acciperet muſſæ potum cum oxymelite, eo quod pituita minus contumax eſſet, alioqui deueniſſem ad decoctum raphani. Poſtea exhibui ſyrupos magis incidentes, & exſiccantes, & roborantes, *ſyr. acetoſ. compoſ. & ſyr. de hyzantiis*: & purgaui cum *pilulis maſtichinis, & alephanginis & ſtomachicis ana* ℈ j. *cum ſyr. menthaceo, fiebant pilulæ* vij. Deinde vſus ſum iiſdem remediis, quæ diximus conferre ad intemperiem frigidam & humidam: nempe calida & ſicca, vt ſunt aromata omnia, intro aſſumpta & extra; ceratum ex maſtiche & ſpeciebus aromaticis. Adhibui quoque ſacculos, & fomenta ex abſinthio, mentha, ſchœnantho, rad. cyperi, & caryophyllis compoſita; cauendo hypochondria: vſus ſum & diatrionpipereo, ex mente Galeni: quia hæc puella ſubinde extenſionem ventriculi percipiebat, ex flatu. Talibus enim flatus gigni ſolent, & ſuccedere: vnde duplici ratione concoctio vitiatur, tam ex intemperie, quam ex mala cibi comprehenſione. Huc enim facit hiſtoria illius, qui poſt horas quatuor cibum euomebat, ob flatus: vt etiam euenichat fratri meo Theodoro Foreſto. Ideo diacyminum exhibui ſubinde, carnibus aſſis & aromatibus conditis vtebar, vino generoſo aliquando, prout ſumptus ferre poſſet: alioqui ceruiſiam abſinthitem conceſſi. Vtimur & oleo aniſi. Quidam pro arcano habent (vt Matthæus de Gradi refert cap. de dolore & apoſtemate ſtomachi) ad conſumendam ventoſitatem ℥ j. *aquæ vitæ.*

Sed considerandum nunquid adsit caliditas hepatis vel renum: tunc enim valde suspecta est. Noui ego studiosum quendam Louanij, cum ibi adhuc studerem, qui omni mane pro humido & frigido ac debili stomacho vtebatur aqua vitæ, licet admodum pauca: ita, vt tandem maximam ventriculi siccitatem incurrerit, & vna hepatis calorem: vt vix tandem corrigi potuerit.

SCHOLIA.

5 PRimum vero in sananda intemperie, quam humor aliquis in ventriculo collectus fouet (quæ etiam frequentissima est, vt diximus) videbimus an ex ipsa ventris intemperie & frequenti cruditate sit accruatus: ita, vt venter ipsi sibi malum foueat. Hanc autem materiam plerumque frigidam & humidam esse constat. Si ergo primum pituita in ventre; si crassior, in spatio ventris: altera inhæret tunicæ affixa, viscidorum modo. Sint & tenuiore irrigatæ & madidæ ventris tunicæ, vnde & intemperatæ sunt. Hæc ergo omnia simul iungi possunt. Ideo à prima causa ordienda curatio: hoc est, à vacuandis humoribus, qui in spatio ventris continentur, qui si contumaces fuerint. Galenus adhibet, oxymel aut scylliticum: & si æger nauseabundus ad vomitū, per vomitum educit, cum mulsa & oxymelite, vt nunc diximus, aut cum decocto raphani. Id bis facere vtile est, si tunicis humores infixi, cum hiera expurgata; cuius hæc magna est vtilitas: vt & aloës, licet bilem purgat; etiam pituiram, ob species admistas in hiera. Quod si bilis sit in causa (prius dictum est quis nam bilis modus in ventre gignatur) statim expellenda erit; quia facilis suapte natura est, vt expellatur. Est enim venenosa, syncopen faciens, & per consensum conuulsiones. Expelletur vero vomitu quod potest: quod si quid inhæsit, per hieram; exhibendo, non vt prius solam, vel ex vino, vel aliquo decocto extenuante, scilicet ex aqua. Ventriculi itaque intemperies calida, frigida, humida, sicca, cum materia, eodem, quo supra, modo curatur; nisi quod frequentius vtimur pilulis, vel pulueribus laxantibus humores redundantes; qui magna ex parte sunt, bilis pituita, & aliquando melancholiæ, sed raro. Euacuantur autem vomitu, si nihil prohibeat, vt affectus thoracis, aut corporis constitutio. A cibo facilior est vomitus: ante cibum plus materiæ euacuatur. Si bilis vacuanda, post jusculamulta, vel post potationem liberaliorem prouocandus est vomitus. Nam bilis, vt oleum his supernatat, & ob id facilius euacuatur. Adde quod acrimonia eius temperatur mixtione harum potionum. Datur *syrup. viol. cum aqua tepida, vel iusculum pingue sine sale, aut decoctum betæ, cum oleo viol. vel communi, vel amygdal.* Si autem pituita euacuanda sit, mane ante cibum euacuetur: quia pituita semper est in maiori quantitate, quam bilis; & in fundo ventriculi magis hæret: ob id vomenda ante cibum, vel si lenta sit & nimis hæreat, syrup. acetos. simpl. dilutus aqua vel decoct. betarum vel parum agarici, vel asari, propinandum erit; prius relaxata regione ventriculi, oleo liliorum, vel amygd. inuncto, aut immisso digito, aut penna oleo intincta. Quod si fiat post corporis agitationem, vel frictionem super ventriculum in gyrum, facilius & plus vomet. Pituita pilulis de aromate, aut de hiera cum agar. euacuanda, sine aliquibus adstringentibus. Bilis autem rhabarb. infuso, syr. ros. & aliis mitioribus purgantibus bilem. Lenissima medicamenta ob duas rationes sunt vsurpanda: tum quia materia è longinquo non est vacuanda; tum quia ventriculus non est vexandus fortioribus: clysteres ad id multum faciunt: sed acres esse oportet. Humorem autem cognosceret ex supradictis, & ex oris sapore; amarus bilem puram notat: salsus bilem & pituitam permixtam: acidus pituitam & atram bilem: insipidus pituitam aqueam, vel dulcem: id melius deprehenditur ex vomitu. Atra bilis commodissime euacuabitur decocto polypod. vel senæ, vel epithymo decocto in iure galli antiqui, vel pulli, vel decocto mercurialis. Syrupi ad concoctionem vel alterationem sufficiunt: ad bilem *end. simpl. vel absinthij cum aqua end. vel cum syr. de cichor. sine rhab. aut cum rhab. vel cum syr. ex infus. ros.* si volumus euacuare bilemque detergere. Syr. ad pituitam valent, *hydromel. crei mor hordei, cum melle, aut oxymelite.* Incidentes magis sunt syrup. *acetosi compositi, & de byzantiis*, qui leuiter incidunt, attenuant & detergunt. At si materia aliunde influit, tunc intentio esse debet, si toti prospicere, vel parti, si pars sit. Si tamen vrget, vt syncopen morsu adferat, relicta prima causa hunc affectum tollemus, donec affectus mitigetur; interim causa non neglecta. Ita in copia crudorum humorum 12. *meth.* horret purgationes; sed eas curat frictionibus & inedia: & optimum erit semper reuellere humores ad contraria, & deriuare fluxiones ad alias partes, vt ad infernam aluum clysmatis; ad vrinam, post extenuantium vsum. Causam non negligemus, vt in pituita inediam impetrando, potum exiguum, cibos siccos, calidos, & reliqua quæ pituitæ generandæ sunt contraria, alioqui si parati sunt humores postea leuiter purgauimus cum hiera, quæ à longinquis aut remotis non attrahat. A sanguine melancholico si oriatur, & si is sanguis in toto abundet, Galenus sanguinem mittit, cum nec facile corrigi possit, nec absumi præ crassitie. Si fluxio biliosa, purgabitur similiter in stomacho, primo vomitu, mox absinthij decocto, vel hiera. Quoniam vero venter est, qui recipit, non debent præter suas horas hi à cibo abstinere, cum præsertim non soleant famescere. Vnde præceptum illud Auicennæ (*vt recte dixit Iacchinus doctissimus*) suspectum est: quod ad cibum fames exspectanda sit. In cibo vero oportet præcedere lenientes aliquod semper, mox sequi quæ roborant adstringendo: & vinum adstringens sit, album, tenue, vt per vrinas bilem expurget. Patet autem, quod vniuersa victus ratio esse debet, quæ biliosa excrementa non generet, id est, frigida & humida, in cibis, balneo, somno, quiete: quæ omnia vno aphorismo comprehendit Hippoc. 6. *Epid.* In calida natura, refrigeratio, aquæ potio, quies. Sic vero & temperabitur bilis, & quæ circa jecur est, per intestina repurgabitur. Num vero purgantibus instandum sit, dubitatur: credunt alij quod non, nisi lenientibus, vt natura bilem traducere assuescat per loca consueta; dum corporis malus habitus corrigatur. Quod si influxus bilis in ventrem sit naturalis, vt ex portione pori fellei ad ventrem tendente: quem errore naturæ in quibusdam maiorem esse contingit, quam oporteat; malum est incurabile. At si pituita à capite descendat (& est casus, qui crebro euenit, Florentiæ præsertim, vt asserebat Iacchinus; magis tamen apud nos Batauos & Hollandos; ratione regionis) ipsi prouidere oportet, postquam venter melius habuerit: etenim humoribus in ventriculum collapsis & expurgatis, post derelictam malam membri intemperiem, ipsum roborando, ne facile recipiat, ipsi capiti quoque tanquam membro mandanti prouidere oportet, postquam venter melius habuerit. Propria vero capitis prouidentia erit per contrariam intemperiem. Quoniam vero multa pituitosa excrementa generat, erit exempli gratia, intemperies eius frigida & humida, caput igitur calefaciemus & siccabimus. Sic enim & alimentum bene concoquet: vnde nec ex alimento pituitam generabit, & quæ ab inferiore susceperit excrementa, expurgabit per insensiles transpiratus, & etiam per sensiles vias: neque etiam prompte suscipiat ea, iam firmatum. At qualis prouidentia capiti frigido & humido debeatur, dictum est de morbis capitis. Capita vero eorum sunt, vt si adest multitudo pituitæ, vacuetur, si est communis toti, per totius prouidentiam: si partis solum per notas vias, per quas caput purgatur: per nares, inquam, & os, & insensilem transpirationem, & per ea quæ calore & siccitate siccant, cum noctu assumunt. Si vero melancholicus est humor, si totius vitio, dictum est supra quomodo prospiciendum: sin partis, vt lienis, quoniam male affectus, humorem melancholicum expurgabimus, eodem modo, vt dictum est; & victum instituemus, quo maxime eius succi generatio euitetur: & lienis affectum curabimus.

De pituita.

Curatio intemperiei cum materia.

Vomitus biliosus.

Vomitus pituitæ.

OBSERVATIO IV.

De Cardialgia, seu oris ventriculi dolore, cum quodam morsu, cui bilis vomitus subsequebatur.

FRater meus charissimus Nannius Forestus, si aliquo vehementi exercitio vteretur fatigatus, vel ieiunium paulo diutius toleraret, & præsertim cum curru veheretur, iuuenis biliosus, incat dialgiam aliquando incidebat, seu oris ventriculi dolorem, cum morsu & erosione bilis, vomitu erodente subsequente, ita vt syncope facile apprehenderetur, cum os ventriculi valde sensile haberet. Huic panem ex vino albo tenui frigidoque ac diluto, vt caperet consulebam; tum succum mali punici acidi: cui & lactucam cum aceto concedebam, pullosque gallinaceos, & perdices, cum omphacio & succo limonum. Sic Hippocrates libr. 2. vulg. mulieri cui os ventriculi dolebat, & nihil remittebat dolor, polentæ pollinem in mali punici succi insperfum, semel in die in cibo tribuens, ipsam curauit: & non remouebat, vt ipse inquit. Et quia ad vomitum prorius esset frater ex natura, confestim vbi bilis roderet, syrupo acetoso vel oxyzacch. cum aqua sumpta facile vomebat: alioqui vbi syncopen metueret, micam panis mediocriter torrefactam maceratam in vino austero tenui & albo, & demum fortiter expressam sumebat: huius vini singulis tribus horis vt caperet ℥ iij. iubebam, idque frigide; donec pulsus robustior fieret. Propterea iussi, cum facile afficeretur cardialgia, ex ieiunio, vt non tarde, sed citius cibum caperet, & vt ieiunium vitaret. Et quia ex natura melancholicus esset, & facile ex mœrore flaua bilis in ventriculum confluaret, & vehementi exercitatione, & præsertim motione currus idem pateretur, præcepi vt mœrorem & vehementiorem exercitationem & vectationes in curru vitaret: & vt continuo apud se pyxidem conferret consului, in qua rosæ rubræ & myrtilli ac santali pulueres cum aqua ros. & vino odorifero aspersi, inclusi essent: vel spongia hoc odoramento (quo Celsus vtitur, liquido immersa pyxidi inclusa, ℞. *aquæ ros. & myrtill. ana* ℥ iij. *vini odoriferi* ℥ ij. *santalorum* ℥ ij. & fiat odoramentum: vel huius æmulum medicamentum, vt conficeretur vtile duxi.

Cardialgia frigida humida quomodo prouidendū.

SCHOLIA.

KΑρδιαλγία vt Alcmarus ostendit, perpetuo affectus est oris ventriculi, eiusque infestum symptoma à succis mordentibus eueniens: καρδιωγμος vero interim, non oris ventriculi, sed eius visceris, quod in thorace continetur, est affectus. Cardiacus quoque perpetuo oris ventriculi morbus, sed cum febre, eaque acuta; qua etiam ratione differt à cardialgia. Et ideo cardiacus morbus cum in acuta febri & maxime æstuosa sit, perpetuo particulum minatur: confirmat id eius causa, cum à rodentibus ac venenosis succis fiat, seu ab alicuius visceris inflammatione: adeo, vt quidam os ventriculi valde sensile habentes statim ex eo intereant, teste Alexandro, nec minus periculosus est à lumbricis ascendentibus ad ipsum os ventriculi, quibus nonnihil roduntur, & statim intereunt. Frequentius iuuenibus cuenit in augmento ægritudinis circa sextum diem: & quam maxime eo tempore, quo æstas calidior incanduerit. Cardialgia etiam in febribus mala iudicanda: de qua 7. *lib. De febr.* diximus. Quantum ad curationem spectat, cum prædicti affectus ratione maioris minorisque differant, ideo communis ratio tum victus, tum medicamentorum instituenda: aër frigidus eligendus, & domus depressior, nec alta, nec valde lucida, fenestris patentibus, vt perflatus accedat, leuique veste contegantur ægri, in cardiaco præsertim morbo. Pauimentum foliis vitis & ros. consternatur. Vigiliæ vitandæ; somnus moderatus competit; & quies motusque omnis interdicendus, aluus natura vel arte sit lenis, valent pyra, persica, vua, & quæ moderatæ refrigerant. Sed de his diximus De febribus. Potus sit aqua hordei. Aëtius ptisanæ succum aut alicæ per clysterem infundit, reliqua vide apud Aëtium & Altimarum, de vomitu leui iam dictum est. Si vomere non possunt, lenia medicamenta adhibenda, thamarindi, infusum rhab. vel syr. ex infus. rosa. & topica ventriculo adhibenda, vt inula, cotonea, cum pane vel plantagine, vel polenta cum palmis. Exsudantibus sudor inhibendus cum oleo myrteo vel melino, myrto insperso. Extremæ corporis partes refrigeratæ, concalfaciendæ, cum multa frictione ipsarum partium, linteisque calidis adhibitis. Quod si ex visceribus quoddam inflammatum, vnde cardialgia aut cardiacus morbus, eadem inflammatio curanda erit. Si ex ascendentibus lumbricis, ea tribuenda quæ ipsos interficiunt, & ex corpore expellunt: amaris expellas, iuxta Gal. 14. *method. medendi.* Hoc autem vitium, vt etiam sequens, ad os seu ventriculi ostium pertinet, in quo ciborum fit appetentia. Atque hæc prima ventriculi pars est: vti secunda (quam eiusdem ventriculi spatium seu cauitatem appellamus) in qua eorundem ciborum fit concoctio: de qua parte etiam postea suo loco.

Curatio.

OBSERVATIO V.

De appetentia canina.

MOnacha apud Delphenſes, cum longo tempore cibum deuoratum euomeret, & in fine acida quædam & aquea, rurſumque appetentia incitata iterum cibum aſſumptum cum rurſus euomeret (*quod vitium canibus ſolet accidere*;) facile intelleximus eandem canina appetentia laborare; atque hanc cauſam internam eſſe ex ſapore eorundem, quæ euomebantur, etiam ex ægræ relatu cognouimus, tum ex ructibus præcedentibus vomitum, tum ex acido ſapore oris, dum acida euomerentur. Cum autem hæc multis medicamentis vſa fuiſſet, nec per alios medicos curari poſſet, cum valde debilis eſſet, vt has pilulas leues quidem ſumeret præcepi, cum ad eam accitus eſſem menſe Martio, anno 1563. ℞. *pilul. de hiera ſimplici Galen.* ℈ j. *rhab. optimi pulu.* ℈ ß. *cum ſyr. ex infuſ. roſ. fiant pilulæ* 5. *valde exiguæ.* Quas cum in diluculo deglutiiſſet, bis aluum depoſuit, quas cum iterum atque ſemel cepiſſet, ſtomacho corroborato, vomitus deſiit. Vomebat autem hæc primo non ſolum aquea, verum poſtea & acida, vt diximus; ſed in fine vomitus ſentiebat aliquid amarulenti, quod & gulam vellicabat: ideo *rhab.* ℈ ß. *pilulis de hiera* addebam, iiſque deuoratis malum, quod irremediabile videbatur, atque diu duraſſet, miraculi inſtar ceſſauit. Ita & quendam alium iuuenem, hoc eodem malo, ſolis pilulis de hiera, liberaui.

SCHOLIA.

QVatuor ſunt accidentia ordine quodam ſeſe conſequentia, quæ ventriculi appetentiam præcedunt, cum ſecundum naturam quis appetit. Primum namque omnium totius corporis inanitio, ſeu vacuatio eſt: ſecundum, naturalis euacuatarum partium: tertium, ventriculi ſuctus: quartum ipſius ſuctus ſenſus: hinc ſequitur iam dicta ventriculi animalis appetentia. Si hæc præter naturam vitioſa redditur, modum in quantitate excedens, dicitur tunc canina appetentia, 1. *De cauſ. ſymptomat. & comment. aphoriſm.* 21. *libr.* 2. à canibus ſic appellata, apud Alexandrinum Trallianum, *lib.* 7. *cap.* 5. Ægri vomunt pituitam, & cibum, cum aſſumunt, quem retinere nequeunt; & poſt vomitum alium appetunt: eſtque vehemens & inſedabilis cibotum appetentia: in aqua afficitur os ventriculi, vt 1. *De cauſ. ſymptomat. & 5. De locis affectis.* Affectio vero ſymptoma eſt in genere noxæ functionum animalium, atque ipſius ſenſus tactus: ipſa quidem functio eſt deprauata, non diminuta nec ablata. Ægri enim plus cibos appetunt, & cum appetitum cohibere nequeant (*teſte Aetio lib.* 9. *cap.* 21.) in ingerendis cibis modum excedunt: deinde multitudine eorum aggrauati, & abſumptos citra nocumentum ferre non potentes, ad vomitum diuertunt: deinde rurſum cibo ſi explentes, iterum ad vomitum reuertuntur, quemadmodum canes. Volunt autem hunc morbum fieri, vel propter intemperiem ſolam frigidam, vel ob pituitam acidam vel ob melancholiam, vel ob totius corporis diſſolutionem magnam. Trallianus etiam à caliditate fieri ſcribit. Iam quoque à cauſis procatarcticis incitatur, vt à nimia aëris infrigidatione; quod accidit iis, qui per montes frigidos & niuoſos iter faciunt. Ita & bulimon fieri volunt, de quo poſtea. Sic & ex potu aquæ frigidiſſimæ refrigerato ore ventriculi. Ob id ſcripſit Hipp. aquam & aërem facere voracitatem; ſed magis aquam, quam & voracem appellat. Fit & cum æger nutritus alimentis exigui nutrimenti, vt ſi veſcatur oleribus, fructibus acidis, aſparagis, radicibus, leguminib. aut aliis alimentis imbecillioribus. Fit etiam ob longum vſum alimentorum detergentium, vt ficuum vel gari; quod ſe Rondeletius in ſe ipſo expertum ſcribit: qui cum me vellem (inquit) cogere ad vſum piſcium, vtererque frequentiſſime garo parato ex lycoctoniis (*vulgus Gallice* Anchoys *vocat*) & oxylæo, ficus etiam Maſſilienſes fere omnibus horis comederem, ita fuit pituita illa ventriculi & inteſtinorum deterſa, vt mihi ſuperuenerit appetentia canina, deinde bulimos; qui me adhuc hodie infeſtat. Hæc Rondeletius. At cauſæ procatarcticæ huius affectus deprehenduntur ex relatu ægrotantis, & his, quæ præceſſerunt. At ſi ex frigida intemperie, egeſtiones multæ ex ipſorum ventribus procedent, crudis exiſtentib. nimirum cibis aut ſemicoctis. Si vero adfuerint acidi quoqui ſucci, aderunt ſimul cum his acidi ructus: nec mirum ſi frigida intemperies, frigidique vitioſi ſuccii in ore ventriculi redundantes propter frigus, alimenti & non potus deſiderium excitant. Ex imbecillitate retentricis facultatis in toto corpore, ſi contingat ob caliditatē, contraria magis iis (*teſte Tralliano*) qui ob frigiditatem immodica appetunt, euenire videntur. Neque enim ſiti carent, neque acidum humorem vomunt: vnde & his magis aluus aſtricta eſt, quam citata. At iis qui ob retentricis in vniuerſo corpore facultatis infirmitatem laborant, cibi minime cocti, copioſi, & ſubinde alterationem non experti excernuntur. Quare etiam tales continuis illorum corruptionibus laborant. Plura de his vide apud Gal. 4. & 6. *De locis affectis, & 4. de ſympt. cauſ.* Hi autem facile, iuxta Paulum lib. 2. cap. 51. dilabuntur in cœliacum affectum, aut dyſenteriam, & aquam intercutem, ſi ad conſuetudinem vomendi peruenerint; cum & alios ingerant cibos cum priores nondum ſint concocti. Et ſi diu perdutet, in bulimon permutatur; interdum in ſoporem & interdum ad mortem. At canina appetentia, quæ ex immodica diſſipatione ortum ducit, ſi prioſquam ad ſummum peruenerit, cognoueris (*teſte Gal.* 6. *De locis affectis*) non difficulter curabitur. Si itaque ex frigida intemperie vel ſuccis frigidis & otiatur, aër eligatur ad calidū & ſiccum vergens. Vitentur vigiliæ immodicæ & ſomnus alliciatur; exercitium moderatum confert, alui excrementis prius arte vel natura depoſitis. Declinandus timor & mœſtitia. Vini potus his, non cibi multitudo, remedium eſt: flauum quidem vel rubeum adſtringens id vinū ſit, & merum: edulia pinguia, oleoſa, ex Galen. & Alexand. & phaſianorum femora, & carnes ſuillæ. Multos equidem Galenus ſanauit, qui indefinenter fameſcebant, vinum abundanter exhibens, flauum, vel rubeum adſtringens: & primum offerre pinguia oportet. Potus ante cibum multus calidus, ex Aëtio, cerebella pulteſque cum melle & oleo, ſorbitioneſque appetitum deſtruentes. Ex fructibus, piſtachia, nuces pineæ, colymbades, & oliuæ ex melle; allium, porrum, & herbæ diſſecantes, thymus, ſatureia; ex medicamentis oxymel ſimpl. ſcil. mel roſ. Vomitus ex juſculis pinguibus, cum decocto raphani. Si

Appetentia canina.

Pars affecta

Affectus.

Signa.

Cauſa.

Si impacti humores pituitoſi, hiera danda. Sufficit aliquando leuis euacuatio, & reiterata: quia multos humores non continet ventriculus, ob frequentem vomitum. Deinde electuaria propinanda, quæ calefaciant & roborent ventriculum, ex cinnamomo, arom. roſ. diagalanga. Et exterius inuncto ventriculi ore, oleo nard. abſinth. maſtich. & vino maluatico pattem fouebis, tum aliis de imbecillitate ventriculi dictis. Si ſit ab intemperie ſola frigida, alterabimus calfaciendo, & leuiter conſtringendo medicamentis & faſcia. Si dat ex immodica corporis diſſipatione, abſtinendum à continenti calido ac vini potu, & ab omnibus, quæ tum extrinſecus, tum intrinſecus calefacere poſſunt, ex Aëtij mente. Aër frigidus eligatur, quies iniungatur, ſomnuſque mediocris, & vigiliæ immodicæ vitentur. Alij volunt, ſi propter reſolutionem magnam totius corporis fiat; aut quia vſi ſunt alimentis detergentibus & euacuantibus immodice, optimis alimentis illos ali oportere; vitellis ouorum, ſucco carnis optimo, & generoſo vino, pane intincto in maluatico vino, vel Hippocratico, vel muſcatellino. Hæc alimenta differunt ab iis, quæ ad bulimon præparantur, quod in bulimo dantur (vt ſequenti exemplo dicetur) multum alentia & multum ſatiantia: atque ob id eligimus pinguia; quæ ſunt fugienda in appetentia canina, quod vomitum proritent, vt & oleaginoſa omnia, & magis liquida, quæ ſuapte natura facillime vomuntur. Iſtis tantum alimentis vtimur cum volumus ab initio augere vomitus. Si propter alimenta, aut medicamenta plus iuſto detergentia hæc affectio acciderit, viſcoſa ſunt danda, vt cremor alicæ, ptiſanæ, decoctum pedis veruecis, aut aliorum animalium. Alexander iis, qui ex caliditate appetitu canino laborant, vinum non dat; ſed cibos, qui ægre conficiuntur. Calida his inimica ſunt, qui ex pipere parantur. Quibus enim ex immodico calore diſſipatio fit, clyſteribus lenibus vtendum: animi immodici affectus declinandi, & potiſſimum ira: cibique ſtabiles & ægre corruptibiles dandi, aquæ potus vel ſem. coriand. præpar. decoctum. Cutemque condenſabimus oleo roſ. omphacino & myrteo aſtringente. Valent lauacra frigida, ſi nihil prohibeat. A balneis calidis abſtinendum. Vnguenta reſtringentia & refrigerantia proſunt. Curationem retentricis facultatis infirma ex frigiditate, Alexander abſoluit cibis & medicamentis calfacientibus, braſſica vino percocta, cinara, pulte ex alica, cum vino, olyra, zea, perdice, attagena, carne leporina; inter bellaria, vuis paſſis: vnctionibus, epithematibus ex laudano, myrrha, aloe & ſimilibus. Dat theriacam; & balneis calidis vtitur, & quæ mediocrem habent adſtrictionem. Exercitia commendat, geſtationes, nauigationes, & longas peregrinationes. Ad facultatem retentricem imbellem ex calore, oua dura exhibet: inter olera lactucam, intybum. Ex auibus gallinam cohortalem non admodum coctam. Anſerum alas & pectora, & phaſianorum. Ex piſcibus, dura carne præditos, orphum, glaucum, cuculum & ſepias. Ex teſtaceis, aſtaces, buccina, pectines, cochleas. Ex leguminibus, phaſeolum, fabam, oryzam. Ex fructibus pomaceis, mala dulcia, citria, vuam dura carne præditam: peponum carnem, cucumerum medullam, ſycomora, duracina & perſica. Balneas aquæ dulcis commendat, naturales refugit. Aliqui his addunt curationem à melancholia: in qua lienis ratio habeatur: & purgaretur humor melancholicus, & ſtomachus roboretur exterius. Vide de his ad longum Alex. Benedictum Veronenſem *lib.* 11. *cap.* 22. *De curationibus variis inexplebilis auiditatis.*

OBSERVATIO VI.

De grandi fame, quæ Bulimos Græce dicitur.

IVuenis quidam Brabantinus, cum iter longum per frigora & niues faceret, vel externum frigus aliquod pateretur, illico ore ventriculi affecto, bulimon incurrebat, & ab eo ſtatim ſyncope afficiebatur. Quod cum illi in itinere ter contigiſſet, ita vt vix à ſyncope à ſodalibus, qui illi in via aderant, leuari potuerit, hunc caſum famulo meo hoc tempore in Brabantia exiſtenti narrauit: & is reuerſus ad me, cum & Dieſtenſis eſſet, ac huic iuueni familiaris, eius nomine me conſuluit. Præcepi vt iuueni reſcriberet, vt omnium primo cum ſyncopen incurreret, ex mente Galeni, tum Alexandri Tralliani, extremæ partes conſtringerentur, continerentur, & pungerentur vndiquaque; & aſtantes aures perfricarent, & capillos attraherent, atque odoramentis ex aceto vel pane vino, intincto ægrum reficerent. Hoc enim plerique idiotæ ſciunt: vtuntur autem ad vitalem facultatem, quæ digeritur, recreandam recolligendamque. Ex iis autem quæ odoratum mouent, eſt panis potiſſimum in vino imbutus: ægroque reuerſo ad ſe, & defectione animi finita idem panis cum vino imbutus ante omnia dari debet. Reliquo tempore celerius nutrire, & quicquid ægre mutatur conficiturque ipſi exhiberi oportet: necnon quod confirmare poteſt: Ab eiuſmodi namque, inquit Trallianus, iuuantur, & temporis proceſſu ad bonam temperiem reducuntur. Generatur enim hoc malum, ex Galeno & Aëtio, ex ſtomachi frigiditate ac virium imbecillitate: quæ ſemper fere ab externo frigore ortum ducit, vt hic. Hinc, teſte Galeno, aucta oris ventriculi frigiditate immodice, propter eius exactum ſenſum, ac ratione viciniæ, eam ipſi cordi impertitur, ipſumque valde refrigerat. Non abs re igitur cauſa exiſtit, vt animo deliquium accidat. Imo propterea Galenus hanc affectionem dixit nihil aliud eſſe, quam animi defectum. Et cum hæc fames ingens ab externo frigore oritur, propterea peregrinationes (*vt inquit Aetius*) & itinera longa maxime per niuem facta (*vt hic*) effectionem hanc inducunt. Propterea & huius curationis ratio exigit, ne iuuenis iſte neglectim habeatur, cum & quidam in locis deſertis, aut in balneo in hoc malum collapſi ex inſtanti perierint, auxilij facultate deſtituti. Quapropter auxilia confeſtim pro eius curatione adhibenda. Namque aſſiduæ etiam bulimiæ & exſoluunt, & in animi deliquia inducunt ægros; quibus ægre auxilium reperitur, ex eiuſdem Aëtij auctoritate. Et quia affectio hæc nempe frigiditas adiuncta eſt ſiccitati, *vt Gal. aſſerit* 5. *De ſimpl. med. facult.* ideo calidis tum humidis cibis, tum medicamentis vtemur. Itaque ægrum reuocabimus (*vt etiam Galen. docet* 8. *De compoſ. medicam.*) odoramentis aceti aut pulegij, etiam recenti pane odorato ſi ad manus ſit. Vltro etiam panem cum vino maceratum offeremus, & oua ſorbilia & carnem ſuillam. Valde commendat Rondeletius lucanicas Bononienſes, quæ cum integro pipere parantur:

multum enim alunt & ventriculũ calfaciunt. Bulimon enim eodem modo curari scribit, qua appetentia canina: in hoc tantum differens, quod alimenta oporteat esse duriora, & tardiora ad concoctionem, vt alimentum inde factum diutius duret. In his oportet cauere longiorem cibi dilationem ac inediam, & singulis horis simplicissimum modicumque cibum offerre. Hæc sunt quæ iuueni huic valde vtilia esse putamus.

SCHOLIA.

4 VEntriculi ostium indigentia simul ac refrigeratione & imbecillitate virium laborans, incurrit symptoma, quod à Græcis βούλιμος, à Latinis ingens fames vehemens esuritio dicitur (*teste Gal. lib. 1. de sympt. caus.*) βοῦς etenim Græca dictio, adiecta vocibus, vim habet augendi significationes earum. Os ventriculi hic afficitur, *vt 1. De caus. sympt. constat*: & eius affectus est symptoma ex genere noxæ functionem propriæ ipsius appetentiæ deprauatæ. Differt autem à canina appetentia, quæ vniuersalior est: Bulimos magis specialis atque particularis, & deliquium accedens habet. Etiam causa differt: nam à frigore perpetuo fere accidit bulimos; canina appetentia ex nonnullis aliis causis, vt diximus. Signa per se nota sunt, cum adest fames & deliquium sequitur. Modum generationis & causam iam diximus, & etiam curationem. Quibus adiunges, ea quæ & *Galen.* & *Aëtius* de hac affectione scripserunt. Volunt tamen aliqui & in febribus hanc affectionem oriri, vt Aëtio & Paulo visum est: licet ea raro accidat. Inspiciendum tunc quo accessionis tempore contingat: nam si in remissione seu declinatione febrilium exacerbationum accidat, intrepide eis cibi sunt offerendi, quos diximus. Si vero in principio eueniat, aut in vigore apparuerit, conabimur eos primo reuocare, potissimum pane calido, vaporem adhuc emittente, vel polenta, aqua seu posca madefacta. Frictio quoque tunc temporis extremarum partium adhibeatur, & cataplasmata ex palmis, cotoneis, in vino diluto decoctis, ventriculo applicentur. Atque hæc vsque ad remissionem facere oportet, vt oportune cibum offeramus. Quod si ex his nihilo melius habeant, audendum est per ciborum ingestionem auxilium offerre, vnam atque alteram in vino madefactam buccellam panis tribuendo; vt exinde refollicitati, vsque ad remissionis tempus perueniant: in quo tum corporis curatio, tum sufficiens cibus ordinetur. Nam neque Galenus ipse veritus est in principio, incremento ac summo vigore exacerbationum febrilium potissimum calidis siccisque corpotibus, quibus etiam stomachus fuerit imbecillus, cibum offerre, non vni duntaxat, aut alteri, sed pluribus, vbi vsus postularet; præsertim panem ex vino diluto, vt liquido constat apud eundem *lib. 10. meth. med.* Si vero à frigidis in ore ventriculi & siccis succis redundantibus hæc affectio fiat, iidẽ prius concoquendi, præparandi ac expurgandi sunt. Propterea, si bulimos fiat ab humore acido, euacuationem tentare oportet: sed cum maiore cautela id faciendum quam in appetentia canina. Nam hi, vt dictum est, facillime in animi affectionem incidunt, post euacuationem. Sunt autem statim (*vt iam dictum est*) reficiendi vino & rebus odoratis. Inunctiones & omnia alia præscripta cap. De appetentia canina hic conueniunt.

Pars affecta & affectus.

Curatio si in febribus accidat.

6 *A frigidis siccis succis quomodo curetur.*

5

Id quoque considerandum, numquid à vermibus contingat: cuius habemus egregiam historiam apud Alexand. Trallianum, sic scribentem: Noui mulierem quandam, quæ cum multa & immoderata assumeret, omniaque concoqueret, & nunquam satiari se diceret, rosionem vero in stomacho experiretur, & capite doleret: medicamentum purgans accepit: erat autem hiera. Facta igitur euacuatione vermem proiecit, qui longitudine duodecim cubitos, & plures habere putaretur. Atque tunc immoderata & furiosa appetentia conquieuit. Innotuit igitur non bulimum, sed bestiam fuisse, quæ ad cibum sumendum compelleret, omniaque consumeret.

Historia mulieris vermem proiicientis.

OBSERVATIO VII.

De Citta sine Pica & Malacia.

PVella annos nata 15. filia illius Theodori Cornelij mercatoris frumentarij Delphensis ditissimi, habitantis in foro frumentario. Hæc quidem facie admodum pallida, statura exigua, cittam seu malaciam patiebatur: frumentum enim & triticum crudum & cretam in maxima copia comedebat: vti & Maria Petri Sasboti filia, prægnans, in maxima copia cretam vorabat. Et enim hoc symptoma & puellis & prægnantibus familiare aliquando, vt in scholio latius dicturi sumus. Sed quod ad hanc puellam attinebat, cum deprauata appetentia ex causarum remotione tollatur, nempe prauorum succorum purgatione, ad eam curandam, ex communi consilio Henrici Vergerij Medici Haghani doctissimi, qui vna mecum ad curationem accitus erat, post syrupum de absinthio sæpius propinatum hoc sequenti infuso vsi sumus; ℞. *pul. folliculorum sennæ* ʒ ij. *infunde per noctem in aqua betonicæ* (cum & capite doleret) *aquæ fumariæ, absinthij, boraginis ana* ʒ j. *mane post expressionem adde pul. Specier. hieræ picræ simplici* ʒ ß. *syr. borag. viol.* (qui & vomitum incitat) *ana* ʒ ß. *misce sumebat mane hora* vj. *in diluculo*: & post tres horas soluta est aluus: his aluum deposuit, & semel egregie vomuit. Deinde stomacho exterius corroborato, oleo cotoneorum, nardino, & mastichino, & cerato stomachico superius posito, hæc sanata est.

SCHOLIA.

AFfectio quædam est, Græcis κίττα & μαλακία, à Latinis Pica: quæ secundum quosdam à picæ avicula nomen recipit; vel à picæ auis varietate (*vt Paulus ait lib. 1. cap. 1.*) vel quod eadem subinde hoc malo corripiatur: secundum alios ab hederæ similitudine, qui κίττος Græcis vocatur, nam sicuti illa variis plantis (prout occurrit) se implicare solet; ita mulieres ex pica laborantes, varia edulia appetunt, atque ea contraria, quæ tum voluptatem tum insuauitatem gustandi exhibent, Aëtio teste *lib. 6. cap. 1.* Malacia vero dicitur, quasi mollities. Pica enim corrupta est appetentia, quæ vtero gerentibus frequens est, & potissimum accidere consueuit tertio à conceptus mense: nam tunc fœtus (*teste Paulo lib. 1. cap. 1.*) omne quod ratione alimẽti ad ipsum fertur, tamquam imbecillior, nequit consumere: vnde fit, vt cum varia ex eo recrementa in stomacho grauidæ redundent, varia & naturæ aliena appetat: exempli gratia, carbones extinctos cretam, cimoliam, aliaque

4 aliaque complura, vt etiam terram, carnem crudam. Nouimus & nos aliquas mulieres grauidas crudas angillas deuorasse, & nuper istis diebus Delphis pellem ouillam crudam vna cum lana, aliam comedisse percepimus: alteram vero Alcmariæ picem naualem cochlearibus excepisse atque deglutiisse. Hæc non solum mulieres, sed & pueros & viros nonnunquam infestat. Tantan. vis malaciæ est (*inquit Fernel.*) vt vir quidam nobilis edendæ calcis viuæ desiderio iam diu pressus, illam tandem pugni magnitudine vorauerit recreatus: nulla ventriculi, nulla viscerum offensione. Vidimus & infantes & pueros aliquos adultiores, carbones, cineres & arenam & cretam deuorasse, & calcem à lapidibus excussam. Contingit & puellis cachexia laborantibus, ob mensium retentionem, aut seminis, à vitiatis & corruptis humoribus in ventriculo collectis. Atque ex his iam dictis facile patet, & quæ sit pars affecta & qualis affectus. Conflictatur enim vẽtriculi ostiũ, *vt 1. de causis sympt. & 5. De locis affect. constat.* Est que symptoma ac noxa eiusdem appetentiæ, quæ deprauata est: in qualitate tamen, & non in quantitate, velut canina appetentia, excedens: *vt 1. de causis sympt.* habetur. Aberrat facultas appetendi, cum non cibos, quin imo prauas appetat qualitates, vt acida, acerba, acria, cimoliam terram, testas & iam dicta. Ita puella nata annos 12. *apud Amatum cent. 3. cur. 86.* facile pallida & gracili, indiscrete lapillos, terram, calculos, cretam, gossypium, lanam & varia similia comedebat: & ita eisdem delectabatur, vt inter suendum eius puluinaris, super quo mulieres suere solent, gossypium suaui appetentia comederet: tametsi à matre & assistentibus increpabatur. Nec enim prædicta tantum comedebat, sed absurdissimos alios cibos, quæ & ab eodem curata fuit, vt ibidem videre licet. Apparent etiam taliter affectis assiduæ exspuitiones, oris ventris morsus, ac anxietates. Insequitur autem prauam eiusdem oris ventriculi intemperiem: cum eius tunicæ prauo aliquo excremento fuerint imbutæ: quo fit vt mulierculis vitioso humore repletis, euenire solet affectio hæc: maxime cum vterum ferunt. Pro varietate autem, peregrina edulia appetunt: & propterea alio signo non indigent pro eorum dignotione: quamquam etiam per vomitum iidem manifestari consueuerunt: Contingit autem & puellis cachexia laborantibus, *vt diximus*, & à vitiatis humoribus in ventriculo collectis, vt hominibus aliquando accidit melancholia laborantibus, aut diuersis humoribus. Nam fere euenit, *vt Rondeletius existimat*, vt ventriculus appetat similia alimenta humoribus in se contentis: vt si atrabilis non vsta in ventriculum effusa sit, acida appetunt: sin vsta sit & incinerata: carbones, cineres & alia alimenta sicca appetunt & assumunt, & illis delectantur: qui salsos humores, salsa, qui alios, alia: ita vt ex eorum appetentia humorem coniiciamus collectum. At Iacchinus hos sic affectos remedium quærere putat ex assumptis: remedia vero quæri per contraria. Hinc alij qui viscidis abundant, acida petunt: qui frigidis: multum acria: qui calidis, acerba: qui indicibilis qualitatis, etiam indicibilis qualitatis cibos. An & hinc mõstruosæ libidines in iis, qui semen retinẽt: Sed cur fieri dicas, vt in retentis mensibus conceptionis tempore eueniat, non grandioribus, cum sponte detinentur? Vtrumque tamen per naturam. Respondet, semper si intra tempus purgationum naturale detineantur, noxam faciunt hanc: non si extra. Natura enim alio ea excrementa in senioribus sensim deducere assuescit: & eiusmodi excrementa in senioribus non adeo multa gignuntur. Solet autem hæc affectio contingere: iuxta Aëtium, vtero gerentibus, fere circa quadragesimum diem à conceptu: & fæpe vsque ad quartum mensem durat, vel compluribus, *teste Galeno*, vsque ad secundum & tertium mensem: in quarto vero quiescunt, partim quod vomitione vitiati humores expurgãtur: partim quod concoquuntur, vt pote exiguum cibi tum sumente muliere, ob fastidium: partim etiam quod multitudo vacuatione sit diminuta, quippe primis duobus mensibus fœtus paucum ad se sanguinem attrahit, eo quod parum adhuc auctus sit: vbi vero iam creuit, tunc plurimo indiget alimento: atque tunc non id, quod optimum est è venis allicit, verum etiam: quia maiorem alimenti copiam requirit, aliquid vitiosi simul attrahit: & ita fit, vt vniuersum corpus plenum esse desinat, & minori humorum vitio crucietur. Idem tamen affectus cum viros inuadat, vt diximus, ob humorem vitiatum ad os ventris delapsum, nequaquam etiam despiciendus est. Victus autem hic instituendus pro varietate vitiosi & praui redundantis humoris. Sed hoc cunctis commune est vt cibis vtantur moderatis, & qui non facile corrumpantur. Sic panis succo cotoneorum aut malorum punicorum maceratus confert, & cichorium. Ex auibus neque pingues, neque viros æ, pedes maxime ac rostra, & ventriculi porcorum: & erinacei marini recentes cibi sint quantitate moderati, & si cibos auersentur: obsoniorum varietate ac iucunditate illectentur. Abstineant tamen à dulcibus obsoniis: verum iis, qui terram appetunt: nihil ita prodest, veluti amylum recens. Cunctis ante cibum confert oliuas albas, muria conditas cum pane molli exhibere, atque quinque vel septem amygdalas amaras: post cibum autem vuæ passæ, mala punica ac pyra præbenda. Potus sit moderatus, ne alimenta ventriculo innatent, ac vinum fuluum, odoratum antiquum & subastringens bibant. Si vinum auersentur aquam ex cinnamomo decoctam potabunt: nostri vero, qui vinum non bibunt, cereuisiam: non tamen recentem, sed defæcatam. Quod ad medicamenta attinent: quidam hic dant magis digerentia, quam fortiter laxantia. Si vero stomachus ab acri, acidove, aut salso humore mordetur, ad excitandum vomitum tepidam aquam bibere poterunt: vt humor affligens euomatur: alioqui si difficilis sit vomitus, aliquid aceti seu syr. acetosi addendum volunt. Si crassus fuerit, quod euomunt, & ob difficultatẽ, difficulter excernitur: raphani etiam decoctum cum aceto mulso exhibebimus. Nam omni studio conandum, vt infestus humor citra molestiam per vomitum educatur: præsertim ipsis vtero gerentibus, quibus nec medicamentum purgans dandum iuxta *Aphor. 1. lib. 4.* cum in primis mensibus hic affectus oriatur. Sed viris si accidat, neque per vomitum sedari possit: purgans medicamentum dandum, prius tamen syr. quibusdam adhibitis, pro ratione redundantiæ prauí succi: *oxyzach. acetos. vel oxymel, vel scillitum*: deinde *hieræ picræ purgandus, vel agar, & rhabar.* alij vomitum à cibo frequentem iuuare aiunt; & medicamenta laudant, quæ ad anorexiam commendant, *vt cass. thamar. diachatol. & triph. persicam, syr. vos. laxat. de fumoter. compos, & serum lactis cum infus. myrobal. vel fol. sennæ*: quæ frequenter exhiberi volunt, nempe quatuor vel quinque vicibus (*vt Rondeletius iubet.*) Deinde ventriculi intemperiem corrigunt, si qua sit contraria

Pars affecta.

Affectus.

Causæ.

7 *Dubium.*

Prognostica.

8

Curatio.

Victus ratio.

9 *Medicamẽtorum ratio.*

10

ex recrementis, idque topicis remediis, prius de intemperie ventriculi dictis, cum de imbecillitate eiusdem ageremus. Aëtius euacuato humore vitioso, *lib. 9. cap. 23.* exhibet mali punici dulcis succum, mentha sicca inspersa, & portulacæ cremorem, & ipsam quoque in cibo, & alia quæ apud ipsum inuenies: & forinsecus topica languido stomacho imponit, œnanthe, balaustium: ros. & citinum cum vino cataplasmatis modo, aut absynthium cum palmarum carne, vino incoctum vel cotonea cum posca & rosaceo, vel nardino cerato excepta: tum alia quoque quæ ipse commendat. *Topica.*

OBSERVATIO VIII.

De anorexia seu inappetentia, vel cibi fastidio.

1 IOannes Theodorus Harperus, consularis vir apud Delphenses, cum inappetentia laboraret, ad incitandum appetitum vna cum Henrico Vergetio medico Haghano, sequentia præscripsimus. ℞. *syrupi de limonibus: de aceto. citri ana* ℥ ij. *syr. acetosi simplicis, syrup. ros. ex multis infus. vel sacchari ros. ana* ℥ j. *syr. menthacei* ℥ j ß. Capiebat omni mane duo cochlearia, pauco vino Rhenensi addito. Egregie profuit. Verum post discessum alterius medici, cum medicamenta abhorreret, macerabam per noctem absynthij Romani comam, & dentis leonis radicem vnam atque alteram paululum contusam, in vino Rhenensi; mane vinum expressum propinabam. Et dictu mirum vir septuagenarius, vermem mortuum, postea & viuum deiecit, & appetitus miraculi instar rediit.

Scholia.

2 SI suctionis sensus in ore ventriculi pereat (*teste Galen. 1. De causis sympt.*) vel suctio non fiat, aut corpus ipsum non inaniatur, affectio excitatur à Græcis communiter dicta ἀνορεξία, & à Galeno: modo ἀσιτία, vt patet comment. *aph. 17. lib. 4. ab Hippocr. autem præcitato aph. 3. lib. 6.* νηστις nuncupatur: & *aph. 61. lib. 5.* ἄσις, cibi fastidium ab Hippocr. & Galeno appellatur: à Latinis modo cibi fastidium, interdum inappetentia dicitur; quamquam inter ἀσίτους καὶ νήστεις, hæc differentia tradatur à Galeno 1. *De morb. vulg.* vt etiam Donatus annotauit, quod illi appetentia carentes, cibum non sumunt: alij oblatio fastidiunt, quæ quidem affectio contraria existit caninæ appetentiæ. Namque in illa modice appetunt: in hac nullo modo, ac nihil appetunt. Appetentia nedum oblæsa, sed absolita, pertinet ad symptoma in genere noxiæ functionis animalis, & proprie ablatæ. Estque pars affecta, os ventriculi, nempe læsum, & huius curatio etiam deseruit ad exiguam & imbecillam inappetentiam. Dictarum affectionum, seu inappetentiæ, iuxta Alexand. *cap. 7. lib. 7.* aut intemperies quædam aut humores in stomacho contenti causæ sunt. Sic & Paulus *lib. 3. cap. 37.* duas fastidij causas ponit: aut vitiosam stomachi intemperiem, aut humorum redundantiam. Fit autem à causis contrariis his, à quibus fames excitatur: scilicet propter plenitudinem ventriculi, vel quod inanitionem nullam sentiat os ventriculi. Non sentit autem, si plenus sit ventriculus recrementis dulcibus: illa enim satietatem faciunt, vt acida appetitum. Pituita etiam insipida, vel sanguis in ventriculo collectus faciunt satietatem. Biliosa recrementa non quod ventriculum replent, sed quod cum supra modum calfaciunt, appetentiam deiiciunt; calor enim solida corpora laxando dissoluit, atque ad attractionis functionē reddit imbecilliora. Nam vt frigus appetitum auget, sic caliditas eundem destruit: quemadmodum & medicamenta, calida, dulcia, pinguia, & vina generosa, vt Hippocr. scripsit: Torexis famem sedat. Vinum autem quia calfacit, & subito nutrit, famem auferre dicitur. Quare qui cœnam aut prandium à potu vini inchoant, hi parum aut nihil comedunt. Bibones quoque raro appetitum habent. Pinguia vero, quia ventriculum relaxant, & quodommodo resupinant, appetitum deiiciunt. Deiicitur & post morbos acutos: in quorum principio multum alimenti assumpsere, id quod Hipppoc. scripsit *aph. 32. lib. 2. Omnes fere qui male se habent, circa initia cupide comedentes, nec quicquam proficiunt, ad postremum nihil appetunt: qui vero circa initia cibum fastidiunt, postea bene appetentes, hi in melius euadunt.* Post chronicos etiam morbos fit, quod ex his facultatum naturalium vis sit deiecta: in morbis præterea, in quibus non est facta insignis euacuatio per ventrem: item in omnibus internis inflammationibus, ob calorem ventriculi: in fluxibus præterea ventris, vel propter imbecillitatem, vel quia recrementa defluunt in ventriculum: vt quando pituita à cerebro in ventriculum descendit, & excrementa sunt spumosa. Deiicitur & appetentia ob relictū exercitium, aut quia nulla est, aut parua fit resolutio, vt in multis obesis: in iis qui consueuerūt frequenter coire, & non amplius coëunt. Aliqui cibos non appetunt, quia priusquam esuriant, iuscula, aut alia alimenta assumunt? quod sæpe ægrotantibus contingit, ob muliercularum importunā diligentiam. Vidimus in morbis quibusdam adeo creuisse inappetentiā, vt nihil vel modicum sumpserint. Sic Religiosam quandam apud diuam Barbaram Delphis, annos 65. natam, anno 1562. ictero morbo correptam (*cui fluxus ventris perpetuo aderat*) instar saponis nigra deiicientem, cui & vrina veneta, nigra, passea, copiose profluebat, corpore squallido & exsiccato, post sex septimanas plane exhaustam decubuisse, nihilque bibisse, aut edulij sumpsisse; præter grana quædam malorum granatorum, illa in ore detinendo, & exiguum succum sugendo. Ad quam pater illius conuentus me deduxit, non sanandi, sed miraculi causa, quod iam diu vixerat sine potu ac cibo: quamuis altero die quo ad illam me deduxerat Pater, hæc obierit. Sed & illud quod nunc referam, magis admiratu dignum esse existimo. Puella erat annos 27. nata cum dimidio, quam anno 1566. 11. Maij vna cum Chirurgo inuisimus, ad partem orientalem ipsius vrbis Delphensis decumbentem. Hæc autem ab an. 16. ætatis suæ perpetuò lecto decubuerat, atque iam vndecim annis nihil aliud sumpserat, quam casei momentum vulgari lingua Stolckij dicti, muliere assistente nobis narrante: nihil enim liquidi aut potus deglutierat, licet mediocriter mingeret: verum singulis octo diebus tantum femel aluum deponebat. Insuper cæca nata erat: quamuis mediocri valetudine frueretur ad annum decimum sextum ætatis suæ. Ab eo autem tempore, terrore correpta, in hanc malam corporis dispositionem lapsa fuit, ita vt vndecim deinde annis subsequentibus, nunquam lectum egressa, etiam nunc lecto decumbat, ac semper in deterius malum pregressum fuerit: adeo vt anno ætatis suæ vigesimo, venter in tumorem haud exiguum attolleretur, atque omnes eam eo tempore (*vt assistens mulierecula narrabat*) pro hydropica haberent.

In cib. fastidio seu inappetentia quæ pars afficiatur, & quis affectus.

Causa.

3

Stolckij cassus.

7 berent. Sed paulo post detumuit, venter, præter rationem, & subortus est rugitus in ventre vehementior, ac murmur quoddam, tanquam ranæ viuæ crocitantes in ventre latitassent, cum motu quodam ingenti ac vehementi sublatione, mox depressione tum ventris, tum thoracis, instar fluctuum maris se se commouētium: qui motus adeo validus erat, vt etiam nos manum ventri admouentes, eundem cohibere minime potuerimus: ita vt is motus manum nostram attolleret. Rogaui puellam nunquid dolorem sentiret? Imo maximum, respondit. Insuper aiebat (*quod valde admiratu dignum erat, etiam muliercula adstante idem annuente*) quod motus ille ad plenilunium augeretur, & simul cum affluxu maris, in maiorem eleuationem totus venter tum pectus mirum in modum attollerentur: & maris fluxu recedente simul motus ille decresceret & minueretur. Hic autem motus septem annos durauerat. Mirum quod puella tota vitiosa superuixerit. Rogabam quoque numquid menses tempore consueto fluxissent. Sed pudica, ac mente constans rubore quodum suffusa non respondebat t muliercula tamen assistente annuēte, singulis decem septimanis certa quasi periodo profluere: sed admodum corruptas purgationes esse referebat. Cum autem animaduerterem portentosum morbum esse, minimeque naturalem, licet astantes causam referrent, in terrorem, à quo male habere prius cœperat: ideo habita huius puellæ genitura, *quæ nata dicebatur anno* 1538. 25. *Octobris die, circa quartam fere horam post meridiem*, iuxta Astrologorum decreta perscrutari volui numquid ab astris aliqua causa probabili coniectura haberi posset. Erant autem tunc in medio cœli stellæ nebulosæ, quæ sunt cum oculo sagittarij, & in occasu nebulosa, quæ est in aculeo scorpionis: luna in octaua, & Sol in septima, in loco opposito vitæ. Hæc cæcitatem decernebant, iuxta Ptolomæum. Sol quoque cum cauda Draconis, & Saturnus in sexta, & Luna in octaua, & Mars dominus ascendentis, decumbens cum venere, portentosam, & valde vitiosam genituram declarabant. Solus Iuppiter in tertia domo in quadrato Saturni vix vitam sustentabat. Ita vt hæc miserá videatur & breuis vitæ ac valde vitiosa: licet ad hoc vsque tempus vixerit tamen morbosa. Sed hæc extra metam medicinæ, cum ad Astrologiam pertineant. Coniecturalibus enim signis ac causis non ita insistendum, vt iis, quæ ad medicinam faciunt. Hoc tamen pro miraculo, aut magis pro ostento habetur, quod tamdiu sine potu vixerit, solo modico caseo vtens. Ideo à curatione destitimus, cum & illa omnia remedia tum medicos ipsos respueret. Multa certe apud nos latent; vt etiam de illa triennali inedia puellæ Spirensis, de qua meminit Ioannes Langius medicus doctissimus 2. *epist. suarum miscell. epist. 27.* Quæ quidem causæ adeo obscuræ sunt, ac soli Deo cognitæ, licet ex terrore (*vt huic puellæ contingit*) pessimos posse oriri morbos sciamus: vti etiam ex ictu bombardæ, vt alias narrauimus: militem enim cognouimus, qui ingenti eius fragore: cum bombardas admodum magnas emitteret, in perpetuam maniam inciderit. Narrat etiam Benedict. Veronensis medicus insignis 46. diebus continuis, quendam Venetiis ieiunium habuisse, habitudine membrorum frigida, crasso phlegmate intus & incocto, meatibusque corporis adstrictis. Pudet etiam (inquit) referre de virgine sacerdotali, quæ ætate nostra inediam pluribus mensibus sustinebat. Illa quoque in miraculum patribus Romæ venerat, vnde experimentum; pluribus custodientibus dedit, *Columbæ* nomen. Sed ad causas anorexiæ reuertamur, quas iam paulo ante enarrauimus: quæ ipsæ etiam exemplis subsequentibus facile innotescent, vt quibus modis eas ipsas distinguamus: & sic etiam melius curemus.

Pituita insipida, bilioso lasso bonus.

9

OBSERVATIO IX.

De anorexia ex humore bilioso, cum ventriculi intemperie calida.

APpetentiæ amissio quamuis contingat, si corpus non inaniatur, vel ob calidam ventriculi intemperiem, vel à sanguine immoderato misso; aut si venter intestinaque immodice fluxerint: plerumque tamen appetentia prosternitur, humorum aut bilioforum, cum intemperie ventriculi calida: aut pituitosorum cum intemperie frigida in ventriculo contentorum vitio. Sic iuuenis valde macilentus, ob bilioſos humores cibum auersabatur, cui & sitis tum nausea aderant, & præcipue ventriculi morsus. Quem hoc modo curauimus: cum enim mordaces humores bilioſi ventriculum lancinarent, & hic nauseabundus, & in vomitum satis procliuis esset: statim ieiuno ventriculo ℥ vj. *aquæ tepidæ* propinauimus, ℥ j ß. *syrup. aceto. simplicis adiecta*: digitos in os & fauces demittendo vomitus commode eliciebatur. Aliqui hic, *vt Paulus & Alexander*, priusquam aquā tepidam cum aceto; vel syr. acetoso exhibeant, tepide ægro alimenta humectantia; veluti ptisanæ cremorem, vel ouorum lutea dant: deinde exiguo tempore interposito, vomitum prouocant: nam is sine noxa iis est vtilissimus, *teste Alexandro Tralliano.* Alioqui, si difficilius æger vomuerit, melius est materiam ad ventrem prouocare, copiosiore temperatoque alimento prius humectatam, vt idem Alexander refert. Sic alteri, qui difficile vomebat, aquam hordei, pauco zacharo immixto, cum syrupo viol. modo aquam hordei solam cum syr. viol. ex infus. ros. & de succo cichorij, aliquot vicibus dedimus: quæ etiam huic, post vomitum, ad contemperandos humores, & alterandos, exhibuimus. Deinde pro leui purgatione propinauimus *syr. ex infus. ros. pallid.* ℥ ij. *cum* ℥ iij. *seri lactis*: qua potione breui, bene excreuit bilioſa: alioqui exhibuissem rhabar. infus. vel mannam; aut cassiam, cum decoct. thamarindorum. Bilioso humore euacuato: calidi ventriculi intemperiem in hunc modum alterauī: ℞. *syrup. de succo aceto. citri, & granatorum, acidorum an.* ℥ ij. *dentur* ℥ ij. *ante pastum, bis & confert syrup. de persicis.* Et pro alteratione & roboratione miua cotoneorum, & cotoneum ipsum zacharo conditum, & syr. citri acidus, cum aqua hordei. Imperaui quoque, vt persicam in principio pastus assumeret: hæc enim maxime appetentiam incitat, si à causa calida prostrata sit: vti hic erat. Serapium vero de persicis hunc in modum fit, quo vti possumus in tali casu. ℞. *succi persicorum, quæ nondum plenam maturitatem sunt assecuta* ℔ iiij. *decoquantur vsque ad dimidij consumptionem: permittantur subsidere fæces: deinde adiiciantur succi malorum punicorum* ℥ vj. *zacchari q. s. simul perfecte coquantur, depurentur, adiectisque sandalis citrinis q. s. suauiore odore reddatur.* Dantur ex hoc syrupo ℥ ij. mane & vesperi, duabus horis ante pastum. Si persica desunt, pro illis substitui potest succus pomorum acidorum redolentium, minime dulcium. Interea hoc condito vsi sumus. ℞. *conserue aceto. ros. ana* ℥ j ß. *corticis citri conditi* ℥ ß. *discy-*

1

2

3

4

dauij

donij sine speciebus ℥ j. pul. specier. trionf. ʒ j. corall. rubr. ℈ j. cum syrup. ex malis punicis, vel persicorum, si adsit: fiat conditum molle. Capiebat ad magnitudinem castaneæ, mane & vesperi: horis duabus ante pastum. Modo etiam capiebat rob. de ribes, & rob. granorum Veenlandiæ, apud nos egregie incitans appetitum: ex causa calida deiectum, & ad stomachum calidum & sitim exstinguendam valens: quod in multis felicissime vsus sum. Exterius vero fotum adhibuimus: *℞. ros. rub. m. j. folior. acetos. & intybi satiui latioris ana m. j. absynthij sicci & communis Romani ana p. j. semin. coriand. præp. ʒ ij. sumach. bacchar. oxyacanthæ ana ʒ j ß. specier. diarab. abb. ℈ j: decoquantur in s. q. aquæ, adiectis succi cotoneorum ℥ iij. aceti ros. parum*: fiat fotus cum spongia immersa & expressa. Eaque calente ventriculi regio foueatur mane & vesperi ante pastum: deinde vngu. infrascripto vngatur. *℞. olei cydon. ros. myrtei ana ℥ j. olei absynthii ℥ ß. corall. rub. coriand. præp. santal. citrin. & rub. ana ʒ j. flor. ros. rub. puluer. ℈ ij. troch. de cephera ℈ ij. aceti parum, ceræ q. s. fiat vngu.* Deinde appositum ceratum santalinum. Victu quoque refrigerante vtens: & moderato somno, & quiete & cibis refrigerantibus (*Paulus autem dat panem posca imbutum, etiam in potu*) vt lactuca & cichorio, ex aceto, ex volucribus montanas sumendo, pedesque suillos, tum alia (*quæ etiam ab Aëtio commendantur*) hic recte deinde valuit.

Scholia.

6 *Signa.* Signa vero quæ calidam intemperiem notant, iam antea diximus: adest enim sitis, oleosusq. ructus, *Paulo auctore*. Quibus si & bilioſi humores accesserint: etiam ventriculi rosiones, nausea, & sitis, subinde & febris hos sequitur. In intemperie frigida, contraria superius adesse diximus: illi enim non sitiunt, & acida eructant, si simul adsint crassi viscosique succi, ij neque rosionem ventriculi, neque sitim experiuntur, & si in sinu humores existunt, nausea & vomitu premuntur. Si infarti tunicis inhæresçunt, nausea solum, non vomitu afficiuntur. Immodica autem corporis plenitudo, præsertim humorum crudorum inanitionem prohibens, si inappetentiæ causa fuerit, quemadmodum vrsis, & quibusdam latentibus animalibus euenit, quæ per multum tempus à cibo abstinẽt: maxime hyberno tempore, haud difficulter dignosci poterit. Similiter etiam si propter quampiam aliam causam, vt pote cutis denſitatem, aut otiosam vitam impedita fuerit inanitio, & per consequens excitata inappetentia. 7 At si calidi fuerint vitiosi succi, totum corpus occupantes; præter alia signa, rigor aderit, & febris cum cibi fastidio, seu inappetentia: quæ haud negligenda erit, cum sit ad vitam necessaria *Prognostica.* ipsa appetentia, *Gal. teste aph. 3. lib. 6.* Quamuis si iuxta principium morborum accesserit, aut iuxta vigorem: cum vires adhuc sustinere possent: nihil molestiarum infert, *Aet. auct. cap. 20. lib. 9.* modico tunc alimento ægri opus habent. Si vero in declinatione totius morbi apppetitus perditio accidat, aut in diuturna imbecillitate aut viribus debilitatis, aut ex immodica euacuatione, periculo non vacat, ex eiusdem auctoris sententia. Augetur etiam affectio hæc ab ætate: incommode enim pueri hoc malo afficiuntur, vt pote qui voraces natura sint, & assiduo fomite opus habent. Quare magnus præter naturam excessus significatur, si pueri perditione appetitus fuerint affecti. 8 *Curatio in ventriculo calida.* Quomodo autem curetur calida intemperies, iam diximus; nempe victu refrigerante: eligendo aërem frigidum, & singulis diebus excrementa alui educendo, natura vel arte: nempe clysteriis: vitando anxietates & reliquas animi perturbationes. Quidam hic commendant cibum refrigerantem, etiam oua sorbilia, testes gallorum: & ex volucribus non graueolentes. Alij conantur & appetitum reuocare per odoramenta, ex posca aut vino diluto, aut malorum cotoneorum, seu odoratorum pyrorum decocto: vel aquæ rosa. ℥ iiij. *aceti vini albi* ℥ j. *santalorum omnium* ʒ ij. misceantur, & fiat odoramentum. Extrinsecus quoque, vt iam ostendimus, stomachum fouemus, corroboramus, & intemperiem calidam alteramus: *vt oleo ros. omphacio, cydoniorum, adiect. succo lactucæ, cichorij, portul. vel solani* ℥ j. *santalor. & corall. rub.* ℈ j. *cum pauco aceto & cera exigua.* Fiat vnguentum, vel cydonium posca decoctum & contusum stomacho apposito. Eo tempore valet & frictio corporis atque pedum, manuumque palpitatio & contrectatio moderata, *teste Aetio*, & saccelli, de quibus sæpius dictum est. Si adsint etiam humores bilioſi, curatio iam satis constat exemplo superiori. Quomodo autem curetur intemperies frigida, etiam cum humore pituitoso sequens exemplum ostendet.

OBSERVATIO X.

De inappetentia ex pituitoso humore, cum intemperie frigida ventriculi.

PVella pituitosa, mali habitus, ventriculo frigido cum afficeretur, pituita etiam collecta fuit in stomacho, vnde ructus acidi, & ventriculi inflatio subsequebatur: nulla siti premebatur, feruentia amabat, pituitam crudam sæpe euomebat, quæ appetentiam adeo læserunt, vt dulcia omnia & vnctuosa & insipida, & omnem cibum tandem abominaretur. Ad quam curandam admissus, tentabam nunquid pituita vomitu educi, indeque auelli posset. Siue enim is humor in ventriculi tunicas sit impactus, siue secundum internam spatij latitudinem in eo contineatur, experiendum, an vomitu educi ac euelli possit. Et quia videbatur, non admodum difficulter vomere, dedi aquam tepidam, cum oxymelite: digitorumque immissione cibum cum pituita simul euomuit: quæ tamen erat tenax, *quamquam aliquando contingit, vt bilioſa & pituitoſa quædam euomantur, quæ perditi appetitus in quibusdam sunt causa, atque ita ab hac accessione liberantur.* Cum hic igitur humor pituitosus esset, quique vomitu non perfecte eductus erat: nobis vtile visum fuit, vt is incideretur, atque extenuaretur in hunc modum: cum crassus & viscidus esset. *℞. oxymel. simplicis scyllini, mellis rosa. colati ana ℥ j. aqua absynthii, menth. fœniculi ana ℥ ij. misce. pro ij. dosibus.* Fuitque hoc repetitum bis terue, donec materia probe cocta videretur: quam tunc ita purgauimus. *℞. electr. hieræ picræ Galen. ℥ ß. dissolue cum ℥ iij. iuris cicerum rubr. & detur in diluculo*: quo medicamento alnum satis bene deposuit. Alias ob amaritudinem damus pilulas de hiera, & ita postea, cum hæc ipsa nondum satis purgata esset, post tres aut quatuor dies subsequentes pilulas deuorauit. *℞. pill. alephan. de hiera simplici an. ʒ ß. cum aqua absynthii: fiant pilulæ v. postea etiam ex ʒ j. pilularum dictarum confecimus pilulas vj.* è quibus tres per horam ante cœnam semel aut bis singulis septimanis sumpsit. Vltimo tam medicamentis assumptis quam admotis ventriculum roborauimus; sumebat enim singulis diebus duabus horis ante pastum mane

& vesperi duo argentea cochlearia syr. absinthij, per se: vel cum liquore stillatitio chamæmeli. Dedimus quoque *diacalaminthen, vel diatrionpip. ad ʒ j. modo tabularum arom. ros. sine musco, duabus horis ante pastum ʒ ij.* Sic alteri viro eodem malo laboranti, post vniuersalia remedia commode exhibui ℥ j. *theriac.* At nostra puella etiam hoc condito vtebatur. *℞. confer. absinthii ℥ ij. corticum citri zacch. conditi ℥ j ß. specier. arom. rosa. sine musco, specier. diacinnamom. an. ʒ j. cum syr. conseruationis citri: fiat conditum molle*: capiebat omni mane ad magnitudinem paruæ castaneæ: duabus horis ante pastum: & superbibebat parum vini meri. Exterius vero ventriculum inunximus vnguento sequenti. *℞. olei nardini, mastichini, an. ℥ ß. olei absinthii ʒ ij. menthæ siccæ, ligni aloes, carioph. pulueris. ana ℈ j. olei maceris ʒ ij. ceræ q. s. fiat vnguentum.* Vsi sumus, & ante inunctionem fotu ex decocto absinthij: menthæ, calaminthæ sisymbrij, cui specier. arom. ros. ʒ ij. vel iij. in fine post colaturam iniectæ erant in vino mero decoctis: in quo calente spongia, aut lana succida, madefacta & expressa, ventriculus mane & vesperi ante pastum fouebatur. Deinde inuncto ventriculo, vltimo hoc emplastrum apponebatur: *Recipe emplastri stomachici: emplastri mastichis, an. ℥ j ß. corallii rub. ʒ j ß. absinthii sicci ʒ j. galangæ ʒ ij.* subigantur cum oleo nardino & menthaceo, & fingatur emplastrum vel ceratum (adiecta cera si opus est, ad maiorem soliditatem & cohærentiam) ad scuti formam, quod ventriculo post fotus vel inunctionem applicetur. Auferebatur autem, cum cibum ægrotus sumeret, hoc est, *prandii & cenæ tempore*, ne sua stypticitate cibum in ventriculi fundum descendere prohiberet. Præterea præcepimus, vt pastus initio pane asso cum vino macerato, adiecto pauco zacchar o vteretur: in pastus vero fine puluere sequenti, aut huius æmulo. *℞. coriandri præparati ʒ j ß. diacydonites cum specib. ʒ j ß. anisi, cinnamomi select. an. ʒ ij. pellicul. ventriculorum gallinarum præpar. ℈ iiij. zacchar. albiss. ad pondus omnium*: fiat puluis: quo in fine pastus vtebatur. Hoc enim modo non solum hæc puella, sed alij plurimi appetitum deperditum ex intemperie frigida cum humore pituitoso receperunt.

Scholia.

4 *Quæ in calida intemperie stomachi calidis conueniunt.* Hæc affectio curatur contrariam causam inducendo: si enim ex intemperia calida, *vt iam præcedenti scholio diximus*, oriatur, curatur eam tollendo & alterando cum frigidis. Si adsit humor simul vitiosus, nempe bilioſus: vomitu: tum deiectione vacuandus, *vt iam diximus*, quibus etiam conuenit: *decoct. tamarind. prun. acid. & sebesten. cum syrup. rosa. vel rhabar.* In crastinum medicamenti duabus horis ante pastum, quidam propinant aquam frigidissimam, modo ventriculi imbecillitas, aut aliud non prohibeat. Cibi condiantur multis acidis, *omphacio, succo arantiorum, oliuæ, cappares, fœnicul. marinus & condita & salita* conueniunt, & pisces salsi non pingues ex aceto. Clysteres iniiciantur, quibus recrementa intestinorum abluantur. Et, vt breuiter dicamus, in quibuscumque deiicitur appetitus ob causam aliquam ventriculum calefacientem, vt medicamenta, & alia refrigeratione curantur: ita quoque si ob satietatem comedere nequeunt, iciunent: quibus vero ob plenitudinem ventriculi appetitus tollitur, totius corporis euacuatione curandi; quibus ob relictum exercitium: aut venerem: exerceant se & coeant modice. Si frictiones solitæ non fiant, iterum procurentur. Qui ob recrementa in ventriculo collecta hoc morbo teneantur, sunt euacuandi vomitu, aut deiectione. Si vero ob frigidam intemperiem fastidiunt, contrariis etiam medendi sunt: tum cibis tum medicamentis. Ab Alexandro commendantur ius columbæ, vuæ pastæ, pro potu vinum vetus, decoctum rutæ: anisi, fœnicul. aut cinamomi, aut piperis ex aqua, diatrionpipereon, diaspoliticum: ex Gal. 6. *de sanit. tuenda*, & theriaca *iuxta Alex.* & succi absinthij potio & syr. medicamenta ex zizimbere & pipere confecta, *de quibus vide as Donatum.* Extrinsecus stomachus corroborandus fotu, sacculo vng. & ceratis: *vt iam antea ostensum est.* Si vna adest pituita, curetur, *vt iam in obseruatione præcedente dictum est*: quibus valet syrup. acetos. incidendo & detergendo pituitam & vomitum prouocando. Valet oxymel & cappares, cum oxymelite, & oliuæ ex muria, vel oxymel. conditæ, vel oxymel Iulianum, *iuxta Paulum & Alex.* Prosunt & pilulæ ante cibum sabellinæ, de hiera & compos. ex hiera picra 6. *de sanit. tuenda.* Etiam illa, quæ postea corroborant, tam intus assumpta, quam extra admota: *vt iam exemplo præcedente ostensum est.* Si vero ex virium imbecillitate appetitus perditio contingat, considerare oportet qualis intemperies vires resoluat, & per contraria eam ipsam corrigere. Ita quaque si post euacuationem aut morbum, reficiendi. Si in febre, vel post febrem appetentia auferatur, vel diminuatur, recurrere ad exempla, *quæ in libris nostris de febribus* retulimus. At si propterea quod suctio non sentitur, cibi fastidium accidat, cerebro aut neruis ab eodem ipso stomacho distributis, prospiciendum erit, & cognita eiusdem causa, eam prius auferre necesse est. Si autem propterea quod totum corpus plenum existat, eiusdem corporis inanitione non peracta inappetentia fiat, idem vacuandũ est, diuerſimode tamen, pro varietate redundantis succi: quo casu etiam valentiores exercitationes conferunt, iis etiam quæ cutem rarefaciunt: vt pote balneis ac frictionibus vti oportet, vbi ex cutis denſitate eadem inanitio fiat. Cæterum si ob alicuius visceris inflammationem aut obturationem appetentia deperdatur, illius etiam haberi curam conuenit, *vt inquit Aet.* At si ex vlcere in stomacho aut ventriculo existente totum ducat inappetentia, ab omnibus acribus & cibis & potionibus abstinere oportet, ac vti medicamentis quæ leniunt: putà sorbitionibus absque oleo, tum iis quæ ex amylo, lemnia terra, & lacte, vel quæ melle pauciſſimo conficiuntur, vt quæ purgent citra rosionem, *ex Pauli mente* Extra vero ex palmulis, & cydoniorum carne, & polenta, epithema ad facies, & ceratum ex melino, vel rosaceo cum ammoniaco & thure. Reliqua vide *de cibi fastidio apud Alex. Trall. lib. 7. c. 7.* Oportet autem in omnibus habere rationem causæ: Ita rusticus quidam post continuum fluxum sanguinis narium, tandem in stomachi dolorem & imbecillitatem incidit, & hepatis obstructionem (*quod color citrinus totius corporis indicabat*) quasi iam ad dispositionem cachecticam tendens, appetitu omnino deiecto. Hic ad me, cum Alcmariæ adhuc habitarem, consultandi causa accessit, cum variis & multis remediis medicorum imperitorum ac Empiricorum vsus esset. Cui licet ob purgationes adhibitas venter satis flueret, noluimus tamen constringentia adhibere, cum obstructio adesse videretur in visceribus, & fecibus adhuc apparentibus corruptis,

Ob satietatem, ob plenitudinem ventriculi, ob exercitiũ derelictum aut ventrẽ.

5 *Si ex frigida intemperie fiat curatio.*

Ex humore pituitoso.

6 *Si ex imbecillitate virium fiat, curatio.*

Sisuctio non fiat.

Si à corpore pleno.

Ex cutis dẽ sitate.

Ex visceris inflammatione vel ab vlcere sto machi, cu rasio.

7

Rusticus fastidio cibi laborans post alios morbos

8

ptis, cum hepatis oppilatione, quæ appetitum deiiciebat. Ideo apozema sequens præscripsi ℞. *corticum rad. peros. fœniculi, apii, cichorii, ana* ʒ ß. *absinthii Romani, dentis leonis, cum rad. cichorii, menthæ rub. flor. ros. rubr. an. m.* j. *flor. cord. p.* j. *sem. coriand. præparati* ʒ j. *foliorum, fœnæ à stipitibus repurgatorum* ʒ vj. *sem. anisi* ʒ ijj. *myrobal. citrinor. Indorum ob fluxum vt paulo mitior procederet euacuatio, ana* ʒ iij. *vnarum cum arill.* ℥ j. *fiat omnium decoct. in tribus part. aquæ communis, & vna parte vini Rhenensis odoriferi.* Et ratione artis decoquantur in duplici vase adib j ß. stent deinde per noctem infusa, & confricatis manibus fiat colatura cum forti express. addendo *syr. de cichor. Nicoli, cum rhab. syr. de mentha, de absinthio ana* ʒ j. *cum albumine ouí* : depuretur decoct. ac secundum artem clarificetur, & in eo pendeat nodulus infrascriptus. ℞. *rhab. selecti inciss* ʒ ß. *agar. troch. species. arom. ros. descript. Gabrielis, species. diacurcumæ, abb. ana* ϑ j. *spicæ, schœnanthi, zinzib. ana gran.* iij. fiat nodulus filo constrictus : exprimendus dum potio sumatur : quotidie vero in diluculo ex eo decocto sumens cyathum vnum tribus horis ante pastum, modo ter quaterve quotidie aluum excernebat : etiam fœtida excrementa deiiciens. atque ita profuit, vt aliis medicamentis opus non fuerit, imbecillitate ventriculi cessante, atque hepatis obstructione ablata. Simul totius corporis citrinitas, tum etiam cachexia ita cessarunt, vt illico conualuerit.

OBSERVATIO XI.

De siti immensa.

1 VIr quidam biliosus immensa siti laborans, cũ maximam caliditatem & siccitatem oris ventriculi pateretur, huic aquam solam exhibuimus cum pauco vino, nam aquam ferre non potuit : sicuti alius, qui optime illam tulit sine vino. Alteri autem, cum nec vinum ferre posset cum aqua, aquam cum aceto multum dilutam commode dedimus, & syr. viol. cucurbitæ, aliaque refrigerantia & humectantia illis dedimus : qui ab esu rerum salsarum admodum sitibundi euaserant. Multi sunt ventriculo imbecilliore : qui neque aquæ potum, syncopho vel febre ardente laborantes : ferre possent, etiam sani existentes. Vide de his exempla à nobis relata *lib.* 1. *de febr. scholio obser.* 13. *de synoch. non putrida.* Quibusdam enim frigidissima potio cordi insedit : cuius exemplum quoque habes apud Beniuenium *de abditis rerum causis*, de quodam Blasio suo familiari. qui cum ardentissimo Sole lusu pilæ incaluisset, & in cellula vinaria subterranea frigidissimum vinum ob sitim bibisset, illico defecit, quem tamen non sine graui noxa restituit. *Noui etiam*, inquit Galenus, *qui exhausta siti cruciabatur cum viperam deuorasset (forte fuit dipsas) & messores, qui forte fortuna vinum biberant, in quo quædam fere fuerat extincta : & eum qui ex veteri vino fuerat inebriatus : item & eum, qui sitim tolerare decreuerat : deniq; eos qui in naui deficiente aqua, marinam aquam bibere ausi sunt, quod siti immoderatiore, quam reliqui cruciarentur : etenim soluta aluo, ac torminibus vehementer cruciati, celerius quam reliqui interierunt. Noui etiam quendam ardente febre laborantem, qui increscente etiam num morbo, aquam frigidam liberaliter bibens, satiari non potuit, donec moreretur. Itaque circa ventriculi appetentiam huiusmodi euenire possunt errata.* Hæc Gal. Scribit *Amatus cent.* 2. *curat.* 62. de tribus qui ob potum frigidæ aquæ mortui sunt.

SCHOLIA.

3 *quæ species facta sit.*

IN siti immoderata, vel vehementi perpetuo, *iuxta Gal. De caus. symp. & 6. de loc. affect.* os ventriculi affectum est, quamquam non semper primario, sed quandoque per consensum vel iecinore, & maxime sima eius parte, vel pulmone; meseuterij venis seu ieiunio inflammatis : *ex loco citato Galen. & apud Alexand. c. 8. lib. 7.* Est itaq; ingens sitis symptoma in genere noxæ functionum, atque ipsius appetentiæ deprauatæ. Nec pro eius symptomatis notitia alia conscribenda sunt indicia, cum res ipsa ex laborantium relatione patefiat. Quod ad sitim inexplebilem attinet, quidam siticulosi fiunt consuetudine continuata, ita vt nonnulli continuo bibant & continuo vrinam mittant, inter potores ingenti palma. Græcia etiamnum potores maximos effert, ebrios vero damnat. Neque Germani, vt Itali, aut Hispani ebrietatem pro vitio habent. Apud Græcos tamen, matronas vinum bibisse iniuria est, inter nuptias in Creta solis viris datur vinum inter mulieres lagenæ aquæ circumferuntur. Eam commendationem bibendi L. Piso vrbis Romæ curator à Tiberio factus tulit, quod biduo duabusque noctibus perpotationem continuauerat apud ipsum iam Principem, Tricongij rara gloria, inquit Plinius, quando & hæc ars suis legibus constabat, non labasse sermone, nec leuatum vomitione, & similia diligenti legum scito, contra bibendi fallacias : namque bibendi consuetudo auiditatem auget. Scitumque est Scytharum legati, quanto plus biberint, tanto magis sitire Parthos. Inuentumque est mira vitiorum solertia, vt aqua quoque per Hispanias : Galliasque, ac vltimam Britanniam, Germaniamque, cum frugibus suam ebrietatem faceret. Delphica vrbs (in qua iam 34. annos medicinam feci : dum hæc secundo colligerem anno 1592.) ea gloria clara est, ob ceruisiam, quæ ad alias vrbes defertur. Sed Cretense vinum (*inquit Alexander Benedictus Veronensis*) Moromaticum dictum, gratiam ceruisiis ademit, magno pretio ebrietas apud exteras nationes emitur, 30. aureis dolium venundatur. Veteres in ea bibendi gloria varia quærebant sitis incitamenta pumicis farinam, aut cicutam : vt metu mortis bibere cogerentur. Hoc in vino instituto Machometus, alioqui salacissimus legum conditor, non damnandus est, quia vinum gentibus lege sustulerat, vt ebrietatis portentosam libidinem, iucũdumque in homine nefas adimeret : iis halitus fœtidi non sunt, nec aliam quærunt ebrietatem : vnde iurgia & vulnera oriantur, nec mortifera loquuntur, non obliuio fit, faciei pallor, non furiales somni, non tremulæ manus effundentes plena vasa, fiunt : interẽptis non putrida iecinora inueniuntur : vnde frequens morborum iniuria habetur. De hac siti locuti sumus, *schol. obs.* 29. *de cap. dolore ab ebrietate lib.* 10. de qua siti nunc non loquimur, quæ ex mala consuetudine fit : sed de ea, quæ ab aliquo vitio in corpore latitãte, aut aliũde orto fiat. Sitiunt itaque ob oris vẽtriculi calidam vel siccam, vel vtramque intemperiem, vel ob humores vitiosos in ore ventriculi putrescentes, biliosos atque salsos : & non tantum ob ventriculi os, sed etiam ob calorem iecoris, pulmonis, & ieiunij intestiui, tam à causis internis quam externis calfacientibus & siccantibus : & fit ab humido deficiente, aut calido superante. Adipsaco serpente morsi, inexplebili siti ardente : etiam in diabete & ii qui veteri vino indulgent : sic seruus apud Gal.

Gal. ex veteri vino inexplebili siti laborans, insõniculosus factus, febre ardente oborta cum mentis alienatione, interiit. Contra alter in ardenti febre & accrescente morbo, multa frigida epota, & in ventre subinde ebulliente, sitim validissimam passus est, ita vt inexplebili demum aquæ potu interiret. Sitiũt & vulnerati sanguinis defectu. Alij quoque ex cibis & potionib. calidis venenatis, ex piscium salsamentis, garo, carne salita : etiam in phlegmatica febre, magis vero ex salsa pituita, in hydropismis. Signa generis per se notã sunt; sed causarum indigent distinctione. Dignosces a. cũ per consensum ab aliqua prædictarum partium inflammatione os ventriculi fuerit affectum, ex propriis signis inflammationem earumdem partium. At si primario oblæsum sit, nullum tale apparebit indicium inflammationis prædictarum partium. Si ex intemperie calida & ficca, ex iis, quæ superius diximus, facile dignosces : etiamsi ex humoribus biliosis vel salsis contigerit : salsi enim & biliosi ventrem mordent, *vt diximus*. Si quoque ex humoris inopia excitetur, facile ex infirmi loquela, tum ex iis, quæ præcesserunt, percipies (*ita quoque de diabete*) & tam causis internis quam externis. Nam ex caliditate & siccitate copulatis, siti premuntur in feb. ardentibus, & adurentibus omnibus, ac æstate, graui æstu. Plurima *in lib. de feb. nostris* habes exempla. Causæ etiam externæ à vino veteri, tum aliis calfacientibus, & exsiccantibus, ab ægris vel astantibus cognoscentur. At si ex contrariis causis sitis nulla est, hoc fit, quia sentiendi facultas demortua est in ventriculo; idque in febribus ardentibus & maximis exitiũ denuntiat. Est cum, præsente iusta causa sitis, non sitiant, tantum qui febricitant : tum quia, *vt modo dicebatur*, exstincta est sentiendi facultas ventriculi; tum quia à capite humiditas defluit, atque inde irrigatis partibus, vnde sitis incendi solet, non sitiunt. Verum ingẽtis sitis, de qua modo loquimur, non parui facienda curatio est, cum si nimiũ inualescat, ex ea ægri perire possint : quemadmodum Gal. nonnullos vidit immodice sitientes perire ex diuersis causis, ac modis quoque diuersis; *vt patet apud eumdem lib.* 1. *De caus. sympt.* Quomodo sitis curetur, passim in libris nostris *De febribus* aliquando diximus, & præcipue *lib.* 7. *obser.* 24. de siti valida in feb. biliosa, præcipue in scholio, non solum quomodo sitis curetur in febricitantibus, verum etiam quomodo illi curentur, qui ex siccitate sitiunt, & qualia illis vtilia sint : deinde qui ex copia caloris sitim experiuntur; vel ex siccitate & caliditate sitiunt, vel ex humore biliosõ, vel pituita salsa, aut ex partium inflammatione. Sed quod ad præsens negotium attinet, causæ ipsius sitis considerandæ. Nam fit vt aliquis sitiat post cibũ, vti solẽt contingere iis, qui carnes salsas vel aliud quippiam salsi ingesserunt : sin ante cibũ aliquis sitiat, oportet alterum duorum esse, aut humorem biliosum vel salsum in ventriculo collectum, aut siccitatem ob insignem aliquam euacuationem vrinæ, aut sudoris, aut aliam à medicamẽto factam. Si propter siccitatem pulmonum aut tracheæ arteriæ proueniat, tunc fit vel à febre calida & ardente, vel ab aere inspirato nimium exsiccante. Curatur itaque sitis; si sine materia sit, potu humido, aut aqua sola, vt pauco vino permixta, aut aceto etiam multũ diluta, aut syr. viol. de cucurb. & aliis humectantibus & refrigerantibus. Idem faciendum, si ab esu rerum salsarũ fiat. Sin ob exsiccationem tracheæ arteriæ & pulmonum fiat, magis inspiratione aeris frigidi; quam potu recreantur : ob id oportet fenestras aperire, per quas aura lenis ingrediatur, ad aërls cubiculi refrigerationem & agitationem. Inspergere oportet folia salicis, lactucæ & aliorum frigidorũ & humidorum, maceratorũ prius in aqua & aceto. Si à salsis humoribus, vel biliosis, euacuatione illius humoris, & alteratione opus est, quæ fiet frigidis & humectantibus. *Si igitur humor* (inquit Alexand. Trall.) *in ventriculo habetur biliosus aliquod refrigerans & humectans adhibeto : quemadmodum etiam, si pituitosus fuerit, & id quod redundat, faciũ; sitim, salsum, ea quæ eiusmodi humorem repurgent, & abstergant, offerto. Ego sane* (inquit idem) *noui eiusmodi sitim à salsa pituita ortam, per salsos cibos sinitam fuisse, vt salsamenta & capparem. Quare non semper refrigerantibus humectãtibusque vtendum est : sed vbi causam accurate distinxeris atque inuenueris, tunc tandem congrua adhibenda curatio est.* Proinde iis qui ex siccitate, humectantia; illis autem qui ob caliditatem, refrigerantia; aliis vero, qui ob salsam pituitam detergentia conueniunt. Ita quoque si post largam aliquam euacuationem fiat, cremore hordei, vino bene diluto inspersо, aut iusculo pulli sine sale sedabitur, in quo decocta sint semina frigida maioris & herbæ humidæ. Si ob linguæ & palati siccitatem, abluant *Sitis quo-* sæpe os aqua frigida, additis duabus vel pluribus *modo arceatur.* guttis aceti vel vini albi. Ad mitigationem sitis in febribus, cum timemus nimium potum, vel ob hydropis periculum, vel ob fluxum ventris, imperamus vt teneant in ore vel pruna, vel cerasa ficca macerata in aqua frigida, & frequenter mutent; aut frustum pomi, aut ex muccilag. cydon. & psyllij vel gummi Arab. extract. cum aqua viol. remedia paramus : potius quam cum aqua ros. cum illa exsiccet : sed propter odorem gratum nonnihil eius apponi potest; nisi dolor capitis adsit. Radix glycyr. recenter è terrã euulsa masticata, sitim sedat. Vide apud Alexand. catapotia *ad sitim arcendam; & ad febricitantes, quibus parum bibere conducit* : item *ad insolatus & profectiones vbi sitis vrget dulc. radiculæ* ʒ vj. *semin. cucumer. satiui* ʒ iv. *trag.* ʒ ij. *leuigata in vnum misceto, & albuminibus ouorum adiectis subigito, fingitoque catapotia, sub lingua continenda.* Si plura desideres de feb. vide *lib.* 7. *obser.* 24. & quæ Donatus ex Galeno, Aëtio, & Paulo collegit. Si ex defectu potus contigerit, abundanter tribuatur viribus consentientibus. Si ex diabetica dispositione, ea curetur. Si ex caloris copia ob edulia calida, vel merum vinum, medela erit frigidi potus, ex Gal. *De morbis vulgar.* & Aëtio *lib.* 5. *cap.* 11. Si stomachus æstuat, succus rad. dulc. vel. radix ex aqua; & thyrsi lactucæ cõditæ. Si ex inflammatione iecoris vel aliorum viscerum illa prius curetur : ita quoque si ex pulmonia fiat. Si à veneno, illud prius curetur : deinde adhibeãtur quæ sitim sedãt. Et ita quoque si aliorum membrorum communicatione fiat, blandienda sensim est; donec morbi curentur. Et quæ ex œsophago & gula arefacta euenit, somno (*vt Hippoc. scribit.*) sedatur. Prosunt & gargarismata, hordeacea, & cibi frigidi assumpti. Hæc de siti : Si plura desideres, vide Alexand. Benedictum Veronensem med. *lib.* 11. *cap.* 25.

OBSERVATIO XII.

De Singultu.

OS ventriculi aliquando cõuulsione afficitur; quæ à Græcis λυγμὸς, ab Hippoc. aliquando λυγξ dicitur, à Latinis *Singultus* : & est *quidam motus vehemens ac violentus stomachi, quo rem infestantem expellere conatur, ex Gal.* 3. *De causis sympt. & comment. aph.* 39. *lib.* 6. Fortior & vehementior est

Singultus quid à vomitu differat.

ipso vomitu: Nam quæ vomitu expelluntur, in capacitate stomachi continentur: In singultu vero villis stomachi impactus est humor. Atque hoc modo differt hic motus à vomitu. Afficitur hic os ventriculi, *vt 3. & 5. de loc. affect.* constat, eo quod sit exactioris sensus: quamquam, *iuxta Galen. comment. aph. 3. lib. 7.* non solum os ventriculi, sed totius ventriculus ipse & pars ea, quæ proprie stomachus appellatur (*gulam* nominant) affici potest; licet non adeo exacti sit sensus. Continetur autem sub communi genere motuum illegitimorum seu deprauatorum 2. *De causis symptomatum*; & sic est symptoma in genere noxæ functionum naturalium ipsius stomachi deprauatarum; duarum nempe, tam expultricis interdum quam retentricis; primo expultricis motus non legitimus; secundo loco retentricis; *de qua vide Galenum & Donatum.* Bifariam autem generatur, vel ex repletione, vel ex inanitione: aliquando & febricitantibus oboritur, *vt exemplo ostendimus lib. 5. De feb. obs. 15.* vbi etiam in scholio agitur de singultu, qui erat ex repletione. *& lib. 7. obs. 31. de singultu cum febr. acuta.* Addemus & hic vnum exemplum: pastor ille in pago Ryswickio, homo crassissimus, statura oblonga, per antiphrasin *Nicolaus paruus* dictus; vir si quis alius ventricosus & gulæ deditus, post febrem satis continuam & fluxum ventris ac vomitum, incidit in singultum. Huic, cum ab omnibus pro deplorato haberetur, decoxi *semina anethi, carui, & portulacæ, & papau. albi in cerussa tenuiore.* Ex quo decocto tantum cyathum vnum bibens, miraculi instar, præter omnium opinionem, à singultu hic curatus est. Quamquam idem valde ingluuiei deditus & inordinate viuens, quod ad potum & cibum, alioqui homo satis senex, post annum in hydropem incidit, ex qua etiam obiit. Sed illi, qui singultum in tertiana habebat perdurantem 3. diebus ac noctibus, Ioh. Tyengius decoxit m. j. *semin. anethi ligati in globulo, in duabus pintis cerussæ*, quam æger bibebat calide. Prius tamen illum purgauerat cũ *cassia & diacatholico, cum decoct. end. cichor. viol. fum. borag. bugloss. hordei mundati semin. 4. frig. maior. prun. & sennæ, ob febrem, in sero lactis*; & post decoctum anethi sumptum stomacho applicabat sacculos in aqua calfacta positos, & expressos ventriculo applicabat: ℞. *florum chamæm. meliloti, anethi ana* m. j. *orig. calaminth. rutæ, ana* m. ß. *incidantur, & fiant duo sacculi*; quibus remediis cessauit singultus. Oportet autem in singultu curando (*vt in scholio latius*) causam prius animaduertere. Sic ille, qui singultum habebat ex ventositate, sequenti remedio euasit: ℞. *philonij* ℈ j. *diagalangæ* ℈ ij. *detur cum vino.* Alteri & hoc sequens profuit: ℞. *theriacæ optimæ* ʒ j. *pul. diptami* ʒ ß. *exhibitum fuit cum vino exiguo.* Quemadmodum alteri cuidam Antuerpiano, qui per continuos 10. dies ac noctes singultum habebat, frequenter exhibitum est cochlear vnum calide ex sequenti decocto: ℞. *rad. inulæ recentis* ʒ ß. *coquatur in aqua fontis ad* ℔ j. *dulcoretur zaccharo.* Deinde sub noctem vna vice accepit ʒ ß. *philonij Romani*: & statim cessauit singultus: quamquam & stomachus inunctus est *oleo mastich. cotoneor. & tereb. & absinthij*; corpore tamen prius repurgato *cum electu. de dactylis & succo ros.* Noui vetulam octuagenariam, matrem vxoris illius Ortelij à regina Angliæ missi ad comitia Batauorum: quæ per semi-annum subinde singultiebat; remediis nihil iuuantibus, nisi deuorato *loch sano*, quo se tantum iuuari asserebat. Quæ vetula postea relicto singultu, etiam nunc cum hæc adderem, viuebat; quamquam post duos annos lecto perpetuo incumbens, viribus exhaustis vitam finiuit.

2 *Causæ.*

3

4

Scholia.

Singultus causæ inanitio & repletio. Qui ab inanitione, fere lethalis est. Sequitur insignes euacuationes, vt sanguis è vulnere, è locis muliebribus, aut aliunde: sequitur dysenterias, diarrhœam, & cætera eiusmodi: ardores quoque & graues inflammationes viscerum. De quo priusquam præsagium instituas, vide num sit à repletione: minus enim periculosus est, sæpeque cum multa per ventrem euacuantur, singultus à repletione est; quia pars materiæ, quæ à reliquo corpore confluit in ventrem, tunicis ventriculi imbibitur: quod etiam huic nostro ægro, viro ingluuiei dedito, euenisse; licet multa per vomitum & fluxum expelleret: & quum adhibita essent partim ventositates expellentia, partim quæ biliosam materiam reprimerent, *vt sem. portul. pap.* hic curatus fuit. In febre licet periculosus est singultus, nisi sit criticus, & signa coctionis manifesto appareant: sic enim sæpe indicat crisin vomitione futuram. Ita hic singultus primo ante vomitum, postea etiam post vomitum, nihil mali intulit. Cum tamen vomitus, qui remedium esse debet, singultum gignit, ab inflammatione cerebri vel stomachi metuendum. Et hic vomitus malus censetur, vt singultum gignat; quemadmodum à sanguinis fluxu singultum malum ait Hippocrat. sed Galen. recte addit, *vt plurimum.* Quod & Hollerius vidit in nobili quodam quinquagenario, vel seniore, è familia *D. d'Antragues*, cuius ille erat œconomus. Effusa enim incredibili sanguinis copia, euasit à conuulsione, deliquiis animi, singultu, adhibita cucurbitula: & sanus superuixit. In hysteris vero ab vtero non ita periculosus est singultus. Ab inflammatione vteri deterior: à musculis & ossibus temporum lethalis. In inflammatione hepatis sæpe etiam lethalis, *vt experientia his autem vidimus.* Curatur multis modis, pro varietate causarũ. Si à frigiditate, calfacientibus, *teste Galeno & Aetio*; tum cibis, tum medicamentis, Ruta in potu cum vino, apium, cuminum, calamintha, pulegium, dictamnum, nardus celtica, quodlibet per se aut mixtum aquæ mulsæ decoctæ: vel etiam seseli & daucus, & castoreum *ex Galeno Aetio & Paulo*: etiam sumendo *diacalaminth. vel arom. rosa. vel diacinnam.* ʒ j. *cum pauco vino.* Ventriculus quoque fouendus oleo rutaceo, vel in quo cuminum aut absinth. decocta sint. vel exterius inungendo cum oleo nardino, costino, mastichino: & saccelli ex vtraque *mentha, abs. calamintha pulegio an.* p. j. *macere, caryophyllis, ligno aloes, mastice ana* ʒ j. *vino albo aspersi & appositi.* Si etiam ex frigidi humoris copia, & viscosorum, tenuantibus & incidentibus vtendum, *oxymelit. scillino iuxta Trall. Aetium & Paulum*; & ita si pituita viscida sit infarta in tunicis, quæ illam incidant, detergeant, euacuent, propinanda, etiam per vomitum, *cum aceroso syrup. simpl. & oxymelit. simplici & scyllino*; & si non vomant, satis, pilulæ de hiera exhibendæ: & si ægre vomant, per inferna, ex hiera & agarico, vel per clysteres (quod tutius est) purgabimus. Si diuturnus est morbus, concoquendus *melle ros. oxymel. syr. de byzantiis, de floschade*, si sine feb. fuerit: fugienda quæ adstringunt, vt *syr. menth. absinth.* nisi facta iam euacuatione humoris, tunc enim conueniunt ad corroborationem ventriculi; alioqui materiam infartam magis impingunt. Concocto humore, rursus euacuandum cum *pilul. cochiis, de hiera, adie-*

ctis iiij. *grã. castorei.* Post illam euacuationem *syr. de absinth.* conuenit cum *aqua menth. & diagal. & diacyminum*, & exterius fotus iam dicti calfacientes, discutientes flatus, ex *oleo abs. aneth. rutaceo*: & post fotum vel inunctionem fascia diligenter venter comprimendus. Egregie iuuat æris retentio ex Galeno, ita & sternutatio curat singultum ex plenitudine, *teste Aetio*, cuius exemplum posuimus *De feb. lib. 5. obs. 15.* & in scholio rationem attulimus. Erysimachus medicus in conuiuio Platonis Aristophanem singultientem docet tria remedia singultus: Continere spiritum (*de quo lege Gal. de difficult. spirandi 3.*) colluere fauces frigida (*contracto ad interiora calore, vel obtuso sensu*) irritare sternutamentum in vehementi, nec aliis auxiliis cedente. *Id* (inquit) *si bis aut semel feceris, etiam frequentissimus est, tollitur.* Respondit Aristophanes *non prius cessasse singultum, quam sternutamento represserit.* Galenus in aph. distinguit, *si singultus fiat à conclusis humiditatibus*: *eos enim, qui ex inanitione fiunt, qui sunt rariores, non sanat sternutatio*: *concusso enim capite & ventre, tum reliquo corpore, maxime neruoso, excutitur materia, quæ singultum facit. Sicuti eadem calfacta succussione, tenuataque, partim vacuata & discussa, partim translata in partes ignobiles singultum finit*; vt scribitur quarto *De rat. vict. in acutis.* Sunt quædam vulgaria; vt experimentum, quod interpres Hollerij probari vidit, *compresso vtrinque ad latera medico digito dextro, vel tristis narratio aut insolitæ timor, alio videlicet seducta virtute animali, quæ respirationem facit.* Cuidam nullis remediis cedebat singultus, nisi *vino Hippocratico albo*: cui refrigeratum fuisse ventriculum par est. Si singultus fiat à caliditate, refrigerantibus curatur. Si autem vna adsint humores biliosi, acres, corrupti, rodentes, vel corruptis cibis biliosis, si contingat; id ex præcedente victus ratione dignoscitur, & ex ructibus, vomitione, sapore, colore flauo, & calore. Quare non minus erit prouocanda vomitio, quam in pituitosis humoribus. Sed his detergentia magis danda sunt, quam incidentia. Humor enim est nimis tenuis, & sua tenuitate ventriculum penetrando, & acrimonia pungendo, singultum facit. Galenus & Aëtius vomitum medelam esse satis putant. Syr. end. simpl. vel compos. dari potest ad humoris concoctionem, & vomitus prouocationem. Sed quando ad vomitionem datur, cum aqua tepida vel aqua decoct. hordei in magna quantitate & tepidus est propinandus: post cuius assumptionem debet corpus moueri, & ventriculi regio saltem confricari. Quod si non vomant, Rondeletius exhibet *cyathum vnum decoct. glycyrr. vel passul. cum syrup. dictis, aut cum multo zaccharo, aut hydromel bene dilutum.* Quod si opus est leui purgatione, adhuc detur infusum *rhab. cum decoct. passul. vel hordei vel glycyrr. vel cum syr. ros. laxatiu.* Valent & clysteres, à quacunque causa fiat singultus, ad humoris deriuationem. Trallianus vbi recrementa rodentia & corrupta fuerint, vtitur contemperantibus & abstergentibus: vinum his circumcidit, & omnia acria decocta: vtitur aqua temperata & pane ea imbuta, ptisana, copiosa, pisciculo qui aceti paululum habeat, & pullis columbarũ. Abstinet à purgationibus. His valet intybi succus potatus, cucumeris semen excorticatum tritumque bibitum, & lactucæ semen & portulacæ succus, vel ipsa portulaca in cibo sumpta, & myxarum decoctum in potu. Lac asininum, caprillum, syr. viol. nymphææ, pap. Sic & à serosis humoribus medicatisque & mordentibus vomitu præcedente: quibus si mordacitas non alteretur, abstergatur, discutiatur iis, quæ sensus stupefa-

8

9

10

11

Curatio singultus à caliditate orti & ab humoribus biliosis.

12

Ab alimentis vel medicamentis acribus.

Ab inflammatione ventriculi vel alterius visceris ortus.

Si ob febrem fiat.

13

Ex inanitione curatio.

14

Singultuosæ febres.

OBSERVATIO XIII.

De Nauſea, ex lacte concreto in ſtomacho, cum peſſimis accidentibus.

MVlier 25. annum agens, Amſtelrodamo Alcmariam venerat, menſe Maio, anno 1550. recreandi ſe cauſa, vna cum marito, & vt cum amicis ſe oblectaret. Quæ cum copioſe florem lactis ſeu crema deuoraſſet, ac vinum rubrum ſtypticum ſuperbibiſſet, lac in ventriculo concretum, peſſima ſymptomata intoxicati ſimilia produxit: inprimis nauſea ſine vomitione afficiebatur, cum ingenti ventriculi dolore; adeo vt ſyncope ſubſequeretur & anhelitus præfocatio; ita vt aſtantes illam moritutam putarent. Ad hanc accitus (*quæ tunc ad foſſam nouam in ædibus Laurentij Gualtherij cognati noſtri decumbebat*) ſtatim decoxi *florum chamæmillæ* m. j. *ſem. aniſi fœniculi an.* ʒ j. *in aqua communi: & huius colaturæ capiebam* ʒ iv. *cui addebam aceti vini modicum, & ʒacchari nonnihil*; ac totum tepide propinaui. Quo remedio lac concretum diſſolutum eſt, atque illa ipſa in vomitum prorumpens lac concretum vna cum vino euomuit; & accidentia iam dicta magna ex parte ſedata ſunt. Glande etiam impoſita *ex mellis* ʒ j. *pulu. hieræ picræ* ℈ ij. *diacryd.* ℊ ij. *ſalis parum, ad diuerſionem*: aluum quoque excreuit. Inſuper his tabulis vtens ſtatim conualuit: ℞. *pul. calamenthi* ℈ ij. *ſpecier. diacymini* ℈ j. *mayg. perfor. & non perfor. ſubtiliſſ. tritar. an. gran.* iij. *diſſolutis in decoct. aquæ flor. chamæmill. & meliſſ. adiecto Zacch. q. ſ. fiat confectio in tabulis.* Venit nobis tunc in mentem, id quod Gilbertus Angelicus *lib. 7. De venenis cap. de ſanguine & lacte concreto in ſtomacho*, ſcribit, quod ſentiatur frigus corporis & præfocatio anhelitus, vti huic mulieri contingebat. Is abſtinere iubet à ſalitis, quia faciunt caſcitatem. Dat acetum cum aqua in potu, *cum ſucci calamenthi* ʒ v. Quia ſtatim reſoluit lac, & prohibet lac à conglutinatione. Sed quia flores chamæmillæ erant ad manum, commode iis vſi ſumus: cum ad nauſeam faciant, & præcipue ad dolorem ſtomachi. Sed eo non vtitur Villanouanus in grauidis; in quibus aborſum mouet, *vt ille refert*. Sed hæc grauida non erat. Aliquid calamenthi in tabulis probe miſcuimus.

Scholia.

3 Nauſea. Cauſæ. Curatio.

QVod ad lac concretum attinet, ad venena pertinet. Quod autem nauſeam incitarit, quæ nihil aliud eſt, quam appetitus vomendi ſine effectu, ſignum erat iam lac concretum, vna cum vino, in ventriculi tunicis fuiſſe infartum, vel intra tunicas collectum. Verum cum vomitio ſuccederet, nauſea ceſſauit. Quæ etiam fieri ſolet, vel ob obiectum nobis parum gratum; vel ob alimenta putrida & male olentia, quæ aſſumere ventriculus refugit; vel ob recrementa pauca tunicis ventriculi adhærentia, aut intra tunicas collecta. Quare ſi nauſea à viſcidis humoribus adhærentibus fiat, oxymel. dandum, vel ſyr. acetoſus. Si à bile detergentia ſola ſufficiunt, *vt decoctum hordei, cum Zaccharo, vel cum ſyrup. end. ſimpl. vel addendo parum ſucci roſ. diluti aqua tepida; vel magnam copiam decoctionis pulli, cum multo ʒaccharo aſſumere, & poſtea digito in os immiſſo vomitum prouocare.* Bilis facile euacuatur. & detergetur: pituita magis contumax eſt. Quare decoctum raphani cum ſyrup. acetoſo dandum, vel cum decoct. rad. & oleo vel butyro rancidis, vt vomant facilius: ſed magna quantitas eſt propinanda; vel vinum vel ius multum aſſumendum eſt, vt eorum copia ventriculus ſtimuletur ad vomitionem. Deinde pilulæ dandæ *de hiera, cum agar. formandæ cum oxymel.* dandæ vero mane ſunt, & detur decoctum aſari pro vomitu, ante vſum pilularum: deinde ventriculum corroborare oportet. Alij ſub vno capite tractant de *ſupinitate*, Græce ὕπτιασμῷ, de *ſtomachi ſubuerſione*, quæ à Græcis vocatur ἀναστροφή, & *nauſea*, Græcis ναυτία dicta, quam alij ναυτίασιν appellant, & de *vomitu*. Differunt tamen hæ voces, licet ad deprauatum motum ventriculi pertinent, prout diuerſimode offenſus ventriculus ipſe à diuerſis cauſis fuerit, ὑπτιασμὸς ἢ στομάχου, Latine *ſupinitas ſtomachi* appellatur: qui effectus contingit quandoque iuxta intemperiem quamcunque ipſius ſtomachi, circa tamen vitiatos humores: fit etiam propter humiditatem multam quidem, non tamen malignæ qualitatis, *vt conſtat ex Galeno* 8. *De compoſit. medicament. ſecundum locos*: *Irriguus enim ſtomachus* (vt ipſe inquit) *per largam humectationem, ſimiliter vt ligamenta neruorum laſſatur.* Ἀναστροφὴ à Græcis, à Latinis *Subuerſio* dicta, indifferenter duo ſignificare poterit, ex Galeno. Nam quandoque *appetitus perditionem* ſic appellare poſſumus; interdum vero *nauſeoſas affectiones* ab accepto cibo fientes: contingit etenim quandoque hoc vnum ſolum ſymptoma accepto cibo; vt ſi paulo fortiori motu moueantur, ſtatim vomunt; vti fratri meo Theodoro Foreſto contigit. Appellant etiam aliqui tales *ſtomachicos*. At ſi anorexian, hoc eſt, *perditionem appetitus*, ſignificat, antea eius curationem conſcripſimus. Si accedat ſumpto cibo, paulo fortiori motu, & ſtatim vomant, tunc curabitur, vt nauſea, & vomitus, cum parum à nauſea diſcrepet; quando à modice vitiata humiditate exoritur. Verum ſi ob oris ventriculi ſolum fiat imbecillitatem, curabitur vt ſupinitas. Supinitas autem facillime curabilis eſt, quia aut aſtringentibus ſolis, aut quæ ſiccare humiditatem poſſunt, ac conſtringere laxatum corpus, tollitur. Græci vero ἔμετος, à Latinis *vomitus* dicitur. At hic vna cum nauſea (quam Græci ναυτίαν ſeu ναυτίασιν appellant) magnam cognationem habet, ac vnus affectus reliquum præcedit. Nam nauſea vomitionem præcedit; licet non perpetuo ad nauſeam vomitus conſequatur, cum nonnulli nauſearint, nec tamen vomuerint, *Gal. teſte* 2. *De cauſ. ſympt. & Paulo c.* 1. *lib.* 2. Nonnulli vero turbantur; ſed nihil euomunt, humore ipſis tunicis imbuto: qua nauſea deprauatus eſt quidam expultricis facultatis ventriculi motus: quo venter ipſe ea, quæ eius corpus contriſtant, quam citiſſime per ſtomachum euacuare appetit. Vel breuius, irritus quidam eſt conatus ad vomendum, & inanis quædam vomendi irritatio, quæ interdum ad vomitum impellit, interdum & citra vomitionem fit; *vt ex Galeno declaratum eſt*. At vomitus, paruus quoque eſt eiuſdem facultatis expultricis ventriculi motus, quo ea, quæ in eius capacitate, ſeu latiori ſpatio exiſtunt, ac ipſum contriſtant, & in ſe fluitant, rejiciat quam citiſſime per ſtomachum, *eodem Galeno auctore, lib.* 2. *De cauſ. ſymp.* In vtriſque afficitur (*vt ibidem liquet, &* 5. *De loc. affectis*) os ventriculi: vel eſt affectus totius ventriculi cum ventriculus per ſe & quandoque per conſenſum afficiatur. Eſt autem vtriuſque ſymptoma modo expultricis facultatis, præter naturam, modo naturalis, *vt ex Galeno conſtat, & longiore ſermone ab Altimaro explicatur cap. proprio.* At nauſea cognoſcitur, quando ipſa in illa inani vomendi irrita-

irritatione lancinat tantum ventriculum ipſum, & nullum humorem educit, *teſte Aetio*. Diſtinguitur etiam à ſubuerſione; quoniam ea non niſi cibo aſſumpto; hæc autem ſine cibo aſſumpto fit; *iuxta Paulum, lib.* 2. *c.* 54. Quamuis Galen. aliam præter hanc afferat diuerſitatis cauſam, quoniam ea aut propter ſolam ventris debilitatem, aut cum vitiatæ alicuius, modicæ tamen, humiditatis complexu fit: hæc vero ex multa, & etiam valde vitiata, citra quoque cibum afficitur. Vomitus autem ſigna fruſtra quiſpiam conſcribere tentauerit. Verum à nauſea ipſe differt quia per vomitum perpetuo aliquid excernitur; per nauſeam nequaquam, *vt iam diximus*: quamuis eam vomitiones interdum conſequantur, *vt diximus*; interdum vero non. Et, vt ſummatim complectamur, nauſeæ & vomitus cauſæ duæ ſunt præcipuæ; nempe copia, vel humorum vitium ſeu prauitas; copia nempe ventriculum grauando; prauitate morſum inferendo. Vide plura de his *apud Galen.* 2. & 3. *De cauſ. ſympt. &* 8. *De compoſit. medic. ſecundū locos, & apud Alexan. cap.* 13. *lib.* 7. *& reliqua apud Altimarum*. Quæ cauſæ facile innoteſcent exemplis ſequentib. de vomitu, quales ſint ſucci, qui eam moueant. Ita bilioſi vel ſeroſi in ore ventriculi in nauſea abſorpti ſunt; viſcoſi vero ori ventriculi infixi, *vt Trallianus docet*. Ex quibus modis nauſea curetur iam diximus. Vide *eundem lib.* 7. *c.* 13. *De nauſea & vomitu*. Copioſos euacuabimus; prauos & vitioſos contemperabimus, & malignitatem ipſorum imbecilliorem reddemus; præſertim vbi bilioſi & melancholici fuerint: pituitoſos extenuabimus, & craſſos & viſcoſos; crudos vero in ſolo ventriculo redundantes & non ex toto influentes, medicamentis non ſollicitabimus, ſed victu curabimus, & humores in ipſo contentos immutabimus. At ſi ex toto corpore influant in ventriculum, medicamentis maioribus vtemur, modo per ſanguinis extractionem, ſi abundet; modo per purgationem, ſi magna prauitas humoris exiſtat. Si in nauſea nihil efferatur, humores iam imbibiti ſunt ventriculo: qui vomitu, vt diximus, expellendi, &c.

7 Nauſeæ ſig.

Nauſeæ & vomitus cauſæ.

Curatio nauſeæ. 8

OBSERVATIO XIV.

De Vomitu, & Nauſea præcedente vomitum.

FRigidos ſuccos puella ex eſu fructuum hortariorum in ventriculo longo tempore collectos habebat: vnde in ore ventriculi frigus ſentiens, immodice cibum appetebat, minimeque ſiticuloſa erat, & ſæpe ſentiebat in ore acidam qualitatem, ita vt cibi quoque in ventre aceſcerent. Aderat & huic aliquo tempore pondus quoddam, & tenſio quædam circa ventriculum; ita vt ſubinde cibum ferre non poſſet ventriculus, & nauſea afficeretur. Ad vomitum excitabatur, & cibū ſubinde euomebat, vti nobis narrabat. Ita vt hæc pallida, & cachexia quaſi affecta, ſi cibum copioſius ſumpſiſſet, nauſea & vomitu corriperetur. Nullam medelam adhibens, tandem & ſine cibis tenſionem & pondus ſentiebat: ita vt conjiceremus etiam copiam humorum adeſſe, nempe ſuccorum frigidorum; quod poſtea etiam cognouimus, ex vomitu nauſeam ſubſequente, cum humores pituitoſos crebro intenſeque, nulloque inſigni ſpatio interpoſito, euomeret; ita vt & ſtomachum primario affectum eſſe perceperimus, & redundantes humores in eo eſſe genitos. Deinde, quia vomitus ſtatim poſt nauſeam oboriebatur, & citra vehementiam vomebat, intelleximus quoque

humorem noxium in lato ventriculi ſpatio eſſe, cum & in ſtomacho fluctuaret. Ideo cognita iam cauſa, ſuccum pituitoſum ac frigidum eſſe, præcepimus vt in aere calido verſaretur: & quia iam in hyeme eramus, vt in cubiculo ſemper focum luculentum haberet, imperauimus: vt etiam ſomnus, quies ac inedia moderata eſſent: nam per moderatam inediam, *iuxta Trallianum*, non ſolum pituita alteratur, & extenuatur, verum etiam in ſanguinem benignum probumque conuertitur; vt eiuſmodi quoque humor per inopiam alimenti nutrire poſſit, præſertim vbi dulcis fuerit: ſed hic parum acida appetitum edendi magis inferebat. Interea tamen, ſi vires inediam moderatam ferre non poſſent, carnes conceſſi potius aſſas, vt gallinarum; pullorum gallinaceorum. Columbarum iuuenum, phaſianorum, perdicum (cum ſatis diues eſſet) turturum, turdorum, merularum, leporum, adiectis quibuſdam odoratis, caryophillis, cinnamomo. Pro potu conceſſi vinum rufum, aliquando ſubaſtringens & vetuſtius. Vinum namque adeo calefacit ventriculum, vt in qualitatis eius calorem non intendat, licet eiuſdem ſubſtantiam augeat. Ceruiſiam abſinthitem ſi aliquando bibere vellet, concedebam: & vt in fine menſæ exiguum diacydonij cum ſpeciebus ſumeret; nihil deinde ſuperbibens aut edens. Excrementa quoque ſubducebam alui, natura vel arte, fere quotidie: & imperabam vt omnes immodicos animi affectus vitaret. Quamtum ad medicamenta attinet, ſi difficulter vomeret, dabam cochlear, vnum atque alterum oymelitis ſimplicis, modo ſcyllini. Sed quia facile vomebat, ſufficiebat oxymel ſimplex. Interea decocto vſi ſumus in hunc modum calfaciente & nonnihil indicente, & pituitam concoquente: ℞. *calaminthæ, menthæ, hyſſopi, ſerpilli, pulegij an.* m. j. *abſinthij* m. ß. *rad. fœniculi, cappar. an* ʒ ß. *ſeminis fœniculi* ʒ i ß. *ſem. aniſi* ʒ j. *fiat decoctio in aqua communi pro* ℔ j. *coletur & aromatiſetur cum* ʒ j ß. *cinnammi electi, &* ʒ j. *arom. roſ. ſine muſco, addendo oxymelitis ſimpl.* ʒ i ß. *ſyr. menthacei* ʒ j. *& clarificetur*. Deinde purgaui ventriculum *cum pilulis ex aloes lotæ, & hieræ picræ ana* ʒ ß. *componendo ex iis pilulas ſeptem*; quas mane deglutiuit. Poſtea dedi ſubinde *ſyr. mentacei & abſinthij, & ſpecies diacimamomi, diarod. abb. & arom. roſati in rotulis confectas; ſigulis* ʒ iij. *ponderantibus*: ex quibus vnum quotidie ſumebat, parum vini abſinthij ſuperbibendo. Interea ceratum ex maſtiche, olei nardini aliquot guttis additis, ventriculo impoſuimus; prius inuncto oleo nardino, menthaceo, & maceris, aliquot guttis olei caryophil. adiectis. Quibus hæc probe curata fuit: quemadmodum altera mulier Alcmariana, annum 26. agens, quæ in inſigni felis, in platea vulgo *Dronkenordia* dicta habitabat. Laborauerat autem per vij. continuos dies vomitu pituitoſo, vix aliqua interpoſita mora, cum ingenti ſtomachi dolore ac torſione. Ad quam ingreſſus, menſe Octobri anno 1547. inprimis ſequens decoctum propinaui: ℞. *decoctionis hordei communis chalibeatæ* ℔ i ß. *ſyrup. de mentha, mellis roſ. colati an.* ʒ i ß. *miuæ cotonorum* ʒ j. *miſce*. Primo die, cum cyathum vnum ſumpſiſſet, euomuit. Secundo die, cum valde debilis eſſet, & continuo euomeret, ſine febre, rurſus dedi cyathum vnum, & retinuit: & ex reliquo ſumebat bis in die. Deinde ad maiorem conſtrictionem, cum ſemper magis debilitaretur, præſcripſi conditum ſequens & vng. ℞. *conſeru. roſ. veteris, conſeruæ roriſmarini an.* ʒ ß. *corticum citri condit* ʒ iij. *ſpec. diacymini, arom. roſ. ſine muſco an.* ʒ ß. *ſpecier. diarod. abb.* ℈ j.

Vomitus pituitoſus in altera muliere curatus. 5

diacydonij cum speciebus ℥ ß. syr. menthacei q. s. fiat conditum: capiat sæpius: ℔. *corticum granat. sem. myrtill. sumach. cinnam. electi, mastich. corall. rubr. an.* ℈ j. *flor. ros. rub. trochis. de carabe an.* ℈ ß. *olei mastichini, nardini, absinth. menthacei an. ℥.* ß. *ceræ q. s. fiat vng.* Quibus remediis & hæc curata fuit.

SCHOLIA.

6 *Signa causarum tam nauseæ quã vomitus diligenter distinguenda.*

IN nausea, vti & in vomitu, diligenter causæ per signa sua distinguendæ sunt, antequam ad curationem accedamus: nam hæc cognitu necessaria sunt, & viro indigent exercitatæ considerationis. Sicuti enim in succo frigido nullo modo ægros siticulosos esse; aut ardorẽ in ore ventriculi sentire & aciditatem contingit: ita in salsa sitis augebitur, minueturque appetentia, ac fortasse abolebitur; præter id, quod similem quoque sentiet in ore qualitatem. Si bilioſi fuerint, oris amaritudo, sitis atque ardor simul cum morsu in ore ventriculi & inappetentia aderit, & assumpti cibi in amaram seu nidorosam qualitatem vertentur. Quod si vomitus ad has causas consequatur, facilius per vomitionem redundans succus dignoscetur, tum visu à medico, tum gustu à laborante. Ita & vitiosi cibi deuorati vel corrupti in vomitu, quoque facile percipientur. Et si fuerint sanioſi, vel seroſi ac tenues humores, non solũ ante cibos, sed & post acceptum cibum vomitum inducunt, *vt Aetius refert* 10. *cap. libr.* 9. Iam quoque considerandum num in ventrem fluxerint: si enim à toto corpore, plethoricum erit, & ex signis plethoræ habebitur: & vitiosis humoribus sit repletum, ex colore & eruptionibus papularum circa cutem cognoscetur; atque ex vrina, *teste Aetio.* Si autem ab aliqua parte, vt capite, splene, seu hepate, humor ad ventriculum transmissus fuerit, æger ipse primum affecti membri læsionem sentiet, vel calorem, vel frigus, vel grauitatem, vel duritiem in tactu. Neque nausea intensa neque crebra excitabitur, & vomitus leuior, & insigni aliquo spatio interpositus, habitusque totius corporis considerandus: tum qua victus ratione sit vsus, verum frequenti cruditati aut satietati inciderit, idque in vita otiosa, ac præcipue præter consuetudinem, an contra, num quid & membrum certo temporum circuitu vexari solitum nunc non vexetur: vel aliqua excretio iis retẽta sit: alioqui si crebro intenseque nullo interposito spatio, vt in puella nostra, contingat, certum erit ventrem per se & primario affectum esse, & redundantes humores in ipso genitos. Si nausea laborant & nihil notatu dignum vomant, humores noxij ventriculo infixi sunt; alioqui fluctuantes facile vomunt. Et ita humores mordaces si valde molestent, calidi vel frigidi singultum inferunt; sed non adeo mordaces, nauseam. At à vomitu singultus & oculorum robur, malum, *ex Hippoc. aphor.* 3. *libr.* 7. quemadmodum etiam à tuberculi introrsum ruptione vomitiones malæ, *aphor.* 8. *lib.* 7. & ab ileo malus est vomitus; quando ilei exitiales sunt, vt sæpe vidimus in herniosis, maxime vero senibus, *aphoris.* 10. qui, cum nulli clysteres iuuarent, vomitu continuo exspirabant. Nausea autem (*vt quidam volunt*) signum crisimum existit: interdum vero signum malum, vt in febribus pestilentibus: & quando in conualescentibus multiplicatur, indicat recidiuam. Quod nauseæ in pestilentialibus febribus sint perniciosæ, ratio est; quod qualitatem venenosam arguant. Nausea sæpe decernit vomitum; & vomitus superueniens nauseæ, eiusdem curatio sæpe existit; si materiam adiunctam habet. At vomitio vtilissima est, si pituitæ ac bili permixta quam maxime fuerit; si non multa nec crassa sit. Syncerior enim deterior est, siue fuerit porracea, aut liuida, aut nigra; quicumque ex his fuerit color, malum esse censendum est, *teste Hippocrat.* 2. *Prognost.* Vidimus tamen, inquit Alexander Trallianus, mulierem, inter exempla, mensis vnius interuallo singulis diebus: miram porraceæ choleræ quantitatem euomentem, & conualuisse. Accidit quoque (*teste Arculano*) febricitanti spasmus aut epilepsia; & euomit æger humorem floris æris similem, vt euasit: vt puellæ istis diebus (*cum hæc scriberem*) cuenit, quæ in epilepsia eiusmodi humorem euomuit Delphis, & sanata fuit. Hippocr. bis in mense vomitum in corporibus sanis probauit. Aliis tamen sufficit bis in anno, Vere & autumno. Nam cum æqualiter fiat, ægrum præseruat à plurimis morbis, & renum & pedum vitiis: diuertit enim ab inferioribus malis, & à superiorib. malum eradicat: vtilisque est omnibus morbis, qui à materia in ventriculo fouentur: & prodest, *auctore Auicenna*, ægritudinibus ventriculi materialibus, absque tamen apostemate aut vlcere. Ideo si rarus est, conuenit: assiduus vero ventriculum vitiat & debilitat, imbecillitate abducta: & veluti cloacam proluuiei vniuersi corporis facit. Quidam volunt bonum esse in apostematibus hepatis & proprie concauitatis ipsius, ac splenis, modo sit proportionatus materiæ apostemata facienti, frequenter tunc bonus existit; vti & in febrib. in die critica (*vt multis exemplis ostendimus in libris nostris De febribus*) modo non sint febres pestilentiales: in iisdem enim niger & male olens, subitam perniciem denuntiat. Exitiale quoque admodum est, si quis vomit omnes colores: & vomitio liuida graueque olens ocyssimam mortem indicat: vti & omnis subputris & fœtidus odor in omni vomitione malus est, *eodem Hippoc. auctore.* Contingit tamen aliquando (*vt scholio obser.* 15. *lib.* 5. *De feb. exemplo probaumus*) eos curari qui nigram & atram bilem euomuerunt. Niger vt fex sanguinis, malus; nisi in apostemate lienis, aut in fine veris contingat, *vt Gradus annotauit.* At excrementitius vomitus, cum anhelitus fœditate, intestinorum abscessum denuntiat: in colicis & iliacis pestifer est; quanquam vetula (cuius historiam posuimus *lib.* 7. *De feb. obseru.* 4.) iliaca per octo dies recrementa rejiciens, per me curata fuit. Quod autem interdum vomitus valetudinis causa recte fiat, experimentis credens Celsus approbauit. Commonet tamen, ne quis, qui valere, & senescere volet, hoc quotidianum habeat: *vt liquet lib.* 1. *c.* 3. Vomitus quoque sæpe singultum clamosum curauit. Et si quis sine febre est, malus tunc esse non potest, quando robur naturæ sequitur: etiam si è cerebro vel toto corpore humor in ventriculum effluxerit, vel à iecinore, à liene, aut mesenterio, modo eo tempore neque tumor in hepate, neque in liene sentiatur. Et sic quoque spontaneus vomitus seu arte paratus, *iuxta Hippocrat. aphor.* 2. *lib.* 1. Si talia euomuntur, qualia oportet, & bene ferunt, sicuti alia quæuis euacuatio vtilis est. Sed assiduus ventriculo nocet, pectori, visui, dentibus, & antiquis capitis doloribus, præter eum, qui fit per ventriculi consensum. Qui cum vermibus est, in feb. pestilentibus, malus, ob putredinem: potissimum si mortui euomantur, cum & omnis vomitus pestilentibus febribus (*vt de peste diximus*) malignus habeatur. Aliquando in aliis febribus vermes reiecti nihil mali attulerunt, vt exemplis in febribus declarauimus.

Signa prognostica.

OBSER-

OBSERVATIO XV.

De vomitu, ob ventriculum non potentem cibum continere.

VOmitio aliquando fit, quando ventriculus cibum non potest continere. Non continet, vel quia alimenta sunt plura, quam continere possit, vt ebriis accidit: vel quia alimenta nimis sunt pinguia, & lenia, aut ordine suo non assumuntur; vt si quis assumat (*vt Rondeletius afferebat*) magnam quantitatem inciſorum, qualia sunt *pastillorum caro*, aut quæ vulgo *pastez en pot* Gallice dicuntur; vel si liquida multa ingerantur, post astringentia multa & dura, vel quia ventriculus plenus flatibus, alimentum suspensum in superiore parte continet: aut quia multa dulcia super alia sunt assumpta, vt *pepones, ficus, cerasa, & omnia alia dulcia*, vel quæ parantur: cum multo oleo, lacte vel butyro: vel si cum suspicione alimenta aliqua assumpta fuerint: vel vbi ex immodica humiditate ventriculi, etiam citra vitiatos humores fiat, sola quantitate & copia affligente & veluti irriguum os ventris seu ventriculi reddente: adeo vt totum ventrem ob eandem multam humiditatem exsolutum ac laxum habeant laborantes: vti iuuenis quidam, ad me veniens consultandi causa, laborabat; qui omnem cibum facile euomebat, præcipue si butyrum & pinguia sumeret, quibus videbatur delectari. Huic autem omnia paulo ante dicta inhibuimus, & quia videbatur humida tantum intemperies, & aliqualiter frigida, facile illum nos posse curare diximus, modo optimam victus rationem obseruaret. Quare eidem astringentia edulia & potus quoque astringentes, & quæ moderate calfacerent cum quadam astrictione, commendauimus, vt cuniculos paruos assos, & pullos gallinaceos, & columbas iuuenes. Si elixis quandoque necesse esset vti, vt adiiceret quædam odorata, *vt caryophyllos, cinnamomum, exiguo omphacio addito aut vino odorato.* Sicuti enim graueolentia omnia stomachum subuertunt; ita odorata eundem corroborant. Quod si carne veruecina, vel aliis elixis vteretur, id faceret quidem, cotoneis vel mali punici granis incoctis. Et si vino vteretur, concessi rubrum & astringens. Omnia enim his, quæ ori grata sunt, & actu frigida vel calida, erunt adhibenda; & minime tepida, quæ vomitum prouocant; vti & omnia pinguia vitari debent. A cibis cotonea mala vel pyra assata, absque tamen zaccharo, commendabam. Medicamenta vero calefacientia, & quæ stomachum roborarent exhibui, & diacotoneum cum speciebus, & aromat. ros. superbibendo exiguum vini absinth. & exterius ventriculo adhibui linimenta & vnguenta; quæ statim transeunt, & citius operantur quam emplastra, quæ tardius vim suam exerunt: quale hoc est vng. *Recipe olei mastichini, nardini, absinthij ana ℥* ß *menthæ siccæ, cinnamomi, maceris, galangæ, flor. ros. rub. ana* ℈ j. *mastices* ℥ j. *ceræ modicum*, fiat vnguentum, vt artis est. Etiam apponebam crustam panis vino & aceto irroratam, aspersо puluere *caryophyll. macris, cinnamomi, calami odorati, ligni aloes*, modo pulnerem inspergendo, modo irrorando. Adeo vt his remediis hic iuuenis, tum alij plurimi (*quibus vomitus tandem cessauit, & ventriculus roboratus est*) cupitam sanitatem consequuti sint.

SCHOLIA.

VOmitus non vno modo, sed diuersо ac vario curatur, *vt antea diximus*, cum plures eius existant differentiæ: Nam alius Spontaneus est: atque is rursus vel Criticus est, & laudabilis quidem, ex quo speratur salus morbi, *vt quibusdam exemplis ostendimus in libris nostris De febribus*: Nam criticus plerumque terminus existit multorum morborum; potissimum febrium acutarum, apostematum hepatis, quæ sunt in cõcauo ipsius, & similium: neque hic retinendus, *quemadmodum sæpe dictum est in obseru. nostris De febribus*: & ideo sinemus naturam operari, si ex coctione præcedente & virtutis tolerantia videatur fore sufficiens, neque enim cibo nec alio remedio impediemus, imo si fuerit diminutus, aliquando iuuandus, cum leuibus tamen medicamentis. Si vero excedat & omnino virtutem deiiciat, ita vt mors subsequeretur, constringendus erit. Symptomaticus autem vomitus etiam ad spontaneum pertinet, qui etiam accidit magna ex parte in accessione febrium: vnde modo Naturalis est, modo Violentus. Et quanquam aliquis laudabilis esse possit, omnis tamen est præter naturam, vt nos docuimus de vomitu, qui in febre fit: sicuti enim fluxus symptomaticus vires deiicit, *vt scholio obseru.* 13. *lib.* 2. *diximus*, & raro aliquid boni adfert; ita & vomitus symptomaticus: quanquam aliquando iuuare possit, modo non excedat; & si excesserit, restringi quoque poterit, vti aliæ excretiones symptomaticæ, *de quibus in febribus diximus.* Atque ex iis exemplis facile disces num sint constringendæ nec ne: & quando symptomaticæ excretiones sint bonæ vel malæ, *vt scholio obseruat.* 26. *libr.* 2. numquid etiam sint impediendæ nec ne, inuenies. Alius vomitus est Naturalis, quo natura alleuiatur: alius Quietus, *qui accidit stomachicis & facile vomentibus*: alius vero Violentus, acutus & æstuosus, *vt in cholera*, qui & præter naturam est. Alius est Artificialis, qui præcauet ægritudines futuras, vel præsentes curat. In quo quædam sunt obseruanda ante vomitum, & in vomitu ipso, & post vomitum. Ante vomitum tum in primis cauendum, ne vomitus iis prouocetur, qui sunt inepti ad vomendum, de quibus minus vomitus confert, vti prægnantibus: si enim fortia vomitiua ceperint, facile abortum patiuntur. Difficulter quoque vomunt, qui stricti sunt pectoris, & villos latitudinales tunicæ extrinsecæ stomachi debiles habent. Parati vero ad vomitum sunt, habitudinis mediocris, lati pectoris, stricti colli, neque apti ad sanguinis sputum, stomachi robusti, scilicet fundi, & debiles secundum os ipsius: & si sint assueti. Ideo Auicenna, præter iam dicta, quatuor proponit obseruanda ante vomitum: Primum, *vt insueti ad vomendum assuefiant, leuibus vomitibus; ne subito fiat transitus ad inconsueta, quæ corpus plurimum immutant.* Secundum, *vt ante vomitum præcedat ventris lenitio facibus communibus sponte eductis, vel arte, balano, aut clysmate, aut pharmaco leniente.* Tertium, *vt ante vomitum cibetur cibis diuersarum virium, mixtis ex incidentibus, detergentibus, viscosis, dulcibus, acidis, sed maxime pinguibus, & his, quæ diuerso modo parantur tam frixis, assis, quam elixis.* Quod si metus sit vomitum futurum diminutum, ex difficultate euomentis, vel ex humorum ineptitudine, misceantur cum iisdem cibis aliqua vomitum irritantia seu vigorantia: vti est *eruca, raphanus, ficus, aridæ, pingues, cepe, porrum cum aqua hordei & melle; melo-*

4 *Differentiæ vomitus spontanei.*

Criticus vomitus est retinendus, nisi virtutẽ deiiciat.

5 *Vomitus symptomaticus.*

Qui facilè vomunt.

Ante vomitum quæ obseruanda.

6

Vomitus naturalis. Quietus. Violentus. Vomitus artificialis, & qualia in ipso obseruanda.

nes, cucumeres, vinum dulce, de quo copiose bibat, & cibi non bene masticentur. Quamuis præstantius erit præmittere cibos bonos, si timeas vomitum non subsecuturum. Quartum est, vt stomachus & extrema sint satis calfacta & collum, pectus: & tempus anni sit calidum, vel hora meridiei, nisi magnus adsit æstus; tunc magis eligatur tertia hora pomeridiana. In actu vero vomendi, cum tepida sumpserit hora vomitus, vel paulo ante ipsum, motu inordinato sese moueat, vt cibus in stomacho agitetur: oculi fascia circumligentur, ne lædantur, venterque leuiter vsque ad vmbilicum stringatur: & cum vomere incipiat, digitis in os immissis aut penna anseris oleo intincta fauces irritabit, & iteratis vicibus vomitum excitabit, donec stomachus à cibis & superfluitate exoneretur. Situs commodior est, vt sedeat capite inclinato & pectore, quo vomitus facilior procedat. Quod si accidentia difficilia superueniant, danda erit aqua calida, aut enim euomet, aut venter soluetur, & sedabuntur symptomata. Prodest & clyster leniens. Finito iam vomitu, quiescat, & facies lauetur aqua ros. cui parum aceti sit admixtum: vel abluat os cum vino & aqua mixta; & cibum ac potum tardet, saltem per duas horas si possit. Dentur deinde cibi boni odoris, & suauis saporis, paucæ quantitatis & optimi nutrimenti, ac paucarum superfluitatum, facilis digestionis & citæ penetrationis: & dormiat, neque bibat aquam frigidam, aut alium quemuis potum frigidum. Si excedat, succurratur & inhibeatur, Arte igitur cum fiat vomitus, is vtilis est in morbis longis, vt in quartana, morbis articularibus, ischiadicis, hydropicis, stomachicis, quibus pituita aut bilis abundat, etiam atra, quæ omnibus modis perniciosa est. Morbis comitialibus prodest, & melancholicis, & calculosis: cephalæam & renum ac vesicæ vlcera sanat, ictericos ex oppilatione, epilepsiam ex stomachi vitio, vt in pueris sæpe conspeximus: curat & cutis fœditatem: asthmaticos, cardiacos, & paralyticos leuat. Singultus lassitudinem corporis remouet, *vt Aristot. refert in suis Problem. ubi.* Leuis vomitus desiderium cibi facit, & à nauseis conciliat stomachum: torpori, somno graui & agrypnocomati viridis vomitus auxiliatur: vel ex humoribus mixtus, & epilepticis ex stomachi vitio, & conuulsis. A superioribus partibus auertit materiam, sensus omnes iuuat, & aciem inprimis oculorum exacuit: & ab inferioribus materiã inanit, si modicus est. At immodicus vomitus vehemensque surditatem & tinnitum, sibilumque affert, & oculorum obscuritates; ac epilepticis obest, vitio capitis contigerit, & capite dolentibus, nisi ex crapula vel stomachi cruditatibus fuerit. Acetosus vomitus dentes offendit, quos pariter denigrat. Iecori etiam & pulmoni nocet: nam & ex pectore venarum tunicas non sine periculo rumpit: stomachum demum affligit, & vires dissoluunt. Si humores itaque superflui reiiciuntur, nulla egent curatione; tales vomitiones iuuandæ, donec corpus sufficienter à recrementis fuerit mundatum. Regio enim illa est aptissima ad reiicienda excrementa, quæ sunt collecta in superiore ventriculi regione. Ob id nauigatio illa in mari, & vectio, quæ vomitum excitant, sæpe curant dolores ventriculi diuturnos & contumaces. Neque etiam retinendi sunt vomitus in illis morbis supradictis, neque in his, qui fiunt è plenitudine ventris; neque in colico, nephritico, aut arthritico dolori bus. Biliosus quoque vomitus non protinus cohibendus est, nec morborum initio symptomaticus, à natura non temerè illatus; sicut in febrium accessione (*vt Paulo ante diximus*) nullo pacto inhibendus; materiam enim minuit & subinde radicitus euellit. At symptomaticus, impetu coactæ naturæ expulsus cohibendus omnino est, si superfluus præsertim fuerit, alioqui periculosus erit: is quoque qui æqualis est in corpore sano, siue spontaneus seu arte paratus, non cohibendus, cum à multis morbis hominem liberet, vt paulo ante dictum est. Criticus item, maxime iudicatiuus, cum laudabilibus signis præcedentibus non est restringendus, modo non excedat & virtutem deiiciat. Interea, licet symptomaticus (*vt in libris de febribus ostendimus*) sit malus per viam signi (quia arguit materiæ multitudinem vel malignitatem eiusdem) tamen sæpe fit bonus per viam causæ, cum euacuatur materia, quæ morbi causa existit. Cibum tamen euomentibus crebro siue inconcoctum siue corruptum, ne perseuerando debilitetur stomachus, & praua contrahat vitia, remediis occurrendum est. Et licet humores superflui nulla egeant curatione, & statim non sint constringendi: tamen ne consuetudine vitium oriatur, & ne frequenti conatu rheumatismis facile repleatur venter, compescendus est. Ideo Auicen. & illi qui illum sequuntur, vomitum cibalem vel humoralem superfluum, & non æqualiter factum, consttingere iubent. Sed is qui diuertit ab inflammationibus inferioribus, internis vel etiam à superioribus, vt in doloribus capitis aurium, &c. non est inhibendus, modo non affecta sint collum, aut partes thoracis. Vomitus itaque omnes optimorum alimentorum, qui fiunt post alias vomitiones ob debilitatem retentionis, vel irritationem expultricis, compescendi sunt: vt si sanguis per vomitum reddatur. Neoterici duplicem differentiam vomitus quoque faciunt, illum distinguentes in cibalem, & in humoralem: sub cibali comprehendentes *vomitũ cuiuscũque rei in corpore* sub humorali, *cuiuscunque rei corporeæ*. Cibalem ita curant: eius causam primo remouendo, siue ab aëre, cibo, potu, aliisue rebus non naturalibus, orta sit, ea remouent & nocumentum impressum, contrariis: & malam temperiem corrigunt assumptis medicamentis tam intus quam extra appositis: & stomachum roborant adhibitis ne in stomachum confluant, diuersionibus: etiam euacuatione, si humores videantur fluxuri in ventriculum: manus quoque ligant supra cubitos & pedes supra genua: quamquam inferiora membra constricta melius vomitum diuertunt & compescunt. Corrigunt accidentia, vt si syncope superueniat: & victum præscribunt supradictum, exiguum, bonum, & coctu facilem, & delectabilis saporis, quæque cito penetrent & proprietate roborent ventriculum, & resistant intemperiei impressæ. Si fiat à percussione supra stomachum, vel à membro; vt cerebro stomacho communicanti, (tunc enim vomere solent) curetur percussio, vulnus; venæ sectione, & amoueatur nocumentum eidem impressum: inhibeantur humores, ne fluant in ventriculum, & membri ratio habeatur læsi, & cõmunicantis, & ẽtriculi. Si à medicamẽtis venenosis, vomitu & secessu educãtur: & dẽtur antidota propria: stomachus ac mẽbra nobilia roborentur. Si hic vomitus cibalis fuerit per communitatem, siue à cerebro, hepate, liene, vel à toto; habeatur ratio totius: si à toto, caueant interim fortia solutiua, & ea quæ ventriculum debilitant. Vel habeatur ratio illius membri læsi, siue fuerit hepar, lien, siue cerebrum, inhi-

8 *Tempore vomitus quid obseruandum.*

9 *Post vomitum quæ sint obseruanda.*

10 *Quib. vtilis est vomitus.*

11 *Immodicus vomitus.*

12 *In quibus non est inhibendus vomitus.*

bendo, ne humores confluant, diuertendo, euacuando si opus est, & roborando membrum communicans & mandans. Eodem modo si fit per essentiã sentiam, auferendo causam, nempe intemperiem nudam, si quæ sit, solummodo alterando contrariis: si cum materia, & adsint humores, curabuntur, vt de pituita dictum est, & de bile, *vt exemplo sequenti docebimus.* De his vide Arculan. aliosque auctores, qui supra Rhasem scripserunt.

Per essentiã

OBSERVATIO XVI.

De vomitu biliosо.

1 IVuenis quidam biliosus, frequenter in æstate circa caniculam, bilis vomitum experiebatur, cui os amarum erat: habebat autem & sitim vehementiorem, & ventriculi morsum ructusque nidorosos. Ad quem acciti, cum circa ventrem grauaretur, & os stomachi morderet, noluimus vomitum cohibere, sed potius *epoto leui vomitorio, quod ex aquæ tepidæ ℥ vj. constaret, addito syrup. aceros. simplici ad ℥ i ß.* illum curare proposuimus, tepide à cibo sumpto. Ex quo cum mediocriter vomuisset, absque dolore multa biliosa (*bilis enim à iecinore in ventriculum transmittebatur, cum ipsa in ventriculo nequaquam oriatur: verum à iecinore vel à vesica bilis in eundem transmittebatur*) os ablui iussi cum aqua & aceto. Deinde dedi syr. alterantes, in hunc modum: ℞. *syr. de ribes, syr. aceros. simplicis, syr. de end. ana ℥ i ß. aquæ aceto sæ, cichorij, end. ana ℥ iij, misceantur,* & bibat ieiunus per triduum. *Recipe trionsant. in tab. ℥ ß. vtatur cum syr.* Purgaui cum decocto thamarind. in sero lactis. Sed quia euomebat, dedi bolum sequentem: *electt. lenitiui ℥ ß. pulpæ thamarind. ℥ j. pulu. rhabarb. ϑ j. fiat bolus.* quo ter excreuit biliosa. Interea cum bilis ex hepate in ventriculum confluat, ceratum sequens hepati apponere iussi: ℞. *cerati santalini ℥ i ß. olei nymphææ, ros. ana ℥ ß. lauentur aqua frig. vel rosa. addendo spicæ nardi pulu. ϑ j.* ducatur leuiter supra pannum lineum, & hepati apponatur. Ad ventriculum roborandum & vomitum compescendum dedimus subinde syrup. ex succo mali punici & mentha, & stomachum inunximus vng. sequenti: *Recipe olei myrtei, coronorum, mastichini ana ℥ ß. bipoci stid. acaciæ an. ℥ ß. boli armeni, corall. rub. pulu. an. ϑ j.* aceti parum, & ceræ q. s. fiat. vng. & sumpto ante cibum in prima mensa diacydonite sine speciebus, & iis, quæ moderate restringerent, hic tandem curatus fuit.

Vomitus biliosus quomodo curetur.

SCHOLIA.

3 QVomodo vomitus biliosus curetur, vide Alexand. Benedictum Veronensem *lib. 14. cap. 28. De vomitu biliosо.* habes ibidem plurimas compositiones, quæ intus exhibentur, & exterius applicantur, tam fotus quam vnguẽta, cerata & emplastra. Hic vomitus non est cohibendus, nisi excedat: cum & immodicus tamen consuetudine nocentior fiat, magis quam si vires prosternat, leui tum vomitorio duntaxat opus est: quod & Alex. Trallianus *lib. 7. cap. 13. De nausea & vomitu* dicebat. Si enim fuerit serosus tenuisque & non nimium ventriculo impactus, haud curiosum esse oportet ac sollicitum: verum satis est etiam solo vomitu ex liberatiore tepidæ potu vti, vel cremore ptisanæ ventrem rectementis liberare. Si aliquo modo sit infixa, & purgatione opus est, syr. ex infus. ros. pallid. vti possimus. Sed si nimium sit tenue excrementum quod reiicitur, & acre, à calidis abstinebimus; & potius roborabimus & astringemus, vt est *amidatum simplex ex malis cotoneis, vel ex succo solo eiusdem, cum zucchar. aut melle.* Id multum roborat & acria recrementa contemperat: ideo & infirmo & calido stomacho, humori in bilem commutanti accommodatum est. Prægnantibus si vomitus biliosus fiat, vti alius, periculosus est ne abortum irritet: his vomitum sedant pampinotum vitis cimæ, vel clauicularum succus in potu, sed & mali citrij succus, vuæ acerbæ. Quæ assumuntur, sicuti & cibi, nullam graueolentiam habeant, sed ægro grata sint. At quæ vomitum ex phlegmate muccoso curant, sunt attenuantia, vt *syrup. aceros., additis speciebus calidis aromaticis*, si ex crasso viscoso humore, *syrup. aceros. compositus valet.* exemplum huius, quomodo curetur, dictum est *obseruat. 14. præcedente.* Vbi enim acida & dulcis pituita affixa videatur, extenuantibus, *iuxta Trallianum*, medicamentis vtendum est: *oxymelite, raphani rad. & capparum* præparandus est humor, & purgandus. Et si in ventriculi cauitate innatet, valet etiam, si inhæreat, vomitus vt adiuuetur (*nam non oportet statim constringere*) decoctum *raphani, semin. anethi, acripl. adiecto oxymell. simplici vel scyllino.* Dissecta pituita etiam euacuanda cum pilul. hieræ picræ: etiam clysteres ad diuertendum valent. Deinde stomachus roborandus, hoc vel simili vnguento exterius. *Recipe olei absinth. nardini, mastich. coton. ana ℥ ß. corall. rub. menthæ siccæ, caryophill. ana ℥ j. spicæ nardi ϑ j. flor. rosa. rub. ϑ i ß. ceræ q. s.* Detur tunc à purgatione syr. absinth. de mentha. Vide alias compos. apud. Alexandrum Veronensem *cap. 9. lib. 14. De vomitu phlegmatico.* Verum his qui cibum frequenter euomunt (*cuius rei exemplum quoque posuimus, obseru. 15. præcedente*) non solum cataplasmata ori stomachi, sed etiam iugulo imponenda sunt, ex mentha mastiche. A cibo, quæ adstringant assumenda sunt: cibus, potus, parcius assumendus. At ex ciborum acrimonia post vomitum, quæ refrigerant & adstringunt in esca danda sunt, & quæ styptica sunt & acetosa. At si stomachi exundatio ex cibo nimium diluto fuerit, aut nimio potu, à vomitu stomachus ex calefacientibus ac exsiccantibus iuuatur; & paulo post cibis siccioribus, quibus aromata admisceri debent. Et panis crustam tostam Cretico vino infusam, superiniecto mastiche, caryophylloque, conferre haud dubium est. At si spiritus in vno ventre inclusus, cibum attollens, rarefit, cucurbit. maiuscula vmbilico imposita mire facit, ante cibum impacta; ne subinde rutaceo oleo galangæ puluere & cymini insperso. Alij vero vbi vomito fit ob flatus cibum suspendentes, dant medicamenta ante cibum qualia postea scribemus conferre ad ventriculi inflationem: & inungunt iis quæ flatus discutiunt. Commendant clysteres; quos in omni vomitione vtiles esse volunt, modo pauca quantitas iniiciatur, neque fortiter laxantia aut olentia apponantur. Horum formulas habes apud Rond. c. *proprio De vomitu.*

4

Vomitus biliosus quomodo curetur.

5 *De his qui cibum frequenter euomunt.*

OBSERVATIO XVII.

De vomitu melancholico.

QVamuis atræ bilis vomitus sit periculosus; tamen, *vt antea ostendimus*, aliqui ab eo sunt curati. Talis minime est restringendus: nam materia melancholica cum retinetur, præcipue adusta, infert symptomata grauissima. Ita melancholicus

cholicus quidam, qui circa lienem subinde dolebat, per certa quædam interualla humorem melancholicum, sæpe etiam atrum, vomebat. Huic igitur consului, cum remedia contra hoc fœdum malum & molestum à me peteret, cum in autumni principio essemus, & etiam videretur aliquo modo laborare sanguine melancholico (*licet quadragesimum annum ageret, vir tamen niger & hirsutus ac venas satis amplas habens*) vt paulo ante vomitum, qui fere certis periodis illum infestabat, post leniens medicamentum sumptum, altero die sanguinem in brachio sinistro ex vena lienari sibi detrahere iuberet. Mox atram bilem expurgauimus, *cum decocto senæ myrob. indor. fumaria & flor. bugloss. boraginis.* Deinde splenem tum ventriculum roborauimus. Ita vt facile is tandem curatus fuerit. Et vt magis deinde vomitus constringeretur, mandaui, *vt syr. mentha acetum cum aqua melissæ, adiecto exiguo vino mali punici, sumeret.*

Scholia.

[N] Hic vomitus, nisi immodicus fuerit, non est inhibendus, præmissis vniuersalibus remediis: si superfluat, vti alius excedens, est constringendus. Solet plerumque hic vomitus contingere, si melancholia fæcalis multipliciter, & non descendat ad intestina, sed copiosius transfluat ad stomachum, illum grauando, vel morsu irritando. Maxime atra bilis vomitum infert: qui equidem vomitus vbi excesserit, nihil præstantius est inprimis, quam humorem illum inferius clysteri ad intestina retrahere, non tamen acri: & stante repletione sanguinis melancholici, venam incidere. Et ideo etiam, quia hic in liene dolebat, basilicam sinistram secare fecimus. Et propterea aliquis mirabitur, cur aliquando venæ sectio in vomitu conueniat? imo etiam Græci, præter Arabes, id suadent. Ita Alexand. Trallianus *c.* 13. *De nausea & vomitu, lib.* 7. inquit: *Sin autem ex toto corpore vehementio influant, tunc medicamentis vtendum maioribus. Interdum enim & sanguinis missio requiritur, si is superare videatur? & purgatio, si magna humoris pranitas existit. Quod si ambo videantur abundare, tum venam secare, tum purgare oportet. Si igitur adsit repletio totius, & adsit omnium humorum qualitas, aut sanguis dominetur, fiat venæ sectio ex vena communi: alioqui si ex hepate originem habeat, ex basilica dextra; vti à liene ex sinistra: vel ex saphana, si à retento sanguine menstruo, vel ab hæmorrhoidib.* Huius exemplum posuimus de moniali iuuencula 25. annum agente, singulis periodis menstruam purgationem per vomitum reiicientе, à me curata, *lib.* 16. *obs.* 25. Refert quoque, fere incredibilem historiam de moniali quadam Matth. de Gradi, Papiæ commoranti; quæ tribus annis delicatissimum, quantumuis cibum semper euomebat, cum humorum aquosorum haud exigua portione: quæ deinde exæstuans maximo dolore afficiebat, vt furiosa & phrenetica impetuose admodum sese moueret: aliquando & in syncopen collapsa per semihoram pro mortua habebatur; ita, vt nullæ diuersiones iuuarent, nisi post quatuor aut quinque horas: deinde per se alleuiabatur. Huic frequens sanguinis missio facta est ex vena communi dextri bracchij, ita vt singulis tribus diebus per duos menses semper exttractæ fuerint ad minus semper septem vnciæ sanguinis pro vice, cum etiam viueret septendecim diebus absque cibo & potu, sumendo tantum modicum vini Veruacini singula die. Postea de octo in octo dies demissus est sanguis, & quod magis admiratu dignum erat, bona habitudine læta ac iucunda videbatur, cum tamen nihil cibi retineret. Fuit tamen hæc phlebotomia curata, præter spem medicorum omnium excellentium, qui eam viderunt. Vnde Gradus infert, hunc vomitum à toto originem habuisse, ab humore in os ventriculi delato: & hinc quoque sanguinis detractionem iuuisse credebat. Recte Auer. 7. Collectaneorum suorum dixit, *c. de curatione cancri, quod sicut in natura fiunt monstra; ita & in medicina monstrositates apparent*: de quibus multa refert Rabbi Moyses *part.* 24. *suorum aphorism.* In vomitu igitur sæpenumero sanguinis missio non improbatur: nam si corpus morbidum est, ac venæ sanguine turgeant, plurimum fracta vena ex stomacho reiicitur, vel duarum librarum interdum pondere (*vt nos lib.* 15. *retulimus & exemplis approbauimus*) tum à iecoraria vena incipiendum est; quæ acuto scalpello secanda est, *teste Alexand. Veronensi medico*) ne latiore vulnere spiritus vitalis subducatur. At fœminæ sanguinem euomentes, profluentibus mensibus, protinus liberantur, *auctore Hippocr.* Vtrique sexui sanguinem euomenti, narium aut hæmorrhoidum profluuium subuenit, si parcius, tunc phlebotomia prodest. Sæpe etiam in vomitu melancholico, vt hic in sinistro brachio vena vulnerata, auxilium attulit, ex liene facta flexione in ventriculum, vt à iecore ex basilica dextra: propterea si sit vomitus humoralis, periodicus, tunc plerumque vel à toto, vel à parte per consensum stomachus afficitur, humorem ad se fluentem recipiens: & curandus est eo modo, quo dictum est. Sed antequam stomachus in vomitum effundatur, ea primum diligenter obseruanda sunt, vt materia, in diuersum trahatur, *vt iam diximus*; & vt membrum recipiens validius fiat, & membrum, à quo materia fluit corrigatur. Ante accessionem dandi syra refrigerantes acetosi & parum stypтici, si materia fuerit calida ac mordens. Tum die integro deiectio ventris, ex thamarindis prunisque nostratibus fieri potest: vel venter clysteri molliri. Et stomacho ac iecori deinde imponenda emplastra ex *santalis, ros. rub. myrti baccis, citer. mastich. spodio & similib. cum oleo ros. & cera compositis, conspersо aceto acerrimo.* In phlematico melancholico humore, qui periodice effunditur, valent *balani Indici seu myrob. epithymum, agaricus cum sale Indo*; finita accessione, & lieni imponendum emplastrum *de meliloto, myrto, ac ladano ex vino meraco vel aceto.* In phlegmatico quoque humor deiiciendus, ac alio propellendus, & stomachus confortandus est, ac cerebrum, si inde emanat humor, firmandum est. Si vomitus à pharmaco excitetur, pharmacū inprimis educendū est, & venenositas detergenda, vel vomitu, vel per aluum deiiciendum: nimium enim stomachi tunicas lancinat, aut mordet: huic curatio omnis necessaria est, quæ supra de biliōso humore posita est. Quod si vomitus venerit ab apostemate, vel vlcere, aut dolore ventriculi, tunc curatio petenda ex propriis capitibus, de quibus mox agemus. Si contingat à ventriculi raritate, vniatur & roboretur stomachus; cauendo à solutiuis & iis, quæ vomitum incitant: & à vomitiuis & valde resoluentibus. Et intus sumantur, quæ stypticam viscositatem habent, *vt coronem, pellicula interna stomachi, & vinum moderate stypticum*, tum alia viscosa, de victu dicta, & ab auctoribus latius explicata. Si sit ex oppilatione pylori, si naturalis, non recipit curationem: alia causa remouenda: & ideo si ab humore crasso & viscoso, vti magna ex parte euenit,

Vtrum venæ sectio aliquando in vomitu conueniat.

Historia mirabilis Matthæi de Gradi.

euenit, curetur abstergentibus, incidentibus, & exhibitione hieræ picræ, in forma elect. *de quibus iam antea dictum est.* At nunc pauca de vomitu sanguineo adiiciamus, quamuis de eo prius loquuti sumus *lib.* 16. *De cruenta spuitione.*

OBSERVATIO XVIII.

De sanguinis vomitu.

VIr ille, qui ex ventriculo sanguinem recentē naturalem per vomitum reiiciebat; cum vt compescerem à me postulauit. Quod efficere studui primo sanguinis missione, etiam diuersione per ligaturas & cucurbitulas in cruribus, postea sequens exhibuimus: *Recipe trochis. de carabe, de terra sigillata ana* ʒ ß. *aquæ bursæ pastoris, portulacæ, plantag. ana* ℥ j. *misce.* quæ illico iuuerunt. At alter iuuenis, cui exhibitum fuit medicamentum acre per empiricum, sanguinem, laxatis venis seu venarum orificiis, vomuit. Huic commode consuluimus, vt lactis heminam cum vini dimidia aut tertia parte, idque paulatim & continuo haustum sumeret. Hoc enim virus medicamenti mitigat, eluit & pariter conglutinat, *Alexandro Veronensi medico teste, lib.* 13. *cap.* 10. Valet & syrupus ex mali punici succo: aliqui acerolum præferunt, niue refrigeratum, vt torpescere membrum faciat, & punctiones obtundat. Acetosus namque conglobatum, si quis intus relictus fuerit, sanguinem discutit.

Ad vomitū sanguinis ex pharmaco.

Scholia.

EVomitur nonnunquam sanguis ventriculi venis à copia sanguinis cū impetu ruentis apertis (*idque maxime, si venarum ora imbecilla fuerint*) etiam à vitioso acrique sanguine erosis. Assumpto quoque veneno plurimi vomitionibus periere. Quidam cathartico epoto vomitorio sanguinem euomuerunt, antequam morerentur. Innascuntur etiam interdum in stomacho caruncule hæmorrhoidibus similes: ex quibus per interualla sanguis vtiliter profluit: raro tamen id euenit: vti etiam ab impacta gulæ sanguisuga: vel fit iis, qui aquam paluſtrem vna cum bestiola incaute bibetunt: & interdum sanguis ex capite, è iecore, liene, in stomachum profluit & transfertur, vel in fœminis mensib. suppressis aut hæmorrhoidibus, aut sanguinis missione vel venere intermissa, *vt viduis & religiosis etiam pluribus contigit*: vel ab ictu hæmorrhoidis serpentis: à plurib. corporis partibus, & à stomacho sanguis profluit, *vt latius ad longum libr.* 16. *De sanguinis spuitione docuimus, & præcipue obs.* 25. *eiusdem libri; vt non opus sit ea hic repetere, aut diutius huic curationi insistere.* Quod ad præsens attinet, satis est, quod is sanguis, qui ex vētriculi venis vomitur, concretus non est, nec inde magna sanguinis eruptio potest cōtingere; quod graciles ventriculi venæ sint. Aliquādo qui vomitur sanguis, à remotis corporis partibus in ventriculum defertur: vt si cui membrū quodpiā excisum fuerit, natura non minus sanguinis quam antea generante, sanguis quo membrum illud ali debuit, ad ventriculum defertur. A toto, adest plenitudo. A iecore aut liene, tūc adest in dextro aut sinistro latere tumor. A mēsibus suppressis vel hæmorrhoidibus, aut hæmorrhagia, ex astantibus dignoscitur, & euacuatione solita suppressa. Et qui ex aliis partibus defertur ad ventriculum, qui euomitur, concretus esse solet, vel facile concrescit. Sanguinis itaque vomitus nisi fuerit periodicus, cum corporis robore, periculum præsagit: cui nisi protinus subueniatur, animi deliquium affert. Ex venæ scissura diu emanans, vlcera minatur, & abscessus, ob eam caūsam (*vt Gal. demonstrat*) medico opus est solerti & ingenioso, magnæque experientiæ. Si itaque sanguinis vomitus ob membrum aliquod excisum fuerit, aut ab vniuerso corpore in ventriculum deferatur, incidatur dextri cubiti vena media: si ab hepate, dextri interior cubiti incidenda: à liene, eadem incidatur vena, sed in sinistro cubito: si à mensium suppressione, à saphæna pedis dextri: si vero ab hæmorrhoidum consueto fluxu retento, ischiadico vena in parte sinistri pedis minimo digito vicina, *vt quidam volunt*: si ab hæmorrhagia è naribus solito fluore suppresso, ex exteriori cubiti vena sanguis mittatur eiusdem lateris cum nare, vnde sanguis fluere solebat. In hoc pathemate, quacunque à causa ortum sit (*quoniam vires eo laboramtis imbecillæ plerumque esse solent*) modicæ venæ, dum inciditur, diductio fiat; ne maior quam par sit, spirituum resolutio fiat. Parcè præterea detrahatur sanguis, idque repetitus vicibus, si opus est. Ante venæ sectionem, si aluus resistat, sequens enema aluo infundatur, vel si sua sponte (*vt conuenit*) excrementa non deiecerit: ℞. *cassiæ extractæ, zucch. rub. ana* ʒ j. *olei viol.* ʒ iij. *salis parum, cum decocto quatuor remollitiuorum prun. & hordei*: fiat enema, quod ante pastum iniiciatur: deinde fiat venæ sectio, *vt dictum est.* Deinde tam intrinsecus, quam extrinsecus adstringentia adhibeantur: qualis hic pulu. est. ℞. *lapid. hæmatit.* ʒ j. *bacc. myrti* ϑ ij. *acaciæ, boli arm. veri corall. rub. ana* ϑ ij. *fiat pul. subtilissimus, ad modum alcohol*; & sumatur ʒ j. cum aqua plantag. adiecto exiguo aceto: idque mane ventriculo vacuo, & vesperi, si opus est, adiecta ʒ j. *syr. ex ros. siccis*, vel ℞. *conser. ros. veteris, conserv. rad. symphyti maioris ana* ʒ j. *boli arm. lati in aquæ ros.* ʒ j. *lapidis hæmat pulu.* ϑ ij. *corall. rub.* ϑ i ß. *cum syr. cydon. fiat elect. molle*: capiat ad magnitudinem paruæ castaneæ, trib. horis ante pastum. Valet rob. ceras. sylvest. acid. vel oxyacanthæ, & syr. ex cotoneis, & de agresta: si duo cochlearia sumantur. Extrinsecus crura fricentur valide: iisque vincula dolorifica iniiciantur, ipsisque cucurbitulæ sine scarificatu affigantur. Si ab hepate sanguis deferatur, supra hepar cucurbitula defigatur, si à liene, supra lienem: si à matrice, supra matricem. Sumpto cibo, si ægrotus ipsum retinere nequeat, cucurbitula ventriculi regioni affigatur. Si neque restringatur sanguis, deinde fotu sequenti vel simili vtendum: *Recipe balaust. pfidiæ, gallarum, rhois dysenteriorum, baccarum myrthi, ros. rub. ana q. s. decoquantur in aqua plantag. & aceto*, in quo decocto calente spongia madefacta & expressa, ventriculi regio foueatur: deinde & hoc vnguento sequenti inuncta: *Recipe olei myrtei, coronet, mastic. ana* ʒ ß. *hypocystid. boli arm. corall. rub. acaciæ, baccar. myrti ana* ϑ ij. *aceti parum, ceræ modicum*, fiat vng. quo ventriculi regio mane & vesperi post fotum inungatur. Reliqua vide *lib.* 16. *obs.* 24. & 25. & *alios auctores.*

OBSERVATIO XIX.

De vomitu atræ bilis, vna cum vermibus & scarabeis.

CVm Balduinum Kerckveruium Brielensem mense Octobri, anno 1567. duplici tertiana correptum, curassem, deducor ad puellam annum 22. attingentem, quæ vomitu continuo longo quidem tempore laborauerat, & bilem tanquam

quam picem valde atram vna cum vermibus deiiciebat, quos tunc spectauimus ad palmam fere in longitudine, coloris cineritij: & paululum ante meum accessum nouem numero euomuerat, omnes fere mortuos. Atram vero bilem picis instar, quam spectabam, prima fronte sanguinem concretum esse putabam, qui ab vtero in stomachum transmissus esset: sed cum statuto tempore menses prodirent, atram bilem esse intellexi. Verum, cum esset bonæ constitutionis, neque febricitaret, & circa stomachum doleret, nonnihil appetitu quoque deficiente, hoc ipsum ex humoribus corruptis fieri existimabam; Vnde & vermes generabantur: eo quod fructibus autumnalibus valde crudis antea vsa esset. Aluum non probe deiiciebat, nisi duobus diebus tantum semel; & stercora quidem dura fæculenta satis naturalia & minime nigra. At vomitus admodum frequens erat. Medicus assistens dederat pilulas ex aloe: verum parum profecit. At apozemate sequente per me descripto, vomitus, qui prius creber erat, nonnihil cessauit; postquam plurima nigra recrementa per inferna deiecisset: vnde; & melius habere videbatur: *Recipe absinthij communis, centaurij minoris, agrimoniæ, portulacæ ana manip. ß. semin. anisi portulacæ ana ʒ j. foliorum sennæ ʒ ß. rhabarb. selecti ʒ iß. sebœnanbi ∋ j. glycyrr. rasæ ʒ ß. passul. enucleat. vj fiat decoctio pro ℥ viij.* colatura zaccharo parum dulcoretur. Dimidium cum sumpsisset, bene excreuit: primo fæces, mox atram bilem copiose: ac vomitus & ventriculi dolor nonnihil cessarunt. Die intermisso, reliquum sumpsit. Interim ad appetitum incitandum capiebat duo cochlearia subinde ex syr. sequētibus: ℞. *syrup. de limonibus. syrup. absinthij, de scolopend. syrup. capill. Veneris* (quia parum tussiebat) *ana* ʒ ij. sumebat ʒ ij. ex tabulis hoc modo descriptis: ℞. *specierum diarod. abb.* ∋ ij. *specierum diatrag. frig.* ∋ j. *semin. zedoariæ pulverisat. rad. tormentill. pulverisat. ana* ∋ ß. *dissol. in aquæ portulacæ & agrimonia, adiecto zaccharo optimo qu. s. fiat confectio in tabul.* Et istis remediis vtcunque habuit. Verum anno 1568. 18. Iulij die, rursus ad Cornelium Philippum Consulem vrbis illius ex febre continua acuta decumbentem euocatus, puellam denuo inuisi: quæ licet vtcunque nunc se haberet, tamen paulo ante scarabeos vomitu reiecerat (*res portentosa & incredibilis, nisi ipse conspexissem*) quos mater nobis ostendit, præsente Petro chirurgo Brielensi, & viro consulari, amico nostro haud vulgari. Referebat & mater viuum scarabeum reiecisse, qui per duos dies superuixerat: referebatur autem ad incantationem hoc malum.

Scholia.

3 VErmes vomitione reiici, haud insolens est nobisque non raro visum. Testatur & idem Amatus Lusitanus *cura. 5. 6. ac 10. cent. 1.* Generari autem posse in ventriculo, *vt Amatus existimat*, difficile fuerit affirmare; verisimilius & ad vētriculum peruenire. Vide Beniuenium *de crassiore pituita expulsa*, & cum ea etiam verme, longitudinis digitorum quatuor, satis pleno, capite rubro, leni, rotundoque, pisi magnitudinem excedente: cætero corpore lanugine quadam contecto, cauda furcata ad similitudinem nouæ lunæ: pedibus quatuor, duobus in dexteriorem, totidem in sinisteriorem partem coaptatis. Admiratus Beniuenius vermis formam, medicis eruditioribus ostendit. Nullum inuenit, qui monstrum simile se vidisse vnquam fateretur. Aderat tamen senior quidam, sed medicæ artis impēritus; qui testuatū est similem se vidisse vermem, vomitu quoque propulsum, ab Alexan. quodam cœnobita: qui statim, vt ille aiebat, pro iecto eo, mortus est. Vocitabat autem hoc monstrum cordis vermem. At contra æger ille Beniuenij circa cor & ventriculum dolens, cum medicamento vomitionem fieri iussisset, vt primum vermem ipsum euomuit, ad pristinam reuersus est sanitatem. At vermes reiectos sæpe vidimus: sed scarabeos, nisi hoc tempore, nunquam: quanquam alij quoque videntur vidisse, cum & Gordonius medicus suo tempore illustris, scribat part. 5. cap. 20. *De vermib. vermes, serpentes, scarabeos generari ex puredine in corpore humano; sicuti extra in mundo vermes & muscæ ac similia generentur.* Sed & Iulianus (*teste eodem Beniuenio*) medicam artem professus, dum grauiter ægrotaret; & aduenienti medico dolorem, quo circa ventriculum miserabiliter cruciabatur, exponeret, tangente illo (vt fit) ac manibus locum pertractante, erupit in vomitum: quo & ipse frustum carnis ad paruæ pilæ magnitudinem, in quo vermis, non secus ac bruchus in siliqua recludebatur, reiectans, ad pristinam statim reuersus est valetudinem. Ego quoque Delphis puellam monialem in curatione habui, quæ cum diris doloribus per integrum annum afficeretur, se tādem præ angustia circa ventriculum mori exclamabat, & nisi in vomitum prorumpere posset, se morituram vocifetabatur. Quare medicamentū vomitorium cum adhibuissem, frustum magnum carneum albo colore, albuminis oui instar, magno conatu reiecit, ita congelatum ac indurātum, vt cultello acutissimo vix diuidi posset, & ab omni dolore statim liberata, deinde sana vixit. Carnis quoque frustulum, cum de pectoris morbis ageremus, tussi reiectum à muliere, ex Beniuenio scripsimus, & quod etiam nos in aduocato vidimus, de quo alias diximus. Sed, quod æque admiratu dignum, refert Bened. Veron. *lib. 12. c. 22. de generib. vomitus*, quendam lapidem, nucis iuglādis magnitudine, euomisse. Refert quod Nicolus c. *proprio de vomitu*, inter reliqua admiratu digna, lapidem oui magnitudine vomitu reiectum esse. Cæterum qui eiusmodi vomunt, non oportet vomitum inhibere, cum omnia talia præter naturam sint. Et sic qui hæc vel atram bilem vel vermes vomitu reiiciunt; vt hæc puella faciebat, non oportet inhibere, sed eius causam tollere, & talia quoque medicamenta præscribere, quę vermes necant, & expēllunt: de quibus latius suo loco dicemus, *cap. proprio De vermib.* Iisque expulsis ventriculum quoque roborare oportet. Hæc de vomitu. Si de iis plura desideres, quæ vomitum excedentem & reprimunt & constringunt, vide Aëtium, tum alios auctores, iam superius citatos, & qui supra Rhasem scripsere.

Historia Beniuenij.

Scarabei in corpore generari posse ex Gordonio.

Bruchus in siliqua.

Lapis vomitu reiectus.

OBSERVATIO XX.

De stomachi dolore.

ICthyopola Delphensis, qui in Flandrica platea commorabatur, ingenti stomachi dolore afficiebatur, cum insigni clamore, vt sese quietum tenere non posset, ob nimiam angustiam qua affligebatur. Ad hunc accitus, cum decoctum florum chamæmillæ in ceruisia communi præbuissem, emissis ructibus & in sudorem solutus, incantamenti instar omnis dolor euanuit: vt nullis aliis præsidiis opus fuerit vti.

Scho-

Scholia.

2 OMnium inter sæuissima symptomata habentur stomachi dolores; deinde inflammationes, inflationes, abscessusque molliores, ac vlcerationes. Sed nunc de stomachi prius dolore agemus, qui interdum impatibilis est, & mortem læpe accelerat. In eius ostio sæuior sentitur, quem & cardiacum quidam vocauere dolorem, alij cardialgiam vocarunt, de qua prius dictum est; quæ refertur ad intemperiem calidam, cum materia biliosa. At stomachi dolor interdum & morbus longus est; in quo affectu breuioris sunt vitæ. Dolorem ipsum aut inflatio sequitur, aut ardor modo inflammationis, intercisiones tortionesq;, vel rosiones sequuntur, quæ tormenta stomachi alij appellauere. Est autem stomachi dolor, tristis & peruersa sensatio, ab aliqua lædente causa. Et dolor omnis, aut stomachum distendit, aut degrauat, aut pingit, vel mordet eroditve: aut in imo afficit ventre, aut medio, vel ipso ostio. Dolor quoque continuatur, & interimit: aut periodicus est: qui interdum confecto cibo sedatur: interdum hominem exinanito ventre vexat. Aliquando assumpto cibo tortiones solent quiescere: modo ingens dolor est, cum cibus tantum conficitur. Alius vero dolor vomitu bilioso sedatur aut acetoso, qui in terra ebullienti similis est; alioqui continua pœna est. Aliquibus quotidiano pituitæ vomitu, mane præsertim, quiescit dolor. Acutum stomachi dolorem quædam consequuntur: frigidus sudor, cordis palpitatio, pulsus frequens, ac formicans, ac animi defectus. Dolor ventriculi, sensus est nociuus eiusdem, & symptoma tactus læsi. Quæ pars sit affecta, iam satis constat: vel in ore ipsius ventriculi, vel in ventriculo, aut parte eiusdem, nempe in concauitate, vel tunicis ipsis. Atque hoc symptoma pendet à morbo; intemperaturæ materiali vel immateriali: à materia quidem humorali, vel ventosa, vel à solutione continui. Hic dolor tatione suæ essentiæ distinguitur, grauans, extendens, perforans, pungens, mordicans; quamuis plures haberi possint, *vt ex Montano c. de dolore capitis diximus.* Sed dolores stomachi communiter, iuxta Neotericos, ad quatuor referuntur, ad grauantem, extendentem, pungentem, corrodentem. Vel alia diuisio ex parte loci, partium stomachi læsarum. In toto, vel in parte, vt iam paulo ante diximus, vt in orificio vel fundo. Rursus quilibet ex his, intensus, remissus, mediocris, continuus, periodicus, & sine periodis. Et qui interpolatus est, ab euentu ipsius doloris varius quoque esse potest, dum cibus in stomacho est, vel descendit; vel stomacho vacuo, aut inanito, vel intenditur, cibo iam digesto, vel cum digeritur. Sedatur etiam (*vt iam paulo ante diximus*) vomitu, ructu (vt huic nostro ægro eueniebat) aut ventositatibus superius vel inferius emissis, vel sensibili expulsione humiditatis aquosæ; vti contigit patri Io. Matth. de Gradi. Et nos hoc tempore puellam in curatione habuimus, cui idem eueniebat. Iam quoq; dolores alij noui, recentes, breues, diuturni: quidam ad alios morbos succedentes, vel per se incipientes, vel simul concomitantes, cum aliis symptomatis, vt fluxu ventris, spasmo, vel stomachi singultu. Hæc enim omnia ad morbi cognitionem, prædictionem, & curationem faciunt, vt exempla subsequentia ostendent.

Dolorie stomachi differentie.

Affectus primer naturam.

Pars affecta.

Partis stomachi dolentis.

OBSERVATIO XXI.

De ingenti stomachi dolore in potatore.

ALbertus chirurgus Delphius, si quis alius potator egregius anno 1565, sub Martij finem, cum plurimos dies noctesque vario potu ventriculum impleuisset, modo vinum rubrum bibens impurum, modo ceruisiam crassissimam, eamque valde fæculentam & recentem, cum puluere zinziberis & zaccharo; domum rediens, post mediam noctem excitatus intolerabilem dolorem in stomacho patiebatur, vt se veneno infectum clamaret: dolore enim adeo grauis erat, vt se in lecto continere non posset; cum totius corporis concussione, vt astantes hominem jamjam moriturum existimarent; ac pro deplorato habentes, extrema inunctione per sacrificulum peracta, ita illum in dolore relinquerent: donec mane ad eum accitus, deprehendi crura totumque corpus adeo tremore concuti, cum totius lecti commotione. At vix mihi interroganti locum affectum ostendere potuit: tandem ostendit se circa mucronatam cartilaginem adeo dolore torqueri, tanquam pugione perforarctur: astantes autem narrabant, post potum insignem & diuersum, hoc malum originem suscepisse. Vrina quam tunc inspiciebam, minime tincta erat, sed admodum cruda: non sitiebat, nisi exiguum potus flagitando, cuius si vel guttam in ventriculum demitteret, mox in gutture & in stomacho se suffocari clamabat; lingua minime arida existente, neque potu descendente. Aderat inanis vomitus, vel nausea, cum ad vomitum frustra incitans. Sequens igitur vomitiuum præscribo: ℞. *hordei mundati p. j. flor. chamæmillæ* (ob dolorem) *p. ß. seminis anethi* ʒ i ß. *bulliant in aqua communi; & huius colat. accipe* ʒ iiij. *addendo syrup. ex infus. ros. communium oxymelitis simplicis, syrup. de cich. Nicoli, cum rhabarb. ana* ʒ ß. *misce*, sumebat tepide; & euomuit ceruisiam satis copiosam & pauca biliosa. Dolore tamen æque permanente, vocatur & secundus medicus, Cornelius Ericius, collega meus. Pulsus erat contractus; & ne copia ceruisiæ & vini suffocaretur, sequens medicamentum vna præscripsimus: ℞. *folior. sennæ* ʒ vj. *agar. fœmin. albi lenis* ʒ ij. *cinnamomi* ∋ j. *semin. anisi* ʒ ß. *bullient in* ℥ ix. *decoct. communis; & fortiss. expressioni addendo* ℥ ij. *syrup. ex infus. ros. commun. misce pro* ij. *dosibus.* Vnam cum statim sumpsisset, medietatem potionis euomuit, interim bis copiose excreuit multa biliosa, fœtida & aquosa, in maxima copia; & simul plura euomuit. Ab huius medicamenti operatione mox incidit in somnum, deinde & sudorem: & bene se habuit. Interea ad ventriculi roborationem capiebat subinde ʒ ij. *vel* iij. *spec. diarod. abb. in tabulis.* Altero die cum rediremus; nullo dolore torquebatur: vti & nocte subsequente: vt se iam sanatum diceret: ideo reliquum potionis non dedimus, nisi tertio die alteram dosim: & aluum commode reddidit, & perfecte sanus factus est, quamuis in primis ab astantibus prō mortuo habitus.

Scholia.

INfinitæ sunt causæ doloris stomachi & interprocatarcticas præcipue cibus potusque inordinate sumptus; vti in hoc chirurgo: nam oriri

Causæ.

poteſt ex cibo, *vt porro, cæpe, allioque, & his ſimilib.* vento quoque ſeptentrionali: vel ſi poſt labores ſudoreſque nudum fuerit corpus frigori expoſitum; nam & dolor ex gelida pota ſubito quandoque interimit, aut in colicum commutatur. Potionatis vero veneno, intolerabilior dolor habetur; & ex medicamentis valde adurentibus, vel ſoluentibus, vel ex percuſſione, caſu, offenſione. Sic cauſæ mediatæ doloris duplices eſſe poſſunt; vel Primitiuæ, *de quibus nunc diximus*; vel Corporeæ: vel Immediatæ, *vt intemperies calida, frigida, ſicca*: humida, ſine materia, dolorem non facit: vel eſt cum materia, aut acuta intus mordente, aut corrodente, & mordente intus humore, vel adurente, vel vtroque modo, vt in calida inflammatione, ex humoribus ſimplicibus, aut compoſitis, quale eſt acetoſum ſalſum craſſumque phlegma, vel viſcoſum, vitreumque omnium terrimum. At melancholicus item humor acetoſus dolorem excitat periculoſum. Sed inter omnes cruciatus, qui inter tunicas inſedit humor vitiatus, fœuiores pœnas excitat; vel oris ſtomachi præſertim. Ita & continui ſolutio, ſpiritus interclusus. Quod ad cauſas corporeas attinet, duplices quoque habentur: vel per communitatem ſeu conſenſum, vel per eſſentiam: per conſenſum, vt à toto, quemadmodum in febribus; de quibus ſatis dictum eſt *in libris noſtris de febrib.* aut criſi, aut à membro particulari, vt cerebro ſibi communicante, aut abſolute, aut mittendo materiam catarrhalem; ita à neruis, ſplene, atram bilem in ventriculum euomente vel mittente; à bile, vt in hepate ſeu fellis veſica: ab inteſtinis, vt vermibus, ventoſitate & vaporibus, ex fœcibus malignis eleuatis in ventriculum: ſic à renibus, vt in dolore calculi. Ab vtero, vt menſium retentione, hæmorrhoidum. Per eſſentiam vero, ſunt humores iam dicti in ventriculi fundo aut tunicis inhærentes. Ad cauſas remotas referri poſſunt nocumenta concoctionis, & quæcunque intemperiem ventriculi labefactant. Hæ cauſæ perquirendæ certis ſignis, vt exemplis docebimus, antequam curationem inſtituamus.

OBSERVATIO XXII.

De dolore ventriculi intolerabili, cum hypochondriorum ſuſpenſione.

GErtrudis Bartholdi, cognata noſtra, mulier ſi quæ altera pulcherrima, 30. ann. cum compleuiſſet, anno 1546. menſe Iunio intolerabilem dolorem ſtomachi incidit, cum hypochondriorum ſuſpenſione. Lotium huic extreme crudum & album erat, inſtar puræ aquæ. Cum variis medicamentis curari non poſſet, dolorque magis intenderetur, & difficulter aluus ſolueretur, poſt abſinthij decoctum, cum liquida pharmaca plane & ſemper abhorreret, ſummo diluculo huic adhibui ſtomachici laxatiui calidi in tabulis confecti ʒ vj. *vnica doſi*, cum difficilis ſolutionis eſſet: quo medicamento octies aluum depoſuit: & multa putrida & pituitoſa excreuit. Et quia operabatur non ſine torminibus & anguſtia; pro ablutione pharmaci dedi cyathum vnum juſculi pulli: à quo poſtea cum vnum ſeceſſum adhuc habuiſſet, dormiuit per totam noctem ſubſequentem, vſque in maximam lucem diei ſubſequentis, cum antea præ dolore per quatuor aut quinque dies, aut noctes non dormiuiſſet. A ſomno autem ſurgens, ab omni dolore liberata ſana omnino euaſit. Cæterum, quod ad ſtomachicum laxatiuum attinet, quod in officina à pharmacopœo paratum habebatur: hæc erat eiuſdem deſcriptio: ℞. *ſacchari optimi* ℔ j. *cinnamomi, zinziberis ana* ʒ ij. *caryophyll. galangæ ana* ʒ j. *nucis muſcatæ, ſpicæ, ligni aloes, cardamomi, macis ana* ʒ ß. Si vero laxatiuum facere volueris (quo nos hic vſi ſumus) addatur ʒ j. *ſcammoneæ præparatæ*, coquantur cum ſufficienti quantitate aquæ ſaccharatæ; & fiat confectio in tabulis. Attamen hic cautio adhibenda, quod ea non liceat vti in magna doſi: niſi in corporibus robuſtis, expertis & notis. Ideo cum hæc mulier (vt alias ſæpe externi eramus) difficilis ſolutionis eſſet, & fortis admodum, doſin auximus ad ʒ vj. alioqui vix ʒ iij. aut iiij. dediſſemus. Eſt autem medicamentum forte, ob ſcammoneam, & vehementis operationis; in hoc tamen caſu conferens, ad pituitoſos & crudos humores in ventriculo collectos habentes: vtile quoque iliofis, colicis doloribus à materia pituitoſa vel ventoſitatibus crudis, nequaquam vero in morbis calidis; vt eo tempore medicus quidam, ſed Empiricus in omnibus fere morbis, etiam calidis & febricitantibus, male dabat: & nunquam fere laxans pharmacum propinabat, quin aliquid & huius laxatiui ſtomachici admiſceretur. Præceptor meus Bononiæ, Elideus, medicus egregius, hoc ſequenti in ſimili cauſa vtebatur: ℞. *electuarij de dactylis* ʒ ß. *philonij Romani* ∋ ij. *cum aqua chamæmillæ*, fiebat potio breuis. In ſummo dolore dabat aliquando ʒ j. *philonij*, prout particularia ſuadebant. Vide & hoc ſequens: nam commode ab ipſo quoque adhibitum aliquando fuit: ℞. *electi. de dactylis* ʒ vj. *philonis Romani* ʒ j. *cum* ʒ iij. *aquæ florum chamæmilli.* At mulieri Brabantinæ, Alcmariæ, 60. duorum annorum, ſimili dolore correptæ cum tabulæ poſt purgationem *ex electi. de dactylis* ad ventoſitatem & pituitam ſtomacho infartam & ſuſpenſionem hypochondriorum exhibitæ eſſent, & non iuuarent neque linimenta apta, neque ventoſæ ſiccæ applicatæ ventriculo (*ſeu potius inter vmbilicum & ſtomachum*) ſolo hoc fotu tandem dolor ſedatus eſt: qui ita habebat: *Recipe vad. althææ* ʒ ß. *flor. rpſ. rub. flor. chamæmill. ſummitatũ abſinthii ana* m. j. *coquantur in aqua chamæmill. & aqua communi q. ſuf. pro* ℔ i ß. *in fine addendo vini Rhenenſis optimi, aquæ roſ. & aceti ana parum, & fiat fotus*, quo omnis dolor ceſſauit. Adeo illud medicamentum approbrauit, ac diuinum appellabat, vt memoriæ inſcriberem, vt alios ſimili malo laborantes à dolore curarem. Ita quoque Margareta Cornelij Ioannis illius viri conſularis filia, menſe Nouembri, Anno 1571. cum in dolorem ſtomachi intolerabilem incidiſſet, poſt purgationem vniuerſalem adhibitam, hoc ſequenti fotu ab omni dolore incantamenti inſtar fuit liberata: *Recipe abſinth. communis & Roman. flor. chamæmill. roſ. rub. menthæ omnium exſiccat. ana* m. j. *ſem. ſumach. myrtill. ana* ʒ ß. *flor. meliloti* p. j. *coquantur in aqua communi pro* ℔ i ß. *colat. adde ſpec. diarod. abb.* ∋ ii ß. *ſpecier. aromat. roſ.* ∋ j. *aquæ roſ.* ʒ ij. *aceti roſ.* ʒ i ß. *iterum ſemel ebulliant*: & fiat fotus pro ventriculo.

SCHOLIA.

FRigidam vero cauſam flatibus quidam haud imperite jungunt: nam vehementer dolores, tenſiones eorum excitantur. Materia vero flatuum pituita eſt. Ita in duabus iſtis mulieribus aderat pituitoſus humor crudus, flatuoſus, hypochondrium non minus quam ventriculum extendens. Eſt quoque pituita hæc craſſior; vnde turbidus vapor, multuſque eleuetur, idque à tepido calore. Sic 12. *meth. medend.* Galenus cap. 8. ait: *grauiſſimos à retentis flatibus dolores fieri: retinentur obſtructione vel denſitate loci, in quo cohibentur, vt tranſpirare nequeant: alias ſi ſoli humores ſint craſſi & viſcidi, non fit dolor vehemens. Gignuntur vero flatus, cum caleſunt humores craſſi & glutinoſi: ſic enim in flatus craſſumque vaporem vertuntur. Neque enim neceſſe eſt exhalationem ſemper illam ſiccam eſſe & terreſtrem, quam in meteorologicis materiam flatus dixit Ariſtoteles: ſed ſat eſt ſpirituoſam & tenuem eſſe ſubſtantiam, præ ea, ex qua gignebatur. Agens vero eſt calor: locus autem (vt quidam volunt) in quo flatus includuntur, ventriculi tunicæ ſunt. Nam ſi in medio ſpatio acernetur, facile vacuatur, ex ea vero parte difficillime, & longo tempore, ac non niſi vehementer extenuatus, & diſſolutus: quod cum nonniſi calidis fiat, metus eſt, ne rurſus plus, eorum vſu, flatus eleuetur, quam tollatur. Facit ad difficultatem cura, quod non ſicuti in acri humore, tuto ſopientibus vti poſſumus, quæ & dolori proſunt, & cauſa humorum ſua frigiditate temperant: at hic cauſam augent, cum vehellem diſcuſſioni craſſum ſpiritum faciunt, & tunicas denſant, per quas debebat excerni.* Hæc fere Galenus de flatuoſo dolore loco iam dicto. At 14. meth. cap. 7. fieri flatus ait, *vel cum calor debilis eſt, vel cum humidum crudum, craſſum & glutinoſum humorem continet. Vnde excrementum, quod natura excerni inſenſili tranſpiratu conſueuerat, iam non tranſpirat: præſertim ſi denſa ſit pars, in qua continetur.* Quin ſubdit, *Calor quoque auctior hoc facere poteſt; dum tamen tantus non ſit, vt digerere poſſit.* Idem etiam 5. Aphoriſm. vltimo: *Fit flatus vel imbecillitate caloris, vel ex craſſitie humoris, vt hic fiebat.* Ex quo patet, non eſſe temere admittendum, quod quidam ſine diſcrimine dicunt, tepida eſſe, quæ flatus gignunt. Nam à valido calore ibi fieri aliquando ait, materiæ ratione; & frigidis curat. Præterea id aſſerit lib. 12. *cum multo melius curari colicos*, ait, *ſine calidis fomentis: quoniam ab illis ſæpe augetur dolor, aucta doloris cauſa, ex 6. De locis affectis.* Dolores à flatibus fiunt, vel cum frigidus craſſuſque humor acernatus eſt in corpore craſſo, & denſo genitus, qui egredi nequeat, vel à flatuoſo ſpiritu: has inquit cauſas eſſe probabiles. Retinetur craſſitie, & denſitate corporum: & humores tum alterare, tum tendere partem poſſunt, vt ſpiritus tendere. Quod vero imaginantur quidam, calorem plurimum extraneum facere flatus, cum naturalem minuit, fabulam eſſe putat Iacchinus, vir doctiſſimus. Quicunque enim calor vigeat, flatus tollit; niſi, vt diximus, qualitatis materiæ ratione etiam multos flatus faciat. Vnde neque in febribus vrentibus fiunt, neque in auriginoſis, *iuxta Aphoriſmum.* Quod ſi in prauis febribus appareat inflatus venter, id venit, quoniam non ſunt calore vehementes, & cum multa cruditate humorum. Materia vero aggregatur tum ciborum ratione, qui craſſi natura ſint & viſcidi; tum ex multitudine & crebra cruditate: & in ſumma ex omnibus cauſis, quæ pituitam gignere poſſunt. Quæ vero calorem debilitant, vel ſpiritus reſoluendo, vel per ſe refrigerando, vt frigidi potus, aut frigida vina, dolorem facere poſſunt, vt fieri frequenter videmus. Imo poſt frigidæ potum doloribus ventris quidam perierunt; quibus ſcilicet id viſcus natura erat imbecillum, & aderant materiæ, è quibus flatus gigni poterant, in ipſo ventris corpore aggregatæ. Sic dolor ab externo frigore excitatur: præcipue ſi extrema patiuntur: quæ ſunt partes neruoſæ & frigidæ, & exſangues; à quibus facile frigus peruenit ad ventrem. Auget etiam frigus dolores; quoniam denſat tunicas adeo, vt non tranſpirat, quod in eis continetur: hinc magis dolor excitatur, cum flatus exitum non inuenit. Et quia vna cum pituita flatus aderat, tenſio ſentiebatur vt diſrumpi putarent tunicas ventriculi: & etiam nos tenſionem ſenſu ſeu tactu percepimus, quæ etiam ſuper abdominis muſculos ſentiebatur. Sed de ventriculi inflatione poſtea latius. Sed hic etiam aderat ſimul, ob materiam frigidam, grauitas ventris, ſine ſiti atque ardore: & ſentiebatur in ſtomacho quædam frigiditas. Nunc aliud exemplum adferamus.

OBSERVATIO XXIII.

De dolore Stomachi, ex pituitoſo humore ac tenſione.

PVella admodum pituitoſa, tempore hyemali, paupercula, cibo crudo vtens, lacte, & aliis cibis pituitoſis, incidit in dolorem ventriculi vehementiorem, cui aderat diſtentio quædam. Simul ſentiebat magnam ventriculi grauitatem; propter quam ſpirandi difficultas accidebat, ventriculo diſtento ſeptum tranſuerſum comprimente. Non ſitiebat, neque aderat ardor aut calor: cibis quoque ad infimas partes ventris deſcendentibus leuabatur nonnihil: & flatibus ſine ructibus emiſſis, vel per aluum excluſis, & calidis iuuabatur: ita vt facile intellexerim, ex pituita flatulenta, hunc dolorem originem cœpiſſe, qui & ſummo ſtudio ſtatim anodynis placandus erat, ob os ventriculi exacto ſenſu tactus præditum. Ideo ſtatim hunc fotum præſcripſi: ℞. *flor. chamæmeli, meliloti ana* m. j. *abſinthij, flor. roſ. rub. ſummitatum anethi ana* man. ß. *ſeminis lini, fœnugræci ana* ʒ ß. *ſeminis aniſi, carui, fœniculi, ana* ʒ ij. *coquantur in aqua communi q. ſ. pro* ℔ ij. in qua calida madefiat ſpongia: quæ deinde expreſſa ventriculo admoueatur; eaque foueatur: & deinde oleo ſubſequenti inungatur: ℞. *olei chamæmel. anethini, lilior. ana* ʒ ß. *his commiſtis fiat inunctio.* Quibus aliquo modo ſedebatur dolor, grauitate adhuc permanente. Ideo & has pilulas deglutiendas præbuimus: ℞. *pilul. de hiera ſimpl. maſtichinarum, trochiſc. agarici ana* ∋ j. *cum aqua abſinthij: fiant pilulæ* xiij. tempore matutino dentur. Quibus optime aluum deponebat. Verum cum adhuc materia tenacius ventriculi tunicis inhæreret, & dolor in totum non ceſſaret, licet nunc non ita vehemens eſſet; poſt decoctum *abſinthij, florum chamæmillæ, ſemin. fœniculi & aniſi in aqua decoct. addito oxymell. ſimpl. & compoſ.* hanc purgationem exhibui, cum ſatis robuſta eſſet: ℞. *diaphœnici* ʒ ß. *aquæ florum chamæmillæ* ʒ iij. *miſce*, & ſexies multa pituitoſa excreuit, etiam ventoſitatibus emiſſis. Et dolor ita mitigatus eſt, vt vix de eo amplius conqueretur. Tunc ventriculum roborauimus intus ſumptis tabulis ſequentibus, ſeu rotulis: *Recipe ſpecierum aromatum roſarum ſine muſco; ſpecierum diacymini ana* ʒ j. *diſſolutis in aqua abſinthij, & florum chamæmillæ, adiectis* ʒ iij. *ſacchari albiſſim. fiant rotulæ ponderantes* ʒ iij. *vel* ʒ ß. *& capiat ante paſtum* iij. *horis vnam.* Præterea iuſſi, vt hunc pulverem in officina pararet: *Recipe coriandri præparati* ʒ iij. *aniſi,*

aniſi, cinnamomi ſelecti, fœniculi, carui ana ℥ ij. maceris ℈ j. ſacchari ad pondus omnium, fiat pulvis, cuius detur ℥ j. vel plus in ſine paſtus : & præcepi vt eo ſumpto nihil biberet, neque amplius ederet. Extrinſecus vnguento ſequenti ventriculum commode inunximus : *℞. olei abſinthij ℥ ß. olei nardini, maſtichini, cotoneor. ana ℥ ij. caryophyl. menthæ ſiccæ, cardamomi coralli rub. maſtichis, flor. roſ. rub. ana ℈ j. ceræ exiguum, fiat vnguent.* quo ventriculi regio inungatur mane & veſperi ante paſtum : & poſtea applicetur ceratum Galeni ſtomachicum, ad ſcuti formam. Quibus præſidiis ab omni dolore liberata fuit.

Scholia.

4 *Signa.*

Signa doloris ſtomachi diligenter perſcrutanda, antequam ad curationem accedamus. Si fiat ex nuda intemperie, iam diximus ſigna, cum de imbecillitate ſtomachi ageremus. Et ſi cum materia, etiam ex parte ſigna declarauimus : quibus hæc adiungere poterimus. Si igitur à cauſa materiali frigida, grauitas ventris aderit, vt iam diximus, ſine ſiti ardoreque & in ſtomacho frigus ſentitur, calidis iuuatur : quibus ſi ætas, temperamentum, anni tempus & conſtitutio, victuſque ratio præterita reſpondeant, plurimum ad cauſæ inueſtigationem facient. Ex pituita ſalſa, in ore ſalſitudo moleſta eſt, non ſine ſiti valida. Ex phlegmate acetoſo vel melancholico humore (*vt ſæpe iam dictum eſt*) roſiones aderunt ſtomachi ſine æſtuatione : aut vomitus acres acetoſi melancholiam demonſtrant, quibus dolor ſedatur, & lien tumet, tum difficilis malaque concoctio in ventre fieri ſolet, quod & ex phlegmate contingit. A cauſa calida materiali, quæ hominem ſupra modum inquietat, punctiones, interciſiones, morſus ſitiſque ac oris ſiccitas, vel amaritudo, ſtomachi ardor æſtuans, & febris interdum ſentitur, ac pulſus, vt initio febris, coarctatus ; tum vomitus : aluus biliоſa eſt. At ſtomachi inſtabiles roſiones à jecore materiam effundi, indicium ſunt : inde pulſus ad interiora remittitur, ac extrema frigeſcunt, animuſque linquit. *Quæ præterea* (inquit Galenus) *ægrum iuuare ſolent, humoris naturam denunciant* : dolor à materia calida (*vt tradit Hippocrat.*) hordeacea pulte ſedatur. Ita in frigida, caſtoreo cum aceto ſcillite. Si doloris origo ex imo ventre oritur, nihilominus cibi deſiderium aderit, illæſo ſtomachi oſtio : verum ſingultus ac eroſiones moleſtæ erunt. At humoris craſſitudo, quo craſſior eſt, eo maiorem affert dolorem atque tormentum, cum ventris grauitate ; vnde pulſus inæqualior fit, & fomentibus ægris pulſus ad temperamentum redit. Periodicos dolores patiuntur, cum plurimum melancholici, & qui præcordiorum dolores ſuſtinent. Ex vento, adeſt flatus crepituſque ventris frequens ac ſingultus : tum nec in eodem loco figitur dolor : qui tamen veluti clauus infixus hæret. Et cutim extendit : tum admotæ cucurbitulæ proſunt. In iis tormentis extrema ſi frigeſiant, *vt Hippoc. ſcribit*, malum augurium faciunt, ſi perſeuerant inſtanter ; ſi vero inſuperabiles puſtulæ ortæ fuerint nigræ, ac protinus exulcerentur, lethales ſunt : lethalis eſt & grauior ſomnus, ſique præterea dexter pes veſicam extulerit, exitialis habetur : magiſque ſi æger dulcia adamauerit. Verum geſtantibus peculiare malum eſt. Dolor quoque qui ex homine fuerit inter tunicas cohibito, ægrius curatur. Dolor ſtomachi à cauſa externa vel primitiua, minus malus : cum facile remoueri poſſit, excepto illo, qui à medicamento ventoſo aut corrodente, vel veneno fiat, vel gladij percuſſione : tales difficulter tolluntur, vbi etenim illi magis mali, qui ex cauſa corporea oriuntur : minuſque malus ex vna cauſa, quam ex multis ſimul complicatis, etenim ſi ex mordicatione febris ephemera, vel alia ſubſequatur perdurans aut continua. At dolores ſtomachi ex apoſtemate vel vlcere vix vel nunquam curantur, niſi nacti fuerint diligentem & expertum medicum. Omnis dolor rodens, acutus, aut diu perſeuerans, deducit ad ſyncopen, imo ad mortem, *teſte Gal. 5. De loc. affect. cap. 6.* cum ex conarrat ſubſequutum ſpaſmũ aut epilepſiam. Ita hiſce diebus cum puer iciunus eſſet, ac radicem angelicæ ſylueſtris comediſſet, ingenti dolore ſtomachi correptus, mox epilepticus concidit, corpore toto, ac manibus ſimul conuulſis ad quinque horas : qui tandem difficulter à me curatus fuit. Erat puer quinque annorum, alioqui valde agilis. Prægnantes facile ſtomachi dolore quoque apprehenduntur, ob menſes reſtrictos ; & facile tunc animo linquunt, vt matri meæ chariſſimæ Margaretæ Nanniæ, ex Baiatorum familia, contingere ſolebat : ſed ſalis momento in os indito, mox reuiuiſcebat ; *vt antea quoque dictum eſt lib. 17. noſtrarum obſeruat.*

A cauſa frigida materiali.

Ex pituita ſalſa.

Acida & melãcholica.

A cauſa calida materiali.

In imo ventre.

A craſſo humore.

Periodici dolores.

Prognoſtica.

OBSERVATIO XXIV.

De dolore ſtomachi à rebus calidis aſſumptis.

Mercator ille, qui in foro Delphenſi habitabat, pro cuius ædibus Rex interſigniũ erat, tormina in ventre & circa vtraque hypochondria cum pateretur, ebibit pluſquam dimidiam pintam vini Romani vulgo dicti, cum ʒ ij. *pulueris granorum paradiſi* : nam hic aromatarius erat, ſed eo vino ebibito incidit in ventriculi dolorem, tum ventris crudeliſſimum & atrociſſimum : ita vt præ anguſtia & rumpi & ſuffocari videretur : neque euomere neque ſeceſſum habere potuit. Vociferabatur, ſe ignem in ſtomacho habere. Ad hunc eodem die accitus 20. April. die, anno 1563. ac eadem hora, qua mori putaretur, ſtatim dedi ℥ iiij. *vel plures decoct. hordei, in qua* ʒ j. *ſeminis anethi incocta erat, adiecta* ℥ j. *ſyr. ex infuſ. roſ.* Eaque potione tepide ſumpta, vinum euomuit, & liberius anhelitum trahere potuit : & à vomitu paulo melius habere cœpit ; & incidit in ſomnum. Poſt ſomnum, quamuis minus doleret, circa præcordia grauitas quædam remanebat cum dolore : & cum aluum non redderet, paulo plus quam dimidium potionis ſequentis propinaui : *℞. fol. ſenæ* ʒ vj. *ſemin. aniſi* ʒ ß. *rhab. ſelecti* ℈ iiij. *ſchœnanthi* ℈ ß. *ebulliant in* ℥ ix. *decoct. communis, & fortiſſ. expreſſ. adde oxyzacch. ſimpl.* ℥ j. *ſyrup. infuſ. roſ.* ℥ ß. *miſce pro duabus doſibus* : vna aſſumpta quinquies aluum depoſuit, & à dicto ſymptomate in totum liberatus eſt : ita vt alteram doſim non ſumpſerit. Potus huic erat ptiſana hordeacea, eo quod febrem timerem. Sed ea non ſuperuenire, optime deinde habuit.

Scholia.

Cardamomum (quod vulgo *granum paradyſi* dicitur) vltra tertium gradum calidum & ſiccum eſt, vel ſaltem in tertio gradu. Habet enim vim valde excalfactoriam. Dioſcor. *potum ex aqua ad comitiales, iſchiadicos, tuſſes, neruorum reſolutiones, rupta, vulſa, tormina, latas ventris tineas valere, ſcribit ; & ex vino potum venibus, difficultati vrinæ, à ſcorpione icto, auxilio eſſe.* Verum hic aromatarius cum in ſubſtantia ſumpſiſſet, præter iuſtam doſim, plurimum obfuit, & pene hominem necauit : quamuis eidem alias (*vt narrabat*) ad ſimilem dolorem in minori quantitate ſumptum profuerat : nunc autem plurimum, & ad internecionem fere læſit. Cæterum dolor ſtomachi cum ex variis cauſis fiat (*vt diximus*) vario modo quoque curatur. Si enim ob intemperiem calidam, vel frigidam doleat, eodem modo curatur intemperies rebus contrariis & alterantibus. Sic & dolor ex vento frigido, aut aqua gelida aut epota, contrariis remediis ſanatur. Stomachus enim pane calido ſæpe fouendus eſt, aut laſeris aſſere calefacto, aut cupreſſino, aut piceo : alij feruente cinere vtuntur in ſacculo. In potu vero betonicæ farina cum vino efficaciter ſumitur, ſi ſine febri fuerit ; alioqui cum calida aqua datur. At hic ob cardamomum ſumptum, aqua hordei, & cius cremor conueniebat : inuabat & vomitus, quia calore & copia ventriculum extendebat : ita & tormina ac roſiones ex malo catharctico, vomitionibus iuuantur, clyſteribuſque ; ita & ex cibis pariter acutis fieri debet, pinguiaque cum inſipidis dari iubent. Ex malo medicamento, venenato, erodente, æger vomere debet, atque pro veneni ratione remedia communia ac particularia ex libris venenatorum quærenda ſunt : ſicuti & veneficiorum auxilia ex iiſdem libris haberi debent. Vbi dolor vehementiſſimus eſt, & ſuſpicio ſit de aliqua materia venenoſa aut medicamento venenoſo aſſumpto, theriacam recentem dare poteſt. Si ex quauis cauſa primitiua vel extrinſeca venerit, ea ipſa tollenda. Et ſi ex intemperie nuda, ſiue calida, ſiue frigida, curetur, vt de imbecillitate ventriculi prius dictum eſt. Si dolor ſit à materia frigida, huius curationis exemplum poſuimus. Hic in cibis, potionibus, ſtyptica vitanda tradit Galenus, ante ſtomachi exinanitionem, ſi pituita nimium redundet. Nam craſſæ, duræ, ſiccæ, terreſtris ſunt materiæ, (*adſtipulante Zoar*) quæ dolorem ſtomachi inferunt. Iis exiguus cibus ac potus offerendus, facilis concoctionis, bonique alimenti, aluuſque vtiliter exinanitur. Sed prius neceſſarius, modo in iciuno, modo poſt cibum vomitus, vtilis exercitatio, geſtatio, nauigatio, frictioque. Nihil edendum, aut bibendum niſi calidum, vitatis tantum iis, quæ pituitam contrahere conſueuerunt. Sed in iis conſiderandum eſt, an ſtomachi duntaxat cauſa fiat, an alterius membri propinquitate fuerit ? Primum igitur materia digerenda ; ac exinde purganda ; vltimo ſtomachus omnino recreandus eſt. De vomitu vero, leuibus concitandus eſt, aqua tepida cum *acetoſo ſyrupo ſimplici*, aut compoſito : ſi id fieri minime poteſt aluus commode mollienda eſt, nam aluum trahere violenter, periculoſum eſt, quandoquidem materiam vndequaque contrahit. Aquoſa pituita *hydromelite ac ſyrup. acetoſ. ſimplici compoſitione* apte præparatur, vel *menthæ ſyrupo* : ad viſcoſum phlegma *oxymelite compoſ. vel ſcillitico* ; vel ſi ex jecore fluxerit materia, vel venis. At quanquam dolori ventriculi à cauſa frigida calidis medicamentis ſuccurratur ; tamen ſi hepar calidum eſt, verendum, ne dum vni mederis, alteri noceas ; & ca-

Curatio doloris ſtomachi.

4 *Dolor ex vento frigido aqua gelida epota.*

Doloris ſtomachi ex catharctico remedium.

5

Curatio doloris ſtomachi à materia frigida.

6

lidis medicamentis ventriculum iuuans, hepatis caliditatem augeas. Mitigetur itaque dolor anodynis ſupra deſcriptis : cauendum tamen ne hepatis regio fomentis illis vel vnguentis tangatur. Mitigato dolore, pilulæ exhibendæ *ex hiera, adiecto rhabarb.* Si à cerebro vero, *ſtœchadis ſyr.* digeratur. Digeſta materia aquoſa, deiiciatur cum aloë lota. At quod in tunicis ventris impactum eſt, hiera quoque perpurgatur : vel ſi valde viſcoſum, hieris maioribus. Deinde ſtomachum, vt prius, tam ſumptis quam admotis roborabimus : vt ſpeciebus arom. roſ. & ſimilibus, & cerata ſtomachica, emplaſtra, linimenta apponemus ; & inungemus : vel ſacculos iam ſæpe dictos adhibebimus : quorum copiam vide apud auctores & præcipue apud Arculanum, vel Benedictum Veronenſem, qui ea magis Latina in vſum ſuum tranſtulit. Si à bile dolor ſtomachi ; roſionibus æſtuat : ſolent autem, qui tentantur ſtomachici, interpoſitis quibuſdam diebus, hunc humorem euomere. Sed qui perſeuerat dolor perniciоſus eſt, & interdum hominem necat. Iis recte aluus ducitur, potiones abſinthij dantur : & ſi calida ſit materia, in continuato dolore potiones ex violacco & roſaceo, ſyr. nymphææ, & papauerinus, ex albo ſemine, ac calyce. Si autem bilis ventriculo innatet, vomitu euacuanda aquæ tepidæ ℥ vj. *ſyr. acetari*, ʒ i ß. *miſce*, & poſt cibum bibantur, digito inde aliquanto in os poſt & fauces immiſſo, aut penna vomitus eliciatur. Si vero ægrotus ſuapte natura non facile vomat, euacuetur ſumpta potione ſequenti : *℞. ſyr. roſ. laxatiui* ℥ i ß. *rhabarb. pulueriſati* ʒ j. *cum aqua cichorij & abſinthij* ; fiat potio, quæ hora quarta matutina ſumatur. Si vero bilis ab hepate in ventriculum per interualla tranſmitti videatur, hoc electuario vtere : *℞. diacydonij ſine ſpec.* ℥ j. *conſerv. roſ. acetoſæ ana* ℥ ß. *pul. elect. trium ſantal. diarod. abb. ana* ℈ ij ß. *cum ſyrup. ex roſ. ſiccis, fiat electuarium molle : capiat* ℥ ß. *tribus horis ante paſtum.* Extrinſecus malua iuuat *ex oleo roſarum vel violarum addita ſantalorum farina, & inungatur oleo myrteo, & cotoneorum.* Experimento valet ventris gallinacei interior membrana arefacta in farinam, ob eam cauſam, tunditur & datur. Quibus præſidiis ſi non cedat dolor, ſopori-fera non ſine metu danda ſunt. Si dolor ſit ex atrabile, iis neceſſaria geſtatio, nauigatio, ſi longus morbus eſt, ac diebus interpoſitis accedat : & ſi fieri poſſit, ex nauſea vomitus. Vitanda cruditas eſt, ſumendi cibi faciles & ſtomacho non alieni, vinumque auſterum bibendum, interea humor digerendus cum ſiliquis ſenæ, polypodio, & aliis melancholiam digerentibus ; & venter repurgandus pilulis ex hiera & indis. Deinde roborandus ſtomachus. Et ſi ex liene veniat, eius ratio quoque habenda, *vt prius dictum eſt.* Reliqua vide apud auctores.

Curatio &

bile.

9 *Doloris curatio ex atra bile.*

Animadversio.

In Scholio obſeruationis huius, Lector benigne, diximus Cardamomum à vulgaribus quõdam granum paradyſi vocatum fuiſſe. Sciendum tamen, quod granum paradyſi ſit ſemen diuerſum à cardamomo vero, quamuis pro cardamomo maiori quis accipere poſſet, cum videantur eiuſdem fere eſſe virtutis. Cæterum granum paradyſi, vulgari noſtra lingua *Greyn* appellatum, ab Arabibus vero Mellegetta, aut Millegitta dictum, à ſemine crebro, pharmacopœis tum

10

medicis satis notum, & in officinis etiam nunc ab Aromatariis frequenter venditur, & nostri quoque hoc semine in puluerem redacto aliquando cibos suos condiunt: ita vt non opus sit eius loco cardamomum sumere, cum & frequentissimum sit, & hodie magna copia ad nos aduchatur. Verum quod ad cardamomum attinet, quatuor eius species nunc in officina habentur, maius (inquam, minus, medium, ac minimum. At minus pro vero habetur ac sumitur. Quamobrem cum mentio fit in aliquibus confectionibus aromaticis de cardamomo, intelligunt cardamomum minus. Et ideo cum simpliciter cardamomum scribunt auctores, cardamomum maius, vt vsuale, accipiunt. Plura de his si desideres, vide Matthiam Lobel, in aduersariis fruticum, subfruticum, cremorum & arborum, *pag.* 445. & in obseruationibus stirpium, *pag.* 616. & commentar. Andr. Matthioli *in lib.* 1. *Dioscor. c.* 5. de cardamomo eiusque consideratione.

OBSERVATIO XXV.

De dolore ventriculi & pylori, per modum consultationis.

1 REgnerus insignis Iurisperitus & Aduocatus, quondam Pensionarius Amsteltodamensis, consilium à me petiit, de dolore ventriculi fundum occupante, paulo supra vmbilicum, diuturno & per interualla recurrente. Cui hæc scripsi: *Vt à dolore illo paulo supra vmbilicum, vir doctissime, liberari possis, quamuis medicorum illustrium multis remediis vsus fueris, radicem huius mali omnium primo inuestigare oportet. Dolor hic ex ventriculi fundo, ob repletionem & obstructionem, nascens, vno tamen tempore subinde magis affligens, quamuis raro omnino à dolore videaris plane liberatus; oriri quoque videtur etiam ab exortu intestinorum, quem ex pyloro intestinum recipit. Quidam tamen hanc non prius vocare intestinum dignantur, quam in orbes anfractusque circumuoluatur: atque ideo alij simpliciter productionem, alij cum appendice duodenum digitorum, Græci ἔκφυσιν δωδεκαδακτυλον*
2 *appellant. Cum autem hic dolor sæpe sua internalla habeat, longiusque protrahatur, locum affectum & causam diligentius indagare oportet: antequam curationem moliamur. Locus affectus, iuxta circumscriptionem doloris, videtur esse in locis iam dictis. Est in iis locis quædam obstructio seu ἐμφραξις, quæ etiam ob imbecillitatem locorum dictorum facile redit; cum loci dicti iam longo tempore affecti facile recipiunt, non tantum nouum humorem, verum etiam sua imbecillitate eundem, nempe pituitosum, gignunt vel fouent: qui cum crassior existit, diutius ibidem moratur, ac difficilius soluitur: vnde malum diutius quoque protrahitur; cuius causa etiam concoctio impeditur, quæ fit in ventriculi fundo: & sic ventriculus crudum humorem quoque dimittit ad pylorum. Atque huius consequio, videlicet ex illa materia pituitosa, etiam ventositates crassiores & tenaciores, loca affecta extendunt, vsque ad vmbilicum fere, & maiorem dolorem inferunt. Verisimile est ac concludimus, quod sit pituita inhærens fundo ventriculi, deinde quo-*
3 *que adhærens & pyloro & intestino iam dicto. Nam supernacanea quidem pituita in cerebro, in ventriculo, & in intestinis gigni consuevit: sed in cerebro tenuis & aquosa: in his vero crassa atque lenta: hæc enim peculiare est ventriculi & intestinorum excrementum, non fæx alui; quippe quæ cibi excrementum est commune: etenim cum illorum substantia frigida sit atque membranosa, crassum certe ac viscosum de se excrementum pro-*
feret; quale est pituita lenta. Hæc igitur secundum naturam gignitur concrescitque in intestinis: è quibus cernitur alias sponte fecibus circumfecta descendere, alias purgatione vel clystere manifeste deduci, alias dysenteriæ vi corradi. Quum autem partius ea vacuatur sensim aucta caloris vi, in vasis tandem crassescit, vt prorsus obstruens intestina quasi infarciat, fiatque lateritium difficiliumque morborum causa. Talem pituitam crassam 4
ego in fundo stomachi, tum intestino iam dicto collectam & adnatam esse existimo, magis tamen vno tempore, quam alio: ex qua etiam flatus gignuntur: vnde etiam tensio sentitur. Sed cum fomentum causam magis habeat ob pituitam inclusam crassamq; ; ideo hæc ipsa remediis aptis detergenda & purganda erit: deinde loca ipsa affecta roboranda quoque erunt, ne eadem gignant vel foueant, recipiant, colligantve. In curatione itaq; (vt in omni stomachi oppilatione) damnamus astringentia, & quicquid crassum humorem generat; sed potius attenuantia, aperientia, simul detergentia & incidentia, ob pituitam crassam. Erit itaque vtile oxymel simplex, etiam compositum & scyllinum, & pilulæ ex hiera. Quare cum hunc virum inuiseremus in Hagha Comitis agentem, & apozemata incidentia & detergentia, & simul pituitam expurgantia præscripsissemus, melius habere cœpit. Egregie profuit post pituitam crassam purgatam, vinum absinthites, & ceruisia absinthites; etiam stomacho exterius postea corroborato.

SCHOLIA.

DOlore vrgente, quoad possumus, cibo & po- 5
tu abstinebimus; quoniam concoctio bona esse nequit. Postea dabimus cibos tenues, & qui vim extenuandi habeant: eritque exiguo potu contentus æger, & meraciore; vitabitque frigus in toto corpore, sed extremis præsertim: & cum materia adhuc absit vna cum dolore & flatu propter obstructionem; licet fomenta (*de quib. paulo ante diximus*) dolorem sedent & insensibiliter vacuent, nequaquam iis vtemur in hoc casu; quoniam affectum magis proritant, vbi adsit talis oppilatio & materia infixa est, vomitu non educemus, cum illud adeo crassum sit, vt educi non possit, nisi prius extenuatum fuerit, & viæ apertæ. Transitum vero inter lienem & stomachum, si ibi adsit oppilatio, iis parare debemus: de qua agemus, cum de ictericis atris loquemur; & de iis, quæ ad lienis tumores faciant. Bilis autem atra repurganda, ac ne eadem regeneretur, victus rationem emendabimus. Si via quoque inter stomachum ac bilis folliculum, ex morbi regij curatione, præclusa fuerit, remedia perquiremus, sicuti ad intestina, vbi præclusus transitus est, ab iliacis & colicis doloribus. Ita & iis vtemur, quæ vias inter iecur & stomachum, vel mesentericarum poros aperiunt; humores incidendo, si crassi sint, & detergendo & repurgando. Durescit & interdum stomachus sine absessus vitio: vnde ægre in coquendo rugas contrahit, maleque digerit. Ex frigore oritur, aut materia frigida in tunicularum meatibus combibita, atque in altera earum infixa. Verum interior magis officit, apostemati quam simillima duro: in eo tactus durus est, difficulterque inclinatur æger: nam in poris tenuibus malum insitum est: tum demum styptica dissoluentibus vtendum: & in duritia sine absessu has potiones vtiliter damus, *ex mentha, calamintha, & absinthio, & catapotia, ex hiera cum agarico*: & emplastrum vtiliter imposuimus *ex*

ex mastiche, croco, meliloto, spica, bdellio, cera, & oleo lilino, vel oleo ex violis lucis. At de dolore ex absessu calido, vel frigido, & ob stomachi vomicam, postea latius.

OBSERVATIO XXVI.

De dolore stomachi ex casu oborto.

QVidam Sacerdos (*cui nomen erat Gerardus Backerus*) Alcmariæ in via Regia dicta habitans, cum anno 1546. è scala cecidisset, cubiti radium fregit: quem chirurgus tractabat. Huic autem post octo dies superuenit stomachi dolor vehementior, & totum pectus occupans. Lotium huic crudum erat; non febricitabat. Ideo hunc syrupum propinaui. ℞. *oxymelitis simplicis* ℥ j ß. *aquæ hyssopi, fœniculi, scabiosæ ana* ℥ j. *misce*: & cum aluum non deponeret, ita eundem purgaui: ℞. *diacatholici* ʒ vj. *cassiæ recens extractæ* ʒ ij. *mummiæ* ℈ j ß. *dissol.* ℥ iij. *decoct. pectoral. addendo syr. capill. vener.* ℥ j. *misce*. Et sexties aluum deposuit, & dolor magna ex parte cessauit. Et sequenti die, cum adhuc aluum deponeret, cyathum vnum ioris pulli dedi. Cum adhuc exiguus dolor in stomacho permaneret cum appetitus deiectione, hoc vngu-
2 inuncto dolor cessauit: & ventriculo corroborato appetitus rediit. ℞. *olei mastichini* ℥ j. *olei absinthij, menthacei ana* ʒ ij *flor. ros. rub. pulueris atorum, corticum granat. coralli rubei, cinnamomi, masticis ana* ℈ j. *ceræ exiguum.* Fiat vnguentum. Quibus præstitis à dolore fuit in totum liberatus.

SCHOLIA.

2 HIc dolor licet post octo dies à casu prius ægrum affligebat, non est dubitandum, quin aliquo modo cadens à scala stomachum læserit, & si nos in principio fuissemus acciti, ea de causa sanguinem detraxissemus: sed quia lotium nunc crudum erat, & aluus resistebat, hæc purgatio satis ad rem fecit. Quomodocumque stomachus lædatur siue casu; siue offensione, siue percussione, vel ictu: periculosum est. Nam refert Alexander Benedictus Veronensis, lib. 11. cap. 9. *ex ictu, propter membri nobilitatem permultos protinus fuisse mortuos.* De dolore stomachi ex lapidis vel alterius ictu. *Nonimus*, inquit Beniuenius libro suo de abditis causis morborum capit. 115. *fullonem quendam nomine Petrum, qui vnico pugno stomacho cuiusdam iuuenis violentius impetito, hominem interemit.* Cæterum in eiusmodi casu inediæger continendus est, ac protinus sanguis demendus est ex iecoraria vena, modo vires ferant: in cibo ptisana vel alica danda
3 est sine vino: aluus singulis diebus mollienda est ac materia extrema auertenda est. Alij suadent leniter astringentia dari in cibo & potu. Et quandoque ex eo ictu sanguis erumpit: prodest rhabarb. cum vino styptico vel rubrica lemnia, emplastro imposito ex farina hordeacea; scilicet ℥ iij. *ladani* ℥ ß. *ros.* ʒ iij. *aloes* ʒ vj. *cum succo plantaginis & oleo lilin.* Si sanguis cõglobatus sit, curetur vt iam alias dictum est. Interea quoque sciendum, quod stomachus interdum vulneratur, aut compungitur, aut mordaci humore exulceratur: vel scinditur: sed incaute acicula acuta deuorata, vel acu vel vitro: quandoque perforatur & vento: *vt prius diximus.*, aliquando intus incluso, magno distenditur cruciatu. Vidimus (*inquit Alexander Benedictus Veronensis lib.* 11. *cap.* 7.) mulieres duas, quæ acus pariter crinales vitri frusta, capillosque (*vt nos quoque vidimus.*) vomita reiecerunt: quarum altera, *vt refert idem Benedictus*, exanimata interiit, altera tres ingentes caudæ caninæ arefactos nodos euomuit, qua ratione, aut quomodo prius ea hauserint veneficia, in dubio est. Sic nos quoque vidimus pannum, clauos, ferramenta, & nescio quæ vomitu non reiecta. Sic etiam Beniuenius. De abditis morborum causis scribit capite 20. *Mulierem quandam, æneam acum deuorasse, quæ nulla inde noxa percepta, integrum annum, ita vt erat sana, permansit. Quo peracto cœpit dolor satis acutus mulierem ipsam circa ventriculum vrgere. Cum remedia à diuersis medicis nihil proficerent, & sic annis iam decem tali dolore, miseram vitam traheret, ecce acus illa terebrato ventriculo, e paruo demissa foramine prosiliit.* Quam acum Beniuenius vidit, & mulierem curauit, quæ paucis post diebus, vnitate vulneris facta, in pristinam sanitatem restituta est. Accidit & huic, quod Ioannes Langius epistol. 40. lib. 2. refert, *in gynæcio*, ait, *Ducis Iuliacensis, virgo dum sese exornaret, pertertia ingemiscens, acus quinque quas in ore mordicus tenebat, deglutiuit, & per vrinam illæsa easdem reddidit.* Idem Benedictus Veronensis refert de virgine veneta *lib.* 2. *cap.* 9. & causam huius reddit *lib.* 5. *cap.* 13. in suis Anatomicis libris. Ergo quoque vidi mulierem Delphensem, in insigni calcaris, ad quam accitus sum cum altero medico: quæ cum in gutture doleret: Chirurgus incaute stylo immisso (vulgo *probam* vocant) ferreo è manibus elapso in ventriculum: sæpe dolore tenebatur, & paulatim macie consumpta, cum præsidia hic nihil iuuare possent, tandem obiit. Vti & iuuenis quoque Harlemensis, qui cum squillas (vulgari nomine *garnaren* dictas) circa oceanum mare cum puellis luderet, deglutisset viuas, oborto dolore in ventriculo: hic quoque mortuus est. Cæterum illis qui ex veneficio acus & alia enormia reiiciunt, tum crines, quidam genistæ flores recentes aut arefactos in potu dedere, vt concitatis vomitionibus, omnia ex faucibus erumpant. Nos quoque vidimus puellam Delphis in ventriculo dolentem, per inferiora modo excrementa, picis instar nigra, vti saponem excreuisse, & lapillos & ossium frusta etiam per vomitum: quæ longo tempore laborans, & macilentior facta, tandem etiam interiit. Ea vulnera aut alteram tunicarum duntaxat lædunt, aut ambas lacerant. Latiora stomachi vulnera, quæ pro Hippocratis sententia exitialia sunt, singultus & bilis vomitus sequitur, sanguisque per aluum interdum: & si quid cibi vel potionis assumptum est, ex patefacto vulnere redditur: venarum subinde pulsus elanguescunt, sudores tenues oriuntur, per quos extremæ partes exitialiter frigescunt. Signa tunicæ interioris læsæ sunt, dolor vehemens, assumpto aceto so aliquo, vel acuto, vel falso: tum vomitus, aut excrementa sanguinea, tumet deinde venter, ac dolet, non sine febre. At si circa os stomachi punctura fuerit aut vulnus, vbi malum granatum est, in anteriori parte, ad decimum tertium spondylion vehemens dolor infigitur, vel magis aliquo acuto assumpto, tum anhelitus difficilior redditur, animus linquit, sudore extremorum pergelido. At si vna ventris pars percussa fuerit, minus periculi facit: tum supra vmbilicum dolor habetur: & aluus sanguinea reddit. At in medio si offenditur venter, inter vtrumque augurium est. Leues stomachi ictus, Galeni verbis sanari possunt. *Æger primum temperato conclaui: non in plano, sine, vento, fumoque collocandus est, animo securus, sine multo sermone, sed tacitus quiescat, vel resupinus dormiat.* Cibus liquidus damnatur; quippe plurimus, ac difficilis concoctionis: laudatur stypticus, aridiusculæ substantiæ,

Prognostica & signa partis ventriculi læsæ.

Curatio.

ſtantiæ, non multi alimenti, & ad ſeptimum vſque diem à vini potione abſtineat. Exactis ſeptem diebus, ſtypticum nigrum extincti ſæpius chalybis aqua dilutum, prodeſt: quo nec nimium à ſiti vindicari debet, ante ſeptimum: ex eadem aqua: cum ſyr. roſato; aut rhodo zaccharo vetere, vel cum ſyrup. myrtino interdum bibat, & parcius: tum & vinum mali punici, ſaporis medij, modice bibat. Aluus, iniecta glande oneranda eſt, aut clyſtere mollienda. Eo membro vulnerato, ſanguinis protinus miſſio neceſſaria eſt, aut vētris lenis deiectio, *ex aloe lota: ac rhabarb. torrefacto, aut myrob. citrinis.* Vomitus hic damnatur. Aut ſi humore mordaciori contigerit malum, eundem matutinis potionibus præparabis, ac deinde cathartico perpurgabis: deinde iis, quæ leuiter vulnera agglutinant, dabis: nec differendum eſt: mora enim difficiliora redduntur vulnera. Profundiora ſtypticis ſanantur *balauſt. plantag. roſ. & ſimilibus.* Agglutinantia ſtyptica ſunt, *terra Lemnia, bolus Armen. thus, maſtix, tragac. aut emplaſtra extrinſecus impoſita.* Sed quia hæc ad chirurgiam pertinent, ex iis petenda, quæ & vulnera ventriculo extrinſecus inflata ſanant.

Agglutinantia ſtyptica.

OBSERVATIO XXVII.

De Stomachi dolore, à parte dorſi poſteriore ad anteriorem tranſeunte.

IVenis quidam Delphenſis, Ioannes Vanderanus dictus, intenſiſſimo dolore dorſi afficiebatur, è regione ipſius ſtomachi, tanquam pugione perforaretur, cum ingenti clamore. Dolor autem à parte poſteriori incipiens in dorſo, ad partem anteriorem ſtomachi tranſibat, cum maxima difficultate anhelitus: ita vt ex punctione vehementiore, tum dolore ſuffocari videretur. Ad hunc in nocte accitus ſum: cum ſine febre eſſet, cum pulſu æquali, licet parum veloci, & vtcunque magno, minime tamen duro: & vrina tenuis, cruda, parumque ſubſpicea ſpectaretur, nequaquam tincta *decoct. flor. chamæmill.* ℥ iij. *& ſyr. ex infuſ. roſa.* ℥ j. exhibuimus, & quia tempus valde frigidum erat, inunximus tam partem poſteriorem, quam anteriorem oleo anethino, & chamæmelino. Mane cum rediiſſem, licet melius dormierat, dolor tamen nondum erat ſedatus. Ideo hanc potionem ſequentem propinaui, ℞. *folior. ſenæ* ℥ iij. *ſeminis aniſi* ℥ ß. *bulliant in* ℥ v. *decoct. pector. d. & fortiſſ. expreſſ. adde electuarij lenit. ſyrup. ex infuſ. roſ. ana* ℥ ß. *miſce.* qua ter quaterve ventrem deiecit: ac poſt excrementa deiecta, & ructibus emiſſis, illico hic dolor ſedatus eſt.

Scholia.

DOlor ſtomachi non ſemper in parte anteriore hæret: ſed etiam è regione ventriculi dorſum fatigat: vt ſæpe vſu venit, cum dorſo incumbat: quemadmodum etiam eueniſſe Mariæ Comitiſſæ illuſtri, filiæ Domini Principis conſtat, cum de tali dolore & inappetentia apud me conquereretur. Valde etiam quidam, ſi dolor ſit in parte anteriore, dorſum quoque inungunt, vel cataplaſmata applicant: quod & nos frequenter cum magna vtilitate fecimus. At alij cuidam, qui ſimili dolore afficiebatur, vomitorium medicamentum dedimus, & egregie cōtuli. Refert Amatus *Centur. 1. curat. 73. de ingenti ventriculi dolore: Venerabilis Abbas, inquit, cum grauiſſimo ventriculi dolore infeſtaretur, vt alta voce exclamaret: poſt multa adhibita remedia, vomitorium ex helleboro illi propinare uimus: quo alba quædam ouorum albo ſimilia euomuit, & ſanus illico factus eſt,* veluti nobilis quidam Neapolitanus, qui cum ſimili dolore premeretur, poſt ebibitam integram libram aquæ florum Naraziorum tepidam, ſimilia euomuit, & ſanus factus fuit.

OBSERVATIO XXVIII.

De ventriculi dolore ab aſſumpto veneno.

IN pago quodam non procul à ciuitate Pithurienſi, in qua vrbe tunc praxin exercebam, iuuenis exiſtens, cum ex Italia, ex Iacobi Syluij medici Regij commendatione Anno 1545. Pithueros acceſſiſſem: eo tempore tres comederant ex vno paſtillo, & veneno infecti ſunt, atque omnes dolore intenſiſſimo circa ſtomachum cortipiebantur. Vnus autem ex iis lotium ad me miſit, quod cum ſpectaſſem, tenuis ſubſtantiæ erat & viridis coloris: ſuſpicionem veneni præbens. Nam vtina viridis, *teſte Auicenna lib. 1. fen. 1. ſumma 2. doct. 3. c. de ſignificatione vrinæ viridis.* Spaſmum in pueris ſignificat, aut venenum in potu ſumptum: & ſi fuerit in ea hypoſtaſis, ſpes erit vitæ: alioqui metuin incutit. Cum is, qui vrinam adferebat, rem geſtam narraret, magis ſuſpicionem angebat. Præſcribo itaque vomitorium medicamentum, & vt ſimul pinguia deuoraret, quibus, vt poſtea intelleximus, ſtatim ab omni dolore euaſit, & curatus fuit. Alter vero, antequam conſilium peteret, ſubito interiit. Tertius autem cum intellexerat priorem per me ſanatum, tardius tamen & ille lotium ad me tranſmiſit, in re tam ſeria ludens. Huic quoque vomitorium præſcr.ptum eſt, ex decocto raphani & oxymelite, vel ſimili, & ſumpta theriaca, & hic conualuit. Eſt enim theriaca commune remedium contra venenum ſumptum: proprium antidotum præſcribere non poteram, cum non ſcirem, cuius generis venenum eſſet. Quibus remediis conſopito ſtomachi dolore: vterque curatus eſt.

Scholia.

VEniebat eo tempore mihi in mentem hiſtoria illa, quæ anno 1538. menſe Iulio Bononiæ contigerat: de tribus fratribus nobilibus & valde diuitibus, in vnis ædibus, cohabitantibus, & duobus vxorem & liberos habentibus. Quorum fratrum natu minimus, neſcio quo odio aut ſimultate, vel hæreditatis deſiderio impulſus, duos fratres, tum vxores ac liberos veneno perdere decreuit, & fere totam familiam perdidit, arſenico in vini cadum iniecto, ex quo bibebant ignari. Poſtquam longo tempore ex eo vino bibiſſent: cœperunt tandem veneni ſymptomata in ventriculo ac ventre & venis perſentiſcere. Quando & amicorum quidam ab iiſdem conuiuio excepti deprompto ex eodem cado ſeu vaſe vinum liberalius bibiſſent, ſtatim & illi, vbi domum redeunt, dolorem & puncturam in ventriculo ſentiebant: atque mordacitatem quandam & corroſionem & inextinguibilem ſitim tandem ſenſerunt, nam hæc plerumque ſunt ſymptomata arſenici: eſt enim calidum & ſiccum, *vt refert Auicenna cap. proprio.* Horum vnus ſuborta veneni ſuſpicione, ſtatim epoto oleo euomuit, & liberatus eſt: adiit tamen ad propinquos, eos de veneficio inſimulans. Hi ſe excuſant, atque ſimiliter iam dies aliquot ſe affligi

affligi queruntur. Excuſſis exploratiſq; omnib. denique in cado vinario arſenicum inueniunt, quod in fundo cruſtas effecerat. Comperta re ſtatim medici accerſuntur. Cum iam malum in venas graſſari cœpiſſet, & putredinem vnà cum febre creauiſſet, Dominus Matthæus Curtius, medicorum in Italia tunc facile primus, conſuluit ad reprimendam putredinem, intentionem exſiccandi habendam. Ergo *bolum Armen. cum zaccharo roſato*, exhibuit item *ſyrup. de corticibus citri, acetoſum, limones, aranciorum & granatorum ſuccum*, & id genus acidorum per ſe edere, tum cibis miſcere ſuſſit. Quod ſi inter initia, dum adhuc in ventriculo venenum hæreret, fuiſſet vocatus, humectantia & lubricantia conducere dicebat, ad expellendum vel vomitu, vel alui deiectione: periere ex iſto veneno tres. Hiſpanus tamen medicus, qui adhuc meo tempore viuebat, cum Bononiæ ageret, quem & ſæpe in praxi comitabar, cum conſilia haberentur, humectatiua & infrigidatiua intentione vtendum eſſe ſuadebat, & iis dabat, quibus in hoc caſu ſuccurebat, pharmacum ex *agar. trochiſc.* ℥ j ß. *rhabarb. tantumdem, diacaſſiæ* ℥ *vj. elect. de ſuccoroſar.* ℈ iiij *ſacchari* ℥ j. Hæc iuueni robuſto viro exhibita bene eduxerunt, & eundem febre probe liberarunt. Agaricum tamen in aqua nenupharis infudit, & eam expreſſam miſcuit. At tormina quæ in inteſtinis manſerant, clyſteribus lubrificantibus eſt vſus. De veneno pulcherrimus eſt locus apud Galen. *de loc. affect. lib. 6. cap. 5.* vbi inter reliqua, ita inquit de veneno per os aſſumpto. *Cum enim homo ſuapte natura probis humoribus abundans, ac ſanorum more educatus, derepente moritur* (vt lethali aſſumpto veneno fieri ſolet) *deinde corpus aut liuens, aut nigricans, aut varium eſſe, aut diffluens conſpicitur, aut præ marcore fœdum, moleſtumque reddit odorem, tunc venenum ſumpſiſſe aiunt.* Memini ego puerum apud Delphenſes, cum pultem ex arſenico, qua glyres interficiuntur, incaute ſumpſiſſet, ſolo vomitorio ex oleo & iuſculo pulli venenum euomendo ſtatim curatum fuiſſe. Solent in Italia in principio hauſti veneni aſſidue lac bibere, cum oleo amygd. dulc. Et hoc quidem iam ſæpe expertum eſt Auicennæ *De cura icteritiæ in fine* decerptum. Ego ſolo oleo amygd. dulc. epoto cum ceruiſia butyracea in multis vſus ſum, quos caraui: *de quibus ſuo loco dicemus cum de venenis agemus.* Narrat Amatus *cent. 2. curat. 65.* de puero, qui epoto arſenico poſt annum prius obierit. At ego noui, qui multos annos ſuperuixere: ſed in magna miſeria, cruribus reſolutis, vt vix incedere poſſent? & mulierem poſt duos annos tandem vita orbatam. Ita & Religioſa quædam Delphis veneno infecta, longo tempore, ſed miſere, ſuperuixit.

OBSERVATIO XXIX.

De ventriculi dolore ex obſtructione hepatis, & vteri inflatione.

ELiſabetha Guilelmi, 36. annos nata, vxor Ioannis Stopij, Alcmariæ anno 1551. dolore intolerabili ventriculi afficiebatur, & circa hypochondrion dolebat, partim ab hepatis obſtructione, partim ab vteri inflatione, qui dolor admodum vehemens ab imo ventre vſque ad ſtomachum aſcendebat, quæ eiuſmodi doloribus alias obnoxia ex ventoſitate: quibus valde angebatur. Ad illam ingreſſus, libenter enema inieciſſem: ſed cum nullo modo admitteret, decocto ſequenti bis in die vtebatur: cum aluus reſiſteret, ℞. *ſcabioſæ, fœniculi cum toto: viol. capill. ven. meliſſæ florum chamæmillæ, meliloti, anam. j. caſſuthæ, agrimoniæ* (ob hepatis oppilationem) *anam. ß. rad. glycyr.* ℥ ß. *ſemin. aniſi, carui, ameos, ana* ℥ j. *ſemin. fœniculi* ℥ ß. *flor. cord. p. j. follicul. ſenæ* ℥ j. *epythimi* ℥ iij. *polypod. quer.* ℥ ß. *prun. damaſ. num. xv. uuar. ab avell. repurg.* ℥ j. *hordei mundati p. j. iuiubar. febeſten, ana num. v. coquantur in ſero lactis, pro* ℔ j ß. *zaccharo dulcoretur colatura*: in qua pendeat globulus ſequens, exprimendus tum potio ſumeretur. ℞. *rhabarb. ſelecti* ℥ j. (erat enim ipſa magna ex parte biliosa, quamuis nunc etiam pituita præcipue erat collecta) *agarici trochiſc.* ℥ ß. *ſpicæ, ſchœnanthi ana gran. vj. fiat nodulus.* Aluus vtcumque eo decocto ſoluebatur, dolor tamen non ſedabatur. Locū igitur dolēti inunximus vng. ſequenti, prius fomento infraſcripto vtentes. ℞. *vnguenti noſtri pectoral. dialthææ, olei chamæmelini, anethini ana* ℥ ß. *miſce.* ℞. *rad. althææ* ℥ ß. *folior. maluæ, flor. chamæmillæ, meliloti ana m. j. artemiſiæ, abſinthij, caſſuthæ, anam. j. ſem. lini, fœnugr. maluæ, aniſi, ana* ℥ j. *ſem. fœniculi* ℥ j. *coquantur in aqua pro* ℔ j ß. *pro fotu in fine decoct. addendo vini Rhenenſis optimi parum & aceti* ℥ j ß. Quo & hipochondrium dextrum & ventriculus, & imum ventris circa vterum fouebantur cum ſpongia calide immerſa & expreſſa. Et aliquo modo dolor remiſſus eſt. Verum cum rurſus aluum non deponeret, hoc modo illam purgauimus. ℞. *diacatholici* ℥ ß. *diaphœnici* ℥ ij. *agarici trochiſc.* ℥ ß. *pul. zinzib. gran.* ij. *diſſolue cum* ℥ iiij. *decoct. ſuprascriptæ.* In aurora cum ſumpſiſſet, egregie aluum depoſuit, multa pituitoſa deiecit, & emiſſis multis ventoſitatibus, dolor ſedatus eſt. Die ſubſequente tamen rediit, & cum balano rurſus aluum depoſuiſſet, rurſus ſequenti fomento vſi ſumus: ℞. *flor. meliloti, chamæmill. anam. ij. artheməiſiæ m. j. abſinthij p. j. rad. althææ* ℥ ij. *ſem. fœnugr.* ℥ j ß. *fem. aniſi: fœniculi, malu. ana* ℥ j. *aceti* ℥ ij. *coquantur in aqua communi pro fotu*: etiam hoc deinde emplaſtro infra vmbilicum impoſito verſus dextram partem, vbi tunc dolor erat. *Recipe flor. meliloti, chamæmill. ſummitatum anethi cum flor. anam. j. ſem. maluæ* ℥ ij. *ſemin. fœniculi* ℥ j ß. *rad. althææ* ℥ iij. *coctis in aqua ad mollitudinem & contuſis adde farinæ ſeminis lini, fœnugræci ana* ℥ ß. *olei lilior. amyg. dulc. ana* ℥ j ß. *olei anethini, chamæmill. ſcorpionis ana* ℥ ß. *miſce.* Ventriculus tunc minus dolebat: ſed magis dolor erat circa imum ventrem, verſus dextram partem, ſed inferius, vt locum hepatis non attingeret. Interim pro corroboratione ſtomachi cum oleo abſinthij, ventriculi regionem inunximus. Vrina huic minime inflammata erat: ideo obſtructio illa, quæ in hepate erat, potius erat ex humoribus frigidis quam calidis: & quia dolor ad vreteres tenderet, verſus inguina, etiam ad regionem renum; ideo commode aliquid olei ſcorpionis adiecimus: & egregie profuit, & liberata ab illa obſtructione: quæ locos dictos affligebat, plurimum lotij profundebat, & tandem cataplaſmate ſeu emplaſtro appoſito, dolor iterum ceſſauit. Interea his tabulis vtebatur. *Recipe ſpecier. diacimini trionſant.* (vt hepar minus calfieret) *ana* ℈ ij. *diāb.* (ob vterum) *ſpecier. arom. roſ.* ob ſtomachum, *ana* ℈ ß. *diſſolutis in aqua artemiſiæ & abſinthij, adiect. zacch. albiſſ. q. ſ. fiat confectio in rotulis, ponderantibus* ℥ iij. ſumebat ante ſpaſtum per ij. horas, dolore non amplius redeunte. Eodem fere tempore alia mulier, illius quoque vicina, iiſdem malis cum affligeretur, iiſdem fere præſidiis, vel parum immutatis, & hæc ſimiliter conualuit.

Scho-

Scholia.

5 DOlor ventriculi si ex vitio aliorum membrorum fiat, siue ex vtero, iecore, liene, patet ex iam dictis: quod illis mẽbris prospicere oporteat: & in qua minera mali, seu materia lateat, & ad ventriculum transferatur: primo tollenda est: & quia hic erat materia frigida atque flatuosa, & eductu difficilior, cum dolor quidem remitteretur, sed postea rursus rediret, repetenda erat purgatio. Interea & ventriculi quoque ratio habenda erat: eundem roborando oleo absinthij exterius inuncto, ne vapores flatuosos reciperet. Ideo & diaciminum & arom. ros. conueniebat. Quare cum talis morbus aliquando per interualla huic mulieri reuerteretur, de præseruatione consului, vt optimam victus rationem institueret: vt minus pituitæ gigneretur, neque ventositas accederet ex iis quæ fomitem præbeant: quare imperaui vt omnia frigida & crassa vitaret olera, carnes vetulas, duras, & molles nimium, fructusque frigidos, legumina, & vt somnos longiores fugeret & vigilias super fluas, quæque viscera grauant: vt & extrema membra ac ventrem potius calida conseruaret quam frigida, præcipue pedes, & iis vteretur, quæ flatus discuterent: & pituitam attenuarent modice, non tamen valde calfacientibus, ob hepatis caliditatem. Et ita nunc fere omnes dolores stomachi absoluimus: quibus distinctis remedia sunt petenda ab affectibus supra enumeratis. Quod si dolor fiat à nimio sensu vt qui facile in animi defectionem incidunt, non erit præter rationem imperare vsum theriacæ recentis, factis quibusdam prius euacuationibus per clysteres & pilulas conuenientes. Cæterum si dolor fiat ab inflammatione, apostemate, abscessu, vel vomica, aut vlcere stomachi, de iis nunc per ordinem dicemus: cum seorsim de iisdem tractandum sit.

Dolor à nimio sensu quomodo curetur.

OBSERVATIO XXX.

De ventriculi phlegmone seu inflammatione.

1 CVm stomachus, veluti cæteræ corporis partes, inflammatione tentari possit, modo in ore ventriculi, *vt in* 1. *obs. huius libri diximus*, modo in alia quauis ventriculi parte: id ex dolore simul cum positu dignosci potest: quæ pars affecta sit: similiter & ex proprij eiusdem partis muneris oblæsione: appetentiæ, si quidem in ore ventriculi; concoctionis autem, si in eius cauitate excitetur. Sic iuuenis occurrit, qui nobis proponebatur curandus: qui cum continuo febricitaret, ac lotium valde rubrum haberet, dolorque immensus ac assiduus in ventriculo adesset, qui nullis medicamentis admotis mitigari poterat, tumorem manifeste conspiciens; & æstum tactu percipiens, cum & manifesta grauitas ei aderat, simul & febris continua, vt diximus (*quæ omnia inflammationis ventriculi signa sunt*) inflammationem adesse percepi. Quare tenui & exquisito victu præscripto, *vt Galen. monet lib.* 13. *Method.* ptisanæ cremore contenti, à carnibus, vino & aliis cibis calidis abstinuimus, potuque aquæ hordei mundati & glycyr. vtentes, malisque acidis, aeremque temperatum seu parum ad frigidum vrgentem, elegimus, & somnum moderatum aut paulo breuiorẽ admisimus: nam si longior fiat, quam oportet, potius inflammatio augeretur, detento simul in tali somno intus non solum præternaturam calido innato, sed alieno, & eo qui præternaturã est ad quorum detentionem non immerito inflammatio (*vt diximus*) augeretur. Similiter quietem inunximus, & vt motum omnem vitaret præcepimus. Nam prima sunt in curatione ipsa (*teste Celso cap.* 4 *lib.* 4.) quies & abstinentia: ideo & immodici animi affectus non parum nocent, & propterea vitandi sunt. Et hac quoque de causa mandauimus vt parum loqueretur. Quod ad medicamenta attinet, confestim, cum nihil prohiberet, ex vena interna cubiti dextri sanguinem vtcunque detrahere iussimus. Deinde *oleo rosaceo, cotoneorum, puluere rosa. siccarum adiecto, vel huius aemulo, cum panca cera*, ventriculum inunximus. Purgationem eo tempore non dedimus, cum in principio essemus: sed frictionibus & ligaturis ad diuersionem commode vtebamur: & si aluum non redderet, vt lenibus clysteribus ea tantum leniretur, consulimus, mox & fotu ex *floribus ros. rubear. absinthij Romani, & portulacæ decocto parato*, vt vteretur præcepi, & vt per os exhiberetur id quod sequitur. *Recipe syr. de end. ex succo acetosæ, syr. de vibes ana* ℥ j. *aquæ plantag. ros. acetosæ ana* ℥ iij. *vini granat. acetosæ* ℥ j. *misce pro iuleb.* tam ob sitim, quam febrem. Postea cum materia magis fluxa esset, ne aliqua sumeret, quæ intus materiam constringere possent. Quare & hunc syr. vel similem cepit. ℞. *syr. viol. ex infus. rosar. rub. syr. de aceto, citri ana* ℥ j. *aquæ end. cichor. borag. ana* ℥ j ß. *aquæ absinthij, fœniculi ana* ℥ ß. *misce pro* ij. *dosibus.* Et nunc prius pro leui purgatione cassia accepta, quam antea dare tutum non erat. Oleis suprascriptis *olei chamæmill. & absinthij parum* addidimus. Fotum quoque adhibuimus *ex floribus chamæmillæ, meliloti, rosa, absinthij, viol. maluæ rad. althææ, & sem. fumach. decoctis in aqua rosa. & chamæmillæ, addito in fine panco aceto*: & dolore sedato, inflammatio cessauit, tum febris ipsa, apostematis resolutione facta. Tunc quoque præscriptum, ad ventriculi roborationem *diarod. abb. in tabulis*, & perfecte conualuit. Venit tunc mihi in mentem historia illa Amati de mercatore, quem Anconæ curauit, qui in ore ventriculi inflammationem patiebatur: qui sæuissimus alioqui morbus sæpe est: à quo qui euadũt Iouis filij, & albæ cornicis dicendi sũt. Leni itaque clystere sæcibus eductis internam venã dextri brachij pertundere iussit, sanguine ad vncias decem extracto, & loco dolenti sequentia apposuit ℞. *olei cydon. myrtill. ana* ℥ ß. *pul. myrob. citrin* ℥ j. *boli Armen.* ℥ ß. *coque tepide locus affect. inungebatur.* At cum his parum proficeret, & dolor ingens, cum anxietatibus & nausea perseueraret, ex eodem vulnere brachij iterum sanguis missio ad vncias octo repetita fuit: & emplastrum hoc admotum. ℞. *farinæ hordei* ℥ j. *ros. rub. siccar. sant. rub. ana* ℥ ß. *pul. sumachiorum, hypocystid. ana* ℥ ij. *olei rosa. omphacini, succi omphacii, id est agrestæ* ℥ ß. *cum succo end. & ros. q. s. fiat emplastrum*: quod sic frigidum, ob intensam caliditatem, dolenti loco admouebat, & sæpe innouabat: quo vir ille melius habere cœpit, neque dolor ita intense eundem vexabat. Porro vt aluus singulis diebus responderet, admodum sollicitus erat præcipue lenibus clysteribus, vt hoc sequenti. ℞. *iuris pulli, decocti maluar.* ℥ xv. *olei ros. viol. ana* ℥ ij. *vitelli ouorum numer.* ij. *zucch.* ℥ j ß. *cass. extractæ* ℥ j. *salis communis* ℥ j: *misce: fiat clyster.* Elapsis vero quinque diebus: locus, vt antea, male affectus, fomento ex ros. & chamæmilla parato fouebatur: ac postea hoc aliud emplastrum apponebatur. *Recipe acanthi, id est brancæ vrsinæ, rosa. rub. rad. maluauisci ana p.* j. *in aqua fiat decoctio: & abiecta aqua in mortario marmoreo,*

moreo omnia optime pistentur, quibus adde farinæ hordei, chamæmillæ, seminis lini, fœnug. ana ℥ ß. *santal. rub. alb. ana* ℥ ij. *cum oleo ros. & chamæmelino, & panca capi pinguedine fiat, emplastrum, & loco dolenti tepidum admotum fuit.* Tertio die post admotionem emplastri, ruptus & phlegmon, & æger per vomitum saniei parum reiecit: veluti per egestiones: se tunc multo melius habere sensit. Sequentibus aquam mellis ad vlcus lauandum bibebat: cui quãdoque thuris mannam, Galeni consilio miscebat: quibus intra 20. dies sanitatem obtinuit. Cibus huic ptisana erat ad octo præcipue priores dies, cuius vice ad amygd. multa destillatitia rosacea paratum, quandoque veniebat: postea vero ius pulli gallinacei ille largiebatur, aut ex eo paratam panatellam: vel eius carnibus continuatum contusum. Potus vero aquæ hordei per se, aut mixtum illi granatorum vinum erat. Sed & aër circumdans, frigidus quoque erat. Hæc Amatus *cent. 3. curat. 93.* At iuuenis de quo prius dictum, per modum resolutionis curatus; ruptionem non fuit expertus.

Scholia.

7 VEntriculus secundum suas tunicas, siue internam, siue externam, potest pati tumores præter naturam; & præcipue phlegmonem: quam quidam volunt fieri ex calidis succis, vt ex sanguine, vel ex bile, vel ex vtroque humore permixto; idque in ore ventriculi, vel in alia quauis eius parte: quam ex dolore simul cum positu dignosci volunt (*vt paulo ante diximus*) & ex propriis eiusdem partis muneris oblæsione, appetentiæ si quidem in ore ventriculi: concoctionis in eius cauitate. At quod ipse morbus compositus sit in magnitudine primo, & secundo intemperie, & tertio in soluta continuitate, patet apud Galenum, *lib. de diff. morb. tum* 3. *de temper. lib. de inæquali intemperie, ac reliquis pleriſque locis.* Quapropter non abs re eam insequuntur: tumor præter naturam grauitatis, ac multi caloris sensus & dolor circa partem affectam. Accedunt ad hæc sitis valida & febris ardens. Tumor autem & calor etiam tactu à medico iudicari queũt. Nausea quoque consequetur, propterea quod inflammationis causa in ventriculi tunicis cõtineatur. Verum vbi biliosus magis reduadet succus, ita vt inflammatio erysipelatis naturam referat, vehemens erit ardor, sitis immoderatior, ac ardentissima febris: 8 sed minor tumor ac grauitas. Ex quibus etiam signis interstingui poterit diuersa causa eiusdem inflammationis: præcedente victus ratione, ætate, temperamento, anni tempore, ac reliquis non prætermissis. Est omnium horũ tumorum eadem generatio, scilicet ex superuacuæ materiæ affluxu, siue ab initio inutilis sit, siue vtilis sua natura, sed parte molesta. Influit autem generatim per venas, per quas nutritur. Quod si sanguis sit, primum maiores tenduntur, mox minores, donec resudat in ipsam carnem humor, eamque spongiæ ritu madidam reddit, ac spatia quæ fibras interiacent, & in quibus arteriæ non mouentur, replẽt: vnde durus repletione tumor fit & tensio, & renititur comprimenti, & dolor adest. Calor vero tum ex natura humoris gignitur: tum quia collectum in arcto loco impactũ, non transpirat: vnde necessario putrescit. Putredo vero calorem gignit: qui in ea parte sit, quæ vel ob vicinitatem, vel ob præstantiam cordi calorem communicare potest, febrem facit, aut ephemeram aut putridam prout maior vel minor est communicantia. Vnde

Partis affectæ dignotio

Quis affectus præter naturam sit in inflammatione.

Eiusdem inflammationis signa.

Causæ

Vnde tumor tensio & dolor ac calor.

Vnde febris

10. *Method.* 6. febres ex phlegmone aliquo modo dici possunt putridæ, si causam respicias, licet re vera sint ephemeræ natura: quando soluscalor cõmunicatur cordi, non autem putridus vapor, vide 1. *De feb. diff.* 5. *& de venæ sectione ad initium.* Sed nunc sicut ex sanguine plus iusto influente, phlegmone in eo gignitur: ita & ex aliis humoribus tumores alij fieri possint. Videtur enim quod simili ratione fiat generatio, iuxta Iacchinum doctissimum, eodem scilicet influxu, *ex* 13. *meth.* 1. *& de venæ sectione.* Quod si res ita habet, cur ergo auctores phlegmones solius meminere? Responderet Iacchinus. At qui erysipelatis stomachi alibi fecerunt mentionem, *vt* 10. *Method. &* 4. *de vict.* 2. Quod vero scirrhosi tumores fiant, nos, inquit Iacchinus, vidimus in dissectis: vt Florentiæ in muliere è domo puccina. Respondetur primo *sub phlegmones voce, comprehendi etiam erysipelata, vbi non est exacte loquendum.* Alij vero tumores raro accidunt, quoniam in membranas duras non facile confluere potest crassus & viscidus humor, præsertim in internam. Aliquando in externa constitere, & memini (*inquit idem Iacchinus*) me ad tactum scirrhosos tumores sensisse, duros inquam, sine dolore. Hi ergo si accidant, ex communi ratione curandi scirrhus, curantur, addita solum curatione à parte: quam in vno exemplo phlegmones mõstrare sat erit, & iure: quoniam maxime periculosa est, & curatatio multum artificij exigit. Sed hic videndum, etiam ventriculum posse in tumorem eleuari ex solo vento: cuius habemus exemplum apud Beniuenium. *De abditis causis capit.* 40. 9 10

Quomodo tumores stomacho etiã ex aliis humoribus vti ex sanguine fieri possint.

Scirrhosi tumores post dissectionem in stomacho inuenti.

Annum 16. *agenti Petri Guicciardini filio ita ceruix ventriculi sine vllo doloris sensu eleuabatur, vt magnitudinem cydonij pomi aquaret, nec manifesta causa ostendebatur, cum omni nocumento careret. Quare rem admodum diligenter vestigare cœpi, admiratus quænam abditæ huius mali causæ esse possent. Sed cum nullam prorsus præter ventum inuenirem, à quo, ventriculi capite paulatim eleuato, ita eiusmodi fieret tumor, & vt ossa talem situm adepta, nec vltra ad pristinum statum reuersa, figuram illam illis impressam, tanquam naturalem custodirent: ferrea demum lamina, quæ ex cingulo quoque surgebat ferreo, stomachum comprimi iubeo: quo paulatim ad sedem suam retrocedere cogeretur: quod factum est. Nam haud multo post hoc vno tantum præsidio ita repressus est tumor ille, vt ad pristinam ac naturalem formam ipsius ventriculi cervix penitus reuersa sit.* Hæc Beniuenius. In iliaco dolore, cum excrementa per os reddantur, ventriculus quoque in tumorem quandoque attollitur (*vt nos vidimus*) partim quidem ex flatibus, sed magna ex parte ab excrementis eo perlatis. Quandocunque autem tale aliquid contingit, non modo spes vitæ superest: sed mors fere imminet. At stomachum indurescere diximus paulo antea scholio obser. huius libri, eiusque curationem, sed breuem adiecimus: sed durities illa non est omnino sine dolore. At erysipelas: licet æque aut magis periculosum, quam scirrosus tumor ventriculi præcepta tamen curatiua habet simplicissima, scilicet solis frigidis intus, & extra admotis. Sed nos de phlegmone prius agamus, id est: tumore facto à mediocri sanguine & vtili. Hic ergo in partem influit ex maioribus venis, quæ eò confluunt: confluxus verò causa est: vel ex ipsa parte attrahente, vel ex quapiam alia transmittente (*inuat enim modo sussissimas Galeni demonstrationes* 13. *Method. in Epitomen cogere.*) Quæ transmittunt, robustiores necessario sunt: vel natura; vel ex accidente aliquo suspicientibus comparatæ. Transmittunt autem, quia ipsa se grauari sentiunt, vnde vi vtuntur noxiorum, seu onerosorum 11 12

Duri tumores in parte externa aliquando consistunt.

Erysipelas stomachi.

Phlegmone ventriculi ex sanguine mediocri & vtili confluente.

rum expultrice. Quæ vero grauant, aut quantitate molesta sunt, aut qualitate vitiosa & noxia: vt calida, frigida, acria. Ex altera parte, quæ attrahunt confluxum causant: attrahunt vero calore partis, aut dolore. Opus vero caloris Asclepiades nolebat *attractionem* dicere, *vt Galenus scribit*: ipse vero vult attractionem dici: cum ille influere humores, non autem attrahi in partem calefactam diceret. Et quidem non facile decernitur (*dicente Iacchino*) quis horum rectius sentiat. Asclepiades calore, vt puto, considerauit fundi & liquari circumstantium partium succos: aperiri partis meatus ac laxari. His facilis fit confluxus, vt contra frigidis arcetur. Nec Galenus aut ratione, aut experimento monstrabit, quod colore attractio fiat. Nam quod in magno mundo à sole sursum feratur vapor, attractio non est: si quidem per se moueatur sursum, ex forma quam à generatione acquisiuit. Ratio vero, solum rarefactionem & heterogeneorum solutionem à colore fieri inuenit. Secundo *De dif. feb.* 11. loquitur distinctiue, quod calor vel attrahit, vel recipi facit. Adde, pro Asclepiade, quod calor, cum intemperiem efficit, dolorem efficit. At dolorem non propriâ attractionem reducit Galenus, sed ad trâsmissionem, *vt statim dicemus*: Dolor enim, inquit, confluxum excitat, quoniam natura dum causam contristantem expellere tẽtat, si quidem primo impetu non prospere succedat: maiore impetu uixa, sanguinis aliquid & spiritus eo trudit. Sic ad dolores plagarum, tumorem insequi cernimus. Hoc ergo non est dolorem attrahere, sed doloris occasionem esse, vt humores in partes transmittantur. Quod si 2. *De dif. feb. & alibi centies* attrahere dolorem, inquit, non proprie de attractione loquitur: sed cum ea similitudinem habet, quatenus pars dolens ipsa dolore repletur. Ideo rectius loquitur 3. *method.* cum inquit. *Dolor est fluxionis causa*: non dicit *fluxionem trahit*. Et rursus 6. *de vsu partium*, attractionem triplicem ponit: vacuo calore, familiari qualitate: doloris vero non meminit: sed hoc quia non erat ad propositum, cum de attractione cordis ex arteriis loqueretur. Considero ex eo loco expertum attractionis caloris: vt flamma ex ellychnio oleum attrahit, & hoc caloris vi ex lucerna: vnde eam exhautiri videmus. An non videas magis num sicci ratione attrahat, an calidi? Sicca enim humidum attrahere vehementer videmus, vt spongiam, liuum: hinc ergo ellychnium. Sed tunc aliam causam attractionis dare oportebit: nempe quæ à siccitate fit. Præterea si hæc esset attractio, tunc siccum, id est, igneum, humidum sibi contrarium attraheret: contraria vero se refugiunt. Sed hæc alias. Signa phlegmones ventriculi, si ex ipsa natura haberi, partim affectus natura sapient, partim affectæ partis. At qui affectus signa hæc sunt: dolor primum, qui ex solutione continui fit, facta ex materia replente, & tendente sensitiuas partes: mox tensio, seu enixus partis, quæ repletione accidit. Cum enim durum vniuersum fit, quod tactui: non cedit, 5. *De simplic.* alia dura erunt concretione: cuiusmodi est phlegmone. Quod vero materia, à qua fit, sit sanguis, necessario calor aderit parti: & non solum ex natura materiæ: sed etiam ob putredinem quæ ex necessitate sequitur. Semper enim humida & calida corpora cum in calido loco manent, non perflata citissime putrescunt. At non perflantur: quod omnes meatus, per quos transpiratio fit, sunt adstricti, vel obstructi. Vnde & probe Thessalici phlegmonem adstrictam passionem dicebant. Rubor vero ex natura humoris accidit. Hæc indicant omnem phlegmonem, quæ sub sensum venit: sed si interna sit, non omnia hæc sentiuntur: quædam tamen. Primum ergo dolor sedem affectam demonstrat, si præsertim non extimas partes attingat, quod tactu distinguitur. Vnde internas partes afficere monstratur: quæ & ex vehementia eius coniectura fit. Mox sensus tactus aut visus tumoris circumscriptionẽ sentit: sed hoc non semper euenit, vt cum remotas partes obsederit. Ideo, quod dicit, & apostema manifestum fuerit, id est, tumor apertus: efficax quidem nota est, sed quæ non semper sentiatur. Fit tertio coniectura ex febre, quæ necessario adiungitur. Est autem necessitas generationis ex putredine: *vt in lib. de venæ sect. habetur, & 1. de diff. feb.* 5. Quæ cum necessario putridum calorem excitet in parte: si quidem pars illa, vel quia vicina est, vel quia nobilis, multis vasis abundans, vel ob multitudinem materiæ collectæ calidæ communicabit cordi calorem suum igneum: vnde vniuersum corpus incalescet præter naturam: & ita fiet morbus febrilis. Quod si non modo calorem, sed putridum vaporem insuper impertiri possit, iam non febris modo: sed putrida fiet. Cum igitur venter vicinum positum habeat, arteriæ & iecinori facile febrem faciet, & eam putridam & continuam: cuiusmodi sunt omnes febres (*vt ostendimus in libris nostris de febrib.*) quæ ex viscerum tumoribus & inflãmationibus fiunt. Hæc Rhases. Sed super eundem scribens Iacchinus (*cuius verbis hactenus vsi sumus*) *coniecturam*, inquit, *solum affectus facies, visus & alterum addatur: calor loci perceptus, & ab ægro & astantibus, cum palmæ ventrem attingunt.* Adde & sitim, quæ necessario euenit: nam cætera symptomata, quæ Galenus numerat, insequuntur, præcipue os ventris afflictum: ideo adaugent coniecturam affecti loci: sed non affectus. Siue enim conuulsio seu delirium sequatur, siue cibi horror: omnia, inquam, ad ventris morsus sequi dicuntur: sicuti & deliquia. Ob has causas Auicenna vaga quædam signa addit, vt certificet coniecturam: Si, inquit, dolor remediis non soluitur, & durat, significat apostema. Sed signum est inefficax, nisi intelligatur continuitas caloris: hoc enim aliquid facit ad agnitionem cum reliquis. Similiter & vitia pulsus & anhelitus, communia aliis causis esse videntur, non propria phlegmones. Hæc de signis phlegmonem indicantibus. De prognosticis postea dicemus.

Phlegmon interna fit.

Hæc doctrina multis partibus erit communis.

OBSERVATIO XXXI.

De ventriculi phlegmone, seu inflammatione lethali.

GRauiter & continuo febricitabat Harko quidam Alcmarianus, admodum senex, qui iuxta Sacellum Sãcti Spiritus, ex phlegmone ventriculi decumbebat, & ex continuo singultu, qui procul dubio etiam ex inflammatione ortum habebat: Ad hunc cum circa quartum diem prius accitus essem: vix remediis adhibitis, facto etiam prognostico, eodem die obiit. Neque admiratu dignum, cum morbus hic semper periculosus sit: nam & de morbi magnitudine quid attinet dicere, cum & per se lædat plurimas & necessarias actiones: vt nutritionem, & dolorem prosternentem vires inferat: habetque id præcipuum, vt principes partes in consensum maxime trahat. Sed de his latius in scholio,

SCHO-

SCHOLIA.

2 *Signa prognostica.*

VBi stomachus inflammationem sustinuerit, magna opus est diligentia, *teste Alexandro Tralliano lib. 7. cap. 14.* quoniam maximum morbum & necessitatem corpori affert. Quod si imbecilles fuerint vires, iis, qui ea laborant (*vt huic seni erant*) mortifera vt plurimum esse solet. Quamuis non solum ij, sed etiam qui valentiores ipsis sunt, ab ea interimi consueuerunt. Nam quibus vel iecur, vel ventriculum phlegmone obsidet, veluti pleuriticis, peripneumonicis ac synanchicis, vna salus est, videlicet ipsum virium robur, ex *Galeni decreto* 10. *meth. med.* Curatio quamquam ex communi phlegmones curatione pendeat, vt augmentum inhibeamus, & factam phlegmonem curemus: ea tamen oportet ad ventriculi phlegmonem accommodare. Præscribemus itaque victum refrigerantem (*vt iam diximus*) & tenuissimum; & si naturam erysipelatis magis referat, magis refrigerantibus vtendum, *vt lactucæ, cichorea, vel endiuia, vulgo scariola dicta, in aqua hordei decoctis, & ptisana, postea in iure pullorum gallinaceorum decoctis*: abstinentes à vino & carnibus, vt dictum est. Venam quoque statim secabimus, præcedente clystere emolliente, si aluus strictior: pariterque ad diuersionem frictionibus, ligaturis, cucurbitulisque ac reliquis diuersionibus vtemur circa initia: abstinentes à medicamento purgãte, ne materiam ad locum affectum & inflammationem trahamus: *ex Galeno decreto.* Huius habemus historiam apud *Grad. supra* 9. *Almansoris, cap. proprio*, de puella iuuene robusta, quæ cum die 3. ab initio apostematis medicamentũ solutiuum, contra opinionem alterius medici, cepisset, 5. die obiit. Vomitum hic perpetuo etiam euitandum volunt, cum ventriculum dilaceret: alij tamen tempore maturationis conuenire existimant, vt rumpatur, præstat tamen ab omni vomitu abstinere. Quod purgatio non conueniat in principio, constat ex *Gal.* 13. *meth. medendi.* Post hæc ad ea, quæ extrinsecus applicantur confugiendum, & mixta curatio debet esse, ex astringentibus & laxantibus: quamuis certa initia semper astringentia intendi debeant, iuxta eundem Alexandrum: & si eis duntaxat vtaris eo tempore, non peccabis, *ex Galeni auctoritate* 13. *method. medendi.* Valet itaque *oleum omphacinum, rosaceum, cydoniorum, vel de absinthio*, si valida non fuerit inflammatio, aut feruor: vel ex *rosac. & absint. p. j. flor. chamomel. radic. ac foliis althææ pimedia in aqua pluuiali decoctum facit, & pauco aceto aut vino albo fiant epithemata vel vnguent. vt iam ostendimus exemplo paulo superius dicto.* Et vbi iam laxantibus magis indigeas, vtpote incremento aut vigore, adde prædictis laxantia, & augeas vt *chamamelum, althæam, semen lini, meliloti & fœnugræci & adipem anserinum, oleum chamæmel. anethinum, liliaceum, & mastichinum, ac viriusque amygdal.* iis omnibus aut quibusdam simul permixtis, varia medicamenta compones, vt vsus postulabit, & epithemata, cataplasmata, & vnguẽta. De quibus vide Aëtium & alios auctores. Vbi moderata fuit inflammatio, etiam ceratum *Galen. 4. method.* sufficiet: & vbi stomachus magis corroborari postulet; aloen augere conuenit, admiscereque cum eo succum absinthij, aut œnanthem, aut succum capreolorum vitis. Cæterum vbi phlegmone prorsus inclinauerit, & aluus non dejicitur; tunc poteris exhibere *mannam, thamarindos, syr. ex infus. ros. viol.* Vbi vehemens sentitur ardor, vel cassiam, cum cichorij aut hordei decocto. Et quamuis *Galen. 13. method.* & filiculam & corticem nigri veratri approbat: iis hoc tempore præstat abstinere. Si quid vero scirrhosum relictum est, vti phlegmone est, ita vt emollientia requirat, etiam corroborantia ac astringentia cum eis permisceri debent, ex Tralliani decreto: quorum medicamentorum magnam copiam reperies apud eundem, & Aetium & Paulum. Si itaque durus tumor appareat: siue quia ab initio vera phlegmone non erat: vel erratum est in remediis, resoluendo fortius quam expediat; tunc malagmatis est vtendum: quale ex meliloto fit. Cuius generis est & illud à Rhase, vltimo loco descriptum. Egregie valent, cum & vim abstringentem adiunctum habeant. Oportet vt illa medicamenta, quæ ventriculo vel iecinori apponuntur, habeant aliquid adstrictionis, *vt Galenus monet in historia ex Theagene Philosophi Cynici.* Est namque ventriculi (*vt paulo ante diximus*) sicuti iecinoris, maximus, & toti animali communis vsus. Stomachum enim, prouidentissimus artifex, Deus in medio totius corporis profuit, tanquam ciborum receptaculum, aut promptuarium quoddã, vt ab eo cætera membra nutrimentum sibi ipsis expoſcerent, captarentur. Ideo semper roborandum est. At erysipelatis intentio magis est refrigerandi, vt phlegmones vacuandi, 13. *meth.* & 14. hinc fit, vt eius curatio sit refrigeratio: quali vtitur 10. methodi 5. & 9. *method.* 5. Modice tamen fiat, id est, quantum expoſcit affectus, ne forte in affectum frigidum transmigret: sic enim scirrhi gignuntur.

Curatio.

Refrigeratio.

3 *Venæ sectio & diuersio.*

4 *Purgatio vt in principio abstinendum.*

Horror cuiusdam medici monitum. vt omitti nõ debuerit.

5 *Quo tempore purgatio præberi possit.*

OBSERVATIO XXXII.

De apostemate frigido ventriculi ac diuturno, in abscessum & pus transmutato.

PVella paupercula 18. annos nata, in platea diui Petri dicta, Alcmariæ habitans, per integrum annum circa stomachum intolerabili dolore cruciabatur: quæ cum medicis non vteretur ob paupertatem, forte fortuna me transeuntem vicini ad puellam introduxerunt. Magnum tunc tumorem circa mucronatam cartilaginem conspeximus, valde eleuatum & duriorem, tactui resistentem. Quem locum cum leniter attingerem, ferre non poterat. Crura autem tum reliqua membra stomacho non concoquente, macie consumpta videbantur, nutritione minus accedente. Præ nimio dolore misera exclamabat, se apostema ac abscessum in stomacho habere: quod & signa præsentia indicabant. Astantes mulierculæ nescio, quæ non adhibuerant ad dolorem tollendum; prius existimantes, hunc dolorem tanquam ventosum se posse auferre tegula calefacta apposita: modo etiam tabula lignea, vt vulgares facere solent: eaque externa causa vel simili, sua caliditate materiam ad stomachum conuertunt; eaque attracta, cum non possit debite à natura regulari; porositates concauitatesque medias stomachi subintrat, ac vnitatem soluit, ac apostema per se aliquando inducit; talis error plerumque ab astantibus imperitis inducitur: etiam subinde à medicis indoctis, dum ventosam magnam ventriculo, corpore impuro existente, apponunt, vel pannos calidos, aut frictiones fortes ventriculo adhibent; idque in principio existimantes omnem dolorem ex ventositate oriri. Cum hæc itaque integro anno dolore confecta ad extremam

maciem deuenisset, facile ex signis præsentib. intelleximus, ibi abscessum diuturnum frigidumque adesse, cum nulla siti premeretur, quamquam subinde leuiter febricitare videbatur. Et quum iam longo tempore aluum non deposuisset, & libenter clysterem emollientem prius iniecissem, quem nullo modo admittere volebat, mandaui ob dolorem, vt talis fotus fieret, prius epoto decocto sequenti, parato ex foliis senæ, foliis caulium rubrorum, scabiosæ (*quæ omnia apostemata interiora resolui vel maturat, vel rumpit: quod non solum in hac puella, sed etiam in alio abscessu interno sine pectoris seu alterius cuiuscumque expertus sum.*) ficubus adiectis & uuis passis absque arillis, dentis leonis (*ob febriculam*) foliis maluæ, & rad. althææ, decoctis in sero lactis: qua bis in die, cum paupercula esset, vtebatur ad aluum emolliendam. Quæ licet in principio minus conuenissent, vt scholio præcedente dictum est: tamen hic, cum in declinatione diu malum extitisset, & maturatione opus esset, commode hoc decocto vsi sumus: tum fotu *ex decoct. folior. maluæ, rad. althææ flor. chamæmill. menthæ, & absinthij vtriusque* tam ad dolorem sedandum, quam ad maturationem; reliquiis contusis, & butyro recenti mixtis, cataplasmatis modo stomacho appositis. Et præter spem intus ruptum est apostema; & abscessus ille annuus, vomicæ instar: & euomuit saniem sanguinolentam: & per inferiora satis copiose saniem excreuit, tumore detumescente, & dolore omnino consopito. Quare statim ad detersionem puris, vsi sumus decoctione hordei non excorticati, *pauco melle rosato adiecto, ad detergendum vlcus*: & egregie hæc ipsa conualuit, cum admiratione multorum. Quidam vulgares eo tempore, qui tunc aderant, huic puellæ dedissent oleum oliuarum pro vomitorio, etiam post abscessum disruptum, ad leniendum vlcus, vt illi adferebat: quibus restiti, neque admittebam: *auctoritate Galeni edoctus*; qui nos *lib. 5. meth. med.* ita admonuit: *Cæterum* (inquit) *qui è ventriculo eluere pus volunt, non sine periculo vomitum prouocant: sicuti si aliter infixam illi pituitam per oxymeli & radiculam detergerent.* Tutius itaque est deiectione vti, cum vomenti periculum sit, ne & quod vlceratum sit, dilaceret, & succum quempiam inutilem ex vicinis attrahat. Absque mora itaq; continuo decies in hora capiebat cochlear vnum atque alterum, vel paulo plura ex decocto hordei, cum pauco melle ros. cum subitanea eiusmodi vlcera indigeat mundificatione, ne profundantur, aut tunicas stomachi penetrent. Hoc enim modo hanc miserã & pauperculam puellam, vlcere absterso, sanitati pristinæ restituimus, diuina gratia nobis assistente.

3

Scholia.

Apostemata & abscessus, iuxta iuniores, qui Auicennam sequuntur, & supra Rhasem scripsere, fiunt, vel per modum congestionis paulatim; vel per viam defluxus, ab omnibus humoribus: vel ex vno, vel duobus simul mixtis, & calidam quidem ex sanguine vel bile; frigidum ex pituita vel humore melancholico: cui nonnulli addunt apostema ventosum, si & ventositas simul adsit. Si igitur calidus est abscessus, aut ex cholera vel sanguine oritur, aut vtraque humore, æqualiter, aut inæqualiter. In bilioso abscessu, dolor tacta vel vti clauus infixus, inest feruentissimus, cum ardenti febre, naturalique circuitu, siti auidissima, cibi tædio, vomitu quandoque bilioso, cum furore phreneticoque; vtina citrina vel flaua consp icitur. Et sanguineo vero abscessu ventris superior pars magis tumescit, ac extenditur, cum maiori pulsu, ac grauitate; vrina purpurea cernitur, venarumque pulsus maiores sentiuntur, tumor ipse mollior efficitur: si vitium vetus fuerit, corpus macie conficitur, cæui oculi fiunt, vrina subsistit, aluus liquida redditur; & assumpto cibo stomachus male afficitur. Abscessus frigidus, nempe humore congesto mala concoctione, nimio otio, humoreque eodem confluente fit. Ex pituita abscessum grauitas sine siti indicat absque ardore stomachi: tum nulla febris adest vehemens, vel periodica tantum, os saliua abundat, venter ac facies pallent, turgent sine duritie, nullum cibi desiderium est, pulsus mollis, vrina crassior, alba, corpus graue redditur, ac torpore quodam afficitur, qualis lethargicis euenire solet, læsa ex aliqua parte memoria. Ex melancholica apostema durum est in quo dolor non perpetuus est; sicuti neque cibi appetitus: venter in eo quandoque sponte fluit: sed semper corpus macie conficitur, ructusque acidos edunt, ægri insomniculosi: vrina tenuis, ad glaucum vergens, pulsusque tenuis est, ex abdita febri: iis anhelitus grauis est, ac animus tristis, ac semper mœrens. Ostium ventriculi, præsertim in abscessu calido, sæuissimo dolore afficitur: animus enim vel primo die protinus linquit, non aliter quam præcordiorum abscessu: vnde neruorum distentiones, mentis animique furor oboritur: multi namque & attoniti fiunt, ex cerebri & cordis haud dubia communicatione cum ore stomachi, in quibusdã nimia inediæ sensibilitate adeo obfuere, vt similiter caderent, spasmatis membris omnibus. Maxime mentis alienatio comitatur si sit apostema calidum: si frigidum, caros, stupor: Si sit in fundo stomachi, dolor est minor, & excrescit, non immediate post cibum, sed per horam post eius assumptionem: tumor quoque & dolor prope vmbilicum, per duos digitos aut tres, aliquando declinans magis versus dextrum, modo sinistrum: magisque læditur concoctio quam appetitus: & in fundo magna ex parte subsequitur maior lubricitas ventris. Si in parte anteriore, magis subiacet sensui, & dolor in parte anteriori sentitur: & non tolerat æger cõpressionem. Si in posteriori, è contra dolor in posteriori parte sentitur. Si sit in omnibus partibus, accidentia omnibus partibus sunt communia. Si in tunica interna, symptomata valde intendun ur: dolet supra modum, appetitus dejicitur: syntopis, tremor ob cordis consensum sequuntur: & vomitus, si in superiori parte; vel fecessus si in fundo: vt licet in contrarium euenire posset, dolor augetur, quasi immediate sumpto cibo, & in descensu: & dolor circa spatulas, ob œsophagum seu gulam extensam per deorsum. Si externa tunica, accidentia magis remissa, neque fit dolor maior sensibiliter post assumptum cibum; nisi esset multæ quantitatis. Tumor & durities exterius magis percipiuntur; neque aliquid sensibile per vomitum aut fecessum educitur de apostematis materia: neque ita læditur virtus appetitiua aut coctrix: modo habent ventrem mollem, modo duriorem, deficiente virtute retentiua, aliquando expulsiua. Hic addunt signa temporum apostematis & resolutionis, maturationis, ruptionis & indurationis: de quibus de pleuritide dictum est. Reliqua vide apud Arculanum, tum reliquos.

Sanguis neut.

Frigidus.

5 Pituitos.

Melancholicus.

Signa ventriculi læsi in abscessu. Os stomachi quibus affectum consentit.

6 In fundo stomachi.

In parte anteriore. posteriore.

In tunica interna. interna.

In tunica externa.

7 Prognostica

Prognostica signa ex superius dictis etiam patent, quod confirmatum ventriculi apostema, vt

vt plurimum interficiat, calidum tamen velocius quam frigidum. Et si ad maturationem & exituram tendat, sæpe desperationi propinquior quam spei est. In cancroso nulla spes relicta. Pituitosum magis quam bilioſum sanatur. Et in tunica externa minus malum quam in interna: exterius medicamenta imposita magis iuuant: & in tunica interna magna ex parte calida sunt per viam defluxus: frigida per congestionem. In fundo minus mala quam in ore, imo pessima. Ratio in promptu est: fundum minus sentit, & fortius est in resoluendo, ob caliditatem. Hæc quoque mala censenda, si frigus membrorum extremorum accedat; imo lethale, *iuxta Hippocratem*, si frictionibus & pannis calidis non remoueatur. Bilioſum quoque deterius sanguineo: & melancholicum pituitoso. Interna quoque si ad faniem perueniant, vix vel nunquam curantur, ob membrum nobile: quamuis hæc puella curata fuerit, est ex raris contingentibus. Ita & Gradus in toto tempore suæ præxeos, tantum bis terue curatos vidit. Quomodo calidus abscessus seu apostema curetur, iam ex parte dictum est. Cœlo primum frigido & humido æger contineri debet, vbi sine animi perturbatione, sine lectione, balneo, sine frictione stomachi degere oportet. Nec somnus longior conuenit. Valet & cibus facilis coctionis ac paulatim frigidæ ac humectæ naturæ, tum actu, tum potentia offerendus est. Vinum obest & carnes, & omnia tragemata ex saccharo & melle. Valet *syrup. viol. ros. thamarindi & puls hordeacea, cum succo punici: & syr. ex succo nymphææ*: victusque iam dictus vsque ad septimum: deinde atriplex, cucurbita in cibo danda. Suppurato abscessu, refrigerantia & adstringentia paulatim remitti debent. Aluus lenienda clystere tantum molliente. Et si ex sanguinis vitio sit, valet *syr. ros. oxyzacch.* In bilioso, viol. nymph. pap. & protinus vena secanda, *vt diximus*. Sed à cathartis abstinendum. Parti affectæ frigida prius imponenda, leuiter astringentia: increscente malo partim dissoluentia, partim adstringentia: vbi constiterit morbus, dissoluentia & laxantia augenda: ita tamen, vt non careant restringentibus, ob partis nobilitatem. Inclinante malo, ad maturantia, & dissoluentia veniendum. In fine demũ; si non resoluatur abscessus, suppuretur, maturantia ac emollientia conueniunt: adiecto tamen leui constringente, & ventriculum roborante, vt succo absinthij. Prorumpente demum pure, vlcerum curationes sequuntur. Quorum copiam præsidiorum inuenies apud Alexand. Benedictum Veronensem: quæ magna ex parte ab Arculano excepit. At in abscessu frigido, si initio discutientibus non curantur, (*sicuti priores abscessus*) materia enim crassa est, ac parum obsequens; diaphoretica plurimum valere volunt, hoc est, resoluentia. Quidam ea admiscere ausi sunt: quod alij minime censent; nisi commixta quoque cum calida materia foret. In phlegmatico igitur conuenit in principio oleum ros. & absinthij æquis portionibus, impositio emplastro ex *far. fœnug. lini, hordei, lupinorum, melilot. ana* ʒ j. *absinthij, schœnanthi ana* ʒ ij. *ros. rub. myrrhi, aloes ana* ʒ iv. tusa & cribrata rosaceo excipiantur, adiecto adipe gallinaceo, anserino, & succo plantag. sanguinalisque. Alij sacculis vtuntur duobus, aut spongiis decocto perfusis, & expressis inter duas tabulas, *ex decoct. ros. cauliculorum myrthi, menthæ, absinthij, santal. schœnanthi, nardique paribus portionibus, exiguo vino austero decoctis, & percolato succo.* Interea rhodomel in potu iuuat, cum plantag. & absinthij aqua. Increscente absceſſu inungemus *oleo ros. chamæmel. anethino, nardino ana* ʒ ß. *ceræ quod satis est, adiecto spica, maceris, schœnanthi exiguo, & superimposito emplastro ex farinæ lupinor. fœnugr. ana* ʒ ij. *ros. melilot, chamæmill. anethi, ana* ʒ ß. *cum brassicæ succo, & oleo chamæmeli.* In statu, vtuntur oleo nardino cum spica, schœnantho, cyperio & aceto, & emplastro ex melilot. chamæmill. radic. alth. ammoniaco, adipe anserino & gallinaceo, & similibus: & si ad collectiones, veniat radice liliorum cocta & imposita, & quicquid collectiones aperiat, si suppuretur. Sed vnum inprimis animaduertendum est: si venter intempestiue fluat, tum emollientia plurimum obsunt: sed astringentia imponenda sunt, donec subsistat aluus, ex palmulis emplastro frigido, aut calido pro absceſſus qualitate cum succo vnæ acerbæ aut absinthij; aut si opus sit, materia mixta vtrumque commiscebimus. In absceſſu melancholico, inter initia, *rosaceum, lilinum, luteariumque violarum, aut narcissinum cum aceto commixta valent*, inuncto stomacho, & subinde hoc emplastro impositio: ℞. *farinæ fœnugræci sem. lini, althææ ana* ʒ ij. *melilot. rosac. anet. myrt. ana* ʒ ß. *ex iisdem oleis cum adipe gallinaceo, ac anatino misceantur.* Cum increscit tumor, inungimus violaceo oleo ex luteis viol. lilin. adipe anatino, anserino, addito croco. In statu, *ex adipe anatin. anserin. gallinaceo, ceruin. vitulin. ana* ʒ j. *styracis liquid. bdell. myrr. spyc. mastic. cyperi, cartham. sem. interioris ana* ʒ ß. *amyg. amar.* ʒ j. *gummi in vino dissoluantur*: deinde tusas amygdalas conjicito, & reliquas species; adipes postremo infunde: id emollit, discutit & confortat. Si phlegmone indurescat, valet emplastrum de melilotos & Nilei malagma, quo veteres vtebantur, quã gloria sua fraudandi non sunt.

Apostematã seu absceſſus frigidi curatio & pituitosi.

19

Absceſſus melancholici cura.

8 Curatio absceſſus calidi.

Obseruatio XXXIII.

De ventriculi vlcere.

Puella 15. annorum, per biennium fere cum dolore ventriculi conquereretur, anno 3. tumorem manifeste viderunt parentes in eo loco: neque tunc quicquam consilij aut remedij tentatum. Hinc ruptionem animaduerterunt: excreuitque puella materiam bilioſam, pituitosam ac sanioſam per aluum. Ex his apostema apparuit. Hæc cũ Bononiæ in Italia decumberet, tunc prius vocatus est Elidæus, medicus hospitalis Bononiẽsis Vitæ dictæ, præceptor meus. Is indicationes sumpta ab ætate, virtute, temperamento, loco male affecto (*quoniam locus vehementer sensibilis existit*) continuique solutione; iudicauit necessarium exsiccantibus abstergentibusque vtendum esse, ac magna opus fore diligentia, tum quia locus est principalibus membris subministrans; tum quia toti corpori nutrimentum præparans. Quare loco potus & digestionis, præscripsit aquæ mellis vsum. Cibum vero facillimæ coctionis, exiguæ quantitatis, ex hordei cremore nonnumquam expanata, exiguo cinnamomo adiecto: & aliquando vinum in pauca quantitate admisit. Pulsus huic erat creber, debilis, paruam habens inæqualitatem vt fit in affectibus ventriculi: vrinæ albæ, crassæ, non coctæ. Stomachum inunxit oleo mastichino, cum lana succida applicando. Tertio die vidit eam lienteria laborare: & quemadmodum *Gal. 6. par. aph. 1.* causam eius fore dicebat, vel imbecillitatem virtutis retentiuæ, vel vlcerationem ventriculi & intestinorum; sed præceptori certo persuasum fuit, hanc prouenire ab exulce-

rationè ſtomachi, ob loci dolorem, ruptionem & ſanioſam materiam; non ab ipſius virtutis debilitate. Ideo adhibuit fomentum exſiccatiuum & conſtrictiuum; nempe ex *abſinth. mont. flor. roſ. malicorij gallis, balauſt. myrtill. maſtich. olib.* exhibendo præterea miuam cotoneorum, cum quibuſdam adſtringentibus. Hinc tandem excrementa melius cocta viſa ſunt, & ſanata eſt.

Scholia.

3 *Exulcerationum ſtomachi differentiæ.*

EXulceratur ſæpe ſtomachus, leuiter tactu tunicarum ſuperficie; modo grauius ambabus tunicis, eroſis, vel perforatis lethaliter. Exulceratio alia recens eſt, alia inueterata, ex acutis humorib. in ſtomacho congenitis, aut capitis acutis deſtillationibus, aut abſceſſuum adaperto pure (*vt in hac puella tum præcedente*) aut puſtulis in eo ortis, ex quibus peſtifer exit liquor. Ex vulneribus quoque præſanatis, aut perperam, vel per incuriam relictis. Venena item philtraue potionatis exulcerant, & ſtomachum & inteſtina omnia, ſicuti & catharctica ab imperitis oblata; veluti ſcammonium & euphorbium. Refert Benedictus Veronenſis obiter exemplum vnum cuiuſdam religioſi vicinum quendam in podagræ dolore auxilio præſentiſſimo curaturum ſe promiſerat: audierat enim hic bonus homo, pilulas, quæ ab euphorbio in officinis nomen habent, huic morbo ſæpe profuiſſe; ex ſolo igitur euphorbio confici pilulas à ſpeciario non minus quam ipſe erat imprudenti, iuſſit: aſſumptis catapotiis, dyſenteria eo die æger correptus fuit pernicioſa; atque altero ſepultus. Exulcerato ſtomacho febris adeſt, ſubinde lingua aret, ſitiſque viget, animus quoque ſubducitur, ſi vlcera ingentia fuerint, & in oſtio præſertim ſtomachi. A cibo ſalſo præſertim quoque frigido, aut calido, vel acuto, veluti ſinapi, aceto aſſumpto, ſummus dolor. Purulentiæ præterea vel cruētæ vomitiones, immixtis tunicarum cruſtis indicio ſunt. Oris item grauiolentia ex crudis veluti piſcibus, vel aduſtis oſſibus, & ventris lienteria adeſt moleſta. At exulcerationis varietas, magnam differentiam habet: in primis oris ſtomachi ſummum dolorem ac accidentia ſequuntur terribilia; difficultas anhelitus, ſudores extremorum frigidi, ac animæ demum defectus: cibus quoque deuoranti cum os ſtomachi pertingit, maximum dolorem infert; delapſus exinde, quieſcere ſtatim permittit ægrum. At quæ in imo ventre ſunt vlcera, minus lædunt: ſed male digerit æger. Verum ſi vlcus in œſophago inſederit, inter ſcapulas (*vt narratum eſt*) dolor figitur, ac in deuorando cibo excruciatur æger, minus tamen, quam ſi in oſtio fuerit. Inteſtinorum gracilium, ac ſtomachi vlcera cum in eodem fere ſint confinio, doloris loco fere non diſcernuntur: tempore tamen cruciatus, differunt, gracilium enim inteſtinorum tormenta ſæuius ſentiuntur, ac inter excrementa tunicarum ramenta conſpiciuntur; ſicuti inter vomitiones vlcerum cruſtæ cernuntur ex ſtomachi vlceribus: qui acri cibo aſſumpto, protinus læditur, quo inteſtina tenuia non læduntur. Quibus ſtomachus ſupra modum exulceratur, numquam ſanantur: & ſi vetus vitium eſt, lienteriam inducit, aut ex acutis humoribus vel corruptionibus, dyſenteriam minatur: iis plerumque os graue olet, vti apud Dodonæum *cap.* 25. de honeſta matrona conſtat, annos (plus minus) 40. nata, quæ ex ore fœtentem ſpiritum multis emiſerat annis; quæ longo tempore morbo confecta è vita deceſſit:

4 *Signa.*

Vlcerit ſigna in ore ventriculi.

5 *In imo ventre.* *In œſophago.*

Differentia vlcerum inteſtinorum gracilium & ſtomachi.

Prognoſtica.

& ventriculus extèrius ab omni parte ſuperficiè tenus inuentus eſt exulceratus, & quæ ipſum contingebant vniuerſa, non tamen alia, quam qua ventriculo contingua erant, parte. Exulcerato ſtomacho (*vt Paulus ſcribit*) in omnibus quidem eduliis obſoniiſque acria vitanda ſunt: atque eadem pariter in potionibus. Sed mitigatoria vtique laudantur, quales pultes ſunt ſine oleo, ex amylo, hordeacea farina, ac terra Samia Lemniaque rubrica, ex lacte aut melle. Et quoque ſine medicamento mordaci purgandus eſt æger. Noſtri recentiores, præter ærис temperamentum, animi ſecuritatem laudant, ac temperatum ſomnum. Ac inter cibaria quicquid actu vel potentia leuiter exſiccat, qualis panis ſimilagineus eſt, ſine ſale, ſineq; multo fermento, ac ptiſana, alica, far ac amylum, lens excorticata, oryza, & faba fracta. Auiculæ quoq; proſunt, vt *galeritæ, perdices, atagenes, phaſiani, turtures, turdique; inter quadrupedes, lepores imiores, capreoli; hœdi, vituliq.; verueceſq; iuuenes*: laudauere & inteſtinorum hœdi ac vituli ex aceto condituram, ac eorundem extrema pariter condita, tum oua ſorbilia in aceto cocta, aut caſeum recentem: vel ipſum lac, cum abſtergere volumus, cum ferro ignito aut lapidib. ignitis vlcera ſanat, vinum rubrum ſubacre, nullarum virium, ex aqua in qua chalybs ignitus multoties exſtinctus fuerit; vel ipſa eadem aqua cum ſyr. roſ. valet & in ipſis cibariis poſita. Initio enim abſtergenda ſunt vlcera tum cibo tum potione: tum ſtyptica damnantu Tum cum vlcera perſananda ſunt, ſtyptica damus: prodeſt panis cum maſtiche, aut balauſtiis confectus: & caro ipſa veru aſſata, ex cydoniorum ſucco, aut mali punici vino, vel cum omphacio vuæ. Sorba quoque immatura arida in puluerem redacta dantur in æduliis. Ex potionibus, quæ mordacem humorem compeſcunt, ſingulis propinamus. Interea vomitiones & cathartica vitamus. Si purgandus, ſufficit caſſia. Quibuſdam valentibus adhuc, proſunt venæ ſectio, vel vrinam ciere. Si eueniat ex deſtillationibus, iis ſuccurrendum, *vt dictum eſt*. Abſtergunt zachatum cum aqua; vel mel, vel mulſa, cum paſſulis. Si vlcera ſint in gula aut ore ſtomachi, adglutinantia admiſcemus: vt antequam in ventrem deſcendant, hæreant, quale gummi arabicum eſt aut tragac. ac ſi in imo fuerint pura, vno hauſtu aſſumi debet. Rupto vero apoſtemate, lac caprinum mane in potu valet, ſi recens ac tepens fuerit: ante cœnam vero duorum horarum interuallo hordeaceam cum zaccharo roſaceo aut melle damus. Quæ in omnibus fere vlcerum generibus calidis ac æſtate offerimus: hyeme vero ac materia frigida, rhodomelite vtimur ſalubriter percolato: aut hyſſopi decocto cum melle. In phlegmate vero ſalſo, aqua braſſicæ opus eſt, aut oliuarum muria: modus eſt à quatuor ad ſex vncias. Mundis & abſterſis vlceribus, quæ vulnera conſolidant damus, paſtillos ex ſuccino. Quæ ad œſophapi vlcera valent, priusdictum eſt: reliqua vide apud Arculanum, & Alexandrum Veronenſem, qui eadem habet. Balnea ferrata & alumināta laudantur. Vlceribus vetuſtis, ex quibus corrupti humores fluunt, oliuæ & rutæ folia, ac agrimoniæ in nigro vino cocta ad duas partes, percolato decocto, mane & veſperi detur ad ℥ vj. vlcera enim omnia interiora ſanat. At ſi ſtomachus eroſionibus perforetur, iis præſidiis vtemur, quæ in ſanguinis vomitu diximus. Si fluxus acciderit ventris, valent trochiſci ex ſpodio: quo tempore adſtringentibus opus eſt. In vehementi vlce-

6 *Curatio vlcerum ſtomachi.*

Vomitiones & cathartica vlceratis ſtomachis vitanda.

7

8

Balnea.

vlcerum tormento, philonium ocyſſimo præſidio iuuat: exſiccando plurimum refragatur vlceribus, ac abſumendo humores fluentes. Alij athanaſiæ compoſitionem prætulere: & ad vlcera & ad ruxum Paulus dat cydonium malum cum pulte.

OBSERVATIO XXXIV.

De ſtomacho natura anguſtiore.

1

VIdi, inquit Gal. *lib. 2. artis paruæ*, ventriculum cuiuſdam ita paruum, rotundum, ac propenſum in illa, vt propria circumſcriptio perſpicue appareret ſpectanti & attrectanti. Ita & apud nos puella quædam Delphica perpetuo mala habebat in ſtomacho: nam à natura anguſtior factus erat. Quem his notis deprehendimus: nam plurimo cibo diſtentus ſtomachus lædebatur: ſed exhibito exiguo cibo, idque frequenter, minus offendebatur, & commodius tunc cibum concoquebat. Hoc autem innatum vitium, iuxta Galenum, immedicabile iudicauimus: & ideo eandem incuratam reliquimus. Tandem in mandatis dedimus, vt parum & frequenter cibum concoctu facilem ſumeret, vt minus dolore afficeretur.

Scholia.

2 *Innata ſtomachi vitia.*

SVnt autem & naturalia vitia incorrigibilia: vt ſi ſtomachus natura anguſtior factus fuerit: cuius notas nunc poſuimus. At ſi venter natura laxior eſt, cibus intus importune innatat; nec in coquendo quod ſatis ſit, corrumpitur ſtomachus: ita enim à natura materia diminuta, aut nimia efficit: plurimum tamen cibi ſuſtinet magnitudo ſtomachi. Ii inſtrumentarij morbi ſunt. Parem offenſionem habet ſtomachi rotunditas; in quo cibus grauior ſentitur, qui ad ima hauſtus protinus delabitur. Ventris quoque poſitus notatur: nam ſi ad extrema vergat, aut nimium diaphragma ſupprimat, damnatur: quoniam ille concoctioni, hic reſpirationi aduerſetur. Inter inſtrumētarias quoque affectiones annumeratur ſtaminis leuior contextus; vnde & naturalis calor infirmior redditur: textura tamen alioqui craſſior quam par ſit, ad concoquendum incongrua eſt: rugas enim eo modo difficulter contrahit: tenuitas ipſa, aut ex humilitate laxante; aut ſiccitate conſumente generatur, aut calore continuante abſumitur; vt in morbis longis accidere ſolet: ex frigido quoque (*erſi raro contingat*) extenuatur venter. Eſt & aliud ſtomachi organicum vitium, nimia quædam ſtomachi aſperitas, aut aliquibus læuitas importuna, qua cibus ad inteſtina citius quam opus ſit, labitur. In illa venter aſper eſt, veluti in bubus, denticulatus callus eſt in ore, & in ventre, vbi crenes maxime conſpicuæ ſunt: in homine multo minoris ad os ſtomachi, vt ſcobina fabri, læuior aſperitas, ſicuti pyloron verſus in medio in modum rubri ad conficiendos cibos extans callus cernitur: nec in omnibus pares crenes (*vt vidimus*) apparent; *eſſe etiam Alexandro Veronenſe*. Noſtri recentiores non ad concoquendum cibum, ſed ad retinendum facere putant; vnde nimia aſperitate, qua diutius cibus retineatur, ſiue nimia læuitate, qua cito profluit, corpora facile conſumi tradidere. Aſperitas pinguibus, mollibuſque cibis, altera ſtypticis leuatur. In poſitu aliud quoque vitium eſt naturale, qui tumor ventris dicitur: extrinſecus enim prominet, prouli-

Morbi inſtrumentales.

3 *Aſperitas ſtomachi, vel nimia læuitas.*

Proclimateſis.

OBSERVATIO XXXV.

De ventriculi cruditate.

PVella annos 24. nata, textoris filia, nobis vicina, alioqui pulcherrima, facie ſupra modum pallida, ventriculi cruditate longo tempore laborabat; cibum non concoquebat, neque recte permutabat: Lotium in ea valde crudum, album, inconcoctū, ſine hypoſtaſi ſpectabatur: ructus perpetuo emittebat, & ſubinde acidos: ſiti nulla premebatur. Hæc cum adeſſent, facile intellexi, hanc cruditatem procedere ex ventriculi frigiditate, & ſimplici intemperie frigida, etiam humida admixta: nam facile cibus in ſtomacho crudus innatabat; quem ſubinde euomebat, tamen rarius, frigiditate magis ſuperante. Vſa fuerat longo tempore cibis crudis; &, vt ab aliis intelexeram, victus rationem non obſeruabat. Hanc autem, ne in maiorem cruditatem incideret, admonui, vt neque in multitudine, neque in qualitate eorum, quæ in cibo accipiuntur, neque in acceptionis oportunitate, neque in ordine delinqueret: & vt quæcunque concoquere valeret, ea tantum ingereret; & non quæ appetitus expoſtularet. Propterea recte dicebat Aëtius, *ne quis in cruditatem incidat, cautione in omnibus prædictis eſt vtendum, vt neque in multitudine eorum, neque in qualitate, neque in ordine ſumendi delinquant; & ea tantum ingerant quæ concoquere poſſunt.* Menſuræ itaque vt maxime omnium curam habere imperaul, & appetentiam refrenaret, neque plus quam vires tolerarent, acciperet. Iuxta quoque tempus accipiendi cibi neque impetuoſe, neque aceruatim neque ſolidis partibus, aut abſque commanducatione eos ingereret: neque etiam potus cibum interpellaret, id enim vnionem ciborum impedit, ſingulosque ventri innatare facit: *vt idem Aetius refert.* Iuſſi præterea, vt & ordinem præpoſterum caueret, ne ſcilicet mala cotonea aut punica, aut aliquid aliud tale inprimis ingereret, deinde vero olera aſſumeret, aut alia quæ aluum emollirent: nam & intempeſtiuam aſſumptionem euitare oportet: ne antequam heſternus cibus probe deſcenderet, pranderet, aut etiam præter conſuetam horam. Cum enim nulla exercitatione ſeſe exerceret, peius habebat, nam ſedentaria erat, & ſartrix. Tales enim ſemper deſides, hoc malo magis afficiuntur, quam aliæ puellæ, quæ ambulando vel aliter ſe exercent. Concoctu difficilia quantum poſſet vt vitaret, etiam admonui: vt ſunt *carnes naturæ duræ, ſalſæ, fumo induratæ, bubulæ, aut ætate ſeniores.* Et ideo abſtinere iuſſi quantum poſſet à pinguibus, ſalitis ac vetuſtis, & ab oleribus frigidis, quæque flatus pariunt, à cibis corruptis, fœtidis, ac graueolentibus, ac fructib. dulcibus flatuſque generantibus, & immaturis, bellariiſque quæ difficulter concoquuntur, & cibis peregrinis & inconſuetis, placentis. Deinde vt poſt aſſumptum cibum, motus inæquales ac conturbantes vitaret, conſului, & æſtum nimium, ac refrigerationem: hæc enim concoctioni ciborum reſiſtunt; Sed vt præcipue hypochondria ac pedes moderate calidos cuſtodiret: manuque inter dormiendum os ventriculi apprehenderet: id à Gal. magis

laudatur, 5. *de med. simpl. fac. cap.* 5. quam calor ille, qui à fomentis paratur. Somnus & quies his conferunt, & erectior decubitus: & ea quæ capiti subjiciuntur sublimius insternantur, & reclinatio ipsa in sinistrum latus fiat. Frequentes agitationes etiam si vigiliis infestantur, cibos perturbant,
4 intestinaque inflata reddunt. Sed cum hic intemperies frigida esset & humida, tam aër quam cibus, & alia magis ad caliditatem & siccitatem vergant: & sic potius assis quam elixis & valde humidis vteretur, iussimus. Et cum intemperies simplex facile tollatur, amotis causis, vt de imbecillitate diximus, ideo hanc frigiditatem calidis curare nitendum esse duximus: & cum vna humiditas adiuncta esset, etiam siccantibus: ideo & aromata concessimus, & carnes assas cum aromate conditas. Et exhibuimus diatrion pipereon & diacalamenthum cum vino, vel, quia non satis dies, cum ceruisia, in qua decocta erant *hyssopus, mentha, absinthium, & calamintha.*

5 Sic alteri puellæ eodem malo laboranti, magis diuiti, sequens claretum commode dedimus: ℞. *cinnamomi electi* ʒ ß. *zinz.* ʒ j. *maceris* ʒ ß. *nucis muscatæ* ϑ j. *caryoph. piperis longi, granor. paradisi ana* ϑ ß. *cum vini Rhenani vel alterius odorati* ℔ ij. *fiat claretum, addito zacch. ad* ʒ viij. Puellæ vero priori, cum non ita diues esset, etiam dedimus decoctum absinthij in ceruisia coctum: & ventriculum commode inunximus oleo nardino, mastichino, & absinthij: adiecta cera exigua: appositoque cerato ex mastiche, speciebus aromaticis quibusdam
Puluis. adiectis, & oleo nardino. In eiusmodi male coloratis & non concoquentibus cibum, hoc puluere commode vtimur: ℞. *anisi* ʒ ij. *seminis fœniculi, cinnamomi, cardamomi, zinz. ana* ʒ j. *spicæ croci, basiliconis, carui sem. apij, petrosel. ana* ʒ ß. *limaturæ ferri præparati, ad pondus omnium adiecto zaccharo, fiat*
6 *pulvis: detur ante prandium* ʒ ß. Appetitum excitat, cibum concoquit, stomachum calefacit; ventositates dissoluit, frigidos crassosque humores ad intestina pellit, colorem plumbeum corrigit, bonumque reddit, ac sanguinem purificat. Hic puluis quoque sæpe expertus dicitur ad male coloratos: ℞. *limaturæ ferri præparati* ʒ vj. *cinnamom.* ʒ ij. *spec. diarod. abb. succini ana* ʒ j. *zacch.* ʒ x. *fiat pulvis.* His quoque valet decoctum azari & alia diuretica, cum in talibus sanguis aquosus fiat ob improbam concoctionem. Etiam his sequens decoloratis conualescentibus prodest. ℞. *Species. diarod. abb. carabe, cinnamomi ana* ʒ ij. *sem. anisi* ʒ j. *galangæ* ʒ j. *limaturæ chalybis præparati* ʒ vj. *zacch.* ℔ ß. *misce.*

Scholia.

7 COmplura sunt, quæ concoctricem facultatem lædant: sicuti enim concoctio alteratio est, qua stomachus sibi cibos assimulat: ita cruditas, seu mala concoctio est, vbi à scopo illo degenerat. Hoc autem fit trifariam, inquit Galenus, *Cruditas trifariam accidit.* vel quia nihil immutantur cibi; & hanc quidem proprie *cruditatem* dicunt: vel, quia non mutantur perfecte: & hæc *bradypepsia* nominatur, quando etiam semicrudi manent: vel, quia in alienam qualitatem mutatur: quæ *dyspepsia* dicitur. Hæc vero duplex est: vel enim in acidam qualitatem vertuntur, (*vt iam sæpe diximus,*) *etiam de stomachi imbecillitate*: vel in nidorosam. De his vide Galen. & præcipue de alteratione seu concoctione (*quæ nihil aliud est, quam ciborum in conuenientem animali qualitatem alteratio*) *lib. de diff. symptom.* Cæterum accidit quandoque frustratio: quæ quidem alterationis, seu concoctionis symptoma est, *eodem Galen. teste 3. de causs. symptomatum.* Verum quum frustratur, propterea, quod nulla omnino alteratio fiat, id symptoma præcipue à Græcis ἀπεψία, à Latinis *cruditas* nominatur (*modo quo in animi functionibus immobilitas, & insensibilitas dicitur,*) significantibus his vocibus actionis amissionem ac priuationem. Quandoque vitiosa alte-
8 ratio fit, quæ iterum à Græcis ἀπεψία, à Latinis quoque *cruditas* appellatur: significatur tamen non sicut prius priuatio, sed deprauatio duntaxat ipsius alterationis. Atque hæc rursus deprauatio duplex esse potest, vel quod tarde & non conuenientem mutationem cibus suscipiat, vel quod corrumpatur omnino, ita vt naturæ gratiam prorsus recipere nequeat. Priorem quidem Græci βραδυπεψίαν, Latini *tardem concoctionem* nominare solent: secunda vero nomen proprium non inuenit: *vt patet eodem 3. de causis symptom.* Sed quamuis diximus ἀπεψίαν nominari posse tam priuationem concoctionis, quam etiam eius deprauationem: tamen æquiuoce, quæ vitiosa facta est, cum ea, quæ omnino non fit, sic nominatur. Propterea clarioris doctrinæ gratia priuationem alterationis ἀπεψίαν: eius vero vitium δυσπεψίαν sicuti tarditatem seu imbecillam alterationem βραδυπεψίαν nominabimus. Omnes tamen vniuersali vocabulo, poterimus iuxta Altimarum vocare *cruditates*: cum in qualibet earum concoctio ipsa frustretur: & ex eisdem fere causis oriantur: maioris duntaxat & minoris rationibus dissidentibus. Ventriculus hic secundum eius spatium seu cauitatem oblæsus est: cum & ipsum coctionis instrumentum sit à natura fabricatum, quomodocunque concoctio vitiata fuerit, modo vitia eiusdem à quopiam externo errore non proueniant. Fieri namque poterit cruditas aliqua (*vt dicemus*) absque hoc, quod ventriculus afficiatur, *vt apud eundem Galenum liquet 1. & 5. de loc. affect. tum 3. de causis sympt.* Erunt itaque facultate ipsa oblæsa prædicta symptomata in genere noxæ functionum naturalium, alteratricis videlicet. Verum in vno symptomate, vt puta in βραδυπεψία ipsa actio erit diminuta: in ἀπεψία, ablata, & in δυσπεψία deprauata. Duo autem priora symptomata facile dignoscuntur: nam ciborum assumptorum qualitas, siue ructare velint, siue vomere, plene seruatur: licet in βραδυπεψία acidi quandoque ructus fiant: interim ventriculus habituoso impletur spiritu. Verum deprauatam concoctionem victus iucundus proueniens, manifeste indicabit: qui modo vnum, modo alterum vitiosum saporem præ se fert. Etsi per aluum corrupti cibi dejiciantur, necessario aderit deiectionum graueolentia. Exempla infrascripta hæc melius indicabunt.

OBSERVATIO XXXVI.

De duobus ægris ægre cibum concoquentibus.

STomachus (*vt iam diximus*) aliquando ægre cibum conficit & immutat, aut serius, quam naturale sit, concoquit. Vt nuper accidit in iuuene quodam, qui consilij causa nos accedebat & conquerebatur de grauitate & præcordiorum inflatione, & quod diutius indigestus cibus in stomacho detineretur, nobis notam vehementioris imbecillitatis ostendens: decem enim horis quandoque incoctus permanebat: idque vitio humoris calidi: nam stomachus morderi, ac erodi, in nauseam effundi videbatur, vento intus mur-

murmurante: ructu quoque ad os ex imo ventre, prorumpente, fumido & grauiter olente: caputque huic graue erat: & quiescere nesciebat: siti vrgebatur, volæ vtræque feruebant, cum cibi tædio. Huic longum somnum vtilem esse diximus, & vt in quiete maneret, sine exercitatione, & vt in latere sinistro dormiret. Id enim mire ex Aristotele conuenit: & rursus in ventre redormire, plurimum ad coctionem facere, quidam volunt. Attamen, qui in dextro latere somnum ineunt, aluo magis cōsulunt. Sed ambulationes somnum antecedere debent, quoad cibus ad imum ventrem re-
2 sideat. Et quia videbatur hic materia aliqua biliosa, erodens, & quod nauseam pateretur, vbi cibus inconcoctus permaneret, nec alio auxilio iuuaretur, aqua hord. tepida cum syr. viol. expellendam esse proposuimus: quod si difficulter vomeret, ob nauseam: infusum rhas. vel syr. ex infus. ros. pallid. cum rhab. vt sumeret præcepi: & ventre exonerato, vt stomachum roboraret, vino mali punici, medij saporis sumpto; ac vt eduliis acetosis aciduliſque iuuaretur, vinoque austero nullarum virium epoto, & aqua ante infrato. Propter capitis dolorem etiam fronti adhibui oleum ros. exiguo aceto infusum. Ac stomachum inunximus *oleo ros. myrt. emplastro impositio ex malo coton. baccis myrt. sant. aliquæ farin. & spod. pulu. inspersis, oleo ros. vnctis & cera q. s. vel absque malo coton.* Quibus præfidiis hic iuuenis bene habuit. Quem-
3 admodum & alter, qui ex humore frigido acidum ructum emittebat: ac sapor in ore acidulus erat. Huic, cum pituita etiam ventriculum grauaret, decoct. absint. sumpto, cum oxym. cumque ad vomitum procliuior esset, decoct. raphan. exhibui, cum oxymel. tepide. Rursus post ment. calam. melissæ, absinth. decoctum, purgaui cum pil. infrascriptis: *Recipe pil. de hier. Gal. pil. stomatic. ana* ϑ j. *pil. de agaric. rhab. electiss. ana* ϑ ß. *cum syrup. de ment. fiant pil.* vij. *detur mane.* Postea capiebat aromatic. rosa. & subinde vtebatur vino generoso, & diatrionpi. & stomachum inungebat ol. nar. & spic. Atque iis tum alij, his vel similibus remediis, à mala concoctione & imbecillitate stomachi à causa frigida, conualuere.

Scholia.

4 Causæ. CAusa autem eorum symptomatum (*etiam diuersorum scholio præcedente*) communis, alteratricis facultatis frustratio est. Prima vero eiusdem frustrationis causarum genera duo sunt, *vt Galen. lib. 3. de caus. sympt. inquit*: Alterum ex facultate ipsa læsa: alterum ab externo quopiam errore prouenies. Virtutis autem læsio adhuc bifariam esse potest: aut culpa proprie substantiæ, ex aliqua primarum qualitatum intemperie: vt pote cum præter naturam calefacta, infrigidata, humectata, aut exsiccata fuerit. Vel læditur virtus ipsa ab aliquo instrumentali morbo, *vt erysipelate, phlegmone, œdemate, scirrho, abscessu, & aliis eiusmodi*: quorum omnium occasione, venter facultate eius concoctrice oblæsa male concoquit. Verum in eiusmodi ventriculi temperamenti vitiis propria eius substantia labefactata, concoctio læditur: in cæteris morbis, qui tantum sunt instrumentales, duntaxat impedita. Qui vero ex intemperie simul, & instrumentali morbo compositi affectus sunt, vtroque modo sunt noxij, ex *sententia eiusdem Galeni præcitato loco.* Ex tot itaque internis causis affectus ventriculi male cōcoquit: *vt docte etiam annotauit Altimarus cap. proprio de cruditate.* Verum ipso minime affecto, à nonnullis etiam causis concoctio impediri potest: vt propter cibi ac potionis immodicam copiam; vel propter eorum qualitatem alienam; aut sumptionem intempestiuam: intelligo acceptionem ciborum, antequam prior cibus probe subiret, ac etiam præter consuetam horam, similiter propter incongruum ordinem, vel somnum exiguum, & immodicas vigilias, exercitationesque mox à cibo factas: aut vitiosum excrementum. Quanquam si ex eo concoctionem frustrari contingat (*etiam ventriculo minime affecto*) inter internas causas connumerari debet. At si ex immodica cibi ac potio- *Signa earum ab errore commisso.*
nis copia, vel praua eorundem qualitate, seu intempestiuitate, vel incongruo ordine aut exiguo somno, haud ægre à laborante ipso seu æstuante percipi poterit. Interim vero, vbi corrupte la assumptorum sequatur, ex ipsa corruptionis differentia alimentorum qualitas præsumpta argui poterit: nam si in fumosam qualitatem corrupte- *Ex corrupta assumptorum.* la vergat, argumentum est ex calidioribus magisque biliosis cibis prouenire: si vero ad acidam, ex *Si ob calidā aut frigidā intemperiē ventriculi fiat cruditas signa.*
iis, qui frigidiores natura sunt, magisque pituitosi. At si in ventriculo cibi non suapte natura In fumum transmutentur, & quispiam fumosum ructum emittat, efficientem huius causam, calidam ipsius ventriculi intemperiem esse, coniicie- 7
dum erit. Si vero saporem acidum referunt, eam frigidam esse necesse est: quamuis similiter in excrementis fiat, cum in ipso ventriculo contineantur. Nam acidas qualitates quidem creant, quæ pituitosa sunt & frigida: fumosus vero, quæ calida & biliosa, *vt liquet eodem 3. de caus. sympt.* Vt vero distinguas, vtrum intemperies aliqua duntaxat calida vel frigida, an vitiosus quispiam humor ventrem infestet, dare oportet cibos, qui suapte natura, modo incorruptionis, quam maxime aduersentur, *ex Galeni auctoritate 1. de loc. affect.* vt panem illis, qui in fumum transmutare cibum consueuerunt; mel autem iis, qui acidum à cibo saporem percipiunt. Deinde considerare excrementa, tum ea, quæ euomuntur, tum quæ per aluum deiiciuntur; num humor aliquis cum illis quidem biliosus ac calidus, cum iis autem pituitosus ac frigidus excernatur: an nullo vacuato humore, ipsa exiguam quandam mutationem habeant. Nam si sine humore, perquam exigua in ipsis facta mutatione, deiici videbis, intemperie duntaxat ventriculum laborare percipies. Si vero humor quoque deiiciatur, qui cibum corrumpere possit, videbis cibos huiusmodi humore submersos, & ab ipsius ventriculi actione manifestius alteratos. Verum vbi in tunicis ventriculi impactum contineatur excrementum, id quod ex inani nausea, sine vomitu, quæ irritat duntaxat & nullum humorem euacuat, dignosces; si calidum fuerit, præter nauseam, sitis vehemens aderit (*vt iam sæpe dictum est*) & interdum febris, si frigidum, maior ciborum cupiditas excitabitur, nec siti, nec febri affligentur. Intemperie 8
calida aut frigida breui eo perducitur ventricu- *De siccæ & humida intemperie.*
lus: in humiditate & siccitate non ita actionem amittit, nisi prolixo temporis spatio: *eodem Galeno teste 3. de symptom. causis.* Signa siccæ intemperiei & humidæ, vti & frigidæ & calidæ, diximus de imbecillitate ventriculi. Humidam itaque intemperiem, præter ea, quæ ibidem diximus, hydrops plerumque præcedit: vti & siccam, senium vel marasmus: *eodem Galeno auctore.* Si vero *Signa morborum instrumentalium.*
ab instrumentalibus quibusdam morbis prædicta symptomata oriantur, ex eorundem instrumentalium morborum propriis indiciis cognoscentur: de quibus satis in præcedentibus quoque

Causæ bradypepsiæ.

diximus. Sed, quæ ex iam dictis symptomatis magis parata sint hæc incitare, videndum est. Sciendum est autem, quod promptius βεβρωμένα oritur exiguo somno, ex cibis, qui difficulter corrumpuntur, & si vltra, quam vires tolerant, sumantur; *iuxta Galenum & Aëtium capit. 24. lib. 9.* Quemadmodum, vbi citra corruptelam concoctionis omnino priuatio sit: ita, vt quales accepti sunt cibi tales permaneant, iuxta omnem eorum qualitatem, proprieque ἀπεψία dicitur, scire licet prorsus superatum esse ventriculum, aut ob immodicam ciborum multitudinem, aut ob virtutis imbecillitatem, aut à valido frigore, aut ob vehementem in siti caloris refrigerationem; *vt apud eosdem liquet.* Adeo enim in tali statu venter non concoquit, vt etiam concoquere prorsus non tentet. Circa mediocres etiam, & consuetos cibos, si nihil in totum effecerit ventriculus, maximam eiusdem esse intemperiem prodit. Cæterum si cum corruptione cruditas oboritur, quæ proprie δυσπεψία dicitur ex calida vel frigida intemperie, præsertimque ex calida excitatur, cum nullum esculentum calefactum durare imputre possit, *vt constat apud eundem Galenum.* Similiter oritur ex recrementis calidis aut frigidis, aut vitiosis ciborum qualitatibus iuxta ventrem consistentibus: aliquando etiam ex inordinata sumptione ciborum, aut potuum, aut intempestiuitate fit, *vt apud eundem Aëtium patet.* Ex quibus itaque causis, quodlibet prædictorum symptomatum oriri paratum sit, ex his liquido constat. Nunc ad prognostica accedamus. Cruditas assidua maxime vitanda, cum ex ea vitiosi humores, morbique gignantur, siue ex boni, siue ex mali succi cibis fuerit orta: quanquam ea deterior fit, quam vitiosi succi cibaria effecerunt: *vt liquet apud Galenum lib. de cibis boni ac mali succi.* Æque mala quoque est in amara bile redundantibus cruditas; citissime enim febrem accendit: quodcunque tamen prædictorum symptomatum ex cibis oritur, ex facili corrigetur. Mala quoque intemperies stomachi, post quam est inueterata & antiqua & confirmata, curationem non recipit. Quod autem ex vltimo virtutis collapsu in lienteriam, aut tympaniam hydropem finiatur, testis est Galenus, *eodem 3. de causis symptomatum.* Omnes quoque magnæ ventriculi intemperies, veluti & aliarum partium, virtutem deiiciunt; *vt ibidem patet, & comment. aphor. 20. 2. lib.* Et propterea cum circa mediocres, & consuetos cibos nihil in totum effecerit, maximam ostendit ventris intemperiem. Pessima in amara bili; in qua cibi in nidorulentam & fumosam qualitatem corrumpuntur: quando ea, quæ in acidam vertit, vt raro talibus naturis contingit, minus nocet, *Galeno auctore 8. meth. med.* Nidorosa ac fumosa cruditas tunc minus noxia est eisdem, si aluus lubrica fuerit: sin astringitur grauis est: si quidem ex adstrictione eius vitiosæ naturæ, in febres prompte incidunt; præsertim si ad solita conuertuntur opera, *eodem Galeno teste.* Omnia etiam prædictorum trium symptomatum pessimum est ἀπεψία, si vitio facultatis fiat: sicut βεβρωμένα minus affert periculi. Ex assiduis cruditatibus colicæ & iliacæ passiones contingunt. Ex corrupta digestione seu concoctione, *hydrops, carcinoma, herpes, noma, erysipelas, vitiligo, lepra, scabies & similia, vt quidam volunt,* oriri solent. Sic ex corrupto succo sanguis cum cæteris humoribus corrumpitur. Et sanguis corruptus, omnium pessimus est. Quod ad curationem attinet, qualis victus omnibus communis sit, *Obseru. 34. præcedente diximus.* Diuersa tamen ratio victus pro causarum diuersitate, vti & medicamentorum, præscribenda est. Quæ autem conueniunt frigidæ, calidæ, & siccæ, & humidæ intemperiei, ea petenda ex iis, quæ imbecillitatem ventriculi curare possunt: & si sit cum humorum abundantia, ex iis quoque, quæ ibidem diximus, tum etiam de nausea & vomitu, quomodo tales sint curandi, facile intelliges. De imbecillitate itaque ventriculi, tum etiam, quæ dicta sunt de nausea, vomitu, quæ alterant, purgant, ac roborant & corrigunt intemperiem, & quæ excrementis corrigendis satisfaciunt, conscripta inuenies. At si ex aliquo instrumentali morbo prædicta excitentur symptomata, nemini dubium est, quod in eorum curatione, & ipsa quoque delentur: aliam enim inflammatio, aliam erysipelas, aliam abscessus, & scirrhus requirit: *de quibus omnibus in præcedentibus dictum est.* Verum, vbi ex alimentorum multitudine, quæ concoqui nequit, aut eorum vitiosa qualitate cruditas fiat, confestim procurandum erit, vomitu, aut purgatione per infernas partes, ipsos expurgari. Eiiciendus etenim est cibus, si coacuit intus, aut computruit, *ex Celsi auctoritate, lib. 4. cap. 5.* modo suapte natura vomant: nam cogere eum, qui vomere non potest, absurdum est *ex Galen. 1. de loc. affect.* Si facile vomant, vt promptius id fiat, dandæ illis sunt aquæ tepidæ multæ, pauco aceto aut syr. acetoso permixto, seu oxymelite: at si vomere haudquaquam valeant, præsertim vbi multum aut corruptum nutrimentum notabiliter ad inferiora ventris sit motum, adiuuandum est, vt citius descendat, aut glande subdita, aut leui per inferius infusione, per clysteres videlicet, *vt 8. meth. medend. à Galen. scriptum est.* Veluti etiam, si crudum, aut diminute concoctum in superiori ventriculi parte alimentum adhuc consistat, modo concoqui possit, aliquid diatrionpipereon dabis, simplicissimo quidem modo, quo ab eodem Gal. 4. *de sanit. tuend.* scriptum est, vel si id haberi nequit, tantundem piperis longi aut albi, si hoc adsit, aut nigri exhibere conuenit. Similiter extrinsecus adhibitis concoctio iuuanda erit, vt si expansa manu (*vt paulo ante admonuimus*) os ventris apprehendatur, aut puerulus carnosus admoueatur: vt Aëtius refert. Vide de his *Galen. 5. de simpl. & 7. meth.* vbi scribit, *& humanum corpus ille impositum iuuisse.* Alij in quiete paruos catellos ventri imposuere. Sed puellus ne sit humecta cute; sudore profuso refrigerant potius quam calfaciunt, inquit Gal. Valent & calida exterius adhibita: quorum syluam inuenies in præcedentibus, & apud *Gal. 8. meth.* conscriptam. Quod si non modo ex alimentorum praua qualitate, sed intempestiuitate, aut inordinata eorum sumptione, seu exiguo somno, cum corruptela cruditas generetur, non alia ratione curari debet, quam si ex prædicta alimentorum vitiosa qualitate, aut multitudine fuisset excitata. Illud tamen particulatim attendendum erit, quod quibus ob flauæ bilis copiam in ventriculo contentam, vel calidam admodum eiusdem intemperiem δυσπεψία, seu cruditas cum corruptela accidit, cibos corruptu difficiles, difficilesque concoctu offerre conuenit. Nam quæ concoctu difficilia sunt, non facile alterantur, ac corrumpuntur. Sed si in multum calorem inciderint concoquuntur magis, quam si moderato occurrerint, ex Galen. *decreto 1. de aliment. facult.* quod etiam confirmauit Celsus eodem *cap. 5. lib. 4.* Hæc libuit hic addere ex Altimaro. Sed exempla subsequentium variâ esse curationem pro causa adhibendam ostendet.

Causæ propriæ apepsiæ.

Prognostica

Curatio

OBSER-

OBSERVATIO XXXVII.

De quodam ex cibo corrupto in stomacho existente, laborante digestionis corruptione.

QVidam hoc tempore cum circa stomachum male haberet, & cum excrementa, aut ventris crepitus flatusque supra modum & præter naturam olerent, corruptam digestionem seu concoctionem animaduerti. Hic enim præcipue ex eduliis quibus delectabatur, nempe piscibus, ructus acidos emittebat: quod signum erat frigidæ intemperiei ipsius ventriculi. Deinde cum ex liene (*nam subinde in hypochondrio leuem obstructionem seu dolorem sentiebat*) melancholicus humor ad ventrem effunderetur, cibum magis corrumpebat: quod non solum ructus acidi, sed ea, quæ cum cibo euomerentur, subinde aciditatem habebant. Quamobrem huic, cum nauseabundus esset, per vomitum prius cibum corruptum, deinde per ventrem educere decreui. Post cibum assumptum dedi *decoctionis betæ, atriplicis, ficuum* ℥ iiij. *syr. acetosi simpl.* ℥ j. *oxymel.* ℥ ß. prius inuncto ventriculo, vt paulo laxior esset, *cum oleo amygd. dul.* vt melius euomeret: facile enim vomebat. Postea dedi *decoctum betonicæ, menthæ, absinthij, hyssopi, adiecto syr. acetos. simpl. & composito:* & commode eum purgaui cum *pilulis de hiera cum agarico, & pilul. arom. mastich. ana* ϑ j. *cum syrup. menthaceo*; conficiendo pilulas septem. Lienem inungebam cum oleo de capparibus. Et ventriculum quoque corroborabam cum speciebus diagalangæ, & aromatico rosato; exterius inungendo cum oleo menthaceo, absinthij, & macerisadiecta pauca cera: superimposito deinde emplastro seu cerato mastichino.

SCHOLIA.

DIximus digestionis corruptionem fieri, cum in stomacho cibus boni succi corrumpitur, aut aduritur, aut acore, vel tetro sapore vitiatur, quem exinde natura refugit. Cibi vero qualitatem acidam faciunt pisces, caroque gelu coacta: vti & qualitatem fumosam, mel, raphanus, allia, nasturtium, sinapi, & similia; & ouа fricta facile in fumum mutantur. Sæpe vero in conualescentibus, materia acetat & recidiuam minatur, reliquis putrescentibus: quod in acutis febribus male pronunciat ex caloris defectu; at in longis morbis diuturnitatem morbi præsagit. Contingit aliquando, imo sæpius, & ventriculi debilitatem & malam concoctionem siue ciborum corruptionem relinqui in conualescentibus, morbo acuto seu longo superato; aliquando quidem tantam, vt neque assumat alimentum, aut assumptum non elaboret: estque indicium reliquias morbi relictas in causa esse, quod suctionis sensum non percipiat: alias autem quoque accidit, vt suctionis sensum percipiat quidem, quæ à membris extenuatis ipsius corporis sit, eaque ratione alimentum expetit; elaborare tamen assumptum non potest, ob debilitatem relictam. At in sanis hæc eadem contingunt ob nudam intemperiem, vt diximus, vel cum materia: sicuti enim acescunt ructus ex causa frigida, *vt diximus*; ita & fumosæ superfluitates sine cibi vitio, ex calore malum oriri significant. Ægineta ex calida habitudine frigidam cum omphacij succo dari suadet, aut cytoniorum malorum decoctum. Sed de his, vti etiam de bile, si cibos corrumpat, illa ipsa, aut vomitu deiicienda, aut leuiter per aluum expurganda, denuo roborato ventriculo, vt iam sæpius dictum est: quibus adiungere poteris ea, quæ nos de imbecillitate ventriculi prius diximus, & quæ ad longum referuntur apud Benedictum Veronensem *lib. 13. c. 1. 2. & 3. de imbecillitate stomachi eiusque notis & curationibus*, & quæ idem de ægre concoquentibus & vitiata concoctione agit in eodem libro. Interea diligenter cauendum, ne frigidissima etiam in bile, aut ex temperie calida stomacho affecto applicentur: cuius vide exemplum apud Beniuenium *de abditis morborum causis cap. 15.* de quodam, cui ex incuria medici emplastrum frigidissimum stomacho appositum fuit, morte subsequente; & *cap. 15.* de quodam interempto ex frigidissimo aquæ potu: de quibus alias diximus, tum aliis quoque & *lib. 1. obser. nostrarum de febr. scholio obseru. 13.*

OBSERVATIO XXXVIII.

De stomachi resolutione.

VIs aliquando in stomacho attrahendi, vel ex toto corrumpitur, vel læditur: aut enim (*vt Galen. docet*) nil attrahit, aut ægre, aut parum trahit, ita vt ex toto auferatur aut diminuatur, aut omnino corrũpatur. Id vitium aliqui resolutionem vocauere, quod œsophago (*vt alias diximus*) plurimum euenit: morituri enim aut omnino defecti viribus, nihil deuorant, aut difficulter assumunt. Idem & in perniciosis febribus vel ipsa inflãte crisi extraordinaria & præter naturali frigiditate vel humida addita resoluente; aut calida & sicca rarefaciente, vt in acutis contingit febribus, in quibus sine alio faucium vel gutturis vitio neque cibus, neque potus aut œsophago canicula apprehendi potest. Mirum est, (*inquit Benedictus Veronensis*) nec tamen abs re, quod cibum nonnunquam cathelctica vidicta ita resoluta, capiunt; potum autem nequeunt. Hoc quidem malo, ex imbecillitate stomachi laboranti cuidam spica & nuce muscata, adiecta exigua mastiche, cum pauco vino rubro sumptis, recte occurrebamus: nam calidis & siccis vis attrahendi conseruatur: caryophyllo, cinnamomo, cymino & iis similibus iuuatur: sicuti in ardenti febre succo, cucumeris aut cucurbitæ decocto. Refert Beniuenius se nobilem quendam, Iohannem nomine, Neapolitanum (*cap. 66.*) hoc vitio diu affectum, cum à medicis aliis curari non posset, curasse (*cum ex calidiore habitu ventriculi vitium contractum certis iudiciis intellexisset*) iis, quæ aridum ac iam tabe consumptum corpus desiderat. Primo die solas lactucas ex aceto & oleo cõmanducare præcepit, veruecinam carnem potius quam auem exhibendo, & vinum frigidum & austerum: ac genere victus frigido ac frigidioribus medicamentis vtens, intra duos menses ægrum restituit.

SCHOLIA.

PEssimum vitium est resolutio stomachi à Latinis dicta, cum cibi non tenax est; quo corpus (*vt Celsus tradit*) non alitur, sed tabe consumitur. Sed qui hoc vitio, seu imbecillitate ventriculi laborant, stomachici quoque appellantur: quamuis & illos quoque, qui nec cibum continent, nec desiderant, aliqui & dissolutos inualidos vocauere: vel textura ratione affecti, imbecilliterque attrahentes, vel parum appetentes, stomachi inualidi etiam dicuntur. Quamuis etiam vulgus eos quo-

Stomachici

quoque ſtomachicos vocat, qui appetentiam perdiderunt; vel quibus poſt cibum ventris os grauatur; & quibus nauſea contingit, & ad vomitum impelluntur, cibique corrupti ſunt, & nidoroſi vel vitiati, & eos quibus ructus moleſtiam patit, vel cibi vix deſcendunt. Quorum tamen curationes (*vt iam oſtendimus*) pro varietate cauſarum tum affectus perficiuntur. De imbecillitate ſtomachi vide Benedictum Veronenſem *lib. 13. cap. 3.* habes ibidem diuerſas curationes, tam ex frigida & humida cauſa: & quæ ſtudioſis victus ratio conueniat: cum fere omnes, vti religioſi & togatorum fere magna pars, ſtomacho ſint infirmiores, cum plurimum ſine corporis exercitatione viuant. At de reſolutione agit *cap. 9. & 10.* vbi quædam ſelectiora remedia breuiter quidem enumerat. Si retentrix vis ſit læſa, vel quia ſtomachus nihil retinet, aut parum comprehendit, nec concoctionem aut digeſtionem opportunam exſpectat: aut ſi pertinacius quam opus ſit retinet, vel digeſto etiam cibo, retinet tamen interdum, ſed tremulo, vt dictum eſt, modo, vel ſpaſmoſo, ſiue ſingultu. Sic in lienteria cibus non continetur. Summa retentrix corroboratur ſtypticis frigidis. At vis expultrix læſa vel ex toto ſublata, inertem in ventre cibum derelinquit; ſicut in ileo morbo: aut debilitatur & laſſeſcit; ita, vt ſerius irritata cibum expellat, vel partem duntaxat, aut modum exſuperat irritata virtus, aut corrumpitur, vnde ructus, vomitus, fluxus. Expellendi vi concitata, cibum non diu patitur concoctum, & prauum humorem expellit, & cibum indigeſtum emittit. Nimio enim frigore vel humore laxatur, combibito inter tunicarum flamina, vt dictum eſt. In cauſa eſt & membri leuitas, humoris mordacitas, leuitas grauitas ve, vlcus, abſceſſus, aut flauæ bilis inopia, vel ſi pyloron nihil recipiat, & arida ſine putu & ſtyptica. Expultricem corrumpi rarum eſt; rariuſque euenit, vt ex toto cibus expellatur, præterquam in vomitu ſymptomatico: at ſi expulſiua infirmior, digeſtionem corrumpit; vehementior vero, vt in lienteria, inconcoctionem affert: remedia de lienteria dicemus. Sed ſi nihil expellat, ob frigiditatem, laxantia quædam vmbilico imponunt, ex ſucco cyclaminis, cucumeris erratici, colocynth. cum felle vaccino, & aliis. Ex caliditate & ſiccitate, ex herbæ mercurialis ſucco, & in ebuli rad. cum oleo viol. & cucurbitino, & ſimilibus, diacrydio adiectis. In communi expultrix potentia ex calido & ſicco læditur: frigidis & humidis ſuccurritur. Interea ſciendum, quod non omnibus eodem modo cibus in ventre moram trahit; quidam, quoties aſſumunt in die, toties ventrem exonerant; alij ſemel, alij ſæpius, quidam alternis diebus; nonnulli quarto aut octauo quoquo die. In ſtomacho plurimum à ſex horis ad 12. vſque, ad quintam, vſque decimam moram trahit, pro ſtomachi, ac ætris qualitate, & modo, proque corporis exercitatione. Cauſæ variæ ex cerebri affectu, læſa animali potentia, aut ſtudiorum occupationibus, aut retentrice vi validiore, vel imbecillitate expultricis, aut ventris exterioris muſculorum infirmitate, vel ſi bilis in imum ventrem non effuſa fuerit: plurimum facit ea, de qua dictum eſt, leniens, aut nimia crenarum aſperitas: obeſt & ſpiritus intus incluſus, abſceſſus, vermes inteſtinorum, ac varia membrorum oppilatio. Huc ſpectant ſtyptica commanducata ante cibum, retardantia digeſtionem. Quæ autem duriorem aluum emolliunt, iuuant ad expulſionem, *vt caro pinguis pulli, ouum ſorbile, adiecto ſaccharo, emollit: ius pingue, lac recens, ius gallinaceæ veteris, aut gallinæ, ventrem cathartici modo turbat: pruna, ceraſa, mora, ficus recentes, aridæ præpingues, & caricæ, vua matura alba, & paſſula.* ex oleribus *beta, atriplex, ſpinachium, blitum, mercurialis, braſſica ſemicocta*, vel efficacius, ſi nudis pedibus æſtate pauimento aqua aſperſa ambulauerit; durant enim aluum emollit, nec alio auxilio quandoque leuatur; lupulus quoque iuuat. Frequentius in prandio bibere aluum liquidam reddit, pruna Damaſcena matura, & dulcia Hiſpanica leniunt ventrem: ex prunis compoſitio ſimplex & caſſia, & ſyr. viol. butyrum vero recens, aut adeps gallinaceus, aut anſerinus, cum pſyllij decocto lentore, vel althææ, illinitur ventri; aſperitatem enim ſtomachi emolliunt. At ſi bilis flaua intercluſa fuerit, aperientibus opus eſt, *vt poſtea de ictericis dicetur.* In inteſtini oppilatione, quæ iliacis proſunt damnis. In ſumma, calida & humida in communi expultricem vim corroborant; ſicuti per interualla acuta & amara ſalſaque excitant in prima menſa, propterea cœparum & ſinapis vſus, piperque longum quandoque aſſumptum prodeſt. Cibus vero ex ſtomacho citius defluit, ex nimia neruorum cerebri ad ventrem pertinentium debilitate; ſed rarius: frequentius vero retentrice infirma, aut nimium valida vi expultrice, & humida quandoque ſtomachi habitudine immateriali, vel cum humore ſalſo, acuto vel acetoſo aut lubrico, aut vlcere innato, ab exiguo naturali calore prope exſtincto, cibus protinus, *Galen. teſte*, profluit. Hic victus ratio priori morbo diſſimilis eſſe debet. Prodeſt animi ſecuritas & quies: cubiculo calido ac ſicco, temperantiæ proximo, vti debet, ſomnoque longiore; à cœna vero ſtatim procumbendum eſt, in ſiniſtrum fere ſemper latus: ante cibum fricari ſupremas partes conuenit. Panis ex ſimilagine conficiendus eſt; parumque fermentari debet: exigi o ſale addito vel nullo: maſtichicis pollinem ingerito, ac coriandrum præparatum. Pro plebe ſorba arida tunſa miſceri iuuat. In obſoniis auiculæ, turtures, phaſiani, perdices, turdi, lepores & ſimilia, aſſa præſertim. Vinum rubrum adſtringens bibendum, aqua ferrata temperatum. In prima menſa, quæ leuiter adſtringunt offerimus frigidiuſcula, ſi calida cauſa fuerit; aut contra ſi frigida; ſtomachus oleo lentiſcino, maſtichino illinendus.

4 De potentia retentrice læſa.

De expultrice.

5

6 De mora cibi in ventre.

7 Ventrem non omnibus.

OBSERVATIO XXXIX.

De ventriculi inflatione, cum ingenti dolore.

INflatur aliquando venter, craſſo intus incluſo vento, ex damnatis cibis; qualia ſunt *legumina omnia & dulcia, vua recens, ficus, poma, muſtum, allium, cœpe, eruca, braſſica, bulbi, lac, omniſque caſeus*; aut ſi cibus, qui faciliter concoquitur, ſecunda apponatur menſa, aut Venus crudo ſtomacho frequens: vel ſummatim, ſi infirmus fuerit calor cum craſſis & crudis humoribus, vel melancholicis, vt in hypochondriaco affectu. Sic pictor quidam Alcmarianus familiaris noſter, cum in autumno flatulentis cibis vteretur, & ſubinde muſtum biberet, annos 28. natus, ſtomachum quoque debilem habens, incidit in ventriculi dolorem intolerabilem, cum eiuſdem inflatione etiam exterius apparente; quæ & tactu ſentiebatur. Ad hunc accitus, cum medicamentoſas potiones omnes, quæ in officina pharmacopæi parantur, reſpueret, nec vllas admitteret, imperaui vt chamæmillam communem & Romanam conciſam, adiecto momento ſeminis anis & cari, decoqueret in ceruiſia communi: quam cum bibiſſet, flatum per ſuperna & ventris crepitum emiſit, & illico leuamen ſenſit, præcipue ventoſitatibus vna cum ructibus ſuperius emiſſis. Sed cum dolor nonnihil adhuc perſeueraret, certis tandem rationibus perſuaſus, *pilul.* vij. ex ℥ j. *pilul. hieræ ſimplicis Galeni*, deuorauit. Quibus ter aluum depoſuit; & ventriculo mox inuncto oleo chamæmelino, anethino, rutaceo ſimul mixtis, tumor atque inflatio ventriculi ceſſarunt. Interea tamen iubebam, vt ad magnitudinem fabæ maiuſculæ omni mane ex hac mixtura ſumeret: ℞. *pul. ſeminis dauci, petroſ. ana* ℥ j. *ſem. aniſi* ℈ ij. ß. *conſer. bugloſſ.* ℥ j. *conſer. flor. vorſim.* ℥ ß. *ſpecier. diagalang.* ℥ j. *ſyr. de corticib. citri parum; fiat mixtura. Etiam ſumebat diagalangæ in tabulis, duabus horis ante cibum* ℥ ij. *vel* iij. Quibus præſidiis hic ſanitati probe reſtitutus fuit. Huic tamen lactis vſum interdixi, quo maxime delectabatur; minime enim iis conuenit, *teſte Hippocrate*, quibus præcordia plurimum prætenduntur; magis ſi ſonant inteſtina, ex multa intus materia.

8 Expultrix vim corroborantia.

9 Quibus bibus cum quam oportet à ſtomacho deſcendit.

10 Curatio.

SCHOLIA.

ACcidit quandoque (*vt etiam Donatus recenſuit*) ipſi ventriculo, vt inſtrumento coctionis, retentrice, ſeu complectente ipſius facultate imbecilla exiſtente, affectus quidam, qui à Græcis, præſertim à Paulo *cap. 38. lib. 3.* & à *Galeno 3. de cauſ. ſymptom.* πθμάτωσις γαστρὸς dicitur; quãuis quandoque ab eodem Galen. (*vt patet 14. meth. med.*) ἐμφύσημα nuncupetur; à Latinis autem *inflatio ventriculi* appellatur: qui affectus nihil aliud eſt, quam eiuſdem ventriculi diſtenſio & dolor, ex flatuoſo ſpiritu: Flatuoſus enim ſpiritus in eo gignitur, aut per os excernitur, & ſic ructum creat; aut per ſedem. In ea autem venter ſeu ventriculus vt coctionis officina afficitur. At affectus *à Galen. 14. method. med.* inter morbos reponitur in quantitate ſeu magnitudine. Differt tamen ab œdemate, quoniam œdema prementibus nobis cedit, digitique admodũ alte in ipſum deſcendunt: inflatio vero digitis preſſa, veſtigium non retinet, ac ſonitum veluti tympanum reddit, ex eodem *Galen. 14. method.* Grauitas quandoque & diſtenſio non ſolum circa ventrem ipſum, ſed iuxta totum pectus: aliquando vero retro, iuxta collum, ac deorſum, & ad ipſa vertibula irruit: ſæpe autem vtrinque occupatos tenet: aliquando & tumorem circa os ventris efficit; tuctuſque inanes fiunt, modice alleuiantes; & inhibitio flatuum, qui per aluum excerni conſueuerunt. Quibuſdam eorum dolores accidunt, ac appetitus perditiones, ac capitis dolor, *vt patet ex Aetio, Archigenis auctoritate. cap. 27. lib. 9.* Si vero ante perfectam reſtitutionem cibum accipiant, amplius membra ipſa inflantur, & cum dolore diſtenduntur: leuantur autem alimento inferne ſubeunte, & flatibus ſiue per ructus, ſiue per inteſtina excluſis, *vt idem Aetius inquit.* Vbi vero flatuoſus ſpiritus per inteſtina mouetur, multiformes edit ſonitus: quorum non omnes nomina ſunt ſortiti: verum prudenti viro ex diuerſis ſonitus differentiis, quale quantumque excrementum ſit, ac quo maxime loco voluatur, patere poteſt: *vt eod. 3. de cauſ. ſympt. apud Galen. legitur.* Quomodo ſpiritus flatuoſus vel flatus ipſe generetur, iam ex parte diximus ſcholio *obſer. 22. huius libri.* Breuiter, cum inflatio ventriculi fiat à multis flatibus, qui ſolent fieri à debili calore tanquam à cauſa efficiente: ab alimentis flatulentis & humidis, vel à pituitoſis ſuccis: alij volunt fieri ſpiritum flatuoſum à mediocri calore: vel (*vt alij volunt*) ex humoribus, vel cibis languida caliditate in vapores diſſolutis, in ventriculo generatur, *iuxta Paulum in Aëtium*: nam refrigeratio, (*inquit Paulus*) hoc nomine, quod extenuare & diſſoluere non ſit idonea, nullos flatus procreat. Vehemens caliditas cum non tantum extenuet, ſed etiam diſcutiat, flatus generationem impedit: minor vero caliditas, diffundit quidem & tranſmutat alimentum, verum minus quam opus ſit: vnde flatus excitantur. Verum ſi ex flatuoſis cibis inflatio oriatur, ex exiguo, & breuis temporis ſpiritu flatuoſo orto, qui vno vel altero ructu vacuatur, comprehendi poterit. At ſi ex eiſdem cibis natura ſi quidem non flatuoſis, ſed in vapores per mediocrem caliditatem reſolutis inflatio fiat, ab aſſumptione eorundem, paulo poſt tempore, inflatio generabitur: & proinde ex laborantium, ſeu aſtantium ſermone id prompte percipies. Verum ſi neque aſſumptio ciborum præceſſerit natura flatuoſorum: pituitoſos humores in ventriculo contentos ac in halitum ſolutos, inflationis cauſam exiſtimabis. Nam ſi ex atræ bilis in eundem ventriculum effuſione flatus quidem generetur, quam affectionem hypochondriacam, ac flatuoſam nominant, præter reliqua peculiariter metus & mœſtitia aderunt: quemadmodum de melancholia cap. proprio diximus. Sed exempla infraſcripta hæc melius docebunt.

πθμάτωσις. ἐμφύσημα.

Quæ pars affecta. Affectus quis præter naturam.

4 Signa.

5 Flatuoſi ſpiritus vim vel

flatus generatio.

Cauſa.

6 Cauſarum diuerſarum notitia.

OBSERVATIO XL.

De ventriculi inflatione, cum dolore, ex ſuccis pituitoſis.

VEntriculi dolor (*vt alias diximus*) à flatibus in ipſo generatis plerumque fit, aut ex pituitoſis humoribus in eo contentis, aut ex cibis in vapores ab imbecillo calore reſolutis. Atque hæc ipſa ventoſitas raro ſine ventriculi dolore eſt. Hoc malum in me ipſo expertus ſum anno 1556. menſe Iunio, cum imbecillo ſtomacho laborarẽ, tormina ventriculi vna cum vẽtoſitate ſentiens, ingentem ſtomachi dolorem paſſus ſum. Cum itaque cibos flatulentos non ſumpſiſſem, ex pituitoſis excrementis dolorem & flatum ortum coniiciebam. Ergo, vt huic ſymptomati occurrerem, omnium primo cauſam auferre decreui: nempe medicamentis pituitam deiicientibus, leuiter laxantibus: intemperiemque auferendo, vt & calor naturalis diminutus augeretur. Ideo optimum duxi pilulas ſequentes ſumere, quæ vtrumque faciunt, ſcilicet leuiter purgant & calorem ventriculo ſuppeditant: ℞. *pilul. communis, ſeu peſtilentialium, aut Ruffi* ℈ ij. *pilul. de hiera*, ℈ j. *cum aqua fœnic. fiant pilul.* v. Quas mane hora nona deuoraui: & cum tardæ operationis eſſent, mane ſequenti quatuor prius ſeceſſus habui, valde copioſos & pituitoſos, & corruptos, cum emiſſione ventoſitatum: quibus tormina, dolor atque rugitus & flatus magna ex parte ceſſarũt. Sumpſi quoque decoctum *flor. chamæmil. ſeu cumini & aniſi in ceruiſia communi*: quibus ventoſitates expulſæ ſunt, & à dolore fui liberatus. Alioqui ſi non ceſſaſſet, omnino poſt pilulas illas leues, *ex hiera vel aromaticas (quæ idem præſtant)* pituitam coquendo accepiſſem: & vna ventriculum roboraſſem cum *ſyrup. de mentha, de conſerua. ex corticibus citri, cum decocto mentha, byſſopi, beton. abſinth. flor. anthos, & ſimilibus.* Deinde rurſus reiteratis pilulis, denum

mum accepissem attẽnuantia calida, flatusque discutientia, *vt decoctum cymini vel feseli, cum mentha vel hyssopo in vino decoctis.* Quibus etiam in rusticis felicissime vsus sum. Sic Anno 1565. hortulanum curaui, cui ventriculus ex ventositate prominebat, ita, vt fere absessum metuerem. Cui cum medicamenta flatus discutientia propinassem, adiectis quibusdam amaris & detergentibus præsidiis, idem per vomitum & secessum post multos ructus, vermes plurimos reiecit, ventriculo mox subsidente. His hortulanus iste, dum maximo ventriculi dolore & distensione torqueretur, egregie conualuit.

SCHOLIA.

Signa prognostica.

HIc affectus minime contemnendus est: nam inflatio ventriculi, vbi diu perseuerauerit, metus erit, ne in hydropem siccam præcipue terminetur: & si multiplicetur ventriculi inflatio in conualescentibus, recidiuam significabit. Namque, qui à morbis immodice se satiant, flatuosi, ac toto corporis habitu turgidi redduntur, *vt 3. de caus. symptom. Gal. nos docuit.* Quod vero, qui morbo regio laborant, nõ multum ventosi sunt, ab Hippocrat. 72. 5. *lib.* scriptum est. Indicatio vero curationis (*vt & Altimarus ex 14. method. medendi annotauit*) inflationum omnium communis est, vt quod præter naturam est vacuetur, in quocunque id contineatur loco. Propria vera indicatio post hanc communem est, vt tenuissimis & calidis potestate medicamentis id perficiatur: vt aëre calido, somno longiore, qui ex toto affectus leuat, *teste Paulo*, & mirifice coctionem iuuat, *vt habetur 12. meth. med.* Et primo exercitatio leuis, deinde maior adhibenda, maximeque ea, quæ superiores partes moueat, quod genus (*vt Celsus refert cap. 5. lib. 4.*) in omnibus stomachi vitiis aptissimum est. Frictiones item extremarum corporis partium, si exhibeantur, conferunt. Aluus omnino sit leuis, & vbi adstricta, statim clyster infundendus, *vt Aëtius iubet.* Interponenda quoque abstinentia, *iuxta Celsum*: præcipue vero, *teste Aëtio*, vbi ex dissolutis in vaporem cibis orta fuerit inflatio. At si eam ferre non possint, cibi exhibendi sunt calidi, attenuantes, minimeque inflantes, boni succi & coctu faciles, quãtitate exigui. Diuidantur autẽ ex mente eiusdem Aëtij, ità, vt prandio tertiam, in cœna vero reliquas duas accipiãt partes. Fructuum vero ac olerum humidorũ esum semper habeant suspectum. Potus cibum non interpellet. Per omnem tamen cibum vinum meracius exhibeatur, aut non multum. Nam multum potum, tanquam

Medicamẽtorum ratio.

infestissimum hostem, deuitent, *vt Aëtius admonet*: & si non ita diu ante cibum sumpserit, aut cibus fuerit natura flatuosus præassumptus primum vomere præcipe, cum iis, quæ iam sæpe commemorauimus: post vero vomitum, eos fouere oportet, ex oleo, quod tenuium sit partium, quodque rutam habeat incoctam, aut aliquod calidorum seminũ, vt cumini, apij, petrosel. *ex Gal. 14. meth.* Interea prosunt calida & sicca fomenta, ex milio & furfure: præsertim si dolorsit mediocris: vel ex semilini, hordeacea, & loliacea farina, cumino & semine anethi, aut apij, aut fœniculi, oleo rutaceo, aut hydromelite, cataplasma conficiatur, modo adiecto oleo laurino vel centaurij coma, aut eryngij semine, vel lauri baccis, & melanthio. Cucurbitulæ cum multa flamma admotæ, bonæ magnitudinis, vmbilicum vndique comprehendentes, egregie iuuant incantamenti instar, *teste Paulo & Galeno* 14. *method. med. &* 12. Glandes etiam suppo-

Curatio à flatulentis cibis.

nendæ, *ex sem. rutæ, cumino & melle confectæ, sale addito.* Et clysteres *ex decoct. folior. rutæ flor. chamæm. puleg. calamint. furfure, adiectis seminib. fœnic. dauci, & cumini; & caricis: & in* ℔. j. *adiiciendo olei anethini, chamæmel. rutacei ana* ℥ j. *diaphœn. diacath. benedict. laxat. ana* ℥ ß. *sale addito, fiat clyster.* His addere poteris quæ apud Celsum, Aëtium, Paulum scripta sunt: *vt castorei quoque* ℥ j. *cum aceto scyllino*, iuxta Aëtium sumpta. At si ex pituitosis humoribus in halitum solutis contigerit stomachi inflatio, succi prius digesti euacuentur. Euacuabuntur autem vomitu, si ægri in illum proni sunt; sin minus & per inferiorem ventrem, per clysteres paulo acriores, *teste Galeno*: vel per purgans aliquod. Galenus & hic, vbi dolor vrget, ex spiritu flatuoso genito ex prædictis humoribus ante purgationem cucurbitulam adhibet, cum multa flamma copiosa: deinde humorem euacuat, *vt videre licet 12. meth. med.* Humore iam repurgato, eadem topica, quæ iam dicta sunt, & ab aliis auctoribus descripta, conueniunt, vt emplastrum de baccis lauri, supra totum ventrem & supra stomachum, emplastrum stomachicum Galeni: & intus exhibenda potio absinthij, hyssopi aut rutæ. Paulus dat ouillum talum vstum: confert & diacinnamomum, diacyminum, dianisum, diaxyloaloës, diacalamentha aut diatrionpipereon, cum exiguo vino diluto. Nunc aliud exemplum addamus.

Inflatio à pituitosis humoribus in halitum solutis.

OBSERVATIO XLI.

De stomachi & hypochondriorum inflatione ex humore melancholico.

ANno 1588. mense Februario Serenissimus Elector & Episcopus Colonien sis, qui hoc tempore in castello Honselredickio dicto agebat, incidit in ventriculi inflationem ac hypochondriorum, non sine magno dolore; ita, vt me accersiri iuberet. Sentiebat etiam tensionem quandam in hypochondrio sinistro, ex lienis inflatione & obstructione, vt melancholiam: quam procul dubio ex variis suis aduersitatibus contraxerat. Hypochondria ac ventrem cum tangerem, valde distenta erant: iniecto clystere carminante ventositatem, prima vice parum profecit; tandem cum & dolor vrgeret, & totum fere ventrem occuparet; & vrina aliquantulum tincta esset (credo ob dolorem) cumque ructus subinde experiretur, sed difficulter exeuntes: & nihil per ventrem neque flatum emitteret, clysterem partim emollientem (eo quod aluus durior esset) partim dolorem sedantem, & partim ventositatem expellentem, in hunc modum præscripsi: cum & circa lumbos se dolere diceret, etiam calculo sæpius obnoxius: *Recipe rad. altheæ mund.* ℥ j. *foliorum brancæ vrsinæ, parietariæ, maluæ, mercurialis, florum chamæmil. melilori, summitat. anethi ana* m j. *seminis anisi, fœniculi, carui, ana* ℥ i ß. *ruæ* m ß. *sem. lini* ℥ ij. *coquantur in aqua communi pro* ℔ j. *colat. adde cassiæ pro clysteribus* ℥ j. *diacathol.* ℥ ß. *benedictæ laxa.* ℥ ij. *olei chamæmel. anethini ana* ℥ j. *olei rutacei, amygdal. dulc. ana* ℥ ß. *vitellum vnius ouj, salis* ℥ j. *misc. fiat clyster;* eoque diutius detento, ter aluum excreuit flatibus quoque multis tam per superna quã inferna emissis. Vẽtriculum postea etiam repurgauimus, cum sequenti potione (prius etiam carminante potione ebibita) quæ ita habebat: *℞. syrup. ex infus. ros. pallid. cum foliis sennæ* ℥ i ß. *diaphœnici* ℥ ij. *aquæ decoct. flor. chamæmill.* ℥ iij. *misce*, stomachum inunxi-

inunxi mus, deinde cum oleo rutaceo, mastichino, & maceris. Postea & hoc vng. *℞. olei mastichini, coton. maceres ana* ℥ iij. *cerati stomachici Galen.* ℥ ij. *olei caryophyl. gutt.* iij. *ceræ q. s. fiat vnguent.* Interea & hac confectione vtebatur: *℞. species. aromatici ros. diacalaminth. diarod. abb. diacumini ana* ℥ ß. *dissolut. in aqua absinth. adiect. zacchar. albiss.* ℥ iiij. *fiat confectio in rotulis ponderantibus* ℥ iij. *vel* ℥ ß. Egregie hæc iuuabant. Alioqui addidissem aliquot guttas olei anisi, in dicta confectione; quibus vti soleo: etiam oleo ipso cum modico vino per os sumpto, commode vtor ad ventositates expellendas, etiam in colico dolore. Hypochondrium sinistrum inungebam linimento sequenti: *℞. olei de capparibus, olei rutacei ana* ℥ ß. *olei amygdal. amar. emplastri de meliloto &* (quia leuis duricies aderat) *emplastri de muccil. ana* ℥ ij. *olei caryophyll.* (ob meliorem odorem) *guttas tres, ammoniaci dissoluti in aceto* ℥ ij. *ceræ q. s. fiat vnguentum.* Interea quoque imperaui, vt Excellentia sua abstineret à multo potu, & à multis jusculis, leguminibus, & oleribus, minusque dulcibus: quia talia flatus gignunt. His autem malum cessauit: alioqui diatrionpipereon dedissem aut theriacam.

SCHOLIA.

HÆc ventriculi inflatio, ob melancholicum humorem in ventriculum infusum, pertinebat ad hypochondriacam affectionem, quam alias flatuosam appellauimus: quod etiam ex signis cognouimus; cum mœstitia adiuncta esset. Cæterum cum de huius curatione prius dixerimus: hic nihil addendum: nisi quod materiam melancholicam flatulentam digerere debeamus *cum oxymelite & decoct. ceterach. scolopend. rad. cappar. thamaris. & anis. etiam menthæ, melissophylli, chamæpit. thymi*, & similibus. Quidam hic laudant pro purgatione *hieram Russi, cum exiguo mastichis.* Deinde etiam in tumore melancholico fotum commendant, *per spongias, ex aceto, cumino & ammi trito*, potiusque fomentis vtuntur quam vnguentis, ne cera meatus obstruat; ideo irinum & rutaceum oleum quidam & nardinum cum castoreo ventriculo admonent.

OBSERVATIO XLII.

De ructu ventriculi cum aliis symptomatis.

CVm inflatur aut distenditur stomachus, vapores malos & indigestos, Galeno ita tradente, per os eructat, & acidum internum aut grauiolentem ructum emittit, quibus emissis aliquando grauis dolor statim consopitur. Quod vxori cuiusdam calcearij Delphis euenit. Hæc equidem non solum circa lumbos & renem dextrum vehementer dolebat grauida duorum mensium, verum etiam dolor ille totum ventriculum & os eius occupabat, & tanta vehementia stomachum & diaphragma comprimebat, vt præ angustia vix anhelitum trahere posset, & spiritum è pectore educere. Existimabat autem se pleuritide laborare: cuius causa me vocabat, vt certo sciret, quo morbo laboraret, & simul à dolore subleuari posset. Cum autem hæc me præsente plurimos ructus emitteret, quibus nonnihil videbatur subleuari, mox tamen dolore redeunt: ideo cum potionem sequentem ebibisset, ac multos ructus tum ventositates per superna, flatusque & ventris crepitus demisisset, atque locum dolentem linimento infrascripto vnxissemus, pãno calido deinde admoto, miraculi instar omnia symptomata dicta cessarunt: non obstante, quod metus esset de abortu, ob nimium dolorem & angustiam: *℞. sem. anisi fœnic. anethi ana* ℥ i ß. *glycyrrh. ras.* ℥ ß. *uuar. passul. enucl.* ℥ ß. *maluæ*, ob dolorem renum, m. ß. *bulliant in aqua communi q. s. & huius express. accipe* ℥ iij. *addendo syr. ex infus. ros. comm. syr. de cichor. Nicolai an.* ℥ ß. *misce: ℞. olei liliacei, anethini, ping. gallinæ an.* ℥ ß. *misce*, pannis calidis admotis, præter omnium opinionem absque purgatione aut aliis remediis, tantum ructibus & ventositatibus emissis, cum nocte sequenti sudasset, & deinde bene dormiuisset, sanitati restituta fuit.

SCHOLIA.

SOlus homo inter animantia, *vt tradit Aristoteles*, flatum ructumque emittit; quod ex stomachi humiditate contingit: ventres enim aliorum animalium aridiores sunt. Verum, *vt Plinius refert inter morum exempla*, Pomponius consularis, poëta, nunquam ructauit. Id vitium ex crassioribus fumidisque vaporibus vi quadam erumpit, ab imo (*vt aiunt*) stomacho: at enormiter quadam gloria potoribus per ora euoluitur. Censura igitur dignos quidam putarunt, qui ex crapula eructant. At ructus cum plurimum fiat ex indigestione stomachi, aut ex frigore, aut vento: mulieribus sæpissime vuluæ vitio, sæpe cum ventus includitur, nec efflari per se potest, quæ ructus commouent, damus: qualia sunt anisum, origanum, cyminum & similia. Verum si multa subest pituita prius perpurganda esset; alioquin in continuatos verteretur ructus. Sed hic non opus fuit purgatione, cum tantum ventositates hanc mulierem torquerent. Verum, & antea dictum est, exiguo suo calore inflatur stomachus: copiosiore in ructus prorumpit, cibisque pariter inflantibus, vt de inflatione ventriculi diximus. Sunt & alia, quæ effectiue excitant ructum: sicut raphanus, & synapis: quædam materialiter in ventum & fumidum vaporem conuertuntur: vt ouorum lutea, si friguntur, ac ipsum lac: omniaque cruda magis quam cocta inflant: & stomachi caliditas lac arescere facit. At de ructu acido atque fumoso, & quibus signis, si adsit materia frigida, pituitosa vel melancholica, distinguantur, iam antea dictum est. In materia melancholica adest grauitas, lienque subinde dolet & intumescit; & venter cum cibi indigestione, acidoque ructu. A bile ex oris amaritudine fitique; graueolentesque ructus in pestilentia fiunt, ex corrupto quoque cibo, potu pestifero, vt ex lepore marino, aut interioribus viceribus aut absessibus, aut infantibus ex tineis. Æruginis dirus sapor, compunctionibus, ardoribusque indicatur. Cœnosi ructus, qui cibum non mutatum referunt post horas septem, imbecillitatem concoctionis reddunt. Acidus sapor perdurans hydropen minatur. A vento nullum sapor indicium facit: vel si ex frigore aut frigidis natationibus. Omnium primo, quod ad curationem attinet causis primitiuis & antecedentibus occurrendum est: deinde iis, quæ inflationem stomachi discutiunt. Si ex crasso succo, *vt antea dictum*, oxymelite leuatur: deinde hiera; postea & diatrionpipereon, ex aqua vel vino; in ructu quoque vaporoso & fumido absinthiũ & hiera picra.

Curatio.

Reliqua ad ructus dissoluendos *vide apud Aeculanum & caput proprium Valesci lib. 4. c. 11. de eructatione*: vbi ad longum causæ, signa, prognosis & curatio explicantur. Non tamen semper acidus ructus ex causa frigida oritur: sæpe etiam ex calida, *vt apud Trallianum videre licet.* Et vide apud eundem quomodo tales curentur.

OBSERVATIO XLIII.

De muliere cholera morbo correpta.

1 CHolera morbus est acutissimus, sine febre fece, quæ vel vno die, vel altero, vel certe paucis diebus hominem rapit: substantia corporis effusa, partim assiduis vomitionibus, partim iisdem deiectionibus: nisi medicum peritum ac sagacem inuenerit. Sic mulier quædam Alemariana, vxor cuiusdam fabri ferrarij, prope sancti Spiritus sacellum commorantis, mense Iulio, æstate vigente anno 1548. cholera morbo corripi cœpit: cumque & vomitionibus & deiectionibus multa aquosa liquida corrupta & euomeret, & simul deiiceret, cum tanto impetu, vt humoribus multis spiritibusque vacuatis vires concidrent: vnde suborto sudore frigido ac tremore cordis, in syncopen lapsa est: adeo vt astantes illam pro deplorata habentes, curationem sacerdotibus reliquissent, eumque munita esset extrema inunctione, tandem de remediis cogitarunt, atque me ad ægram deduxerunt; mox per me odoriferis naribus adhibitis, atque digitorum frictionibus factis, ad se paulum rediit. Sed, quia adhuc valde nauseabunda apparebat, vomitum illico noluimus constringere, ob materiæ venenositatem. Quare adhibito *cyatho vno decoctionis hordei communis, pauco zaccharo adiecto*, pro medicamento
2 absterforio & lotorio. A quo cum rursus semel vomuisset, & secessum habuisset, mox hunc syrupum propinauimus: ℞. *syr. coton.* ʒ ij. *syr. deribes* ʒ j. *syr. de cichor. Nicoli cum rhabar. syr. menthacei an.* ℥ß. *misce.* Cepit autem circiter cochlearia duo: Postea solum *syr. de ribes, menthaceum & cotoneorum* dedimus, *& zaccharum ros. perlatum.* Postremo capiebat aliquando pro roboratione & maiori constrictione, *diacotoneum sine Specieb.* Ventre ac stomacho inuncto *oleo mastichino, & cotoneorum*, symptomata cessarunt: ita, vt istis tantum remediis, pro mortua habita, sanitati fuerit restituta; cui & exiguum panis biscocti in vino rubro styptico macerati, pauco cinnamomo asperso dedimus, aliquando & succum granatorum expressum: & sana euasit.

Scholia.

3 RHases, & qui eum sequuntur, statim post syncopen, de cholera morbo agunt: eo quod sæpe syncope tales afficiantur, ob nimiam euacuationem, & ob ventriculi consensum: & alij vero de hoc malo, cum plerumque ventris perturbationem, & simul fluxum habeat, scribunt, cum de affectibus intestinorum agunt: verum cum etiam ad ventriculum referatur, de eo quoque malo in hoc libro tractandum esse æstimamus. Multi hic de nomine contendunt, & à causa nomen accepisse putant, à Gnidiis medicis: quamuis non ex propria sententia, *vt Galen. fatetur 2. method. medend.* eum χολὴ id est, bilem causam esse arbitrati sunt, vti & Cornelius Celsus *lib. 4. c. 11.* sentire videtur; cum tamen non solum à bile, sed cibi prauitate & corruptione humorum fieri soleat. Trallianus potius à materia, quæ cum per ventrem adfertur, ex intestinis videtur excerni, fieri putat: Intestina vero cholades, veteres appellabant, vt etiam Homerus testatur his verbis, κέχυτο χαμαὶ χολάδες, quod est, *Fusa erant humi intestina.* Cum totus igitur ventriculus ab aliquo, quod morsu pondereve contristet, vexatur, idque statim eiicere cupiat, superno infernoque ore ad excernendum vtens, affectus quidam hic gignitur, qui à Græcis χολέρα, *3. de caus. symptomat.* à Latinis similiter *cholera* dicitur: quamuis Barbari hunc affectum *cholericam passionem* vocant. Est hæc affectio nihil aliud, iuxta eundem Trallianum, quam immoderata perturbatio, quæ per aluum & vomitum, propter stomachi submersionem, ac eiusdem offensionem prouenit. Paulus describit quoque *cap. 39. lib. 3.* eam esse immodicam ventriculi perturbationem, supra infraque erumpentem. Et quanquam Celsus hæsitet, num intestina vel stomachus lædantur, cum vtrisque commune vitium esse posse putat: iuxta tamen Gal. loco citato, secundum totum hic ventriculus afficitur, *vt etiam docet Altimarus.* Et ita quoque symptoma est in genere noxæ facultatum naturalium, & proprie expultricis deprauatæ: quæ proprie cholera dicitur.
5 Nam quandoque citra eiusdem facultatis noxam fit, licet perpetuo aliquem præter naturam affectum consequatur, veluti supra de vomitu dictum est; quanquam eam non proprie choleram nominant, vt si fiat propter ciborum qualitatem, *Alex. Trall. auctore.* Hippocrates *4. de rat. vict. in morb. acutis* & Galen. *in commento*, duplicis choleræ meminerunt, & aridæ & humidæ. In vtraque perturbatio est ventriculi immodica infra suprague. Differunt causa & symptomate: arida enim fit ex spiritu flatuoso acri, qui siue egeratur, siue retineatur, lancinat, & mordicat partes ventris neruosas, venter inflatur, strepitus fit, dolor in lateribus, & lumbis, aluus nihil deiicit, sed adstringitur. Eiusdem curationem *vide loco citato apud Hippoc.* Alia est humida, quæ gignitur ab alimentis eorumque prauitate, vel à medicamentis, & plerumque à vitiosorum humorum copia, vel à bile admodum corrupta, aut à pituita salsa corrupta: de qua nunc agimus. At Neoterici quidem distinguunt species secundum humores, qui deiiciuntur ac vomitu expelluntur: & sic quædam est aquosa, ex phlegmatis genere: altera biliosa, vt choleræ prassinæ, æruginosæ & similium; vel melancholica corrupta, adustionem participans diuersarum naturarum & colorum. Alij aliter distinguunt: vel quod per se incipiat, aut alios morbos subsequatur, modo critica, vincente natura; modò symptomatica. Alia rursus in corpore debilis ventriculi, vel aliis virtutibus debilibus: alia in corpore forti: quædam acuta, habens accidentia grauissima, medico metum incutientia. Alia vero non ita acuta. Quæ quidem differentiæ petuntur ab ipsis symptomatibus: quemadmodum & aliæ à tempore, quod ea ipsa sit in principio, in augmento sui motus, vel in statu, aut declinatione. Penes materiam, vel quod sit in ventriculo, vel in partibus vicinis aggregata, vel transfluxa: modo nocens quantitate, aut multitudine, aut indigestione, alteratione, putrefactione, mordicatione, cum præsentia ciborũ acrium, mordicantium aut alterius humoris: vel ex defluxu à toto vel à membro

membro particulari ad ventriculum & intestina. Atque hæc ipsa modo à causa primitiua sola, modo juncta cum materia circa stomachum. Sed hæc ipsa ex causis tum exemplis subsequentibus manifestiora euadent.

OBSERVATIO XLIV.

De cholera ex medicamento assumpto.

1 CVm excitetur cholera (*teste Paulo & Trallia-no*) non ex vna causa duntaxat, sed etiam ex multis: ideo causæ illæ prius perscrutandæ, antequam curationem instituamus. Et quamuis fiat ex magna alimentorum prauitate, vt ab iis præcipue, quæ succum crudum, flatuosum vel acrem procreant, quæque ægre concoquuntur ac tarde permeant, vt intestina suilla, sanguine infarta, cæpis, pipere, pinguedine, quibus nihil difficilius coquitur: qualia etiam sunt suilla caro, bubula, caprina, animalium ventres, & caseus, & quæcunque facile putrescentem succum, vel humiditatem acrimoniæ coniunctam habent. Verum præter alimenta & vitiosos humores, *vt latius in scholio subsequente dicemus*, etiam medicamenta hunc affectum excitant, quæ sua natura vomitum
1 cient, & perturbationem tam per superna quam
2 inferna concitant, vel excrementa ad ventriculum trahunt, vt veratrum. Sic mulierem noui, quæ cum diu circa præcordia male habuisset, empiricus eius cognatus ʒ ij. *rad. ellebori albi in taliolas inciſi* acceperat, & vino per noctes infuderat tres. Vinum expressum cum mulier bibisset, in vomitum enormem atque choleram incidit, ac animi defectum, & anhelitus præfocationem. Ad quam accitus, poculo inspecto, ex quo potionem sumpserat, inueni radices ellebori albi in vino infusas. Statim adhibeo decoctum hordei communis in aqua pura, adiecta pauco zaccharo, idque tepide, vt melius euomeret: & pro veneni absterſione, mox propinabam ʒ ij. *florum nenuph. albi pulueriſatorum* (hoc enim proprium eius est remedium, teste Guainerio) cum ceruisia, propter calorem; cum venenum, seu veratrum, cum vino sumpsisset. Quamquam Guainerius dat cum vino, vti & theriacam seu gentianam cum vino. Mox roborato ventriculo exterius cum stypticis emplastris, & rob. de ribes per os, tum syr. cotoneorum exhibito, postquam satis euomuisset & ventrem deiecisset, hæc tandem curata fuit.

Scholia.

3 *Medicamenta quomodo cholera inducant.*

MEdicamenta acria subinde choleram morbum procreant. Sic Galenus *comm. aph. 1. lib. 5.* dicit ex elleboro albo instar choleræ perturbationem fieri, & vomitum, & tandem, propter ipsam euacuationem, supra modum ipsis purgatis conuulsionem aduenire: sicuti & choleram patientibus, contractiones frequenter aduenisse, & sæpius ac maxime eorum, qui sunt in suris musculorum. Et tunc conuulsio fit per compatiendi ad os ventriculi societatem. Sub veratro, nempe albo, reliqua pharmaca violenta subintelligenda sunt, *quæ ex euphorbio, colocynthide, & scammonio, ex esula seu lathyride constant*: ex quibus non tantum cholera seu perturbatio ventris, sed & conuulsio tandem euenit, si huic malo non statim occurratur. Ideo recte dixit Rondeletius.

Pet. Foresti. Tom. 2.

Excitant hunc effectum medicamenta, quæ sua natura cient vomitum, aut ad ventriculum trahunt excrementa, vt veratrum, colocynthis, scammoneum. Variæ igitur causæ ipsius choleræ sunt, vt dicere cœpe- 4 *Causæ cholerę.*
ramus. Ideo recte dicebat Alexander Trallianus, lib. 7. cap. 16. de cholera. *At non solum de vna sit causa, sed etiam multis: nempe ob cibum copiosiorem assumptum, & quia concoqui non potuerit, corruptum: item ob prauorum humorum, aut ciborum, aut potionum, præsertim stomachum offendentium, qualitatem; qualis est pepon, & pingues dulcesque & oleosi cibi. Gignitur etiam ex copia bilis, naturam suysum aut infra ad excernendum irritantis; necnon ob nonnulla frigida applicata, vt epithemata quædam, aut frigidarum aquarum vsum, si eas bibant, aut in eis diu natauerint.* Corrumpuntur alimenta seu cibi facile, si acres fuerint: *Alimenta & cibi quomodo facile corrumpantur.*
nam acrimonia sua fluxiones irritant, & orificia vasorum ventris mordicant, & vomitum atque deiectionem inferunt. Corrumpuntur etiam alimenta; vel, quia ad id apta erant; vel, quia in maiore quantitate assumpta fuerunt, & non potuerunt concoqui, sed corrupta sunt: vel, quia eo ordine non sunt assumpta, quo debebant; vt cucurbita putrefacit facile, si aliis cibis misceantur, sic & pepones & melopepones. Alimenta præterea facillime corrumpuntur in corporibus intemperatis, quæ in temperatis coquantur facile, vt dulcia, aut quæ excitandæ choleræ apta sunt peculiariter, vt pepones, mala armeniaca, chrysomela (*abricots* Galli vocant, *iuxta Rondeletium*) nuces amygdalæ; acria, vt cæpe, allium. Corrumpuntur etiam bona alimenta, quamuis ordine recto, & quantitate iusta fuerint assumpta, ob intemperiem ventriculi calidam, & ob prauos humores in eo contentos, & maxime bilem. Rursus frequenti crapula corrumpuntur humores, & *Quomodo humores corrumpantur.*
ex intemperatæ qualitatis materia; etiam ex aqua, *vt paulo ante ex Tralliano diximus*, quod Galenus docuit. Ex qua pituita aut flaua bilis, aut atra generatur continuato victu; qui etsi protinus morbos non adferunt, tamen coaceruatis intus ex longo vsu humoribus, vitia contrahuntur inextricabilia: imo aliquando tales morbos inferunt, qui in octauum quandoque protrahantur annum. Cæterum alij omnes istas causas iam dictas referunt ad duas generales causas, ad materiam, quæ 6
lædit suo acumine aut multitudine: alteram ad laborem virtutis in expellendo. Interim & remotas causas diuidunt rursus in internas aut ex- *Causæ externæ.*
ternas: externas eas vocant, quæ nauseatiuam satietatem (*vt vocant*) & ad corruptionem cibi quouis modo iuuent, vt est aër extreme frigidus coctionem impediens vel debilitans, quantitas cibi nimia, motusque inordinatus post cibum, vigiliæ excedentes, animique affectus maxime tristes, resoluentes & coctionem debilitantes, coitus statim à cibo, cibique omnes malæ qualitatis, acuti, pungentes, corruptibiles, & ad putredinem parati, vt carnes mortuorum, & quæcunque facile in venenosam qualitatem vertuntur, vt persicæ iam dictæ, indebita præparatio eorundem ciborum, vel eorundem præposteta assumptio, *vt iam diximus.* Internæ sunt, quæ per essentiam lædunt, aut per communitatem: per essentiam vero, quælibet intemperies simplex vel composita, sine materia, immediate faciens ad indigestionem & materiæ corruptionem. Cum materia, vt humores in stomacho lædentes. Ad quas causas 7
etiam referri poterunt apostemata, abscessus, so- *Causæ internæ.*
lutiones continui; etiam vulnera in stomacho

exiſtentia, quæ ad cauſam etiam per eſſentiam pertinent. Per communitatem vero à toto vel membris particularibus, vt hepate, ſplene, cerebro, aliiſque materias malas ad ventriculum ſeu inteſtina tranſmittentibus.

OBSERVATIO XLV.

De cholera ex cibo diuerſo & corrumpente aſſumpto, orta.

1 INuenis quidam bilioſus, vigente æſtate, cum in vna menſa diuerſis cibis vſus eſſet, cœpis, atque peponibus, & raphanis, atque pinguibus dulcibuſque eduliis, incidit in choleram. Ad quem accitus cum prius cibum corruptum euomeret, & ſimul per inferiora deiiceret, cum ventriculi maxima anguſtia & grauedine; atque intellexiſſem ex eius ſermonibus, quæ in prandio ſumpſiſſet, & quod largiore ſatis potu vſus eſſet, atque iam malum adhuc in principio eſſet, noluimus ſtatim vomitum & alui fluorem cohibere. Nam ſi quis in principio, aut coaceruatim ea, quæ aſſeruntur cohibere aggreditur, is maioris mali facile auctor eſt, *teſte Aetio cap.12. lib.9.* Inutilia enim cum ſint (*vt ipſe inquit*) euacuatione opus habent. Ideo auctores, ſi hoc malum ex corruptis in ventriculo cibis, ſiue propter copiam, ſiue prauam qualitatem, eueniat; aqua tepida exhibita ægrum vomere iubent. Nos autem docuimus aquâ decoct. hordei non excorticati, pauco zacch. admixto. Quo ſatis vomebat, & aluum deiiciebat. Alexander Trallianus mulſa vtitur, quæ aluum & vomitum ſine noxa irritat, eodem auctore. Cum autem euomuiſſet, aſtantes plurimum adhuc metuebant ægro. Attamen in hoc morbo prudentis medici eſt, terrentia ſtatim non reformidare; quando nulli morbo minori momento ſuccurritur: ac protinus æger, vbi iſta cœperunt, aqua tepida vel mulſa vomere cogendus eſt. Niſi enim quid impedimenti fuerit, celerrime rurſus ad naturalem ſtatum reuertuntur: potiſſimum ſi corruptio ob copiam ciborum fuerit oborta: quanquam & huiuſmodi affectum proprie choleram non eſſe velint. Hic tamen etiam poſtea per vomitum & aluum quædam mucoſa, pituitoſa, nidoroſa, inter quæ incocta quædam & ſemicruda videbantur, euomuit: ita, vt hic affectus ad choleram referri poſſit. Tunc enim mihi venit in mentem ſimilis fere caſus apud Amatum *Cent.2. curat.31. de Caſpare de Robertis, genere nobili, qui cum vigente æſtate in cœna radiculis (quibus delectabatur) veſceretur, in choleram lapſus eſt: qui de ventriculi grauedine, ac in eo erosionibus perceptis quæ conquerebatur. Cui & aquam tepidam bibendam dedit: qua etiam multa mucoſa, pituitoſa, nidoroſa & ſemicruda euomuit. Repetita vero eadem tepida aqua, nihil præter aquam ipſam euomuit, aut deorſum egeſſit. Quare tunc ventriculum roborans cerato quodam ventriculo admoto, & intus minuam cydoniorum cum ſpeciebus ſumens, & panem biſcoctum in vino generoſo & aſtrictionis participe irroratum dabat: à iuribus abſtinens & rebus duris concoctuq; difficilibus.* Et ita noſtrum quoque ægrum ſeruauimus. Vomitu & ſeceſſu poſtea deſinente, à ſomno paulatim cibo refecimus: & vt cruditatem auerteret imperauimus: toſtumque panem cum vino mali punici commode dedimus: & ventriculum extenius roborauimus, pulloſque gallinaceos camacore ſen omphacio, piſceſque ſaxatiles cum exiguo & ſuaui aromate præbuimus: & mox ſanus factus eſt.

SCHOLIA.

CVm igitur ex variis cauſis cholera exoriatur, diligenter ſigna perſcrutari oportet, tam ea, quæ hunc affectum præſagiunt atque demonſtrant, quam quæ cauſas ipſas diſtinguunt, & quæ mera prognoſtica ſunt. Nam iis cognitis de curatione cogitandum, quæ ad vnamquamque huiuſmodi cauſam accommodetur. Præſagientia ſigna habentur ex vitæ inſtituto præcedente, tum victus ratione, quæ corruptionem ciborum, & humorum nimiam repletionem inferre ſolent, per motum quoque inordinatum poſt cibum aſſumptum: & ex aſſumptione corruptibilium rerum: *de quibus in cauſis abunde dictum eſt*: potiſſimum ſi naturalis ſtomachi debilitas adiuncta fuerit, vel innata, vel accidentalis, ob cauſas diſſoluentes diminuenteſque virtutem. Sic coïtus ſuperfluus ventriculum debilitat, quemadmodum & febres morbique diuturni: quibus ſi accedat nauſeatiua ſatietas (*vt vocant*) cum accidentibus prædictis, immediate futuram choleram prædicere poterimus, ſi adfuerit punctio dolorve circa ventriculum & inteſtina. Ita & æſtate atque Autumno cum mali humores generantur; eo quod fructus crudiores comeduntur, ſi ſupradicta adfuerint, choleram præſagiemus. At ſigna demonſtratiua & præſentis indicia, ſunt (*teſte Aëtio lib.9.cap.12.*) vomitus bilioſus, & nidoroſus, & acidus, ad plures horas continue perſeuerans; & venter inferne eadem excernit, ſequiturque ſitis ex ſuctione, impeditur pulſus, muſculorumque manuum ac pedum, maxime vero ſurarum, contractio & tenſio: & (*vt refert Celſus*) non ſolum bilis ſupra infraque erumpit, ſed primum aquæ ſimilis, deinde vt in ea recens caro lota eſſe videatur, interdum alba, nonnunquam nigra vel varia. Ex his quaſi tempora eiuſdem cognoſcimus ex Arculano. Incidit enim primo cum lenitate, deinde ſtatim augetur, cum dolore, & punctione in ventriculo & in inteſtinis: & quæ ſunt minus maligna primo expelluntur, vt cibi corrupti: deinde humores aquoſi & bilioſi & citrini, ſubflaui, tandem & virides (*vt in nobiliſſima domicella Hentera, filia Domini Præſidis Hollandiæ, conſpeximus, quam etiam curauimus*) poſtremo nigri. Et in proceſſu perueniunt ad ſpaſmum ſeu conuulſionem & ſingultum: & poſtremo ad caſum pulſus, ſudorem frigidum, ſyncopen & mortem: & hoc vſque ad quartum vel ſeptimum diem. Eſt enim ægritudo peracuta: cuius terminus ad ſalutem aut mortem à quarto ad ſeptimum diem. At ſymptomata illa mala, vt eſt extremorum frigus, & circa faciem frigidi ſudores, & facies terribilis, & pulſus ad prauitatem & inæqualitatem tendentes: & quæ ad hæc ſuccedit ſyncope, aliquando vero & conuulſiones: illa quidem ob vacuationem & oris ventris laborem: hæc vero vel ſimiliter ex ore ventris, cui cerebrum & neruoſæ partes conſentiunt (& erit conuulſio per conſenſum) vel ex ſiccitate, quæ peſſima eſſet & lethalis. Sed hic notandum (*vt Iacch. doctiſſ. quoque admonet*) quod hic caſus non fit, niſi ex calido & bilioſo ſucco, cum corruptione aliqua, id eſt, mala qualitate acquiſita. Vult tamen Rhaſes, vt forti animo ſimus, & remediis inſtemus, neque deſperemus ſtatim de ſalute. Attamen prædictione te à culpa ſeruabis immunem: vt exemplum ſequens te docebit: Conuelluntur enim aut ſucci mordacitate, aut expultrice

7 *Signa cauſarum ſeu ſpecierum.* expultrice concitata, vel reſoluta retentrice. Verum antequam ad ſigna prognoſtica veniamus, prius omnes cauſæ diſtinguendæ. At facile omnes interſtingui poterunt: nempe ob alimentorum aſſumptorum copiam, aut eorundem (ac etiam potionum) prauam qualitatem, quæ omnia ex laborantis, ſeu aſtantium loquela percipies; veluti etiam ſi præceſſerit vſus frigidarum aquarum, aut frigidorum medicamentorum ab extra adhibitorum. Verum vbi ex copia bilis, ſeu aliorum prauorum ſuccorum redundantia, cholera fuerit excitata, ex propriis eorundem humorum ſignis, ac ſæpius iam dictis, eos diſcernes. Sicuti igitur bilioſam choleram ſignificabunt initio, ea quæ de ſiti, dolore, punctione, vigiliis & bilis vomitu diximus; ita pituitæ vitreæ præſentiam, in ventre pondus, frigus, & ſenſuum grauitas, indicabunt: vti & phlegmatica ſalſa ex ſalſedine, ſicuti bilis ex amaritudine, vt iam frequenter dictum eſt, percipietur.

OBSERVATIO XLVI.

De cholera lethali ex bilis copia.

PVella iuuencula, bilioſa, ſitibunda, quamuis certis interuallis natura ſeſe vomitu ac feceſſu bilioſo exoneraret, tamen ob impetum humoris bilioſi erumpentis, ſalubri humore ſimul cum bilioſo foras expulſo, male ſubinde habebat. Huiuſmodi homines à Græcis χολερικοὶ ἢ χολεραῶντες dicuntur, Plinio vero *bilioſi*. Cæterum hæc puella, cum æſtas eſſet, & victu calidiore vſa eſſet, & aliis & cæpis, bilem adeo copioſe nunc infra, nunc ſupra deiiciens, & roſionem & caliditatem circa ventriculum percipiens, cum præcordiorum dolore intenſiſſimo, extreme decubuit. Ad quam prius tertio die accitus, cum ea vidiſſem, quæ per aluum & vomitum efferebantur, omnia bilioſa eſſe, ægramque vehementer ſitire, & linguam ſcabram habere, non ſine febre ardente, choleram ex bile prauiſſimam eſſe intellexi, viribus iam omnino collapſis: cumque tribus iſtis præcedentibus diebus ac noctibus bilem porraceam euomuiſſet, illam in periculo eſſe pronuntiaui; & cum medicamenta parum proficerent, atque nunc etiam crura manuſque contraheret, ſitis accendebatur magis, & anima deficiebat: adhibui ea, quæ animam refocillarent. Sed omnibus illis ſignis malis concurrentibus, mortem prædixi; Nec mirum, cum tales ſubito moriantur, verum non prius, quam nares acuantur, & tempora extenuentur, & oculi caui fiant, facieſque decorem amittat, & extrema frigore & ſudore corripiantur. Quæ cum animaduerterem, & ſimul ex toto corpore ſubito ad ſtomachum & inteſtina humores confluere, leues quidem ſuperna petentes, & graues ac corruptos ad inteſtina, cum continuo impetu defluentes, viteſque proſternentes; cumque iam ſine ſomno eſſet, & anima frequenter deficeret, & facies quadam formidine perculſa cerneretur, & nares acutæ eſſent, & extrema ſudore & frigore corriperentur, & ſingultus inquietaret, pulſu modo ablato, modo redeunte, mortem de proximo futuram prædiximus, materia virulenta ad intima præcordia confugiente: ita vt in quarto die hæc obierit.

SCHOLIA.

REcte dixit Alexander Trallianus lib.7. c.16. *choleram acutiſſimum affectum eſſe, ſyncopen inſignem, immodicamque virium reſolutionem inducentem, atque id omnibus in confeſſo eſſe. Idcirco accurate internoſci, & celerrime curari, merito poſtulat. Etenim dilatio in omnibus acutis morbis nociua eſt: in hoc autem affectu etiam exigua, ac lenis curandi mora, haud ſimplicem offenſam, ſed etiam abſolutam ſubinde tabem, quæ phthiſis dicitur, conciliat.* Hæc Trallianus. Non mirum igitur, quod in hac puella, cum ad tertium vſque diem, ne de remediis quidem cogitaſſet, ſubito ita vires conciderint, vt talem faciem incurrerit, ab Hippocr. deſcriptam, qualis tabidis contingit, ac paucis diebus, vt quarto die, viribus exhauſtis interierit. Idque Celſus confirmauit: quippe cum hic affectus to:o genere periculoſus ſit. Vbi enim ſigna prædicta adſunt, vt ſubita extenuatio, præſertim faciei, & frigus & pulſus mutatio, & ſyncope ac conuulſiones in debili corpore; magis lethalia habentur; ſi etiam in fine dolor perſeueret, & punctio, cum virtutis debilitate, arguunt corporis conſumptionem. Attamen non ſemper deſperandum eſt, iuxta eundem Celſum, cum idem dicat, *Neque tamen vlli morbo minori momento ſuccurritur*: modo (*vt nos quoque addamus*) tempori medicamenta apta adhibeantur. Choleticæ vero iſtæ affectiones magis in æſtate fiunt; & febres intermittentes, & quibus errores accidunt, & quandoque malignæ fiunt, & ad morbos acutos perueniunt, *vt 7. de morb. vulg. Hippoc. ſcriptum reliquit.* Autumno etiam frequenter contingit, ob eſum fructuum, vt diximus; raro vero in hyeme. At ſi ex procatarctica cauſa, id eſt, quæ recenter impreſſit, vt ciborum ratione eueniat; quomodocunque erratum ſit, facilor affectus videtur, quam ſi ex totius malo. Quæ vero magnitudinem affectus monſtrant, & morem, hæc magis aperient, præſertim ad vires comparando. Cum enim affectus toto genere periculoſus ſit; grauius periculum euadit, vbi ea comparuerint. Sunt autem, quæ ſuperueniunt, & morem ſignificant, ex ſuperflua motione ſymptomata, vt extenuatio ſubita, tum alia ſupradicta. Vrinæ quandoque copia. Pueros & adoleſcentes voraces, plurimum infeſtat: viris cum euenit periculoſior eſt, ſi lacertoſi præſertim fuerint. Aſſuetis id malum minus periculoſum eſt, ex quo aquam euomunt. Qui eam frequenter incurrunt, facilius eam tolerant, materia non exiſtente tam copioſa aut maligna: qui vero raro, difficulter ſanantur, ex cauſis contrariis; & ideo infantes citius curantur. Et quamquam hæc puella alias hoc malo bis aut ter affecta, facilius curabatur; attamen nunc exiſtente materia maligna cum febre ſatis ardente, antea ſtomacho imbecilli exiſtente, & nunc viribus deiectis, quarto obiit. Quæ vero originem habuerit ex cibi corruptela, aut alia cauſa primitiua, modo non ſit cauſa venenoſa, & quæ ex materia pituitoſa & aquoſa ſit (cum hæc facilius corrigantur) etiamſi accidentia in principio terrorem incutiant, minus periculoſa habetur. Ex oppoſito, mala eſt, quæ in corpore forti, non cõſueto aut hyeme fiat, & ex multiplici corruptione, non tantum in ventriculo, ſed in venis totius & membris in proceſſu virtute deficiente cum cæteris malis ſymptomatis iam dictis. At, vbi reſtringitur cholera, ſæpe declinat materia ſubito ad vias vrinæ, & accidit vrinæ ardor; & malũ

3 *Signa prognoſtica.*

(*vti diximus*) subito leuatur. Est hæc passio cholerica dicta vt plurimum salubris, si debite tractetur, sed non apud tardos, & negligentes (*vt Arculanus recte dicebat*) neque apud imperitos: celeritate enim indiget. Nam mora, vti in hac puella, se ipsam negligente, mortem intulit. Quod facile in principio curetur, infrascripta exempla docebunt.

OBSERVATIO XLVII.

De cholera cum sæuissimis symptomatis & recte curata.

1 MAria Gerardi, vxor illius Magistri Remi Astrij, Mathematici insignis ac Philosophi Alcmariani, mihi admodum familiaris, mense Septembri, anno 1551. in acutissimam choleram lapsa est, vna cum syncope vehementiore: pituitam prius multam & aquosam; deinde & bilem prassinam æruginosamque, simul euomebat & per inferna deiiciebat. Statim accitus, & ad eam ingressus, frictiones adhibui, & ligaturam brachiorum: mox à syncope releuata, hoc sequens medicamentum propinaui. ℞. *decocti hordei non excorticati* ʒ iij. *syr. ex infus. ros. rub. magis apertarum* ʒ j. *misce*, quo facile vomuit, & secessum habuit: noluimus enim in principio ea, quæ efferebantur, cohibere: Quin imo, cum adhuc nauseabunda esset, hæc tepide propinauimus: & euomuit. Nam sola aqua tepida cum syr. acet. simplicis, satis officium suum in tali casu præstitit. Interea etiam dedi hunc syrupū. ℞. *aquæ decoct. hordei mund.* ʒ iij. *syr. de vibes, syrup. cydoniorum, an.* ʒ ß. *syr. ex infus. ros.* ʒ ß. *misce* syrup. iste vltimus non erat paratus ex rosis pallidis seu prouincialibus dictis, qui magis laxat, sed ex ros. rubeis parum apertis per infusionem, cum & aliquo modo detergat, & lauet ventriculum & intestina. Materia itaque maiori ex parte vacuata (*quod in horis 24. plerumque fit*) leuiter huiusce modi cohibitionem incipere licebit. Ideo imperaui huic nostræ ægrotanti, vt tempore satis ebiberet aquam coctam cum syrup. de acetos. citri, ex cotoneis, & syrup. ex ros. siccis, æquis inter se portionibus cum aqua cocta mistis. Et vt frequenter vteretur ad maiorem roborationem ventriculi & constrictionem, iubebam ex condito sequenti, vel eius æmulo. ℞. *conserua ros. antiq. conserua acetosæ, rob. de ribes, ana* ʒ ß. *diacydonij sine speciebus* ʒ vj. *semin. acetosæ, semin. citri puluerisator. an.* ϑ j. *manus Christi cum perlis* ʒ ij. *specier. trionsant.* ϑ ij. *cum syrup. conf. myrobal. emblicarum & syrup. menthaceo*, fiat conditum mediocriter molle: de quo sumebat instar dimidiæ castaneæ, per horam ante pastum, mane & vesperi; etiam extrinsecus hoc vnguento ventriculo roborato, ac temperate calido inuncto, mane & vesperi ante pastum, ℞. *olei myrtei, cotoneorum, an.* ʒ ß. *olei mastichini* ʒ ij. *corall. rub. ros. rub. hypocystid. acaciæ, ana* ϑ j. *santali citrini* ϑ ß. *ceræ exiguum. fiat vnguentum.* Et quia prius facile in syncopen incidebat, frustum manus Christi subinde dedimus, superborbendo cochlear vnum succi granatorum acidorum. Sed cum leui frictione, vt dictum est, cessaret syncope, reliquam curationem cum supradictis perfecimus: alioqui si accidentia terrentia non cessassent, dedissem vinum tenue, odoratum, cum aqua frigida fractum. Sic anno 1588. Iunenis quidam in febre continua biliosa cum supra modum bilem euomeret, & infra deiiceret, & in syncopen incidisset, cum sudore frigido, parum vini Rhenani dedimus cum aqua fractum: quibus syncope cessauit, & ad se rediit, cum astantes illum moriturum existimarent, cum nocte subito ad iuuenem vocatus essem. Cum itaque in muliere hac humorum excretio quieuisset, cibis probi succi vtebamur, parum restringentibus; adiiciendo ad ventriculi roborationem, columbaceum pullum perdicesque, & gallinaceos, cum acore, vt omphacio: vel pisces saxatiles cum aromate suaui. Et ita probe restituta fuit sanitati, cum vera cholera laborasset, sine febre.

SCHOLIA.

PRo morbi diuersis temporibus, proque casuum & causarum diuersitate; hic varia curatione opus est. Et licet in communi, ægèr collocandus sit conclaui obscuro & temperato, variisque odoribus grato, citro, malis cydoniis, aliisque similibus pomis: tamen in iis ægris oblectamenta quærenda sunt; quandoquidem aliis panis odor fastidio est: ita & aliquos noui, qui odorem pomorum cydoniorum respuebant. In primis animi securitas, ac somnus omnino magnam curationis partem possident: quæ cantu sonoque quæritur, secundum aliquos. Attamen ægri ita male habentes, stropitum illum sæpe ferre non possunt. Et non solum hic leuiter adstringentia, etiam in cibis ipsis permisceri debent, aut parum ante assumi; sed etiam post eos, cum simul ingruat vomitus, & alui fluor, quamquam & ea moderata esse debent, nec à principio. Nam in principio (*vt iam diximus ex Aetio*) quæ efferuntur, cohibenda non sunt: nam inutilia (*vt idem refert*) euacuatione opus habent. Sic quidam huius mali tres status faciunt: Primus est, cum corrupti in ventre cibi molestiam inferunt, & notæ corruptionis adsunt, sed adhuc natura ad excernendum non impellitur: tunc enim leuiter irritare vim ventris oportet, priusquam per se irritata vehemens sponte eueniat: hinc enim nullo modo incommodum cueniet. Signa erunt huius status, cum nauseam patitur, sentit morsus & rugitus, & angorem circa ventrem. Sic, si cibos venenosæ qualitatis sumpsit, vel purgantes cibos, vomitus tunc à mulsa fiet, vel aqua hordei tepidis, idque donec venter bis vacuetur: à quibus fouendus est venter absinthino oleo vel mastichino calido, vt vomitu relaxatus roboretur. Si vomitum recusat, vnguentum conficiemus addita cera, corallis, mastiche, aloe, & similibus. Quod si æstuat & æstas sit, oleo cotoneorum (melinum appellatur) vtemur. Mox vbi quieuerit, cibum dabimus, assum magis: sed mollem, ex his quibus assueuit, eligendo. Sæpe vero & ventrem proritare itidem expediet. Hinc etiam alia commoda, quod causa ipsa, hoc est, humores mitigantur. Quod si corruptio flatus excitauerit, quod sæpe fieri solet, aliquid quod discutiat flatus propinabimus; & extrinsecus pulueres aromaticos vnguentis admiscebimus. Hollerius huius causa exhibet cochleare medium seminis cumini, aquæ incoctum. Cæterum si sponte natura cœpit excernere vtrimque (*& est secundus status*) considerabimus num talis corruptio totum inuaserit, an ventrem solum, & primas venas, quæ inter ventrem & jecur sunt. Nam si ad has partes solas attinet, sufficient ea, quæ diximus, vno excepto, quod calida aqua potabimus. Hic enim intentio non est vomitum proritandi, sed

de fabluendi excrementa iis, quæ infixa & inhærentia proritant, & temperare ea faciunt, ne mordeant. Ita nos in iuuene priore dedimus: vti etiam in muliere, quæ medicamentum ex veratro sumpsisset, aquam decoctionis hordei communis cum zacch. Tertius status est, cum in toto corruptela viget: itaque quamuis à ventre incipiat: prosequetur expultricis impetus. Hic vero considerare oportet: quod motus hic symptomaticus est, non prorsus naturalis, vt sunt excretiones, quæ per naturam fiunt. Vt igitur illas semper finere oportet, quia modum non excedent (*est enim leuis proritatio*) ita hic distinguere oportet. Quatenus enim praua sunt: & à natura excreta, finenda sunt, quatenus modum excedunt, sistenda. Initio igitur eadem calida potione vtemur, in easdem intentiones, vt proritatio sedetur: ita enim moderatior vacuatio. Sed si malum ingrauescat, cogitandum de remedio est: priusquam symptomata adoriantur. Intentio igitur erit fluxionem sedare, quod duos scopos habet, vt & omnis affectus qui è fluxione fit: Primus alio humores auertere? secundus roborare partes, quæ recipiunt. Primum ab auersione incipiemus, quam modis supra expositis iam sæpe faciemus, vinciendi scilicet extremos artus: nam & frictiones per manus adhibitæ quietæ & mites. Præterea extremorum deligaturæ eisdem conducunt: & si quidem aluus vrget, plures brachiis & iuncturis, quibus illa cum manibus committuntur, cum frictiones, tum vincula iniicienda sunt. Sin autem vomitus magis vrgeat: tum femora, tum talos constringere, paululum ipsa dissoluendo, rursus deligare oportet (*vt patet quoque ex Tralliano*) quo materiam semper in contrarium reuellamus. Nam & eo dolore natura ab opere expellendi auertitur, & ad eam partem humorum copia attrahitur: etiam cucurbitulas admouendo. Mox & roborantibus vtendum extrinsecus. Hic tamen naturam causarum animaduertere oportet: nam si æstuat venter, & sitit multum: & biliosa sunt, quæ euomuit æger, applicate oportet & actu & potestate frigida: cauendo tamen excessum frigoris. Exempli gratia, *succum intybi, vel oxalidis, vel portulacæ, vel semper viui: vel cotyledonis, ex hordei farina: sic ex granatis totis expressum succum, vel panis his succis immersus, vel & linteus sæpe renouatus cum incaluerit, vel cotonea mala aut pyra, vino austero, vel aceto incocta, & tusa in linteo extenso apposita, vel rubi & roserum & vitis germina & rosæ ipsæ contusæ & emplastri forma applicentur.* Quod si non adeo magnus calor appareat, cum hac materia aliquod aromaticum admiscebimus, vt inter herbas *menthamsiccam, sisymbrium, mastichem, cyperi radicem tusam, rosas siccas.* Sic & panis assus aceto infusus, & mentha rosis & œnanthe consperssus. Vbi vero signa caloris & æstus non adsint, vt quod materia frigidior corrupta sit, calidiora in eandem intentionem afferre oportebit, quale est Gal. *emplastrum, 1. ad Glauc. ex cotoneis palmulis vino coctis, aloe, mastiche, croco & farina hordei.* Possumus & superiorum aliquo vtentes, vt cotoneis ex vino aromat. ros. puluerem inspergere: hæc extrinsecus: quorum copiam inuenies apud Alexand. Trallianum & Rondeletium & alios. Intro vero sumantur in eundem vsum ea, quæ à ratione cibi aliena sunt, sed grata, vt scilicet quantum fieri potest, retineantur. Si igitur æstuat, lactucam & intybum, cum aceto mandenda dabimus, aut limones, aut citri carnes, aut cotonea. Sic & Trallianus ob copiam bilis, causam efficientem obseruans, per contraria semper curandum esse dicit: per ea quæ refrigerant & humectant, tum cibos, potus, & epithemata, quæ eiusdem sunt facultatis. Proinde ptisanæ cremor refrigeratus his est idoneus: item lactuca eodem modo refrigerata, paulo aceti adiecto. Nos quoque thyrsis lactucæ conditis commode vtimur, similiter & is commendat intybum & panem ex aqua sumptum. Inter testacea conferunt, pectines & buccina lota sæpius: astacum bis coctum, & pisces duriores. Ex fructibus, qui non admodum maturi sunt, & adstrictionem mediocrem habent, præsertim mala, pyra, mala punica & vua pensilis. Ex bellariis hic conducūt vuæ passæ & castaneæ. Poterimus & panem ex acerbæ vuæ succo, vel punicorum dare, & aquam frigidam: sed id parum, quæ non vniuersa, *iuxta Trallianum*: sed paulatim & in cibi sumendi medio tempore bibatur. Sic & corna; mespila gustent, & ex cerasis austera, quæ morella dicuntur: conferunt & grati odores astringentes naribus obiecti. In censu vero medicamentorum astringentium, erit acacia, hypocystis, in vino dissolutus, & terra Lemnia & bolus armenus; miua quoque simplex dicta, & syr. è myrto. Quod si affectus his non sedatur, & timor est syncopes, somnum inducere expedit: eo enim sedātur prorsus fluxiones hæ, idque potius exterius oleis frontem & tempora inungendo. Vel dandum diacodion, hinc duplex commodum: nam sedatur proritatio expultricis vis, & humorum modus sistitur. At si nihil horum continere queat, cucurbitulam magnam ventri admouemus, & est maximum præsidium ad vomitum sistendum. Nam valide retrahendo eiusmodi cucurbitulæ vomitum prohibent. Præterea si diutius adhærent, etiam concoctionem iuuant: & ventrem ne amplius profluat, cohibent, *eodem Alex. teste.* Interea aluo adhuc egerente (*vt inquit Aetius*) amylum cum decoctione capitum papauerum, per clysterem infundatur: simul etenim cohibet & refrigerat, somnumque inducit, vt ipse refert. Nihil enim his præstantius est quam somnus & quies. Si vero iam symptomata eueniant, illis succurrere oportet quamprimum, vt antequam æger in syncopen incidat, vinum exhibere, vel aquam carnis, in hunc vsum paratam, quod etiam vbi syncope accesserit, faciendum: præter alia remedia, quæ vniuersim ad syncopas fieri diximus, excitantia. Si conuellitur ex inanitione, morandum non est: sed prædicto periculo extremæ partes aqua & oleo dulci tepido fouendæ: similiter maxillarum musculi, per spongias. Post hæc si malo profligato vigiliæ vexant, moderatus somnus conciliandus? si inappetentia, ventrem roborantibus, & cibis gratis excitabimus. Ex his iam dictis constat, quomodo curatio in genere: ratione causarum & symptomatum, & temporum; sit varianda. Quæ particularibus exemplis supradictis, & iam adhuc dicendis multo clariora euadent.

OBSERVATIO XLVIII.

De duabus mulieribus cholera sæuissima laborantibus, & curatis.

CAtharina Ioannis Harpadi Consulis Delphensis filia, nuper nupta, & circa tertium mensem prægnans anno 1558. 23. Iunij incidit in choleram grauissimam, ita vt abortus metueretur. Ad quam nocte accitus, illico dedi decoctum hordei communis, cum panco zacharo: à quo rursus cum satis vomuisset ac aluum reddidisset, cumque extreme debilis esset: vt sæpius deinde

ex condito sequenti vteretur præcepimus. ℞. *corticum citri conditi* ℥ ß. *medullæ citri conditæ* ʒ ij. *conserue, summitatum absinthij Romani: confer. ros. ana* ʒ iiij. *specier. diarod. abb. & arom. ros. sine musco, ana* ϑ j. *cum syrup. menthaceo & cotoneorum, fiat conditum.* Ventriculum inunximus oleis sequẽtibus, & cum lana stomachum fouebamus cum iisdem oleis. ℞. *oleiscotoneor.* ℥ ij. *olei nardini, absinthij, ana* ℥ ß. *misce.* Præterea ne aborsus fieret, totum ventrem inferiorem inungi iussimus cum vnguento Comitissæ. Et ne vapores maligni sursum reperent: cum paulo melius habere visa est, capiebat à cibo grana septem vel plura seminis cotiandri præparati, simplici tunica zaccharo incrustati. Altero die, cum redirem, cholera cum sedata esset, conquerebatur de calore circa renes, quibus inũctis cum vnguent. infrigidante. Gal. cumque astantes illam pro deplorata haberent, non solum à cholera curata fuit, verum & ab aborsu præseruata. Vti etiam Petronella, vxor Sasboti Bokeli, cereuisiarij Delphensis, quæ tamen non erat grauida. Hæc enim anno 1560. 19. Martij die, cum in choleram noctu vehementiorem incidisset, cum torminibus ventris; doloreque intolerabili, & maximo cruciatu & angustia: ita vt suræ ac crurum musculi valde conuellerentur, frigidumque exsudaret, ita vt me ex lecto tunc vocauerit, cum animaduerterem simul flatus adesse, statim exhibui cmin i parum puluerisati cum ceruisia: dum in officina decoctum hordei communis parabatur, cuius decoctionis dedi ʒ iiij. *addendo pro maiori diuersione syr. ex infus. ros.* ℥ j. *mellis ros. colati* ℥ ß. *misce.* & deinde totum ventrem inunximus cum oleo anethino, & chamæmelino simul mixtis, ob dolorem, quibus præsidiis statim miraculi instar fuit curata: vt aliis remediis vti opus non fuerit.

Scholia.

HVic morbo medemur, *vt paulo ante diximus*, si syncope aut aliud symptoma tale non impediat, ablata causa. Quoniam primum vnãquamque causam abscindere oportet, postea ad intemperiem venite. Sed quomodo sit aufferenda causa, & per quam regionem, docet Hippocrates: *Quo natura repit, &c.* In hoc affectu cum fiat excretio per vomitum & secessum, ante omnia erit prospiciendum, an æger vomat facile vel difficile: num sine conuulsione & syncope: nam ipsis primum esset occurrendum, vt grauioribus & magis vrgentibus. Et quamuis prima mulier facile vomebat: noluimus vomitum nec secessum irritare: sed contenti fuimus ablutione cum decocto hordei & zaccharo. Et ideo materia illa absterſa ventriculum roborauimus, & ad constrictionum leuem deuenimus, ne fieret aborsus. In altera vero muliere, quamuis erant statim in principio accidentia mala: nempe conuulsio, noluimus statim constringere: & ideo abstergentibus vsi sumus, cum facile vomeret, & secessus satis haberet, syrup. ex infus. ros. dedimus cum melle ros. in hordei decocto: & quia aderat flatus, dedimus etiam cuminum: & cessante fluxu ac vomitu etiam: cessauit conuulsio: alioqui etiam ad conuulsionem præsidia adhibuissemus. Quod si vomitus fuisset in his difficilis, parum adiuuissemus cum leuiorib. vt mulsa. Sed si bilis in ventriculo fuisset, vel alimenta adfuissent in bilis natura corrupta (*quod per nidorosos ructus intellexissemus*) abstinuissemus à melle rosato vel calidioribus, & ab iis: quæ bilem augent & intemperiem. Aqua tepida contenti fuissemus, non tamen in parua quantitate (*sic enim vertitur in bilem*) sed copiosa: tum ne bilescat (*vt ait Hippocr. at.*) tum vt ventriculi partes omnes abluat & citius reiiciatur. Æger autem sinendus est vomere, donec vitiosus humor totus, aut maiori ex parte reiectus fuerit: nec antea medicamentis adstringentibus est vtendum: quoniam materia, quæ agitata est, & quasi sursum elata: retineri non potest, nec etiam debet, ne humoris corrupti vacuatio impediatur. Siue igitur corruptio ob copiam ciborum fuerit oborta, siue alimenta fuerint corrupta, siue humores corrupti, conuenit aliquando in principio iuuare excretionem, tam per vomitum, quam aliquando per sedem, leuioribus tamen purgantibus medicamentis, provt diuersus humor requirat. Ita viribus integris recte faciunt, qui modice detergentia exhibent, vt quicquid reliquum est humoris, euacuetur: vt in materia calida dant aquam hordei cum pauco zaccharo: in frigida, cum pauco cinnamomo. Si adhuc humor supersit, in calido capiunt *myrob. citr.* ʒ ij. fiat decoctio in aqua hordei, & in ℥ iij. colaturæ sacchari parum dissoluunt: in frigida, *pulu. de liber. vel arom.* sed ab iis abstinerem, ad vomitum magis conferunt, quam ad choleram morbum: qui fere totum humorem, & plusquam sat est, euacuat: nam hæc excretio quamuis vtilis sit: si modum non excesserit, periculo non vacat, cum prostratis viribus mortem afferre possit. Vbi igitur vitiosus humor in principio adiutus leuiter, totus, vel ex parte sit reiectus: tunc ventriculus est corroborandus: ne attractis à partibus vicinis excrementis, vt à liene, iecore, ac intestinis, ea quæ præter naturam est vacuatio, continuetur. Ideo ventriculus potius admotis quam sumptis est roborandus: quoniam admota melius corroborant & sistunt, citra ventriculi nauseam, vel subuersionem. Quæ vero sumuntur, siue medicamenta, siue alimenta fuerint, reiiciuntur propter agitationem. Propterea æger quiescat: & interim, quod admotum est, non erit otiosum. Somnus, si fieri potest, conciliandus, vt qui & concoctionem maxime iuuat, & excretionem retineat. Admota perpetuo debent esse adstringentia: sed calida in frigida, & frigida in causa calida. Quæ vero admouentur, vel sunt emplastra, vel sacculi, vel fotus oleorum, vel decocta herbarum, vel succi earundem, & fruct. & pulu. Formulas vide apud auctores, & præcipue apud Rondeletium, tam in causa calida quam frigida, & apud Hollerium.

OBSERVATIO XLIX.

De cholera cum syncope & conuulsione.

CHoleram cum syncope & conuulsione, omnium sæuissimam esse diximus: quæ cum Ioann. Boethum, cereuisiarium, in foro frumentario Delphis habitantem inuasisset, adeo grauis fuit, vt ex continuo vomitu ac secessu in syncopen inciderit, deinde in conuulsionem manuum, pedum, & præcipue surarum, & propemodum in omnium musculorum contractionem, & non solum musculi pectoris (*vt vidimus*) motu conuulsiuo afficiebantur: sed & gutturis, dorsi, tum ventris contrahebantur, vt simile in praxi nunquam viderim, cum tanto dolore & animi defectione, vt hominem illico moriturum dixisses. Ad hunc 23. Martij die, anno 1563. in nocte vocatus, illico hoc medicamentum detersorium dedi vino prius naribus obiecto, & factis frictionibus

bus extrẽmorum, vt à syncope releuaretur nonnihil. ℞. *decoct. hordei communis* ℥ iij. *syrup. ex infus. ros. rub. comm.* ℥ j. *misce.* Eoque assumpto euomuit plurima biliosa, & secessus plurimos habuit. Cum autem lipothymia non cessaret: imo syncope oboriretur, ad vinum confugiebam, tenue, odoratum, cum aqua frigida fractum: quod paulatim sorbendum dedimus, nempe cum molli panis sumptum. Modo dedimus panem feruentem, vino punico infusum: quod cum vomitu reiiceret, rursum dedimus. Interea ob deliquia animi refecimus cum tostæ carnis succo expresso, cum vino punici, malique cydonij. Præterea ad impetum ipsius choleræ, ac vomitum inhibendum, tum pro siti enormi, ac syncope, vt continuo ex hac mixtura sumeret, mandauimus. ℞. *rob. de ribes* ℥ j. *rob. ceraſorum, syrup. cotoneorum. ana* ℥ ß. *manus Christi cum perlis* ʒ vj. *misce.* Ad contractiones vero continuas in omnibus fere locis linimento infrascripto iussi inungi. ℞. *olei irini, vermium terrest. ana* ℥ j. *castorei puluer.* ϑ ij. *misce.* & per totam noctem loca conuulsione affecta continuo eo linimento parum calfacto inungebantur: ita vt maximo quasi miraculo mox hæc omnia mala symptomata cessarint. Postquam autem malum nonnihil inclinasset, nutriuimus illum lacte amygdalato, cum aqua furfuris confecto, modico zaccharo perlato, ad mediocrem dulcedinem, adiecto. Deinde & cibis optimi succi eum quoque restauraui-mus; nempe pullis gallinaceis, columbis, perdice, cum acore: pyra, tum mala cydonia, modo cocta, modo assata præbuimus. Postea, cum ex toto quasi omnia accidentia prædicta cessassent, post duos treſve dies adeo venter restrictus est, vt nihil excrementorum deiiceret: qua de causa, vt omni mane cochlear vnum syrup. ex infus. ros. sumeret præcepimus: ita vt postea semel in die naturaliter excreuerit; calore & siti post morbum relictis etiam cessantibus. Doluit tamen subinde in ventre inferiore versus pubem, vt ægre lotium redderet: at pube sæpius inuncta cum oleo chamæmelino, idque calide, copioſe deinde lotium teddidit, & sanus factus est.

Ad singultum.

Contractionum reſtrictio.

Ad vigilias

Scholia.

CVrationẽm plerique, *vt dictum est antea*, duobus fere modis absoluunt; vel causam remouendo, vel symptomatibus occurrendo. In remouendo causam, rationem habent materiæ fluentis, num ea digna sit euacuatione: eamque diuertunt, in contrariam partem trahendo: hinc & quidam balneo vtuntur, vt materia ad partes externas trahatur: sed melius ligaturis tum vinculis, vt iam dictum, tum frictionibus. Habent etiam rationem materiæ fluxæ: vt moderate, quo natura vergat, eam vacuent per vomitum aut secessum: alioqui, si superfluat, & vires deiiciat, restringunt & roborant ventriculum, & vitæ institutum præscribunt. Sic alij causam remouent, diuertunt, humores incrassant, viasque & ductus constringunt: de quibus satis iam dictum est. De quibus videas *Gradum, Gatinariam, Arculanum, & alios qui Rhasem aut Auicennam sequuntur.* Symptomatibus occurrunt, qualia hæc fere sunt, *sitis, syncope, singultus, conuulsio, vigiliæ.* Sitim restinguimus aqua hordei, cum succo granatorum, vel iulebo rosac. succo granato & syrupo eiusdem, tum illis quæ ad sitim valere scripsimus in libro nostro de febribus. Syncopen curamus eo modo, quo antea de syncope diximus *lib. 17. & quorũ exempla etiam posuimus lib. 7. de feb. sympt.* & ita syn-

Sitim reſtinguentia.

Ad ſyncopen.

OBSERVATIO L.

De cholera mutata in cœliacum morbum, seu cœliacam affectionem.

PRætor Rheniburchius, Delphis decubuerat in foro, in Mechliniæ hospitio, ex cholera sæuissima; ad desperationem fere: à qua licet nostra industria euaserit, postea tamen, hyeme existente, cum intemperiem frigidam ventriculi haberet: vnde pituita multa congesta, præcedente cruditate, & in ventriculi cauitate coaceruata: quæ in dies intemperiem magis fouebat, in cœliacam tandẽm affectionem incidit. Ad quem accedens anno 1559. die 2. Ian. huic optimam victus rationem proposui obseruandam, qualem nobis describit Trallianus: ex Philumeni medici antiquissimi decreto, cum & cœliaci ita curentur: nempe cibis non nimium aluum reprimentibus: sed qui adstringentes facile concoqui, & in totum corpus distribui possunt: qualis est panis bene elaboratus, probe coctus: vinoque astringenti instinctus: nec non lenticulæ. & oryzæ sorbitiones: pisces vero dura carne præditi, & ex auibus quæ non sunt pingues, præter palustres. Ita & panis cum malis cotoneis & myrtis coctus: exhibitus. Vitella quoque ouorum assa, & aceto instincta, & lac sciſſile propinatum, carnes leporinæ, aut ferinæ, ac alia, quæ in fluidis affectibus prosunt. Quod ad medicamenta attinet, cum liquida incocta excerneret, modo pituitosa, modo biliosa, & quasi fluida & cruenta, sine acrimonia tamen: licet huic ventriculus frigidus esset, hepar tamen illi calidum erat: quod & venæ apparentes indicabant, & constitutio ipsa parum macilenta. Prima vice vt ventriculus ab eiusmodi humoribus liquidis lauaretur, hanc potionem sumpsit. ℞. *decoct. hordei non excorticati* ℥ iij. *syr. ex ros. ficcis & cotoneorum (ad maiorem repressionem & roborationem) an.* ℥ ß. *misce, detur vnica vice.* Deinde sumebat ad placitum ex hoc condito. ℞. *confer. ros. antiquæ* ℥ j. *miuæ cotoneorum* ℥ ß. *corticum citri conditi & medullæ citri conditæ (ob sitim quam experiebatur) an* ʒ ij.

ana ʒ ij. *myrobal. empelit. conditor. & citrinor. an.* ʒ j ß. *specier. diarhod. abb.* ʒ ß. *specier. arom. ros. sine musco,* ϑ ß. *cum syr. cotoneorum: fiat conditum.* Interea semper ante cibum sumebat ʒ ß. *diacydonij sine specieb.* & sub noctem amygd. cum aqua oryzæ confectum, vt melius dormiret, & minus liquida excerneret. Interea & ad maiorem restrictionem & stomachi roborationem, vtebatur etiam sequenti mixtura. ℞. *confer. ros. antiquæ* ʒ j. *trochisc. de spodio cum semin. aceros.* ʒ ij. *trochisc. de carabe* ʒ j. *rob. de ribes, syr. de agresta, syrup. menthacei, an.* ʒ ß. *misce.* Verum antequam hæc sumeret, cum circa ventrem nonnihil doleret, & tormina experiretur, hoc enema iniectum est. ℞. *decoct. hordei comm. torrefacti* ℔ j. *olei ros. omphacini, sacchar. rub. ana* ʒ j. *vitellum vnius oui: fiat clyster.* vix tepide iniiciebatur, ac clystere iniecto materia in melius commutata est. Tunc vtebamur mixtura supradicta, & linimento sequenti ventriculum inungi curauimus. ℞. *olei mastichini, cydonior. myrtini, ana* ʒ ß. *pul. ros. rub. menthæ siccæ, macis ana* ʒ ß. *ceræ modicum: fiat linimentum.* Atque hæc valde profuere. Nam hic morbus curatione statim adhibita, *teste Alexandro Tralliano,* facile tollitur: postea difficilius: vbi enim inueterauerit, tarde remouetur. Similem fere casum habes apud Amatum Lusitanum de cœliaco morbo & καχεξίᾳ, & atrophia *cent.* 3. *curat.* 78. in quo loco plurima remedia reperies: quamquam æger ille longiore tempore hoc malo laborauerit. At noster æger statim adhibitis remediis citius conualuit, spatio vndecim dierum. Verum curato vtcunque cœliaco morbo ac fluxu dolorem & caliditatem circa renes passus est. Sed facile hoc symptoma repressum cerato infrigidante Galeni lubis impositio. Verum non diu post pustulæ quoque obortæ illi sunt circa palatum & linguam: quæ breui tamē hoc collutorio cessarūt. ℞. *decoct. hordei comm. aquæ plantag.* ℔ j. *semin. cydon.* ʒ j *ebulliant leuiter, & colentur colaturæ addendo diamori* ℥ j ß. *mellis ros. colat.* ℥ ß. *misce.* Sed cum tempus hybernum esset, cum frequenter cogeretur aluum deponere, ex frigore & ventositate dolorem cum torminibus circa hypochondrium sinistrū expertus est: qui tamen mox ablatus inunctione olei de cappar. anethini, chamæmel. simul mixtis. Sed à cœliaco morbo breui curatus, post aliquot dies idem tussim incurrebat: syrup. pectoral. tum eclegmata, ne incideret rursum in morbum cœliacum, præscribere non fuimus ausi: sed lacte amygd. vtentes, cum aquam farfaræ & zacch. parato: vt continuo masticaret glycyrrhizam viridem recentem, à cortice exteriori repurgatam iussimus. Quibus remediis etiam à tussi liberatus est: & quamquam is diceret se habere contra tussim infallibile remedium, nempe pomum excauatum, melle rosaceo repletum, & parte superiori prius abscissa, & eadem cooperta, supra prunas assum, & sub noctem deuoratum, quo seipsum frequenter à tussi curauerat, nunc tamen eo non vtendum suasimus: ne rursus affectionem cœliacam incurreret: & satis amygdalatum sub nocte sumptum ad rem fecit, tam tussi quam cœliaco malo conueniens.

4

5

6

Scholia.

COEliaca affectio, licet vna cum lienteria, diarrhœa, dysenteria, ad immoderatas alui fluxiones pertineat: tamen cum etiam ad ventriculi affectiones, secundum quosdam referatur, de ea hic dicendum esse putauimus. Quamuis hæc ipsa à lienteria differat: tamen cum eadem sæpe confunditur, & quidam sub vno capite de iisdem tractant: cum iisdem fere remediis curentur. Græcis vero κοιλιακὴ, à Latinis cœliaca seu ventralis affectio dicitur, ab ea quæ afficitur parte nomen assumens, *ex Aetij mente cap.* 37. *lib.* 9. Velox quidem est exitus eorum: quæ per os assumuntur: verum non omnino crudorum & incoctorum. Nam in ea affectione solum leuia & humecta excrementa egeruntur, ventre pro imbecillitate ea digerere nequeunte, vt ipse inquit: quapropter ne concoquuntur omnino, nec digeruntur alimenta: sed humentia, imperfecteque cocta redduntur: neque ita celeriter ea, quæ assumpta sunt: in cœliacis, egeruntur: quemadmodum in lientericis. Dicitur itaque morbus hic cœliacus, ἀπὸ τῆς κοιλίας nomine, ventrem siue stomachum significante, in quo potissimum fit: non tamen me latet ἡ κοιλίας apud Hippocratem quandoque ventriculum, quandoque vero aluum significare: vnde etiam Amatus testatur, non tam ventriculi passionem, quam gracilium intestinorum esse, & Dn. Fernelius doctissimus inter symptomata intestinorum, non autem ventriculi solum enumerat, cum dicat: *Ex imperfecta chyli malaque distributione fieri, quam mesenterij lienis aut iecoris obstructio, vel trahentis facultatis imbecillitas, vel alimentorum maximeque fructuum fugacium, & potus immoderata copia peperit: hæc enim distribui tota nequit, sed maxima ex parte in abdomine subsistit.* Ab his causis multa congeritur illuuies, quæ sensim in tenuioribus intestinis aucta, vel in ventriculo, vel in mesenterio, vel circum viscera tempore corrumpitur. Quumque sua copia grauis esse cœperit: vel sponte infra interdumque supra prorumpit, vel à natura lacessita propellitur: nonnunquam leuissimo clysteris, medicamentive irritamento exit. Et quamquam hic, vti & in lienteria, amborum, nempe ventriculi tum intestinorum, sit affectus, *vt etiam docuit Donatus, ex Galen. 6. de loc. affect. & aphor.* 12. 4. *lib.* & ambo sint symptomata in genere noxæ functionum naturalium, retentricis videlicet: in cœliaca tamen diminuta (*in qua cibos non complectitur vsque ad consummatam concoctionem*) in lienteria vero abolita est. Qua ratione etiam differūt & inter se communicant. Iam etiam, *vt 6. de loc. affect. patet:* lienteria seu leuitas intestinorum subito euenire non potest: propterea cœliaca præcedere eam solet, vbi ventriculus frigidior fuerit: leuia autem & humecta excrementa egeruntur, ventre præ imbecillitate ea digerere nequeunte, & non cibi crudi, & incocti inferne prodeunt in cœliaca affectione, *vt Aetio visum est.* Sequitur autem cœliacos assidua egestio, aliquando fœtida, cum animi deliquij sensu, cibumque auersantur: ac decolores & vehementer graciles fiunt, *vt etiam Paulus testatur.* Languida cum sit, & imbecilla ventriculi facultas in cœliacis nec concoquuntur, nec digeruntur alimenta, sed cruda, humentia, imperfectaque redduntur, aluo continentur fluida: quamquam quæ assumpta sunt (*vt paulo antea diximus*) non ita celeriter, veluti in intestinorum leuitate egerantur. Fernelius hæc addit. *Pulsus frequens & celer exiliit, tanquam febris affligeret, & deiecturis leuiusculæ animi defectiones obrepunt. Ante eruptionem abdomen distenditur, venterque prominet: hisque succedens spontanea perturbatio, quæ cœliaca affectio est.* Ita & Alexander Trallianus. *Cœliacus affectus ex ventris ipsius cruditate generatur, dum ipse præ imbecillitate cibum concoquere, & corpori suppeditare nequit. Quare liquidæ & non bene concoctæ, varii coloris: nec non cruentæ sæces, veluti ex vase destillante per aluum excernantur. Nihil igitur mirum est, quod sanguis non probe concoctus in venerem recidat, recentrice facultate amissa aut vitiata: vnde longo tempore frequens veneris resolutio, cum assidua decoctione perdurat: corpus extenuatur vi illius consumptum: cruditas, vesicque, & tormina ventrem affligunt, & cibi fastidium comitantur.* Hactenus Alexand. Sed hic sciendum, Cornelium Celsum longe aliter hunc morbum scripsisse, quam nos hactenus fecerimus: cuius & meminit Alexander Benedictus Veronensis *lib.* 20. *cap.* 7. *de cœliaco morbo*, inquit *Celsus lib.* 4. *cap.* 12. *morbum hunc pylori, id est, ianitoris proprium esse ait, in quo venter induratur, & torminibus premitur, aluusque adeo nihil reddit, vt ne spiritus quidem infra, sed nec supra erumpere possit.* Cuius etiam meminit Beniuenius, 106. *in libello suo de abditis morborum causis,* cum Paulum patrem suum clystere ex solo lacte in ventrem iniecto, ac multis subinde strigmentis depositis, ab hoc malo curauerit. Sed hic lector admonendus est, locum illum apud Amatum sub finem scholij, *curat.* 7. *centur.* 3. mendosum esse, cum dicat patrem Beniuenij obiisse, quum tamen idem Beniuenius patrem suum ab illo morbo referat à se curatum esse. Cæterum non loquimur de illo cœliaco morbo: sed de eo, qui ad ventriculum pertinet, & subinde ad vtrumque nempe ventriculum & intestina, in quo humida & incocta egeruntur. Quæ affectio aliquando cito curatur, & non diu durat. Nam, *vt scribit Fernel.* aliquando vacuato humore superfluo, profluuium hoc sponte conquiescit: interdum postero aut tertio die. Attamen, secundum alios, non statim per se desinit: imo diutius durat, & vix remediis cedit; & propterea si diutius duret ac protrahatur malum, ad magnam omnino desperationem progreditur, ægris ad conuenientem diætam pigrescentibus. Etsi affectus autumno incipiens ad hyemem vsque se extendat, difficilius omnino curatur, ex Aetij sententia, præcitato loco. Cum vero inseparabilia symptomata sunt celeris exitus ciborum (*qui ad diminutam concoctionem consequitur, propter iniustum complectendi tempus*) deiectionis humiditas & digestio in corpus diminuta, *vt constat ex Galeno lib. de diff. symptomatum*: si eadem cœliaca prorogabitur, necessario atrophia consequetur, propter diminutam in corpus alimentorum digestionem; quod exemplo sequenti ostendemus. Ideo, *vt ex Tralliano prius diximus,* morbus hic curatione initio adhibita, facile tollitur, postea difficilius. Vbi autem inueterauerit, tarde remouetur.

Cœliaca affectio diffinitur.

Causæ

Affectio

Cœliacæ genus.

Lib. 8. de cœliacis ex Philumeno excerpsit.

OBSERVATIO LI.

De cœliaca affectione cum Atrophia.

VIr sexagenarius, cum in hyeme paulo diutius cœliaca affectione detineretur, macilentior factus, in consilium cum me vocasset, quibus modis curari posset, animaduerti eundem etiam atrophia affectum, ob diminutam in corpus alimentorum digestionem. Hic autem liquida subalbida, male cocta, humentia, sed non fœtida, longo tempore deiecerat, vnde & cœliacam affectionem esse cognouimus, ex intemperie frigida ventriculi totum corpus album erat, quasi cachexia affectum, cum atropia, ita vt non nutriretur. Huic autem, cum etiam pituitam in stomacho coacernasset: consului, vt prius cochlearia duo oxymelitis acciperet, ad deterſionem: cumque nauseabundus esset: eo assumpto leniter euomuit, alioqui dedissem decoctum raphani cum oxymelite. Mox ad pituitam magis digerendam & præparandam imperaui, vt decoctum absinthij & menthæ sumeret, cum syr. ex absinthio, mentha, melle ros. Postea ad leuem purgationē dedi potionem sequentem. ℞. *myrobal. chebul.* ʒ iij. *flor. ros. rub. p.* j. *absinthij Rom. manip.* j. *bulliant in aqua comm. & fiat expres. in* ʒ iij. *dissolue syr. ex infus. ros. pallid.* ℥ j. *agarici trochisc.* ʒ ß. *fiat potio.* Interea dum hæc operabantur, exterius iussimus ventriculum oleis refocillari, nardino videlicet, mastichino, absinthino & menthæ, succida lana excepris. Mox & scutum apponi iussimus, ex sola mastiche, aliquot guttis olei absynthini adiectis, pistillo calido supra alutam ad scuti formam redacta. Post diem vnum aut alterum similiter imperaui, vt ʒ j. theriacæ optimæ acciperet diacydon. cum specieb. præcipue ante cibum, & vesceretur cibis boni succi, pullis columbinis domesticis, ficedulis, phasianis, turture & cuniculis paruis, & contusum acciperet, & succum ex carnibus prædictis, adiecto aliquo puluisculo ex cinnamomo, caryophillis, & exiguo croco: & vt etiam in fine Martio pane & vino zaccharato vteretur. Et vinum concessimus rubrum: etiam cynaram cum suo iure, & in fine vt vteretur iis, quæ leuiter vtinam cierent. Quibus remediis & hic tandem bene se habuit.

Qualis cœliacis morbus apud Cornelium Celsum.

Prognost.

Scholia.

COEliaca affectio & lienteria, fere iisdem rē-mediis curantur, quamuis seorsim Trallianus de cœliacorum curatione, ex Philumeno scripserit. Is in potu dat *radicis quinque solij decoctum, & rubi radicis similiter: nec non salicis arboris*: hæc in calida intemperie magis conferunt, *vti & syrup. myrt. de ribes, ex succo cichorii, cotoneorum, oryzacch. cum decocto acetosæ*, sed & leuis purgatio *ex myrob. citrinis, thamarindis, vel syrup. ex infus. ros. pallidar. cum rhabarb.* Id que in principio, quando vires non sunt deiectæ. Deinde astringentia adhibenda, *vt semen plantag.* Valet egregie, iuxta Aetium & Paulum gallinarum ventriculus dessicatus ac tritus, & potui insperſus, nec non apij, fœniculi, anisi decoctum, & eodem tempore, quæ vrinam ciunt; sed eorum quantitas minor esse debet, nec eorum vsus largus commendatur: sed & vomitus si in ventriculo humores collecti, modo ad vomitum proni sint: alioqui minus proritandus. Deinde topica astringentia adhibenda, & cerata, & saccelli, vt de vomitu bilioso diximus. Si simplex sit intemperies sine humore, prædicta conueniūt, excepta purgatione. Si ex frigida intemperie, curationem præcedente obseruatione iam diximus. Cum autem eodem medicationis ductu vtendum sit in leuitate intestinorum ac in lienteria, quod ad cœliacos & dysentericos (*vt Aetius refert*) propterea quæ auctores scribunt, de vnius curatione, etiam alterius subintelligenda erunt. Quamobrem complura remedia ponemus de curatione lienteriæ, cum de alui profluuiis quoque agemus. Hæc de cœliaco affectu, qui etiam ad stomachum pertinebat, dicta satis esse puto. Si plura & veterum remedia desideres, illa ipsa tum reliqua videas apud Trallianum, *lib.* 8. *cap.* 8. de cœliacis, quæ ex Philumeno excerpsit. Et ita stomachi ac ventriculi malis absolutis, huic libro finem imponentes, ad iecoris mala transeamus.

Finis Libri decimi octaui.

OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM

Liber decimus nonus.

DE HEPATIS MALIS AC AFFECTIBVS.

OBSERVATIO I.

De calido imbecilloque Hepate.

VIr quidam, qui ex iecore calido & imbecillo laborabat, cum pauper esset, ad nosocomium Delphense deferebatur, ad quem acciti sumus. Huic cibi nullum desiderium aderat, siti infestabatur: vrinam soluam longo tempore (*vt narrabat*) minxerat, & biliosa subinde euomuerat: fereque cum pulsum attingerem febriebat. Vnde tandem iecore contabescente, humores eidem colliquebantur: mox & ipsius visceris carnes, bilemque crassam, grauiter olentem: valideque coloratam, per aluum deiiciebat, & febris tunc adaucta fuit. Quæ, inquam, omnia ad calidi distemperamenti notas referuntur, & ad habitudinem iecoris corruptam, eiusque magnam imbecillitatem, morbo iam magis confirmato. Nam quoque simile quid loturæ recentis carnis deiiciebat, vnde & tabe conficiebatur. Venit mihi tunc in mentem Pauli dictum: *Si iecur*, inquit, *contabescit, vniuersum tabe conficitur corpus: febri exæstuat. cibi tædio elanguescit: bilem euomit. Si cum stomacho incolumi humida ac liquida vetyimenta sunt: ægre decoquente iecinore vires eius infirmas esse diiudicari necesse est. Si vero loturæ recentis carnis simile est, quod effunditur, commutatricem vim ad sanguinis generandi munus inualidam esse haud dubium est.* Cum itaque huic hepar calidum esset, ideo calida vitanda proposuimus: qualia sunt loca æstuosa, ignis, multaque vestimenta, & vestes pellibus subsutæ. Sed illa vltima minus imperauimus, cum ad ditiores pertineant. Concessi refrigerantia, vt ex herbis *oxalidæ, lactucam, portulacam, intybum*, ex fructibus: *cerasa non dulcia*. A prunis abstinuimus, cum aluum satis fluidam haberet. Animi perturbationes, iram, furorem, mœrorem, exercitia interdiximus, vigilias, edulia actu calida, viscosa, crassæ materiæ (*quæ maxime nocent, cum illi optime iecori consulant qui poros aperiunt*) qua etiam de causa, lactaria, meliaria & aromata omnia damnauimus. Et inter obsonia bubulam, carnemque hircinam, & ouillam, agninam, arietinam, & inter pisces quicquid sine squama est, quales sunt anguillæ, murænæ, ac congri: oua etiam dura tosta & omnia pinguia, vinumque dulce & mustum: famem quoque cum ea corpus inflammet: & inter cibaria cucumeres: & aquosa omnia & putredini obnoxia. Iecinora inter cibos laudauimus: vt sunt pulli gallinacei, auiculæ, & perdices, atagenes phasianosque commendauimus: sed quia pauper erat, contenti fuimus cuniculis & similibus, atque auidis, & turture. Et quia ex calida intemperie hic affectus hepaticus erat: aerem quoque elegimus ad frigidum vergentem: & somnum moderatum atque nocturnum, & quietem imperauimus. Et cum in vniuersum cibi mediocriter refrigerantes & minime obstruentes, teste Paulo, sint eligendi: quique probe distribuuntur, & robur temperiemque inducunt, & vim abstergendi viscera, aperiendique efficaciam habent: aliqui hic commendant ptisanam & eius cremorem, seridem & cichorium, modo crudum, modo coctum cum coriandro assumptum: etiam succus ipsius epotus, calidis & frigidis iecinoris vitiis opitulatur. Interea multa iura & pinguia detestanda. Saxatiles pisces concessimus, & cotonea, & malorum punicorum grana ante cibum, cum pane, & pyra astringentia, & vuas passas, *ex Galeno*. A vino abstinuimus, ob febrem: tamen dilutum aliquando & ἀκρατοφόρον, ex Paulo (*si adsit magna stomachi imbecillitas*) datur. Sed quia hic erat pauper, ceruisiam chalybeatam, ob fluxum dedimus, modo etiam ob febrem aquam hordei, cum succo punicorum: aliquando & eam, in qua cichorium aut seris incocta erant: adiectis coriandri seminibus præparatis. Potiones vero, quod ad medicamenta attinet, vtiles duximus refrigerantes, detergentes, leuiter aperientes, & astringentes, vt decoctum seridis: cum syr. de end. ex ros. siccis, adiectis santalis & diatrionsan. & pro leui expurgatione rhabarb. modo in infus. modo in substantia, cum decocto end. scariolæ, cichor. & syr. de portul. de limonibus acetos. citri, de granatis, oxyzacch, etiam acetosam, lactucam, portulacam in iure carnium decoximus. Cum autem male hepar inunxisset, ex Empirici consilio, oleo laurino, & aliis calidis remediis, cumque etiam dolorem aliquem in regione hepatis sentiret, eo relicto statim nos inunximus cum vnguen. santalino, & epithema imposuimus, vel huius æmulum, ex aqua plantag. solatri, acetosæ, endiu. cum aceto & santalis. Postea cum & fluxus adesset, constringentibus vsi sumus, vt ros. siccis, eiusque syrup. & de portul. valet etiam syrup. de agresta cum supradictis aperientibus & refrigerantibus. Hepar quoque inunximus vng. ros. & santalino simul mixtis. Quibus hic postea bene habere cœpit. Verum, proh dolor: magistris nosocomij non admittentibus amplius vlteriorem curationem, cum viderent magnos sumptus, & quod non statim perfecte curaretur, ab omnibus remediis cessatum est: ita vt postea hepate contabescente hic æger quoque contabuerit. Et tandem fere per annum aut plures menses in nosocomio manens, sine remediis, mortuus est. Neque mirum cum huius affectionis curatio haud quaquam despicienda sit: quoniam nonnulli, propter curandi inscitiam (*vt Gal. inquit 4. de artic.* perierunt. Nam & hic in principio perperam ab Empiricis fuit tractatus. Quomodo autem in causa fuere medici, vt ægri morerentur: ibidem declarauit Gal. Hic autem ex calida intemperie, iecinoris imbecillitas fiebat, quæ rite curari debet: nam temporis spatio colliquationes ex ea fiunt, primum humorum: deiude etiam carnis ipsius hepatis: quin imo totum corpus absumitur, *vt ex Gal. & Paulo liquet.*

liquet. Iecorē enim, quod membrorum naturalium regimen possidet, cuncta animalia viuunt. Propterea de eius affectibus sollicitus admodum medicus esse debet: Sanitas enim magna ex parte (*vt Hippocr. docet*) ex iecoris bona valetudine constat. Quod si negligitur, facile periclitatur homo. Atque ita hic æger, cum prius in manus empiricorum incidisset, postea curari non potuit.

SCHOLIA.

QVod iecur sit principale membrum, quodque eius sit officium, satis abunde diximus *in præfatione huius libri, & in libr. nostris de incerto vrinarum iudicio*: cum hoc viscus vniuerso corpori (*vt sanguificationis organum*) alimentum præbeat. Ideo multis vitiis excruciatur, simplicis aut compositæ primum habitudinis distemperamento: vel naturali simplici, vel pariter composito. Hinc intemperies tum simplex, tum ex humorum vitio, substantiæ corruptela, obstructio, scirrhus, inflammatio, abscessus, vlcus. Hepatici vero seu iecinorosi, non vteribus, qui hepatis inflammatione laborant, dicuntur: sed cum citra manifestum aliquem illius affectum imbecillitas sola acciderit ex intemperie. Hos enim proprie iecinorosos seu hepaticos medici nominare consueuerunt: quando videlicet citra aliquod manifestum in viscere malum, in propriis actionibus debilitatur, *vt liquet ex Gal. 5. de loc. affect. & 8. de compos. medic. secundum locos, & 3. de caus. symptom.* quem & sectati sunt Paul. *lib. 3. cap. 46.* & Aetius *lib. 10. cap. 1.* & Alexan. *lib. 8. cap. 3.* Iecur hic læsum est, vt ex iotura carnium cruentarum liquet apud eosdem auctores locis iam dictis. Estque symptoma in genere noxæ functionum naturalium, alteratricis scilicet: ac magis speciatim sanguificæ ipsius iecinoris, quæ non ablata est, sed diminuta ac imbecilla. Atque eius imbecillitatis causa quæuis intemperies esse poterit, vel calida, cuius signa iam ex parte diximus *in obseru. præcedente*: vel frigida, de qua obseruatione sequenti dicemus. Cæterum quod ad calidam intemperiem attinet, ea ipsa fit ex cibis & potionibus calidis, & eorum condituris; & postea augetur ex præsentia biliosi humoris irrigantis carnem & venarum tunicas. Signa habentur calidæ intemperiei ex obs. prædicta, etiam ex colore totius corporis valde citrino, & bili attestante: nam & oculorum alba quandoque pallescunt: estque vrina pallida, flaua, & mordax, si ieiunarint, & ictericorum similis, bile tincta. Habitus illorum gracilis est: sitis adest ob stomachi consensum; & corporis tactus calidus. Et si plurimum excesserint colliquationes iam dictæ biliosæ, crassæ, fœtidæ, genitæ ex sanguinis adustione, tum in iecinore contenti, tum in mesenterio, *vt 5. de loc. affect. 9.* mox caro colliquatur ex multo calore. Adest cruenta egestio, & colliquationes, vt in febr. pestilentibus & inappetentia febris, & fumorum vitiosorum vomitus, (*8. de comp. med. sec. loc. & 5. de loc. aff.*) vel æruginosus, & similes deiectiones: lingua scabra, corpus siccum, & gracile, iecore colliquescente; & incruenta sanies, contabescente. Et temporis spatio ex ipsa substantia tandem particulæ longe fœtidissimæ decernuntur, *teste Alexand. c. 3. lib. 8.* Sed & ex temperamento ægri, ætate, anni tempore, & prægresso victu, reliqua innotescent: nam temperamento calidi sunt, & tenues habitu, pilosque densos habent, curis dediti, & animo iracundi. Prognostica etiam diximus in fine obseru. licet periculum ex affectus magnitudine iudicatur. Magnitudo vero affectus cognoscitur, primo ex magnitudine symptomatum: secundo ex diuturnitate, tertio ex eo, quod remediis rite adhibitis non cedit. Transit autem in hydropem, aut in febrem tabidam, quando cum calore viscus etiam siccius euadit. Curatio vero calidæ intemperiei facile constat ex obseruat. dicta, cui adiungere posses exemplum puellæ Lucensis curatæ à Iacchino. In ea primum erat intemperies calida; cuius ratione hepatica dicebatur. Erat extenuatio, qua in tabem tendere videbatur. Aderat & siccitas solidorum, quæ incrementum corporis tardabat. Cui tametsi succuri non poterat; attamen prohibere eius augmentum opus erat, vnde minus incrementum corporis impediretur: erat enim in media adolescentia. Necesse itaque erat, vt in complicito affectu, ad id, quod causa erat, maxime spectaret: nam sine eius sanatione, neque alterum sanari poterat, id erat intemperies calida & sicca: in cuius sanatione, ex longitudine affectus verisimile erat aceruata esse, excrementa biliosa, & id omnia testabantur. Ideo cœpit primum vacuationem moliri medicamento, quod minime excalfaceret: cuiusmodi fuit aqua Villica, quam septies propinauit, ea ratione, qua docuit aquas propinari solere. A purgatione ad alterationem transiuit, succis herbæ cichorij vtens, *ex Gal. 8. comp. med. secund. locos*; quos succos cum modico zacchar. per 10. dies illi dedit, quousque caloris signa remittebantur. Optima victus ratione vtebatur, refrigerante, oxalide, lactuca, portulaca, intybo, & ex fructibus, prunis, cerasis: euitando salsa, dulcia & pinguia. Exterius etiam cataplasma imposuit, ex farina hordei, & succis supradictis: vel epithemate eiusdem generis vsus est, ac illinitione ex cerato santalino dicto, aut cerato simplici Gal. Demum ad extenuationem curandam, accessit ad lactis potionem, cuius vsum antea docuimus. Atque his adeo profecit, vt non modo carne repleretur, sed colorem supra, quam credi potest, mutaret ad melius. Reliquum curationis vide apud Gal. Paul. Aët. & Alexand. locis citatis. Nunc exemplum frigidæ intemperiei proferamus.

Hepatici, qui ita appellantur, & iecinorosi.

Causa.

Signa calidæ intemperiei.

Prognosis.

OBSERVATIO II.

De frigida hepatis intemperie, cum eiusdem imbecillitate.

VIr quidam post longam & largam sanguinis fluxionem è naribus, totum habitum refrigeratum habebat: vnde & iecur multum pituitæ contraxerat; corpus tactu frigidum & subtumidum erat: facies etiam ei albida euaserat, & intumescens. Et cum pauper esset, aquæ frigidæ potu intempestiuo vsus fuerat, tum cibis frigidioribus: quæ omnia temperiem frigidam indicabant, & eam auxerant: vrinæ tenues & albæ procedebāt. Cruda quoque per aluum dejiciebat, post longam excrementorum retentionem: verum non valde olida, at debito liquidiora. Sed non adeo ac priori erant assiduæ excretiones, neque ita multæ: durabat, tamen hic affectus diutius: Deinde per aliquot dies venter maiori copia profluebat. In fine minus graueolentia excernebat, speciem putrefacti sanguinis non colliquati habentia: & quod excernebat, veluti sanguis niger apparebat; quāuis tamen diligenter consideranti non niger erat sanguis, neque grumus, sed velut limus quidam sanguinis crassi, prope ad atram bilem accedens. Id vero, quod ad ipsū iecur prius ferebatur, pituitosum

tosum & crudum ac semicoctum efficiebat. Neque facies ita in eo collabebatur, quamuis febris subinde languida apparebat; temperamento ipsius corporis ad frigidius inclinante; victu nimirum frigidiore præcedente, ac vita otiosa. Hæc cum animaduerterem, vt in aere calido tum cubili sublimi versaretur consului, & omni victus genere calidiusculo cibisque coctu facilibus & boni nutrimenti vteretur. Paulus & Alexander panem cum vino assum sumere laudant: & idem Alexander ex oleribus brassicam, bis terue coctam, cum iure gallinarum, sternorum, aut turdorum: & auiculas ipsas paruas, & anserum ventriculos; in quarum carnium iure serpillum, saturcia, hyssopum, fœniculum, sampsucus, oreoselinum & similia incocta sint, laudat. Possunt & iura cinnamomo &
3 caryophyllis condiri. Interea assas carnes comedendas proposuimus, si dictas fastidiret. Verum cum & hic pauper esset, simplicem victum eumque calfacientem instituimus, & medicamentosum: ita vt apio, nasturtio, mentha, saluia, semine apij, petros. anisi, & similibus in cibis vteretur, mandauimus: & zinzibere, croco, galanga maiore, & inter herbas etiam melissa & absynthio, & multa brassica cum cymino, & quæ calida sunt & tenuium partium. Quæ obstruunt frigida sunt. Vix enim reperies insigne frigiditatem hepatis, sine aliqua obstructione. Ob id quæ tenuinum sunt partium, conueniunt, quia aperiunt, & ab obstructionibus liberant. Ideo & ciceris rubei ac atri ius dedi, etiam passulas, quæ efficaciter iecur iuuant: idque in prima & secunda mensa. Quidam & hic cochleas in cibo cum aromate, & vinum generosum dant, sed optimum est tenue ac parum dilutum. Sed quia hic pauper erat,
4 ceruisiam absinthiten concessi. Et quia hæc intemperies etiam pituitam admixtam habebat, ex causa frigida, ideo dedi decoctum sequens, loco iulebi. ℞. *decoctionis absinthij, agrimoniæ, centaurij minoris, cassiatæ, end.* ℔ j. *syrup. de eupatorio, absinthij, ana* ʒ i ß. *syrup. de end. oxymellis compos. an.* ʒ ß. *misce pro quatuor dosibus.* Deinde dedi hanc purgationem. ℞. *folior. sennæ* ʒ vj. *agarici fœmin. albi* ʒ i ß. *zinzib. albi* ϑ ß. *sem. anisi, fœniculi, an.* ʒ j. *infunde per noctem in decoct. absinthij, marrubij, centaur. capill. vener. schœnanthi* ʒ ix. *& fiat express. huius accipe* ℥ vj. *addendo syrup. de eupator.* ʒ ij. *misce. fiat potio pro* ij. *dosibus mane.* Verum postea cum excrementa satis aquosa redderet, abstinuimus à purgantibus: sed de obstruentibus vtebamur, & quæ materiam per vrinas deducerent; hoc vel simili modo. ℞. *rad. fœniculi, petroselini: asparagi, ana* ℥ j. *capill. vener. polytrichi, marrubii, absinthii, centaurii, ana* m. j. *schœnanthi, rad. cyperi, ana* ʒ ij. *semin. anisi, apij, cymini, ana* ʒ ij. *fiat decoct. in aqua communi & vino tenui. In fine post colaturam adde syrup. de hyzantiis* ℥ iij. *fiat potio pro* iij. *dosibus.* Postea ad maiorem roborationem adiecimus *ros. rub. & spicam & absynthium*, & exhibuimus *dialaccam, diacurcuma, diamusum, aromaticum ros. rosat. nouell.* & condita in hunc modum vel simile descripta. ℞. *conseru. flor. rorismar.* ℥ j. *conserv. anisinthij viriusque, ana* ʒ ij. *corticum citri conditi* ℥ ß. *iecoris lupi exsiccati* ʒ j. *specier. diarod. abb. diagal. ana* ʒ ß. *trochisc. de absinthio* ʒ j. *vuar. passul. contusarum, ab atillis repug.* ℥ ß. *semin. anisi* ʒ ß. *cum syrup. de eupat. fiat mixtura seu conditum.* Exterius vsi sumus hoc vel simili fotu. ℞. *folior. agrim. marrubii, absinthii, ana* m. j. *florum chamæm.* p. j. *spicæ nardi, schœnanth. ana* ʒ ij. *rorismarini* m. ß. *cum vino & aqua coctis partibus æqualibus, fiat fotus hyponchondrii dextri.* Deinde inungatur hoc vnguen. ℞. *olei nardini, absinthii, mastichini, an.* ʒ ß. *olei ros.* ʒ ij. *spicæ nardi Celticæ, caryophil. schœnanthi, an.* ʒ ß. *succi enpatorii* ℥ ß. *aceti & ceræ parum: fiat vnguent.* vel loco aceti adde parum vini cum inunctio fit. Atque his remediis optime se habuit.

Scholia.

FRigida hæc intemperies fit plerumque vsu rerum frigidarum, vt intempestiua aquæ frigidæ potione (*vt huic viro contigit*) aut nimio rerum frigidarum vsu, intus vel extra: post longam & largam sanguinis fluxionem, tam per vterum, quam per hæmorrhoides, quemadmodum & huic pauperi euenit, sanguine supra modum è naribus effluxo. Ita & cuidam consuli Geertrudebergensi, dum hæc transcriberem, accidit: qui non solum in iecoris imbecillitatem ex frigida causa incidit, verum etiam in totius corporis malum habitum & cachexiam. Quæ quidem sanguinis fluxio totum habitum refrigerat & potissimum iecur. Signa vero intemperiei frigidæ hepatis iam ex parte diximus Obser. iam dicta, quæ calidæ contraria sunt. Pendent autem omnia ex mala concoctione sanguinis, *vt tactus corporis frigidus, & corporis albedo totius, & œdemata, & pituitosæ febres, & tumida sæpe facies, præsertim oculi & crura, vrinæ tenues, albæ: excrementa per aluum cruda, valde liquida, aquosa, & non olida ventrisque profluuium certis temporibus.* Et huius frigidæ intemperiei curatio non minoris facienda est, quam calida: nam tractu temporis corruptio etiam in viscere sanguine, febris superuenire solet; quæ tamen ab imperitis medicis vsque adeo negligitur, vt laborantem interdum nequaquam febricitare putent: quinimo si vltro ea intemperies frigida augeatur, permutabitur ad aquam intercutem, *quemadmodum Galen. docuit 5. de loc. affect.* Et quouis modo antiqua debilitas hepatis, difficillime emendatur temporeque aut in malum corporis habitus, vnde debilitas totius corporis fit, aut in hydropem vertitur, potissimum si à frigida intemperie ortum habeat. Frequenter quoque contingit in hac iecoris imbecillitate (*vt longa experientia vidimus*) sanguinem vltro è naribus profundi: aliquando id fit per vterum, interdum vero per hæmorrhoides, nonnunquam etiam per vrinarios meatus, vt aliquando quoque spectauimus. Ideo & hepatici ex frigida causa diligenter etiam curandi sunt. Curatur autem hæc intemperies frigida, iisdem fere remediis, secundum aliquos, quibus ventriculus ipse imbecillus ex intemperie frigida: quin & breui persistere non potest, quin habeat adiunctam humiditatem. Sæpius vero & humores obstruentes adsunt, geniti ob vitiatam concoctionem: vnde remediis obstructioni dicatis egebit. Transit autem hæc in hydropem, vt diximus: quamobrem vbi corpus expurgaueris per agarici potionem, hieram, diaphœnicum, victus rationem ad calidum inclinantem institues, & siccantem, si multa humiditas iam sit iuncta: cibos exhibebis actu & potestate calidos, & potiones, tum natura, tum conditura. Mox & medicamenta propinabis magna, ex his quæ sæpius diximus, theriacem mane ad ʒ j. & dialaccam & diacurcumam. Extrinsecus vero adhibebis vnguenta ex nardino oleo & speciebus diamosci. Demum aromata omnia, quomodocunque corpori applicata, hanc sanant intemperiem: præcipue vero, quæ & astrictione participant, vt macer, nux muscata, caryophyllum. Expedit & his ob excrementorum copiam continue offerri, quæ vrinas mouent (*de quibus dictum est in observ. præcedente*) atque in exercitatione, regionis mutatione, negotiosa vita, curam omnem reliquam constituere. Probatur maxime cypheos compositio, ab Andromacho descripta. Reliqua vide apud Galen. Paulum & Aetium & Donatum. Præter olea, cerata, vnguenta, extrinsecus admota, valent & intra, confectiones aromaticæ, *vt arom. ros. diagal. caryoph. cum conseruis, ad modum opiatæ: superbibendo parum vini diluti aqua absynthij, vel marrubij, vel betonicæ.* Hæc intemperiem castigare poterunt, & imbecillitatem, quæ ab intemperie frigida fit. Eadem etiam humidam intemperiem castigant. Hæc autem his notis cognoscitur. Sitim nullam adfert, linguæ adest humiditas, vultus totumque corpus non ita collabitur, sed tumidum atque pituitosum apparet, tum excrementa, deiectionesque aquosiores. Hic tamen augenda est dosis resiccantium, *vt si antispodij aliquid opiatæ addatur, ex spongia bedegaris, vel cornu cerui, vel imestinis gallinæ & lupi, vel ex corall. aut ebore.* Victusque ratio magis exsiccans hic esse debet: tum ea danda, quæ ad hydropem (*in quam facile mutatur*) valent. Si ficca sit intemperies (*licet varius eueniat*) recrementa ficciora erunt, corpusque siccius & tenuius: sitis aderit; & deiectiones alui paucæ & crassiores apparebunt. Hæc autem difficile curatur: nam difficile est rem siccam humectare; tum quia quæ agunt, debilia sunt; & quæ patiuntur, multum resistunt: partes quoque exsiccatæ concidunt densioresque redduntur: & medicamenta non possunt penetrare, ob imbecillitatem facultatum naturalium, & maxime concoctionis in substantia membrorum solidorum: ideo & in marasmum, vitium irremediabile, incurrunt. Ne igitur radices agat, cibis humectantibus curabitur, *lacte butyro, vitellis ouorum, vino, succo carnium, ptisana, lacte, amyg. balneis & inunctionibus.* Atque tales regendi, vt de hectica, marasmo & tabe diximus. Ad quæ loca lectorem relegamus. Cæterum simplex intemperies diu sola non consistit, quin breui post tempore humoris vitium accersat: sic calida bilem, & frigida pituitam. Ideo & horum humorum respectus habendus, *vt iam sæpe ostensum est.*

1 Causæ frigidæ intemperiei inuentæ.

Ad humidam intemperiem.

10

Ad siccam intemperiem.

Signa frigidæ intemperiei.

7 Prognostica

8 Curatio

9

OBSERVATIO III.

De hepatico seu iecinoroso, ab empirico quodam pro pleuritico perperam iudicato.

1 IOannes Petri, cognomento Rex, qui Alcmariæ in Aggeris via prope pontem habitabat, cum duobus fere mensibus ex hepatis calida satis intemperie cum obstructione quadam tum inflammatione, attamen non vehementi, tendente ad apostema cum dolore eiusdem ac imbecillitate, laborasset, ad eum prius vocatus sum sub finem mensis Iun. anno 1553. in lecto decumbentem, & antea à quodam empirico pro pleuritico habitum, & longo tempore male curatum, sanguine quidem demisso, at aliis perperam medicamentis adhibitis. Ad eum ingressus, reperi eundem ad extremam debilitatem deuenisse, ac ab astantibus amicis tunc pro deplorato habitum: qui me tunc prius accersiri, tum vxor, iusserunt. Ad quem diligenter respiciens, inueni hominem ex continuo dolore vigiliisque adeo debilitatum, viribusque consumptum, vt ossa tantum restare viderentur. Aderat enim dolor in hypochondrio dextro, qui aliquando ad diaphragma, aliquando ad ventriculum extendebatur.

Et quantum ex signis præsentibus colligere potui, hominem non pleuriticum, sed iecinorosum iudicaui, non sine inflammatione, vna cum obstructione & hepatis caliditate & imbecillitate ad apostema quasi tendente. Aderant enim vigiliæ; & successit ventriculi debilitas, postea etiam aliqualis lienis durities; totumque corpus macilentũ euadebat: hoc est, quod paulo antea ex Ægineta diximus. *Si iecur contabescit, vniuersum tabe conficitur corpus: febri exæstuat ager, cibi tædio languescit*: quæ inquam omnia huic aderant, quamuis febris lenta erat, quasi hectica consumens totum corpus. Pro variis accidentibus varia conscripsimus. Pro vigiliis tempora hoc linimento inungi iussimus: ℞. *vnguent. popul. olei mandrag. papau. an.* ℥ ß. *opij thebaici* ϑ j. *croci* ℈ iij. *ceræ q. s. fiat linimentum.* Interim pro hepatis obstructione, inflammatione, & pro vigiliis, bis in die ex sequenti decocto bibebat. ℞. *cichorij cum rad. dentis leonis, cum rad. acetosæ, end. fumariæ, lactucæ nouellæ, viol. ana* m. j. *agrimoniæ, capill. ven. anethi viridis, ana* m. ß. *fem. quat. frig. maior. ana* ʒ j. *sem. anethi, portulacæ, ana* ʒ ß. *glycyrr. ras.* ʒ iij. *fiat decoctio in aqua commun. pro* ℔ i ß. *colaturæ adde syr. de cichor. Nicoli cum rhab. syr. de end. ana* ℥ j. *syr. viol. papau. borag. an.* ℥ ß. *arom. cum* ʒ ß. *spec. diarod. abb. &* ℈ v. *trochisc. de rhabar. fiat clareti instar pro iuleb.* Et cum cyathum vnum bibisset, capiebat ʒ ij. *specier. trionsant. & diarod. abb. confecti cum aqua end. adiecto zacch. vt antea est in tabulis.* Pro dolore vtebatur hoc fotu, tam in regione hepatis quam diaphragmatis & ventris. ℞. *folior. maluæ.* (quia circa hepar & loca dicta erat quædã durities & tensio) m. j. *folior. viol. man.* ß. *flor. ros. rub. florum anethi seu summitatum eius, summitatum absinthij, florum meliloti, chamæmil. ana* p. j. *fiat decoct. in aqua commun. pro* ℔ i ß. *in fine addendo aceti optimi & vini Rheneusis, an.* ℥ ij. *specier. trionsan.* ʒ i ß. *misce, pro fotu.* Mox inungebatur vnguent. sequente. ℞. *vnguent. alabast. olei ros. coton. an.* ℥ ß. *misce.* Post fotum & inunctionem dolor sedatus est, potissimum in diaphragmate & ventriculo, & in hypochondrio dextro: ita vt postea melius dormire potuerit. Postea ad maiorem hepatis & ventriculi roborationem. Ex condito sequenti vtebatur. ℞. *conseruæ capill. vener.* ℥ ß. *succi intybi seu seridis* ℥ ß. *conserv. nenupharis* (ad maiorem alterationem & refrigerationem hepatis) *conserue bugloss. ana* ℥ ß. *conserv. ros. flor. cichorij, an.* ʒ ij. *corticum citri conditi* ℥ ß. *zacchar. ros. perlati* ʒ x. *spec. diarod. abb. trionf. an.* ʒ ß. *cum syrup. de succo cichor. & ros. fiat conditum.* Postea etiam eodem vsus est, adiecta *conserue viol.* ℥ ß. *& specier. aromat. ros.* ϑ j. *cum syrup. menthaceo.* Et ventriculus inungebatur oleo mastic. cotoneor. & myrteo. Dedimus prius ʒ j. rhab. in substantia: nam alia purgatione vti noluimus, cum hic satis per se aluum fluentem (*vt hepatici solent*) haberet, & sæpe biliosa male olentia dejiceret. Post aliquod tempus manifeste sentire potuimus duritiem quandam in hepate, inflatione pedum non diu subsequente: ideo & de apostemate & scirrho metus erat. Sed loco dolente inuncto, haud exiguum leuamen subsequutum est, vt plurimum adhuc de eius salute sperauerimus. Linimentum tale erat. ℞. *emplastri de meliloto* ℥ ß. *olei cotoneor. amygdal. amar. ana* ʒ iij. *vnguenti sanctalini* (ob intemperiem calidam hepatis & imbecillitatem) ʒ ij. *gummi ammoniaci in aceto soluti* ʒ i ß. *misce. fiat linimentum.* Vtebatur & his tabulis, cum maximo commodo. ℞. *hepatis lupi inciss & contriti* ʒ i ß. *specier. diarod. abb. specier. diatr. frigid. an.* ʒ ß. *pul. rhab. optimi, ammoniaci in aceto dissoluti ana* ℈ iv. *dissoluantur hec in*

decoct. cuscutæ capill. vener. cum aqua fœniculi, bugloss. scabiosæ, lupul. adiiciendo zacch. q. s. fiat confectio in rotulis, ponderantibus ʒ iij. *miraculose contulit*, etiam in iisdem aquis hepate lupi bullito & expresso. Veteres dabant ʒ j. *hepatis lupi in puluere, cum vino dulci*, sine febre; alioqui cum *succo seridis*, vel cum *aqua calida*: nos commode cum aquis dictis propinauimus. Nam & Galenus iecur lupinum medicamento ex eupatorio indidit, *vt* 11. *de med. simpl.* quamquam & eo solo vtitur 8. *&* 6. *de compos. medic. secundum locos.* Sua proprietate efficax est medicamentum, ex Asclepiade. At cum hoc electuario, tum linimento, aliquo tempore vteretur, dolor omnis in hypochondrio dextro cessauit, & durities simul euanuit. Quamuis paulo post conquestus est de lienis duritie & obstructione: quæ tamen symptomata sola inunctione olei de capparibus mox cessarunt. Sed in conualescentia pedes cum inflati manerent, decocto sequenti adhuc vtebatur: ℞. *agrimoniæ, ceterach. scolopend. ana* m. j. *decoqueb. in aqua & vino Rhenensi, & colatura expressa zaccharo dulcorata*, vtebatur bis atque ter die, maximo suo commodo. Similiter & condito sequenti, omni mane ad castaneæ magnitudinem: ℞. *conserv. flor. rorismarini* ʒ ij. *conserv. bugloss.* ʒ ß. *rad. saxifrag. conditæ* ʒ ß. *corticum aurantior. condit. & citri ana* ʒ ii ß. *trochisc. de capparibus* ʒ ß. *specier. dialaccæ* ϑ ij. *specier. diarod. abb.* ϑ i ß. *cum syr. de cichor. & oxymel. simplic. q. s. fiat conditum.* Pedes inflatos fomentari imperauimus, qui œdematosi videbantur, cum aqua marina. Qua ablutione, lotione ac fotu subsiderunt: ita vt ad pristinam valetudinem peruenerit. Interim pro colophone totius curationis etiam his tabulis vtebamur: ℞. *Specier. diarod. abb. trochisc. de capparibus an.* ϑ ß. *specier. dialaccæ* ϑ ß. *dissoluis in aqua agrimoniæ, cichorij & fumariæ ac fœniculi, adiecto zacch. q. s. fiat confectio in tabul. dos.* ʒ ij. quibus vtens, quotidie fecessum habuit. Et iecore imbecillo restaurato cœpit in dies magis magisque conualescere, etiam carne accrescente: ita, vt dictis remediis, post diuturnas afflictiones, pro deplorato habitus, magna cum nostra industria, *laude Diuina & Dei ope*, cum multorum admiratione sanatus fuerit.

Scholia.

7 CVm hunc ægrum præ manibus haberem, venit mihi in mentem historia illa Siculi medici decumbentis, qui se ipsum iecinorosum, tum alij medici perperam pleuriticum iudicabant, apud Galen. lib. 5. de loc. affect. cap. 7. cum Galen. vna cum Glaucone post alium medicum ad illum ingressus, inflammatione iecoris laborare, eundem iudicabat. Similis quoque historia etiam narratur à Beniuenio, de abditis caus. morborum. cap. 75. de Antonio Brunellesco, à priore medico iudicato pleuritico, cum malum in iecinore esset, cum inflammatione, ab eodem Beniuenio recte curato. In quo vehemens dolor à latere dextro in iugulum humerumque transmitteretur: & bilem quoque euomebat æger, quem & singultus pene strangulabat. Verum cum huiusmodi vitij notæ eædem fere sint, quæ & lateris abscessum indicant, medicus cui primum cura demandata fuerat, cum curabat vt pleuriticum (*vt noster empiricus*;) Sed cum iecoris vitio laboraret, aliter eundem curauit Beniuenius; quemadmodum & nos hunc ægrum restituimus. Oportet igitur medicum non solum morbum cognoscere, sed & locum etiam in quo sit, diligentius perscrutari; vt huic commoda medicamenta apponantur, & vt tales non vti pleuritici, sed iecinorosi recte curentur, adhibitis iis quæ ad hepaticos vel etiam inflammationem iecoris (*si adsit*) conueniant, in quibus etiam canones auctorum obseruandi, de quibus docte & egregie scripsit Arculanus. Cæterum quia frequés affectus etiam huius visceris est obstructio, ob multas caus. vt postea dicemus, ideo huius exemplum vnum nunc adferemus.

Medicus iecinorosus à se ipso tum aliis perperam pleuritidem iudicatus.

8

OBSERVATIO IV.

De obstructione hepatis, ex flatibus crassis.

SCribit Galenus lib. 5. De locis affectis, non solum à crassis humoribus iecinoris obstructionem fieri, verum etiam halituoso quoque spiritu ibi concluso, cui non pateat exitus. Quod & Aet. confirmauit lib. 10. cap. 2. cum dicat, iecinoris oppilationes fieri à flatibus nebulosis & concoctu difficilibus. Et sic secundum Galen. & Aetium dignoscitur hæc obstructio, cum vaporosi & crassi flatus multitudo coaceruatur, quæ exitum non habet: quoniam non granitatis solum, sed etiam distensionis sensum sentiunt laborantes. Sic istis diebus vir in platea Flandrica habitans, insignem dolorem vna cum tensione patiebatur in hypochondrio dextro, cum tempore ventoso iter fecisset, & flatulentis cibis vsus esset. Cum nulla febris adesset, huic dedi decoctum florum chamæmillæ, seminis anisi & fœnic. cum vino tenui: & ne materia coaceruaretur, exhibui ʒß. *diaphœnici, cum* ʒ iij. *decoct. cicerum rub.* Exterius inunxi locum dolentem cum *oleo nardino, amygd. amar. & chamæmelino: & dedi diacuminum.* Vtebatur victu extenuante & carminante. Etiam fotu ex floribus chamæmillæ meliloti, summitatum anethi, cumini & anisi, & absinthij, cum recens esset affectio ad tollendam obstructionem vtens, facile curabatur. Hoc est quod Hollerius dicebat: Oppilatur hepar à crassis flatibus sed facile discutiuntur: non ita facile à crassis viscidisque humoribus, vt postea suo loco dicemus.

Scholia.

INter alios instrumentales affectus, quibus cerebro iecur laborare contingit, potissimum is est, qui à Græcis ἔμφραξις, à Latinis Obturatio, oppilatio seu obstructio dicitur. Est autem ea, læsio seu amissio prædictarum iecinoris cauitatum, ex infarctu alicuius substantiæ; humoris scilicet seu flatuosi spiritus, vt ex Galen. 5. de loc. affectis & aliis multis locis colligitur: idque in extremis vasorum partibus, non autem in propria eius substantia (*vt Arabes quidam senserunt*) quæ παρέγχυμα dicitur, quod ipsum ad longum Donatus ostendit. Atque hic affectus, morbus existit non in intemperie, sed instrumentalis est morbus, in via seu cauitate. Obstructio autem admodum familiaris est iecori, nullumque viscus hoc æque vitio tentatur, eo quod vena è portis per iecoris substantiam in ramos tenuissimos dissipata obliteretur: & quod huc alij rami non minus tenues è caua vena conueniant, per quos omne debet alimentum traduci & exportari. Et ita secundum alios obstructio fit in venis capillaribus hepatis, per caua & gibba disseminatis à vena porta, vel caua, ob earum angustiam & flatus, vel etiam crassi & lenti humoris copiam, vt pituitæ in frigiore temperamento. Biliosis etiam temperaturis parua victus ratione vtentibus, sæpe crudus humor in

3 ἔμφραξις oppilatio, obturatio, obstructio hepatis

Pars affecta.

Affectus.

4

Causæ.

in ventriculo & primis vênis colligitur, qui calore attractus ipsius hepatis obstructionem parit. Causæ sunt frequentissimæ: victus ratio ex crassis & viscidis, exercitium à cibo, crassiora alimenta in prima mensa assumpta, succedentibus calidis & tenuium partium. Nam ex his crudus humor intra venas rapitur, sicuti plerumque fit à medicamentorum aperientium vsu, ventriculo crudis humoribus referto. Et sic humor crassus, lentus aut multus, qui interdum è cerebro procumbit in ventriculum, & deinde præterfluit, sensim in tenues iecoris venas cum alimento penetrat, easque obstruit. Fere tamen ex alimentis crassis, viscosis multisque fit obstructio, quum aut balneis, aut motu vehementiore mox à cibo in tenues venas vel rapiuntur, vel impelluntur: nonnunquam & bilis flaua in iecore præter naturam diutius coercita, nec tempestiue expurgata, mire crassescit, grauesque & admodum periculosas iecoris obstructiones inducit, vt quæ interdum etiam in cysti lapidescat, vt aliquando post incisionem mortuorum deprehendimus. Duæ tamen præcipue causæ referuntur ex *Galeno*, *Aetio & Tralliano*, crassi & viscosi humores, vel spiritus halituosi in venis hepatis concluſi: & huius vltimi exemplum iam diximus, & quibus notis dignoscatur, scilicet non solum grauitate, sed etiam tensione. Nam grauitas & distensio, cum obtuso dolore, dextro insident hypochondrio, quod tum præcipue manifestum est, cum quis mox à cibo exercitationem subit. Ea tamen sine tumore, & sine febre est. Talia etiam possent apparere ex humoribus crassis. Græci enim, (*Galenum, iniquam, Paulum, Aetium, ac Alexan.*) de obstructione tractantes, quæ per se sola citrà alium complicatum morbum iecur exerceat (de qua nunc loquimur) duarum tantum prædictæ obstructionis causarum meminerunt, spiritus videlicet flatuosi ac crassorum viscosorumque humorum. Hæc cum multiplex non fuerit etiam sine febre excitari consueuit. At reliquæ, quæ mox à principio cum febre inuadunt, à calidiorum humorum multitudine ac putredine ortæ, non difficile cognoscuntur ex dolore vehementiore, tum febre: nec alium requirunt curationis modum, quam reliquæ, nisi quod non adeo calidiora attenuantia exigunt. Qua de re non ex propria obstructionis natura febris consequitur: sed cum ea multiplex fuerit, propterea bene dicebat Actius, eam quandoque sine febre esse, quandoque cum febre. In recenti namque ac exigua, & non multa existente iecinoris obstructione, febris non excitatur: in diuturna vero ac multa, non mirum, si ea consequatur, magnitudinis tamen & diuturnitatis ratione. Quin imo idem Galen. 8. *meth. med.* dicebat, obstructionis magnitudinem discerni ex magnitudine febris, vt quæ ex maiore obstructione, maior, ex minore, minor fiat. Verum cum oppilatio omnis inueterata, non tantum in hepate, sed in omni membro, putrefactionem operatur, ac febrem accendit vt Aet. inquit: breui etenim tempore putrefactio consequitur ad obstructionem ex vitiosis humoribus, in frigidis intemperaturis, propterea obstructiones celerrime curate oportet. In calidis vero non cito, sed temporis progressu accedit, (*vt liquet ex Gal. 8. de compos. medic. secund. locos.*) & consequenter ad putredinem febris. Si ex vitiosis humoribus contingant, eodem Gal. auctore, nec minus & aqua intercus consequi poterit: viscosis enim frigidis ac crassis humoribus diu in iecinoris vasis consistentibus, ex iis vasa ipsa primo infrigidantur, &

5 *Signa ex halitu spirituoso.*

Ex crassis & viscidis humoribus.

7

Prognostica.

demum iecinoris propria substantia, ad cuius infrigidationem perpetuo sequitur aqua intercus, vt constat 5. *de loc. affect.* Quod vero totius etiam corporis extenuatio, ex eius diuturnitate necessario consequatur, propter alimenti penuriam, cuilibet patere poterit, nec alia indiget ratione seu auctoritate. Et sic quoque obstructio ex calore hepatis, sæpe icteri causa existit, ac febris lentæ & inflammationis, atrophiæ etiam in pituitosis, cachexiæ & hydropis, vt dictum est, & colici doloris, vt Arculanus & Gordonius testantur. Soluitur aliquando in concaua parte, existente ventris fluxu: & est aliquando aluus liquida, & subinde sanguinolenta, si caua pars laborat. Ita, si gibbosa, adest anhelitus difficultas, vrina vix redditur, aquosa est, tument dextra præcordia, & iecore tumido supprimuntur: aluus nihil reddit, aut tantum aridum: & si vrina crassa redditur, soluitur aliquando malum. At curatio generale quippiam habet, partim ex natura causæ proximæ, id est, humoris obstruentis, quem etiam licet morbum nominare partim etiam ex causa remotiore, id est, abundantia humorum in corpore. Obstructio autem tolli nequit, nisi eius prima causa tollatur: imo si quis ad obstructiones tollendas accedat, non vacuata copia humoris in venis, potius augebit obstruſtionem, 11. meth. 10. & 8. Quod erit apertum, si consideremus, quid exigat prima ratione obstructio. Est autem eius indicatio apertio, quæ fit per ea, quæ contrario modo humores afficiunt, si lenti sunt, incidantur, si crassi, extenuentur, &, vna euacuetur, quod præter naturam continetur in vasis. Sed quæ hoc efficiunt, vt plurimum sunt potestate calida, & fundentia sanguinem: quare metus est ne augeant obstructiones, siquidem copia humoris adsit in venis. Itaque præceptum est, ante medicamenta, quæ obstructione liberant, abundantiam minuere, idque vel vena secta, si sanguis abundet, vel humoribus ad calidum vergentibus, ac copia sua quoque molestantibus, potissimum vbi eadem obstructio adhuc fiat, ex interna cubiti vena, *vt* 11. *meth. med.* etiam in inueterata, si febrem accendat Paulo teste, etiã si sanguis melancholicus vel crassus causam dederit modo vires ferant, alioqui si humores alij & crassi in causa sint, purgatio adhibenda. Quomodo autem purgatio sit facienda, id figura seu formatio, tum etiam situs eiusdem visceris, indicabit, per quæ scilicet loca eam facere oportet. Nam quæ in fimis iecoris sunt excrementa, ad intestinum: quæ vero in gibbis, per vrinas euacuabimus, Galen. auctore lib. de const. art. med. quamquam etiam eadem iecinoris gibba, si multo vitioso succo sint referta, per deiectiones & pharmaca deiectoria (καθαρτικὰ Græci vocant) expurgari debeant: si vero mediocri succo referta sint, per vrinarios meatus, ex Gal. 7. *meth. med.* Aliqui hic, si pituita abundat, per vomitum vel aluum educunt. Vitiosis succis mediocriter concoctis ac eductis, ad detergendas obstructiones accedemus, *vt* 8. *&* 11. *meth.* In calidis infuso *rhab. vtemur, cum decocto myrobi*, si crassi sint humores, adjiciemus pro purgatione *infusum agarici*, vel vtemur *pilul. ex agar. & rhab. vel ag greg.* si valde crassi sint humores. Deinde vtemur aperientibus, quæ ad intemperiem frigidam valere scribunt auctores, si ex succo frigido fiat: si autem calidi adsint succi, vtemur iis, quæ ad calidam intemperiem valent, vti & exemplà infrascripta docebunt.

8

9

10

OBSERVATIO V.

De hepatis obstructione, ex pituita crassa.

1 PVella pituitosa, cui facies discolorata erat, ac membra fere omnia pallore squallebāt, genæ tumescebant, & labia quasi emortua tum pallida spectabantur, ac pedes tumentes habebat, vrina clara, alba mingebatur: grauitas quoque tum distensio cum obtuso dolore dextro insidebat hypochondrio, & potissimum perceptibilis mox à cibo si sese moueret aut exerceret, quæ omnia certissimum signum, in iecore obstructionem esse, ostentabant. Hanc vero suspicionem augebant causæ præcedentes: nam victu crasso & humido longo tempore vsa fuerat: nulla tamen febri corripiebatur, neque adhuc in hypochondrio dextro tumorem experiebatur. Spiritum impedite trahebat, præsertim si scalas ascenderet, vel alta peteret. Pedes cum vesperi magis tumerent, signum hoc erat quod partes distantes priuatæ erant alimento conuenienti, cuius quoque causa facies pallebat. Pulsus huic mollior erat, ac languidior: nulla sitis aderat, & os saliua madebat, quæ inquam omnia ex pituita glutinosa obstructionem arguebant. Curationem vero à victus ratione, nempe extenuantibus, instituimus, vsque aerem frigidiorem, paludosum vitaret, ventosum, & austrinum siccumque eligeret, & cibos calidiores attenuantes gustaret, *asparagum capparem, fœniculum, carnes pullorum, gallinarum, turdorum, merularum, perdicum, ac aliarum auium paruarum montanarum, assatarum, vel coctarum cum hyssopo, oreoselino, satureia, pulegio, apio, sampsucho & similibus.* Inhibuimus cuncta cibaria glutinosa & crassæ materiæ, veluti carnem bubulam, vaccinam, agninam, hircinam, & inter pisces molliores: pestiferam etenim materiam præstant, vt murænæ, anguillæ, congri. Pernicio sissima habentur, *lac, caseus pedes quadrupedum, & viscera, damnatæ materiæ existimantur, præterea oryza, far, & omnia dulciaria & lactaria*, & lac quò crassius est eò nocentius, à quo serum æxiguum excernitur: nam quod plurimum casei continet, hepaticis, calculosis & lumborum vitiis nocet: sic & palmarum pinguium natura oppilat, si ex toto non maturæ sint, ita & siligo cum lacte in pultem parata eadem vitia producit. Imperauimus quoque vt sereno cœlo ac calidiore habitaret, corpusque exercitatione aliquantisper vegetaret ante cibum: nam exercitium conturbans à cibo sumpto, noxium admodum est: eaque ratione quies
3 tunc imperanda. Iussimus interea, vt ante cibum vigilaret: nimio enim somno torpescunt sensus, & ideo somnus sit nocte non turbatus, paululumque sublimius caput, connexæque corporis partes componantur tempore somni. Panem optime fermentatum laudauimus, qui si sale, cymino, fœniculo, anisо, vel similibus subactus esset, magis commendatur. Vtiliter quidam & addi volunt pro plebe, lupinorum farinam aut erui. Interea cibum offerri voluimus, qui facile concoqui posset, in parua quantitate, & vt vnice caueret, ne plus quam vires tolerarent alimenti sumeret, & ne antequam hesternus cibus concoctus esset, alium gustaret, aut horam consuetam præueteret. Concessimus & vinum tenue, cum & huic
4 menses deficerent, aut minus fluerent. Propterea etiam huic consuluimus, cum vires adhuc fortes essent, vt paulum sanguinis ex saphæna mitteretur, & egregie profuit. Licet enim sanguinis missio aliquando approbetur in obstructione hepatis, pro ventilatione in pituitosis ex basilica vena, tamen in hæmorrhoidibus & mensibus suppressis prodest venas cruris potius incidere, vt apud auctores videre licet. Quæ venæ sectione cum menses fluerent, interea ea eligimus, quæ materiam inciderent, aperirent & detergerent, & simul ad euacuationem facerent: quale est sequens decoctum. ℞. *rad. fœnic. petros. asparagi, apij graminis, ana* ℥ j. *origani, veris marini, artemisiæ*, (vt magis fluerent menses) *chamæd. ana* m. j. *centaurei, cassuæ, agrimoniæ, chamapit. lupulli salicti arij, fumariæ, ana* m. ß. *sem. fœniculi, dauci, pastinacæ an.* ʒj. *vuar. passul. ab avill. repurg.* ℥ j. *glycyr. rasæ* ʒ iij. *folior. sennæ* ℥ j. *agarici fœmin.* ʒ i ß. *rhab. selecti* (valde enim hepati prodest) ʒ j. *schœnanthi, cyperi, calami aromat. zinz. albi, ana* ʒ ß. *coquantur in aqua communi pro* ℔ j. *colaturæ addendo syr. de byzantiis, oxymell. simpl. de duabus rad. syr. de artemisia, de eupatorio, de quinque rad. an.* ℥ ß. *mis. pro* iij. *aut* iiij. *dosibus.* Deinde dedi *pilulas de hiera, & aromaticas, ex* ʒ j. *septem ante cibum.* Postea & has pilulas prius assumptis syr. aliquibus incidentibus, *vt oxymell. diureticos.* ℞. *agar. trochi.* ϑ ij. *rhab. optimi* ϑ j. *diagrydij.* j. *vel.* ij. *cum oxymell. fiant pilulæ* v. *vel* vij. Mox dedi decoctum *radic. filicis, cum oxymelite*, radix enim hæc, sicut & semen securidacæ, ab antiquis plurimum probatur: nam & Gal. succum eiusdem radicis in compos. solebat ponere. Sed & conditum sequens præscriptum: ℞. *conser. capill. veneris, flor. betonicæ, an.* ℥ ß. *trochisc. de eupat. de rhab. ana* ʒ ß. *specier. diarod. abb. trionsant. ana* ʒ j. *syr. de byzantiis, de eupatorio q. s. fiat conditum, detur ad magnitudinem nucis auellanæ, superbibendo vinum dilutum cum aqua cassuæ & artemisiæ.* Hypocrondrium dextrum hoc vel simili vng. inunximus: ℞. *olei nardini, amygd. amar. ana* ʒ i ß. *succi apij* ℥ ß. *coquatur ad succi consumptionem, addendo spicæ nardi & Celticæ, schœnanthi, asari an.* ʒ j. *sem. apij, petros. ana* ʒ ß. *cyperi, ros. ana* ϑ ß. *ceræ q. s. fiat vnguentum.* Quibus remediis hæc puella melius habuit.

SCHOLIA.

6 QVi venas habent astrictiores, vt frigidi temperie, plus obnoxij sunt obstructionibus tam ob venarum angustiam, quam ob copiam pituitæ lentæ & crassæ. Sunt enim illa duo, causæ obstructionum potissimæ; nempe meatuum angustia, & humorum crassities, vel lentor, vel sanguinis copia. Quibus modis cognoscatur, iam dictum est, & quomodo etiam curetur, nempe optima victus ratione, eaque attenuante & vsu medicamentorum incidentium, & subtiliantium materiā crassam, concoquentium, & demum purgantium: deinde vtendo medicamentis tollentibus obstructionem; liberatis obstructionibus, in-
7 temperiem emēdando, & viscus roborando. Sunt qui hic laudant vsum cæparum ex oxymell. vel aceto, vt Rondeletius facit: iuscula in quibus rad. apij vel petros. aut fœniculi incoctæ sint, ex syr. oxymell. vel aliquod diureticum: deinde laudant purgationem ex ℥ ß. *diaphœn. cum aqua apij vel grammis*, deinde inter aperientia trochis. de eupat. diarod. dialac. de rhab. de absinth. de curcuma probantur: longiore tempore his vtendum. Quædam tamen ex his nimis calida & ingrata, & actia: quorum vsu mulier nobilis apud Rondelet. in vlcus renum incidit ex vsu compositionis de vino, excerptæ è Praxi de Taranta. Igitur eiusmodi calida frequenter non danda. Obstructio hæc à natiuitate ob viarum paruitatem,

curam non admittit, quamuis bono regimine præseruari possit à multis morbis, qui hunc affectum subsequi solent.

OBSERVATIO VI.

De hepatis obstructione, ex causa calida, cum hepatis caliditate.

1 VIr quidam Delphis dolorem hypochondrij dextri sentiebat, vna cum ventris stipticitate: vrinam subtilem & rubram habebat, & plurimum sitiebat, & pruritus ei in toto corpore aderat; vtcunque macilentus erat, & citrini coloris, cum pulsu veloci, & febre, licet exigua. Quem cum inuiserem, intellexi, illi à calida causa obstructionem in iecore adesse: ideo venam basilicam in brachio dextro secari iussi, sanguine moderate extracto. Mox hunc syrup. propinaui: ℞. *syr. aceto. simplicis* ℥ iij. *aquæ decoct. endiuiæ, cichorij, hepaticæ, lactucæ, capill. veneris, polytrichi, dentis leonis* ℥ ix. *fiat syrup. pro* iij. *dosibus.* Postea eundem hoc modo feliciter purgaui: ℞. *rhabarb. selecti* ʒ i ß. *infunde per noctem in aqua end. cichorij, fumariæ q. s. adde expressioni electuar. de succo ros.* ʒ ij. *syrup. ex infus. ros.* ℥ j. misce, & quinquies egregie aluum deposuit. Deinde dedi trionsant. vel diarrhod. abb. in tabul. modo vnum, modo alterum: & inuncta regione hepatis cum vnguento santalino, optima victus ratione adhibita, breuiter & hic fuit restitutus.

SCHOLIA.

2 SI sit obstructio ex calida causa, vel succi crassi ad calidum tendant, conuenit syr. ex succo cichorij aut endiuiæ, quam scariolam vocant, oxyzacch. acetosus simplex, & ex rad. cum aceto vel è fumaria. Purgatio commoda ex *infus. rhab. cassia vel manna, cum aqua cichorij vel intibi.* Deinde *pastilli ex diarod. abb. trisant. vel succus fumaria desiccatus, & in pastillo, redactus*: hic autem dolorem omnem soluit, etiam si febricitent. Reliqua vide apud Aëtium, Paulum, & neotericos: qui addunt, accidentibus esse occurrendum, siue atrophia subsequatur, siue febris, siue cachexia vel hydrops; idque ex propriis suis locis. De quibus & Arculanum & Gatenariam & reliquos consulito.

OBSERVATIO VII.

De hepatis inflammatione.

1 ELicò, præter in oppido Schaga decumbens, crapulæ satis deditus, inflammatione iecoris correptus est. Huic autem febris continua aderat, & dolor valde grauis in hypochondrio dextro, cum tussicula quadam inani. Cum enim hepar multo sanguine abundet atque illo nutriatur, multasque & magnas venas habeat, per quas magnum sanguinis fluxum vel potius refluxum ad se patitur; ob id hoc viscus aptum est ad suscipiendas eiusmodi inflammationes: & magis in hoc corpore, vino ac poculis dedito. Præterea cum inflammatio hepatis tumorem, dolorem, febremque necessario secum adferat, ex eo & respirandi difficultas oriebatur, tussicula inanis, vt dictum est, tum dolor ad clauiculam ascendebat; ita vt is pleuritidem falso esse putaret. Quod autem eiusmodi dolorem sentiunt ad iugulum vsque, id ob membranæ costas succingentis tentionem fieri volunt, quæ tenditur ob septi transuersi tensionem; & septum transuersum tenditur ob pondus hepatis deorsum trahens. Sed hoc non nisi in magna phlegmone fieri volunt. At huic febris satis acuta aderat; & lingua arida rubensque, qualis in principio hic cernitur; postea autem nigrescebat (*vt fieri assolet*) & aspera fiebat. Habebat vero sitim inexhaustam, nauseam, & ci-
2 bi fastidium, & singultum: quæ, inquam, omnia inflammationem hepatis indicabant, lotium quoque rubrum spectabatur. Ad hunc igitur accitus mense Iunio, anno 1548. venam basilicam illico tundere feci, ad vncias octo, vel paulo plus, sanguine effluente, cum eodem die secessum habuisset. Sed sequenti die cum non satis aluus responderet, lenitiuum sequens vt exhiberetur, mandaui: *Recipe cassiæ recens extractæ* ℥ j. *rhab. pulu.* ϑ j. fiat bolus: ex quo quatuor sedes vtcunque biliosas habuit; ita vt ex hac leui purgatione & sanguinis detractione febris mitior euaserit, dolore parum diminuto, sed adhuc vtcunque permanente. Inunximus regionem hepatis vnguento santalino, & pannum lineum eodem vnguento inunctum appositimus, sine calfactione. Interea & hoc decocto vtebatur. *Recipe endiuiæ, cichorij cum toto, dentis leonis cum toto, acetosæ, viol. lactucæ nouellæ. an.* m. j. *fumariæ, agrimoniæ, capill. veneris, boragin. bugloss. an. man.* ß. *chamæpityos, chamæd.* (cum esset etiam quædam obstructio, tum cholera paulo crassior, quam leui purg. per aluum excreuerat) *ana* m. ß. *rad. graminis, petros. an.* ℥ ß. *sem. 4. frigid. maior. & minor. an.* ʒ j. *sem. anisi* ʒ ß. *thamarind.* ℥ j. *prun. damasc. num.* xiij. *vual. passul. ab avill. repur.* ℥ j. *liquir. ras.* ʒ ij. *hordei mund.* p. j. *fiat decoct. in aqua communi pro* ℔ i ß. *colaturæ addendo syru. de cichor. Nicoli cum rhab.* ℥ i ß. *syrup. viol. de limonibus, de endiu. ex infus. ros. commun. an.* ℥ ß. *misce.* Quo iulebo, seu apozemate, cum vsus esset, febris valde diminuta est, & quotidie aluum deponebat. Morbo autem magis inclinante, pro dolore vsus est sequenti epithemate, bis aut ter in die, atque ita dolor omnis euanuit, neque ad apostema deuenit, de quo metuebat, sed sanus, cum nostra laude, ab astantibus pro deplorato habitus, euasit: ℞. *endiuiæ viridis, cichorij, an.* m. j. *flor. chamæmillæ, meliloti flor. ros. rub. an.* m. ß. *summitatum absinthij* p. j. *coquantur in aqua communi pro* ℔ i ß. *in fine addendo aquæ absinthij, end. an.* ℥ j. *aceti optimi* ℥ ij. *specier. trionsant.* ʒ i ß. Iterum ebulliant, & fiat epithema pro hepatis regione. Eo peracto inungatur linimento infrascripto. ℞. *olei amygd. amar. chamæmil. an.* ℥ ß. *olei ros. vngu. santalini, an.* ʒ ij. *misce.* Quod ad victum attinet, tenuissimum adhibuimus, in principio nil nisi cremorem ptisanæ, lactucam, tum poma cocta administrando. Ptisana à Galeno maxime laudatur in cibo 13. *meth. med.* Abstinendum à dulcibus, quibus tum iecur tum lien intumescunt. Postea in fine ptisanam in gallinaceorum pullorum iure concessimus, intybo & cichorio incoctis. Auctores enim hic à valde refrigerantibus ac astringentibus abstinent: de quibus consule Alexand. Trall. & Galenum, tum alios auctores.

SCHOLIA.

HAud raro iecur inflammatione laborat, ob 4
sanguinis fluxum & refluxum, vt diximus, *Causæ.*
quæ haud aliter in ipso quam in cæteris nostri corporis partibus gigni consueuit, nec etiam ab alia causa. Nam communis omnium phlegmonarum generatio (*teste Galeno* 10. 13. 14. *meth. medend. & in libr. de tum. præter naturam, & de inæquali*

intemperie, ac aliis pleriſque locis) ex ſanguinis influxu eſt copioſioris, quam pars poſtulet: nam & caro hepatis, quam quidam Græce parenchyma vocant, in quam ſanguis ex refertis vaſis halitus ſpecie exſudat, inflammationem gignit, *auctore Gal. 14. method. med.* Omnes igitur cauſæ tam internæ quam externæ, quod ad generationem inflammationis, tum cauſas, attinet, reſumere oportet ex his, quæ de ventriculi inflammatione diximus. Addendæ & his cauſæ externæ ex libr. 11. Galen. method. cum de cataplaſmatis agit in pleno corpore: vt ſi quis etiam dolori ſedando cucurbitulam affigeret, aut calida emplaſtra admoueret in pleno corpore, facile inflammationem adferre poſſet: quamquam inflammationes in fluxu fiunt repletis venulis, & carne eius irrigata, & repletis ſpatiis. Signa iam ex parte in Obſeruatione præcedente diximus, quæ ad dignotionem partis affectę plurimum faciant: iecur enim ipſum inflammatione affici deprehenditur, ex dolore cum poſitu, quoniam in dextro latere ad nothas coſtas dolor à laborantibus ſentitur, & cum magnam trahant ſpirationem, vehementius excruciat, ſentiuntque in eadem dextra præcordiorum parte grauitatem, & interdum iugulum ad infernas partes detrahi, (nam id non omnibus commune eſt, ſed iis tantum, quibus iecur coſtis alligatur) atque ſic dolor, ad ſuccingentem coſtas membranam peruenit. Quoniam vero de dolore mentio fit, diſtinguit Gal. *6. aph. 5. de ſitu phlegmones* Nam quæ eſt in profundo carnis, dolorem grauantem facit, id eſt, ſentiet quaſi pondus quoddam deorſum trahens viſcus, & diaphragma: at dolor magnus non erit, nam pars, quæ proprie afficitur, ſenſum non habet. At ſi membrana patiatur, erit dolor acutus. Addit, & ſi venas afficiat, dolor pungens & tenſiuus fiet. Alibi tamen ſcripſit Galen. (*vt 2. de loc. affect. 2. & inde ſæpe*) venarum tunicas, & arteriarum non ſentire, *16. de vſu part. Prorſus carent*, inquit, *ſenſu ſiue inuſſeris ſiue ſecueris*. Reſpondeo, vti & Iacchinus facit, locus eſt mendoſus, *16. de vſu*, lege: Fiunt inſenſiles venæ & arteriæ, ſeu nerui incidantur, ſiue vinculis excipiantur: Et quidem ſi venas ſubiens inflammatio dolorem acutum facit, non poterit euitari talis dolor, in quauis parte conſiſtat: vbique enim venæ aderunt. Et tamen Auic. huiuſmodi meminit diſtinctionis factæ à Gal. *6. aph. 5.* ſtatuens, quod ſi venas affligat, dolor erit acutus. Oportet igitur & alia ſigna habere, quæ & ratio ex natura rei ſibi inuenit, & experientia ex ſenſatis confirmat. Primum eſt, febris acuta, vt quidam ſentiunt: alij & ardentem febrem adeſſe volunt, vt Rondeletius. Idem fatetur Actius, quod febris adeſt acuta, inæqualis, quæ plerumque ad veſperam, & noctem exacerbatur. Quod vero febrem ad iecinoris inflammationem comitari neceſſe ſit, à Galeno decretum eſt, *2. de loc. affect.* Verum quod ea acuta ſit, nequaquam factus eſt, niſi præcitato *5. lib. de loc. affect.* vbi de eryſipelate verba faciens, ſcriptum reliquit ardentes febres, ac vehementiſſima ſymptomata euenire, cum ipſum in iecinore, ventriculo aut pulmone fuerit ortum, vel inflammatio eryſipelatis particeps fuerit. Quinimo lib. prorrh. 2. phlegmone in iecinore, vel ventre orta, quod non continuo ac perpetuo maligna, nec acuta conſequatur febris, decretum reliquit. Nam inflammationum magnitudinem (vt etiam ſentit Donatus ab Altomari) perpetuo febris ex proportione ſequitur. Et propterea niſi valenter iecur inflammari contingat, licet febris excitetur, quoniam princeps viſcus eſt, tamen ea acuta non erit, niſi eadem inflammatio magna ſit. Pro cuius magnitudinis proportione ipſa quoque & maior erit, & vehementius excitabitur: de qua forte Actius intelligere voluit, cum dixit *lib. 10. c. 3.* quod acceſſionis tempore quidam dilirio apprehenduntur, ac acre lotium excernunt, & febris adeſt acuta, inæqualis. Sic quoque Alexandri Tralliani verba intelligenda, cum dixit, exiguam hepatis inflammationem, non ſtatim febrē inducere, ſcil. vehementem & acutam febrem: aliter falſum eſſet. Nam orta inflammatione in eo, cum princeps membrum ſit, vniuerſo corpori impetit, & tenſionem & calorem immodicum, qui febris eſt, *eadem Gal. teſte 4. de cauſ. pulſ.* & propterea neceſſario (*vt ipſe. 2 de loc. aff. ſcriptum reliquit*,) ipſam iecoris inflammationem febris comitatur. Secundum ſignum eſt, & grauitas in dextris præcordiis, deorſum trahi videantur cum æger aſſurgit, qui etiam aliquando ad iugulum (*vt paulo ante diximus*) vſque protenditur, eo quod membrana, qua ſuſpenditur diaphragmati & deorſum trahitur, ortum habet ex ea quæ coſtis ſubtenditur: ſed hoc non niſi in magna ſit phlegmone. Iam quoque ex longis interuallis tuſſis exigua, arida, & qua nihil exſpuunt, moleſtare ægros ſolet, atque ſpiratio parua & crebra, *quemadmodum 2. & 5. de loc affect. à Galeno ſcriptum eſt.* Adeſt, *inquit Iacchinus*, & tuſſis ſicca, vel quia ex gibbis partibus aliquid in thoracem effluit, vel quia calor moleſtus pulmonē afficit, vel demum, quia reſpiratio libera non eſt: vnde natura noxam è reſpiratoriis organis pellere volens, tuſſim excitat. Fit & reſpirandi difficultas, tum ob tumorem, tum *vt Rondeletius vult*, ob febrem, quæ maiorem refrigerandi neceſſitatem habet. Addit & ipſe tuſſiculam inanem. Dolor vero ſit grauis, quia non ſentit, niſi in parte gibba: tunc obligamentum, quo cum diaphragmate iungitur, ligaturque, dolor punctorius ſequitur, & cruenta excretio, in iis qui abundant ſanguine. Sic ego præmanibus ſemel habui mulierem laborantem inflammatione iecoris, cum dolore aggrauante in hypochondrio dextro, quæ ſimul per aluum ſanguinem excernebat, valde plethorica: & quæ fuit ſanguinis detractione, tum aliis aptis remediis, tum topicis hepati tempeſtiue admotis probe curata. Sed num per tuſſim, quæ plerumque arida eſt, ſanguinem reiectant? id ego vix vidi, quod ſciam. Alia vero quædam ſigna ab eodem Galen. *5, de loc. affect.* tum ab Aetio, *cap. 5. lib. 10.* & Paulo *cap. 46. lib. 3.* referuntur, vtpote de lingua ſicca & aduſta, & de eiuſdem colore rubro & nigro, de bilis flauæ vel ſyncēræ bilis, tum eius quæ vitellis ouorum aſſimilatur, vomitu, quæ poſtea æruginis aliquando colorem referre conſpicitur: item de aluo adſtricta, niſi vna cum viſceris imbecillitate inflammationem excitari contingat, *vt liquet eodem 5. de loc. affect. Gal. & locis ex Aetio & Paulo citatis.* Sed hæc partim communia ſunt ſymptomata, multis acutis morbis ſuccedentia, partim non neceſſario aduenient: ita & color corporis ſubuertitur in arquati morbi ſpeciem permutatus, & ſingultus quoque conſequuntur. Sunt autem hæc ſupradicta euenientia ſeu in gibbis, ſeu in ſimis: communia enim ſunt vtrique parti, quamquam vehementior ſitis, nauſea, bilioſarum ſanierum vomitus, ſimis accidat magis contra reſpirationis vitium, & in reſpirando dolor plus gibbas partes inſequatur, magiſque tuſſis excitetur atque dolor vſque ad dextræ partis iugulum, adeo vt detrahi videatur, cum gibba pars eſt affecta, *vt à Galeno 5. de loc. affect. ſcriptum*

Signa. 5

6

Quod non ſemper iecinoris inflammatio. nem comitetur febris acuta.

9

Si inflammatio gibba ad ſima iecoris parte ſit, quibus ſigna comprehendatur.

eſt. Licet idem teſtatur in neutra prædictarum partium exquiſite diſtinctam inflammationem poſſe conſiſtere, nam omnium eius partium carnes inter ſeſe continuantur. Si tamen ingens in parte gibba conſiſtat inflammatio, vel ſolo tactu dignoſci poteſt. At ſimarum partium inflammatio per alia potius ſymptomata quam per tactum inueſtiganda, *vt liquet 5. de loc. aff.* Nam in ſimis ſit magis faſtidium, nauſea, vomitus bilioſus, fatiſque vehementior. Et licet tumor circa partes gibbas hepatis, ex ſanguine ortus, eiuſque aggregatio facile tactu dignoſci poſſit, ſi ſit magnus, & præſertim in gracilibus, quibus abdomen non eſt craſſum præcipue poſt ſecundam vel tertiam diem, cum ex febris vehementia ſiccantur, (*teſte Gal. 5. de loc. aff. c. 6.*) tamen alias non ſentitur, quod triplex ordo muſculorum hepatis ſubſtantiæ ſupertenditur. Sæpe vero imponit talis tumor medico, tamquam ſit in iecinore affectus, cum tamen ſit in muſculis abdominis: quem caſum recitat Gal. Steſiano cuidam eueniſſe, & nos aliquando vidimus deceptos medicos: & Hippocrates multos ait, ex eo quod ignorant, lucrum facere, quod credunt ſe curaſſe phlegmonas iecinoris, cum tamen ſint muſculorum Ideo diſtinguendæ prædictæ affectiones. Etenim iecinore inflammato tumor ſecundum lineamenta rotundus, figura videlicet ipſius hepatis æqualis ſuccumbit, *vt Actius fatetur*: qui etiam ad corporis decubitum ſimul conformatur. Maior enim apparet corpore ad ſiniſtrum latus reclinato, minor autem rurſus ad dextrum reuoluto, nimirum hepate ſub nothas cedente coctas, neque viſus, neque tactus ſimiliter ſuccumbente. Amplius autem (*vt idem inquit Aetius*) in hepatis inflammatione, incumbens cuticula naturali modo ſe habere conſpicitur: muſculis autem inflammatis cutis circumtenditur, vt ſi quis digitis apprehenſam attrahere velit, ea minime ſequatur. Propriiſſime aut tactus diſcernet, num in alto num vero in ſuperficie inflammatio ipſa conſiſtat: rectorum aut muſculorum tumores prēter naturam oblongi, atque per totum ventrem extenſi videntur, vmbilicum (veluti hæc quoque muſculorum coniugatio) comprehendentes: quapropter haud obſcura eſt eorum dignotio, vtpote quos & poſitus, & figura declarat, accedente ad hæc, quod ipſi à nullo exteriori muſculo conteguntur. *Galen. auctore præcitato lib. 5. de loc. aff.* Hæc autem obliquis quoque muſculis, qui à thorace oſtendunt, ſunt communia, vt ipſe inquit. Sed multo difficilior eſt notitia muſculorum, qui iis ſubiecti ſunt: difficillima vero tranſuerſorum. Cum ergo iecur inter hos muſculos ſub peritonæo poſitum ſit, cum trib. contegatur muſculis, fieri non poteſt, vt tactus aliquam ipſius notitiam præſtet, niſi vel magna in ipſo oriatur inflammatio, vel incumbentes ei muſculi extenduntur, *vt liquet ex Galen. eodem loco.* & ideo in Gibba tantum parte, ſi ſit magna, ſolo tactu percipi poteſt, vt paulo ante dictum eſt. Diſtinguitur quoque non facile à pleuriti: quamobrem mirum non eſt, ſi medicus ille deceptus eſt 5. *de loc.* 7. Sæpius vero locus dolens diſtinctionem facit, & tuſſis humida, ſi eueniat, pleuritim monſtrat, quæ ſedem febris conitatur: idem de ſiti & nauſea. Demum ſi ea, quæ vomitu excernuntur bilioſa fuerint, vel æruginoſa; & ſi iis excrementa hepatica ſuccedunt clariſſimum de hepatis inflammatione eſt argumentum. Neque in inflammatione iecinoris adeſt dolor punctorius; neque pulſus adeo durus, qui & ſerræ modo tactum ſecet, velut in morbo laterali. Tuſſis in iecinoris inflammatione perpetuo eſt ſicca. At exempla infraſcripta hæc melius docebunt.

Sæpe affectus imponit medico tamquam eſſet in iecinore, cum tamen ſit in muſculis abdominis. 10

Quibus indicijs diſtinguatur iecoris inflammatio, ab ea quæ muſculorum abdominis. 11

12

OBSERVATIO VIII.

De hepatis inflammatione admodum calida, in parte gibboſa.

VIr quidam iſtis diebus ex calida inflammatione hepatis laborabat; idque in parte gibboſa: quod ex iſtis ſignis percipiebam: in dextro hypochondrio quidem dolebat, qui dolor etiam tactu percipiebatur, ſignum ſatis magnæ inflammationis; at ſi in ſiniſtrum latus decumberet, magis dolebat, ita vt neque in dorſo diu iacere poſſet: & inter ſpirandum dolor magis accreſcebat, & ad dextræ partis iugulum aſcendebat, tumore quoque exiguo ad figuram lunarem apparente; hoc enim ſoli iecinori proprium eſt, vt tumoris cumulum vniuerſum habeat circumſcriptum, vt diximus. Tuſſim præterea ſiccam patiebatur; aderat & ſitis, ac febris continua, ita vt neque probe dormiret. Quo malo cum vltra duodecim dies conflictatus eſſet, metuimus, ne in abſceſſum aut duritiem, vel hydropem, malum terminaretur; nam vix aut difficulter poſſe reſolutione terminare dubitabam: & quia principium videbatur tranſactum, magis de abſceſſu metuebam; atque ſuſpenſum me tenebat, numquid hic venæ ſectio adhuc eſſet adhibenda: & quia ventrem minime laxum habebat, ſed durum, nunquid purgatio hic conuenire poſſet; cum potius ſi gibba pars hepatis laboret, lenibus vrinam cientibus auxiliemur, ſed non prius quam concocta ſit materia: in caua autem eius parte, niſi procedente tempore, & non ante quartum, vt aliqui volunt, ſolutiua valida exhibenda ſunt, cum vſque ad illum diem humores in fluxu ſunt, qui pharmaco ſolutiuo excitati ad magis fluendum excitarentur. Si cauum itaque eiuſdem viſceris afficiatur inflammatione, procedente tempore per ventrem eos vacuare licebit, *ex eiuſdem Gal. ſententia, lib. 13. meth.* quem ſectatus eſt Paulus: licet eandem purgationem per aluum, cum iecur phlegmone laborare incipit, tanquam valde nociuam, cum maximam excitaret phlegmonem, eodem loco prohibuerit; quæ tamen vacuatio, cum videlicet phlegmone iam concoquitur vel inclinauerit, partim per clyſteres fieri poterit, partim per ea medicamenta, quæ per os ſumuntur, vt eiſdem auctoribus viſum eſt; quos clyſteres primum quidem ex aqua mulſa cum ſale fieri præcipiunt, poſtea vero, in remiſſione videl. hyſſopum vel origanum vel minus centaurium, vt cnicum ſeu colocynthidem imponi iubent. Sed tutius nos hoc vel ſimili clyſtere vtimur, *℞. folior. maluæ, althææ, beræ, viol. an. m. j. mercurialis, centaurij minor. an. m. ß. ſperm. n. xiij. coquantur in aqua com. pro* ℔ *j. addendo olei amygd. dulc. viol. cham. an. ℥ j. mellis roſ. ℥ ß. caſſ. mund. ℥ j. diacath. ℥ ß. ſalis parum*, fiat clyſter. Vbi vero per clyſteres phlegmone non curetur, Gal. audacter dat, *13. meth. med.* in cibis vrticam, mercurialem, epithymum, filiculam ſeu polypodium, & reliqua, quæ ſcribit modice aluum dejicere. Verum in remiſſionibus tum iis ipſis audacius, quam antea vtendum; tum vero, quæ iis ſunt valentiora, partim in ptiſana coctis, partim tuſis ac in moliſſimum puluerem redactis; quæ vel ex ptiſana, vel ex aqua exhibeantur. Idem quoque Gal. filiculæ aliquid in ptiſana, ac nigri veratri corticem aliquando in-

9

3

coxit,

coxit, ac præbuit. Atqui noſtris temporibus mitiora ac tutiora medicamenta comperiuntur, quibus vti poterimus; vt manna, caſſia fiſtula, ſyr. ex plur. infuſ. roſ. purpurearum tum perſicorum, ac etiam rhab. Hic vero cum aluum ſiccam haberet, etiam in gibbo exiſtente inflammatione, ventrem omnium primo emollire oportebat, cum iam principium tranſiiſſet; & ideo etiam iuxta Auic. præſtat hic ante omnia, vt venter competenter teneatur laxus; qui ſic dicit: *Caueas dimittendo naturam reſtrictam, in hoc enim eſt nocumentum maximum, & in ipſo eſt horror: & non dimittas eam reſolutam ſuperfluè, & cadat virtus, & gliſcat natura: imo ſupereſt tibi, vt ſoluas ſtrictam cum qualitate, & conſtringas ſolutam cum æqualitate.* Bonum eſt ergo, licet inflammatio ſeu apoſtema ſit in gibbo, vt venter teneatur laxus, cum ſuppoſitoriis aut clyſteribus lenibus, aut cum diapruno, ſcilicet ſimplici, caſſia fiſtula vel diacatholico. Cum igitur aluus hic adſtricta eſſet, libenter hunc clyſterem vel ſimilem iniecíſſem. ℞. *malu. biſmalu. folior. viol. an.* m. j. *cucum. cucurb. an.* m. j. *prun. ſebeſten. nu.* xx. *quat. ſem. frig. maior. an.* ʒ iij. *ſem. aniſi* ʒ ij. *flor. chamæmill. viol. an. pug.* j. *fiat decoctio in* ℔ j. *in qua diſſolue mel. viol. ℥acch. caſſiæ, an.* ʒ j. *olei viol.* ʒ ij. miſce, clyſter hic mollis eſt, leuiter detergens, & refrigerans, ſenſimque aliquid excrementorum euacuãs: quem tertio quoque die Rondeletius, ſi aluus durior eſt, injici iubet. Et quamquam præcipue conueniat, ſi inflammatio ſit in caua aut ſplene; valet tamen etiamſi ſit in parte gibboſa, vbi venter ſtrictus eſt: Verum cum clyſterem non admitteret hic æger, dedi hanc potionem. ℞. *ſyr. ex infuſ. roſ. pallid. cum rhab.* ʒ j. *caſſiæ fiſtulæ recens tractæ, diacath. an.* ʒ ij. *aquæ cichorij* ʒ iij. miſce: fiat potio: qua ſatis aluum depoſuit, & materiam biliоſam excreuit. Altero die, quamquam venæ ſectio in principio neglecta fuerat; tamen, conſiderando ſanguinis abundantiam, & vires adhuc conſtare, ſanguinem detrahere mihi vtile viſum fuit; licet omnes auctores & inter eos Auicenn. venæ ſectionem hic tantum in principio commendent. Et quamuis principium iam tranſactum erat, ita vt aliquis timere poſſet de ſanatione, vt ita dicam cum Auicenna: tamen venæ ſectio etiam conuenit egregie in dolore intenſo, ſi ſanguis abundet, & vires adhuc conſtent, eodem Auicenna auctore. Memini ex ſcriptis M. Ioan. Tyengij, quod ille in muliere 40. annorum, cum tribus menſibus apoſtemate hepatis laboraſſet, commode venam baſilicam in dextro brachio miſit; quamquam & illa tuſſi ſicca laboraret: tamen aliquid ſputi ſanguinolenti (licet in gibba hepatis inflammatio & apoſtema eſſet) vna cum tuſſi emittebat; quemadmodum & filius illius Beroſi doctoris magnifici, ann. 12. natus, apud Amatum, qui etiam in gibba parte hepatis inflammationem patiebatur, vna cum tuſſi & ſanguinis ſcreatu: cui licet in principo ad vncias 5. vena cubiti ſecta fuiſſet, tamen poſtea cum in iecinore doleret, cum inflammatione gibbæ partis, poſt clyſterem iniectum, denuo ſanguinem ex vena, quæ inter digitum annularem & minimum repit, vncias quinque ſanguinis cum maxima vtilitate detrahere mandauit: cuius totam vide hiſtoriam, quomodo is puer curatus fuerit, *cent.* 4. *cur.* 1. Poſtquam igitur venam in hoc noſtro ægro ſecari feciſſem, exhibui decoctum ſequens, ad modum iuleb. ℞. *end. cichorij, lactucæ, aceioſæ, ana man.* j. *rad. cichorij, fœniculi, ana* ʒ ß. *ſemin.* 4. *frig. maior. ana* ʒ j. *caſſiathæ* ʒ iij. *ſpicæ nardi, ſchœnanthi, an.* ʒ j. *coquantur in aqua communi pro* ℔ j. *colatur. adde oxyʒac-charæ ſimplicis* ʒ iij. *miſce pro* 4. *doſibus.* Poſtea addidi magis aperientia & diuretica: *vt ſyrup. de byzantiis, aceioſ. compoſitum,* & aliquando hunc ſyrupum: ℞. *aquæ endiu. abſinthij, fœniculi, ana* ʒ j. *ſyrup. de end. de byzanthiis, oxyʒacchar. ana* ʒ ß. miſce, fiat ſyr. Oportet autem in declinatione (*vt latius in ſcholio dicemus*) etiam diuretica hic adhibere, *vt ſyrup. de end. compoſ. capill. vener. & de byzantiis, cum decoct. ſemin.* 4. *frigid. maior. cum radic. graminis, apij, & petroſ. ac ſimilibus.* Interea purgaui etiam illum, ante diuretica, cum infuſ. rhabarb. adiecta ſchœnanthо. Et quia principium pertranſierat, quo ad topica, licet ab initio magis repellentia profuiſſent, vt inunctio olei roſ. lentiſcini aut melini; nos potius nunc oleo roſ. adiecimus primum oleum amygd. amar. & abſinthij, deinde etiam cotoneorum & maſtichinum, aceto albo parum immixto: etiam hoc epithemate, vel ſimili vtentes. ℞. *roſ. rub. cichorij, end. an.* p. j. *flor. chamæm. meliloti, abſinthij, anethi, ana* p. ß. bulliant in aqua pluuiali: demum adde *ſucci cichorij* ʒ ij. *aceti albi* ʒ ij. *miſce*: fiat epithema. Poſtea & hoc fotu ſeu epithemate, aut ſimili, vſi ſumus. ℞. *florum chamæmill. meliloti, ana man.* j. *extremitatum abſinthij, florum roſ. agrimoniæ ſeu eupatorij, centaurij minoris, ana* m. ß. *fœnugræc. ſem. lini, ſpicæ, ſchœnanthi, ana* ʒ ij. fiat decoctio in aqua pluuiali, pro ℔ ij. adjiciendo *aceti optimi* ʒ ij. *pro fotu.* Facta fomentatione, cum pannis calidis locus exſiccatus his oleis inungebatur. ℞. *olei chamæmill.* ʒ j. *olei amygdalar. dulc. & abſinthij, ana* ʒ ij. miſce, & inunctione peracta apponebatur ceratum, ex duabus partibus emplaſtri, de meliloto, & vna parte cerati ſeu vngu. ſantalini. Atque hoc modo accidentia poſtea cœperunt diminui, & anhelitus facilitari; & dolor minuebatur, ſomno ac appetitu redeuntibus, ac febre ceſſante. Interea tamen poſt purgationem, ad hepatis roborationem, & caloris alterationem, ſubinde ſumebat rotulam vnam ſpecier. diarod. abbat. in tabulis. Et ita liberatus fuit ab inflammatione, per modum reſolutionis, abſque ſuppuratione.

Scholia.

QVoniam de ſignis iam egimus, reſtant adhuc ſigna prognoſtica: quæ & acutorum affectuum hic generalia ſunt: vnica enim ſalus eſt, virium robur, *vt* 10. *meth. med. habetur.* Hinc noſter hic æger, cum adhuc virib. valeret. ab hoc morbo, licet primo ingreſſu difficilis videbatur, ſanatus eſt. Ideo viribus imbecilli, vt ſenes & graciles & biliоſi, aut peribunt, aut in tabem tranſibunt, vt nos ſæpe vidimus in multis; *vti conſtat. 3. epid. 2. 5. & 1.* præſertim ſi ex eryſipelate laborant, *vt 5. de loc. 6. conſtat.* At ſciendũ, quod ſigna quoq; eryſipelatis ſunt maioris & minoris ratione differentia; non modo enim acuta febris inde eueniet, ſed prorſus ardens; & ſitis, & reliqua de lingua, quæ æſtum inſequuntur, longe grauiora, vnde & eryſipelas periculum magis quam inflammatione decernit; vti & in libris noſtris de febribus oſtendimus. Peſſimum quoq; hic, vt & in inflammatione, ſignum eſt, extrema refrigerari, cum medium corpus vritur; & cum pedes ſubinde nudant, cum ſint frigidi. Sunt & aliæ quædam notæ quæ generatim in acutis ponuntur, 1. *prog.* Vomitus vero niger. peſſimus, vt & porraceus: magnam enim aduſtionem ſignificant. Morti vero proximis intumeſcit venter; rupto abſceſſu: & ſudant ſudore frigido circa collum, & faciem; & linquuntur animo, vt Bellamarto apud Iacchinum contigit.

Signa prognoſtica.

Gene-

Generatim vero morbus periculum grande minatur. Spem facit ſanguis de naribus large fluens, præſertim tempeſtiue, id eſt, poſt coctiones & ſudores, 3. *de crisib.* 3. Coctiones vero in vrinis cognoſcuntur, *vt ibidem habetur.* Hippocrates de hoc morbo *aph.* 12. *lib.* 7. ita ſuum prognoſticum facit. In hepatis inflammatione ſingultus malum. Quod nos obſeruauimus in ruſtico quodam, qui cum valde ſingultiret; & ſenex eſſet, mox moriebatur. Interea tamen non ſemper ſingultus iecinoris inflammationem comitatur, ſed quando ea in magnitudinem attollitur ac ferueſcit: in quo feruore ſtomachus ad compaſſionem trahitur, nonnumquam propter neruorum communicationem. Quare, *vt Galen. comment. eiuſdem aph. dicebat,* tunc ſolum compaſſio ſit ſtomacho cum hepate, quando inflammatio & maxima & peſſima, fuerit: nonnumquam etiam bile multum calida & multa, in huius viſceris inflammationibus genita, ac confluente ad inteſtinorum principium: qua ſuperfluitante, atque ad ventriculum recurrente, contingit os eius morderi, atque ideo ſingultire. Quidam autem arbitrantur magnitudinem inflammationis ventriculum premere, ac ſingultum facere, non habente exitum ſpiritu. Verum ex quacunque cauſa ſingultus fiat propter hepatis inflammationem, ſemper malum eſt; quoniam eam maximam atque peſſimam eſſe ſignificat, *Galeni auctoritate, præcitato aph. & comment. aph.* 58. 5. *lib.* Si vero iecinoris inflammationem vehemens atque acuta febris comitetur, malum quoque eſt: nam valenter idem viſcus inflammatum eſſe oſtendit. Quemadmodum ſi eadem febris exigua & non acuta fuerit, minus malum portendit, quia exiguam quoque inflammationem ſignificat: propterea quod inflammationum magnitudinem perpetuo febris ex proportione conſequitur, *Gal. teſte* 2. *prorrh.* At eadem febris acutiſſima, vehementiſſimaque ſi fuerit, ac vehementiſſima ſiti laborantes excruciet, peſſimum erit indicium, quoniam inflammationem eryſipelatis participem, aut ipſummet eryſipelas in iecinore ortum ſignificabit, quæ febres magna ex parte (*vt liquet* 5. *de loc. affect.*) in tabem tranſmutantur. Idemmet *Gal.* 10. *meth. med.* de iecinoris inflammatione ſcriptum reliquit, quod ſi in abunde calido & ſicco corpore generetur, potiſſimum, ſi notatu digna fuerit, omnino æger morietur. Et quamquam ſanguis è naribus fluens (*vt paulo ante diximus*) poſt ſigna coctionis bonum ſit; & coctiones in vrinis, tum alia ſigna critica ſint ſalutaria: vidimus tamen nos aliquando, quibus labia ante coctionem exulcerabantur, periiſſe, & etiam poſt coctionem ſimiliter mortem incurriſſe. Ideo ſi in abſceſſum vertatur, lethale eſt, cum ad carnem vſque hepatis corruptio pertingat, vt poſtea exemplo declarabimus: vt etiam ſi pus ſimile appareat fæci olei, vel vt amurca fluxerit, ex incocta putredine proprie illius ſubſtantiæ, *vt exemplo oſtendimus in lib. noſtris de febribus.* At ſi pus intra tunicas contineatur, nihil patiente ſubſtantia hepatis, vacuato pure liberantur omnes. Neque enim neceſſarium eſt hepate ſuppurato hominem interire, niſi magnum ſit vitium. Vnde dicit Hipp. 2. *de morbis,* Pulmone ſuppurato, vel hepate, ſi album & purum pus effluat, febris etiam cruentis intermiſtis, ægrum conualeſcere; ſi vitello oui ſimile, & ſubuiride pus craſſum ac ſub fœtidum, mori. Nam pus album alteratricis robur oſtendit, & victoriam naturæ. At phlegmon quoque ſeu apoſtema periculoſius eſt in cauo, quam in gibbo: vomitum enim excitat periculoſum; & ſitim, & colicos dolores, & nauſeam mouet. Alij gibbi vomicam magis exitialem putant, ex loci nobilitate ac actionis dignitate, quoniam vis concoquendi ac diſtinguendi diſpenſandique in ea parte à natura ſita eſt: nam & principalibus membris annectitur: vnde eorum communicatione cauo præfertur. Sed iecoris duritia omnibus affectibus deterior habetur, ſi malum præſertim vetus eſt. Quicumque fuerit abſceſſus, qui in vomicam tranſit, fere nunquam ſanatur. In quauis quoque iecinoris inflammatione, ſi crudo etiam num morbo, & viribus infirmis, alui oritur profluuium, malum. Inimica etiam corporis liquatio, præcipue ſi vel raucitas, vel multa ſimul tuſſis accedunt. Mortiferum eſt ſpumantem ſanguinem excreari, vel ſputum ſtatim ſubputridum, vel ſyncere biliоſum eſſe. Sanguis tamen vomitione redditus ſalutem interdum denunciat: id ſemel vidimus in muliere annos paulo plus quam 40. nata: quæ etiam per inferius ſanguinem excreuit, & fuit noſtra induſtria curata. Ita & purulenta deiectio quibuſdam ſalutem attulit. Verum ſi huic morbo ventris fluxus ſuperuenerit, niſi fuerit iudicialis, lethalis eſt. Si iecoris abſceſſus ad lienem tranſitum fecerit, non improbatur, quod è diuerſo perniciоſum eſt; nam vomica iecoris nunquam ferme ſanatur. Ita & ſingultus, ſequens (*vt paulo ante admonuimus*) apoſtema hepatis, vt plurimum mortem prænuntiat. Et apoſtema hepatis ſi prolongetur, perducit ad hydropem, vt multis exemplis conſpeximus. Ita ſi inueterato apoſtemate ſequatur ventris ſolutio, lethale quoque malum eſt. Neque aliquis euadit ab apoſtemate duro & confirmato: multoque minus ſi carcinoma adfuerit. Nam velocius interficit, quemadmodum & exitura notabilis propinqua magis deſperationi exiſtit, quam ſpei. Quamquam alia apoſtemata hepatis, vt plurimum ſanantur, ſi recte regantur, potiſſimum ſi neque in principio curationis error committatur. Quæ vero apoſtemata ſunt dura, melancholica, diuturna, indurata, deſperata habentur: quamquam ſecundum aliquos, ab initio curari poſſunt. Omne enim apoſtema hepatis, quod non curatur ab initio, cauſa hydropis exiſtit. Ita omne apoſtema generat oppilationem: oppilatio indigeſtionem: indigeſtio aquoſitatem: aquoſitas hydropem, *teſte Gordonio: quemadmodum & citatur à Grado.* Vbi maxime coniuncta eſt debilitas expulſiua hepatis, & in eo, quod ad ſaniem conuertitur, *dicente Auicenna,* non ſperes ſalutem, cum hepar ſit fons virtutum naturalium; ad quarum perditionem ſequitur mors. Poſt apoſtemata dura & ad ſaniem conuerſa, difficilius curantur biliоſa, ob ſæuitatem accidentium: deinde pituitoſa, poſtea ſanguinea: licet pituitoſa habeant remiſſiora accidentia, quam ſanguinea: ſunt tamen deteriora, ob diuturnitatem & materiæ inobedientiam. Sed hæc poſtea exemplis clariora euadent. Nunc quædam addamus quæ ad generalem curationem inflammationis hepatis pertineant. Exquiſitiſſimo omnium primo victu hic opus eſt; æque ac ſi ventriculus ſic laboret (*Galeno teſte*) quoniam munus eius viſceris toti animali eſt commune, accidítque omnibus animalis partibus maximum incommodum, vbi non probe concoctum alimentum ſit, ſiue non in ſanguinem rite fuerit conuerſum, *vt ab eodem Gal.* 13. *meth. med. decretum eſt*: qui alimentum ibidem tenue & non mordax elegit; & abſtinet ob anguſtiam venarum in iecinore, ab aſtringentibus, quæ conſtipant: & gluti-

Singultus in hepatis inflammatione malus.

Curatio.

Victus ratio.

glutinosis cibis, qui obstruunt. Ptisanam & eius cremorem, commendat: alij & in iure gallinaceorum pullorum coctam, si vires imbecilles sint, & phasianorum, & sternarum, iuuenum columbarum, perdicum, turdorum, merularum: tunc gustet, vel contusum earum carnium, intybo vel cichorio, lactuca, incoctis: præcipue si inflammatio feruens sit, seu erysipelatis particeps. Ab astringentibus cauebimus; vt succo granatorum & alica. Quod cum vniuersaliter in omni phlegmone iccinoris sit verum, maxime tamen verum est, vbi cauæ partes laborant: quoniam integris viribus adhuc eo alimenta perueniunt, siue astringant, siue obstruant: sed & meatus, *teste Alexandro*, quibus expurgatur bilis in ieiunum, obstruunt, contrahuntque tumores, & ad discutiendos difficiles ipsos reddunt. Adde quod semper fames elui debent, quæ in venas effluunt in apostemate: ob id malum punicum & Alexander & Galenus vitant. Sic & vinum pro potu summopere vitandũ, vt quod omni feruenti inflammationi in totum sit aduersum, *eodem Alexandro auctore*, sed pro potu aqua hordei vtendum, aut aqua, in qua prius cichorium aut intybum fuerit decoctum, vel etiam parum radic. glycyrrhisæ. Confert item, vt eiusdem visceris gibba fuerint inflammata, pro cibo ptisanam, aut eius cremorem: cum apij decocto exhibere: quoniam modice vrinam mouet: & semina citrulli, peponis, & magni cucumeris. Hæc enim & per vrinas vacuant. Reliqua vero, quæ ad victus rationem pertinent, si ad caput de ventriculi inflammatione confugias, scripta reperies. Interea præcipue somnus in principio accessionum vitandus: quoniam fluxiones auget, quæ eo tempore maxime ad intra feruntur. Vt & cibare eo tempore maxime lædit, 11. *meth. vltimo.* Quod ad reliquam generalem curationem attinet: curatio ipsa resumet eosdem scopos, atque in ventriculo: nempe vt inhibeatur generatio phlegmones, & sanetur, quod ipsius est factum. Inhibemus vacuando & auertendo fluxionem: si ex ea causa oriatur: & astringendo & roborando partem ne recipiat. Fiet autem vacuatio & auersio ex vena basilica dextra, vt rectitudo seruetur. Sic enim natura optime agit, *vt experientia monstrat in lib. epid. & testatur Galen. lib. de venæ sect. & 3. de crisib.* quod vero reuellat & vacuet, *etiam docet Galen. 11. cap. lib. 13. method.* Quod si neque interna cubiti vena se ostendat, etiam media vel humeralis secanda. *13. method. quod & sequuntur Aetius, Paulus, & Alexander.* Rondeletius quoque inquit: Curantur inflammationes hepatis & lienis larga sanguinis missione, è directo partis affectæ. Iuxta eundem cucurbitulæ quoque sunt in vtraque affectione coxis affigendæ, ad diuersionem. Modum vero vacuationis, tum ex redundantiæ modo cum ex ætate, tempore anni, natura, regione, consuetudine, & ante hæc ipsa laborantis virtute, inuenies: *vt eidem Galen. visum est*, quoniam, si id ferre queũt, semel quantum satis est, detrahendum: si vero non; per vires partium, *teste Aetio.* Hæc autem venæ incisio opportune in prima & secũda die contingit: si vero dolores vrgeant, & adsint vires, etiam septima die venæ incisionem facimus: vt ipse inquit; & nos etiam nunc exemplis docuimus, si malum adhuc magis protractum fuerit, modo vires ferant. De purgatione satis dictum est in Obseru. præcedente: quæ licet in principio non ita conueniat, tamen quarto die facienda. Etiam aliquando in principio, si aluus adstricta est: cum lenientibus tamen medicamentis.

Curatio generalis.

Venæ sectio.

Purgatio.

Quod ad topica attinet, statim post venæ sectionem in principio ad ea confugiendum est, quibus vacuari possit: id quod in phlegmone obsessa parte continetur. Hæc namque communis est indicatio curationis omnium phlegmonarum (vt sæpe diximus, nam priusquam totum corpus à recrementis liberum fecerimus, cauendum est, ne ea applicemus, *vt Alexander inquit.* Pessime igitur faciunt, qui in corpore repleto ante venæ sectionem ea applicant. Si enim hepati apponantur aliqua frigida, ante venæ sectionem: metuenda est maior conculcatio humorum, quo postea malum minus resoluetur. Et ita in topicorum adhibitione duo perpetuo obseruanda sunt, quorum primum est, ne frigida admoueas, etiam si inter initia adhibeantur: alias magis noxæ, quam vtilitatis causæ erunt. Auctores volunt apponi eadem astringentia quæ ventri: tum fotus ex tepentibus, *vt Galenus scribit.* Contra 10. *lib. cap.* 7. vtitur etiam in phlegmone, contra rationem nostram supra, vbi diximus verificari de erysipelate dictum *libri* 10. Respondeo, verum est, quod diximus, securum vsum non esse, nisi in erysipelatis: at in phlegmonis non tuto fieri, sed cura coacta, præponendo minus malum: vt frigida potatur, ob periculum, ne æger incidat in marasmum. At *lib. 9. capite* 5. prohibet in phlegmone, suadet in erysipelate. In phlegmone itaque actu frigida non sunt applicanda. Secundum est, quod eadem medicamenta nunquam absolui debent ab his, quæ mediocriter astringendi vim habent, indicatione sumpta à parte affecta, propterea quod iecur animalibus altricis facultatis principium sit, & venosum ab hoc oriatur genus: vt ideo eius robur seruandum sit. Quo fit, vt etiam eo tempore: quo quicquam amplius non influit, nec illud quod in laborante particula continetur repelli possit: adhuc mixtæ facultatis esse debeant medicamenta, *vt ex eodem Galen. liquet præcipitato lib. 13. method.* Nam coeuntibus vna contrariis indicationibus, compositum quoque esse medicamentum oportet: illo etiam tempore clysteres, iidemque leues, injici debent; maxime si non sponte egerat aluus. Aetius in primis illinit regionem hepatis extrinsecus oleo ros. aut œnanthino, aut myrteo: procedente tempore, eodem oleo, seu cydoniorum cum mastichino aut chamæmel. & sumpta à situ visceris indicatione, parum aceti aut vini albi admisto. Eodem tempore adhibet cataplasmata, vti & Paulus facit ex farina hordei, fœnugræc. cum palmulis, cotoneo. meliloti flor. absinth. & chamæmelino aceto adiecto, vel in mulsa decoctis. Et si vehementio sit ardor, mala cotonea & rosaceum oleum aut cydon. vna cum foliis plantag. cichorij, intybi addunt; & fotus parant: de quibus eosdem auctores consule & Rondelet. qui multas formulas habent. Cum autem iam remittitur morbus, ad ea, quæ dissoluunt, mistæ tamen materiæ cum adstringentibus, deueniemus; qualia sunt, quæ supra descripsimus: cerata quoque & cataplasmata ad ventriculum. Illud quoque perpetuo animaduertendum, quod quantum inflammatio à principio suo recedit, in tantum relaxantia, seu digerentia vires præsidiorum adstringentium vincere debent; licet semper (*vt diximus*) ea mixtæ facultatis esse necessum sit. Procedente vero tempore, si in gibba visceris parte phegmone consistat, vbi phlegmone iam concoquitur, non solum eis, quæ modice vrinas mouent (*vt diximus etiam antea*), sed etiam valentioribus

Topica

Quæ ante madarosin sint topica, & discutientia

vti licebit; asaro, inquam, nardo Celtica, phu, hoc est, valeriana, petrosel. smyrnio & meo *ex Galeno auctoritate*: insuper oxymel. dandum, *ex Paulo*; vel cum decoctis herbarum dictarum, syrup. de byzantiis, de tribus radicibus de eupatoribus. Si in cauo, tempore procedente, potius purgabimus, eodem modo, quo antea docuimus. Verum vbi neque eisdem inflammatio conquieuerit, seu ad suppurationem permutetur, adiuuare naturam oportet, vt quam celerrime puris generatio fiat. Cum autem perfecta suppuratio fuerit, abscessus quoque rupturam adiuuare oportet, & post eius eruptionem, per eandem viam per quam puris transmutatio contingat, iuuanda quoque natura erit, siue per sedem aut vrinam, aut etiam os, transmissio fiat; quibus vero medicamentis eadem perficere oporteat, copiosissime ab Aetio, *cap.* 5. *lib.* 10. scriptum est, ac etiam à Paulo præcitato loco. Si vero in scirrhi naturam prædicta inflammatio vergat, eius curationem postea docebimus. Quod si fluxionis ad ipsum iecur causa ex ipsomet oriatur, adeo, vt propterea ad ipsum multum confluat sanguinis, ac phlegmone generetur, ne amplius phlegmone increscat, auferri hæc quoque causa debet primo. Hoc autem bifariam esse poterit, aut propter aliquem calorem præter naturam in ipso iecinore existentẽ (& huc transferri possunt, quæ de calida intemperie ante dicta sunt) aut propter eiusdem dolorem (quibus autem dolor auertur, postea latius dicturi sumus, cum de dolore hepatis agemus.) Quæ vero ex his causis phlegmonem excitat, eam prius pro eius curatione auferre tentabis, vt *eodem 13. meth. med. à Gal. scriptum est*: & deinceps ad prædicta topica medicamenta te conuertas. Quæ, *inquam*, omnia multo adhuc clariora exemplis infra dicendis patebunt.

OBSERVATIO IX.

De jecinoris inflammatione, cum obstructione, & febre continua, licet lenta, tendente ad apostema, in quo metus erat etiam de suppuratione.

IOannes Georgij, faber, monoculus, vir triginta octo annorum, potor cerusiarius, si quis alius, egregius, Alcmariæ, in platea Lutconteropia sic vocata, habitabat: qui, cum apud amicos largiter bibisset, anno 1547. mense Maio, in hepatis inflammationem incidit, simul cum obstructione, tendente ad apostema; ita vt foris manifeste appareret tumor secundum lineamenta rotundus; vt ex hoc signo facile de jecinore inflammato, non autem de musculis externis, iudicare potuerim. Cui & aderat dolor vtcumque vehemens, cum grauitate quadam & febre continua, licet lenta, & non valde acuta, ex materia biliosa & pituitosa, cum pauco sanguine admixto, vt mihi apparebat. Ideo glande ex hiera picra, sale & melle, diagridij granis aliquot cuspidi impositis, aluum ad excretionem irritauimus, cum durior esset: mox sanguinem ex vena basilica dextri brachij ad vncias tantum sex extraximus, cum febris continua lenta esset, ex materia crassiore, pituitosa & biliosa: & quamuis plethora similiter laboraret, & victu pleniore prius vsus esset, tamen ad vncias tantum sex detraximus, cum temperamentum eius naturale ad bilem potius, quam ad alios humores inclinaret. Deinde imperaui, vt sequenti potione vteretur vsque in quartũ diem, bis in die. ℞. *corticum radic. fœniculi, glycyrrh. an.* ℥ ß. *endiu. cichoreæ cum rad. ana* m. j. *cassuæ, scabiosæ, dentis leonis, chamæpit. buglossæ an.* m. ß. *flor. cord. flor. ros. rub. ana* p. j. *semin. anisi, semin. 4. frig. maior. ana* ʒ j. *hordei mundati* m. j. *prun. damasc. quatuor.* j. *fiat decoct. in aqua communi, pro* lb i ß. *colat. addendo syrup. de endiu. de cichor. cum rhab. syrup. de byzantiis, an.* ʒ j. *misce.* Interea extrinsecus locum dolentem inunximus *oleo ros. cotoneor. chamæmill. & anethino simul mixtis.* Quarte vero die hoc præscriptum est medicamentum. ℞. *diaphœnici* (videbatur enim adesse materia pituitosa vna cum flatu) ʒ iij. *electr. de succo ros.* ʒ ij. *diaprun. lenitiui seu simplicis* ʒ ij ß. *dissolue cum* ʒ iiij. *aquæ end. addendo syrup. capill. vener.* ʒ j. *misce.* qua potione septies exonerauit aluum, cum maxima alleuiatione. Interim quotidie ter quaterue sequenti vtebatur fotu, cum panno laneo in liquore infrascripto intincto, & expresso, idque moderate calide: ℞. *flor. chamæmill. melilot., flor. ros. rub.* (rosas addebam ad raborationem visceris: nam tunc mihi in mentem venit illius Historiæ Galeni 13. *method. cap.* 9. de Attalo medico Sorani discipulo, qui perperam hepatis phlegmonem curabat: & similiter de apostemate ventoso, quod Gal. phlebotomia curabat, & humido pharmaco, ex chamæmelo, ruta & semine agni) *ana* p. j. *semin. anisi, fœnugr. lini, ana* ʒ i ß. *santalor. rub.* ʒ j. coquantur in aqua simplici q. s. & colaturæ expressæ adde *aceti optimi* ʒ j. *aquæ end.* ʒ ß. iterum bulliant leui & vnica ebullitione; & fiat epithema pro hepate. Quo solo miraculi instar inflammatio, tumor ac inflatio, & omnis dolor euanuere; ita vt neq; apostema subsequutum sit aut abscessus. Atque iis tantum remediis dictis sanitatẽ pristinam æger hic noster consequutus est: quemadmodum & nauta ille, qui in nosocomio Delphensi longo tempore prius ex inflammatione decubuerat, quæ inflammatio ad duritiem conuersa erat, ita vt apostema in scirrhum mutaretur (post venæ sectionem & alia remedia apta, etiam topica multa, & fotus, & epithemata) cerato ex emplastro de meliloto, de muccilag. & vnguento seu cerato santalino, partibus æqualibus mixtis, adiecta pauca mastiche, ros. & oleo chamæmill. & liliaceo, etiam à duritie satis diuturna curatus fuit, vt in scirrhum non transierit, magna cum nostra laude, & à dolore & inflammatione, etiam tumore diuturniore, ac duritie, egregie curatus fuit.

Scholia.

APostemata hepatis, iuxta eos, qui Arabum decreta sequuntur, easdem distinctiones, differentias ac species fere habent cum ventriculi apostemate; quamuis & ea, quæ in hepate fiunt, distinguuntur penes locum, vt nunc diximus, in quo siunt, vel in gibbo, vel in cauo, vel in partibus suspensoriis, vel in membrana hepar cingente, vel in venis eius, vel substantia. De eo, quod cauum vel gibbum occupat satis diximus. In membranis autem magis dolent, & febrem ardentiorem experiuntur. In hepatis carne pulsus mollior, febris ex putredine diuersa, magis putrida, & dolor magis grauans: quibus modis differat à pleuritide, & à musculis abdominis, dictum est: nam tumor in apostemate myrach seu abdominis leui compressione sentitur: hepatis vero, cum in profundo sit, magna compressione. In musculis visui subiiciuntur: in hepate minime, nisi in gibbo vt hic in macilento figura lunari, in musculis oblonga, nec illi, ita siti aut febre excruciantur. Differt quoque apostema hepatis ab

4 *Apostemata hepatis discrimina.*

Differentiæ inter apostema hepatis & abdominis.

Differentiæ

apostematis hepatis & venarum mesaraicarum.

apostemate venarum mesaraicarum, quamuis in signis plurimum conueniant, scilicet febre, grauitate, dolore & similibus. Est tamen apostema venarum mesaraicarum cum minore febre, minori grauitate: & ipsum sequitur fluxus chylosus vt plurimum, & magis extenuatio quam cachexia aut hydrops, quæ hepatis apostema sequuntur, neque tactui subiacet, vti hepatis apostema. Alia quoque distinctio est penes materiam ipsam; nam est vel sanguineum apostema, vel biliosum, erodensque vel pituitosum aut melancholicum, vel ventosum, modo per viam paulatinæ congestionis, modo per viam defluxus. *Vide Gradum & Arculanum ac alios.* Quibus & hæc diuisio accedere potest, modo magnum, modo paruum, modo mediocre. Et quod ad distinctiones temporum attinet, aliud est in principio, aliud in augmento, statu aut declinatione; aliud recens, aliud diuturnum; benignum, malignum, corrodens, corrumpens. Quibus additur & differentia terminationis, vt per viam vrinæ, sudoris, fluxus sanguinis narium, cum sensibili expulsione: idque in gibbo frequenter; in cauo per fluxum ventris, vomituum. Vel resoluitur, vel maturatur; ac abscedit, & in pus vertitur: vel in scirrhum aut duritiem transit; aut corrumpitur: qualia quoque de aliis inflammationibus & apostematibus dicta

6 *Calidi apostematis & abscessus signa.*

sunt prius, cum de ventriculo ageremus. In apostemate calido vel abscessu, oculi sanguine vel flaua bile suffusi, lingua rubra, & increscente morbo nigra, facies decolor, & aluus vario colore turbata: animus deficit, singultum & frigus in membris exterioribus: vrina purpurea, subrubra, spissa, cum liuore, æger valde sitit, *iuxta Hippoc.* & in

Frigidi.

calido abscessu aut duro, dolor ad iugulum ascendit, & annexas scapulis costas; præcordia contrahit: æger supinus, aut in dextro latere tantum, quiescit: in sinistro magis dolet: febris importuna ac sitis; vrina lucida, modo crassa. In frigido grauitas sub hypochondriis dextris, arida tussis, non sine febri ac siti, sed leuiore, facieique pallo-

Phlegmatici

re. At in phlegmatico, color plumbeus corporis, facies ac genæ inflatæ, pulsus mollior; febricula leuis, sine siti, vrina crassa, alba; cibi tædium,

Melancholici

nausea: quibus si vitæ ratio & alia consentiant, certius est iudicium. Si à melancholia, maior durities, pondus à cibo; vrina, tenuis diluta; pulsus tenuis, nullum ciborum desiderium color fuscus

Biliosi.

totius corporis. Ex bile si fiat, ea, quæ de erysipelate diximus, huc transferenda: inflammatio ingens est, tabe membra conficiuntur; vigiliæ, excedens sitis, ardor; lingua arida citrina, febris continua, & de tertio die magis exasperans, pul-

7 *Sanguinei.*

sus durior. Ex sanguine, dolor minor, quam in biliosa, linguæ color rubeus, postea denigrescens: vrina conturbata, rubra, superius liuescens: venæ extuberant; pulsus plenus, magnus, velox, frequens; potiusque vndosus quam serrinus: maior tumor, minor grauitas, dolor magis extendens, quam pungens; febris concluſa, continua. Ventosum dignoscitur ex dolore extensiuo absque

Ventosi.

grauedine, cum pauca aut nulla febre. Signa vero

Signa temporum apostematis, hepatis & maturationis & indurationis.

temporum apostematis hepatis, vti indurationis, resolutionis, permutationis, & maturationis, habentur ex iis, quæ de pleuritide à nobis tum aliis auctoribus dicta sunt. In principio accidētia sunt remissa. Postea intenduntur: deinde remittuntur cum resoluitur. Et si dolor non diminuitur ex remediis aptis, tunc ad saniem conuertuntur, & magna ex parte lethale habetur, vt de vlcere hepatis dicemus. Hoc satis est hic admonuisse, si increscit phlegmone ac sentitur suppurare, dolor increscit, hypochondria magis prætenduntur, frigore enormiter corripitur æger: cui in sinistrum latus recumbere grauissimum est, aperto pure, per vesicam subito putris materia prorumpit, vel membrana disrupta in concauum ventris labitur, vt de vlcere latius dicendum. Si induretur, grauitas sine febre manet, & extenuatur corpus, & vrina minuitur. De prognosticis signis dictum est prius: præsagientia habentur ex corporibus habentibus venas strictas, qualia sunt corpora pinguia, parata incurrere obstructiones, intemperaturas, dolores, & hepatis apostemata: & quicunque vtuntur cibariis crassis, viscidis, potu vini potentis, & à cibo inordinato motu, huic malo obnoxij sunt. Ex quibus iam dictis etiam facile causæ omnes patent apostematum hepatis per essentiam; vt sunt, mala intemperies calida, humores ad se attrahens; frigida, debilitans coctionem & vim expulsiuam; oppilatio, retinens & figens humores in hepate; dolores, materiam trahentes ad locum. Vel fit per consensum, vesica fellea obstructa, & felle ad hepar regurgitante: vel humore melancholico ex splene ad hepar transeunte, vel ab aliis membris ex vtero mentibus restrictis; ita & fit à naribus, vel ventriculo, chylo non bene præparato, vt sanguis ex eo fieret: aut ab hæmorrhoidibus restrictis. Sed præter has aliæ etiam

9 *Externæ.*

sunt causæ externæ; vt percussio, casus super hepar, ventosa corpore pleno hepati, vt sæpe contingit, à medicis imperitis admota in hepatis dolore, quæ attrahit materiam apostema inferentem, etiam in plethoricis ad sanguinis è naribus fluentis, restrictionem: fieri etiā potest ex calidis emplastris vel epithematibus, hepati corpore pleno impositis; vel quoque ex nimis frigidis vnguentis atque fotibus, constrictione materiam impingentibus. Suntque & hæ causæ primitiuæ, vt torsio, *Primitiuæ* percussio, obuiatio, & strictio fortis ac continua zonæ. Vel sunt internæ, vt oppilationes, inhibita *Internæ.* materia euentatio, vel cōpositio aut paruitas hepatis. Ad internas etiam pertinent antecedentes, *Antecedentes.* multus sanguis calidus, bilis, vsusque calidiorum ciborum, intemperies calida cum febre, bilisque retentio in vesica fellea, tū alia multa: cibi stypti-

8 *Signa præsagientia.*

ci, viscosi, frigidi, exercitium à cibo, venus, prohibitio euacuationum consuetarum: ita & causæ ventositatis & debilitatis patent ex iis, quæ de ventriculo diximus. Coniunctæ causæ apud Ara-

10 *Coniunctæ.*

bes sunt ipsi humores: de quibus omnibus consule Valesc. & alios practicos, Arculanum & Gradum; qui & varias curandi intentiones ponunt, exque iis alij septem, *vt Galenaria*: nempe, vitæ institutum, quodque augmentum apostematis inhibeat, *diuersionem, repercussionem, digestionem, euacuationem, resolutionem, remotionem malæ intemperiei.* Alij in tres

Curatio.

partes tantum curationem partiuntur: in eam, quæ causam antecedentem respiciat ac tollat; *deinde* in eam, quæ coniunctam respiciat: *denique* in illam, quæ vtrique communis sit. *De quibus vide Arculan.* Primam absoluit euacuando per venæ sectionem, & per euacuationem ventris, in biliosa, pituitosa, melancholico: quamuis alij præponunt syrupos digerentes, deinde purgant, prout humores in causa fuerint; etiam postea vrinam cient, pro ratione materiæ; vt apud eosdē videre poteris: diuertunt frictionibus, ligaturis, cucurbitulis. Quod ad secundam intentionem attinet,

11

vtuntur repercussiuis in principio: de quib. etiam canones addūt, *vt Valescus quoque facit: vt apud eundem, tum Arcul. legere poteris.* In augmento, vsque ad medium status, iisdem repercussiuis addunt resolutiua: & in fine resoluentia, modo apostema

resolui

resolui possit; alioqui, si maturetur, eam iuuant, *vti Arculan. facit.* Tertiam intentionem, vtrique communem, perficiunt curatione accidentium, & regimine sex rerum non naturalium, aliter tamen procedente in apostemate sanguineo, aliter in biliosa aut pituitosa, aut melancholico. Sed ne hic longiores simus, eosdem auctores consulito, tam de iis, quæ intus, quam extra adhibeantur, pro ratione humoris abundantis, & inflammationem aut apostemata inferentis.

OBSERVATIO X.

De hepatis apostemate in abscessum commutato, mox in vlcus malignum, deinde in sistbiomenon ac gangrænam, ac tandem in mortem.

FAmulus ceruisiarij cuiusdam, Delphis misere vltra annum lecto incubuerat, in ædibus, quibus tria candelabra pro insigni erant, vir annos triginta sex natus. Hic per integrum annum dolore hypochondrij dextri conficiebatur, atque in autumno febrem habuit non obseruantem typum, lentam tamen; qualis in corruptela substantiæ jecoris fieri assolet. Durauit deinde hæc febris, typum non retinens aut obseruans, per totam hyemem sequentem, quæ neque hominem in vere reliquit, & perdurauit deinde ad ætatem vsque. Fuerat autem hic vsus plurimis & diuersis medicis, vti in morbis chronicis hic maxime fieri solet: ideoque ei plurima, eaque varia, à multis & variis descripta fuere. Cum autem per annum, quasi tabe consumptus foret, maximos dolores perpessus, ac tunc faciem ictericis similem haberet, qualis contingere fere solet omnibus jecinorosis; tandem collegam meum Cornelium Ericium, alioqui medicum doctissimum, accersiuit. sed non diu: coq; repudiato, cum opem non sentiret, variorum medicorum empiricorum opera vsus est; ita vt tandem ad extremam atrophiam deuenerit. Cumque ita per annum tabidus miseram vitam traxisset, sub ætatem anni 1561. cum

2

forte fortuna ad alium ægrum inuisendum, qui in iisdē ædibus, in quibus & hic famulus decumbebat, accitus essem, me quoque consuluit. Sed homine inspecto admirari cœpi, cum in vita virum magis consumptum macilentioremque nunquam vidissem, cui tantum pellis rugosa vna cum ossibus restabat, vniuersa carne consumpta, non aliter quam pictores *Diuum Hieronymum* macilentum & exanguem depingunt. Iecore enim ita contabescente totum corpus tabe absumptum conspiciebatur. Deinde huic quidem viro non solum facies erat citrina, sed vniuersum corpus flauum euaserat, etiam albedine oculorum in citrinum colorem plane conuersa, quod & jecinorosis & icteri-

3

cis euenire solet. Aderat & huic tussis sicca, admodum molesta, hominem omnino conficiens. Hypochondrium deinde dextrum apparebat durum & valde subtumidum, & omnibus conspicuum, musculis abdominis plane extenuatis & consumptis. Vrina vero tenuis erat, sed supra modum tincta ac ignea, vt vinum rubrum ac diaphanum videretur. Sed & oris siccitas eum molestabat, præsente febre hectica, ac pulsu vix apparente, & magis sub noctem intensa. Id quidem recte docuit Gal. *lib. 1. aph. 12. in commento*, suppuratos tali febre laborare; cum sic scribat: Et morbo quidem laterali & phrenitidi magna ex parte per tertium diem accessiones fiunt: suppurationibus autem, quæ ventri eueniunt, aut hepati & tabi, quotidie & magis ad noctem: qui vero ex

liene laborant, & omnino ex atra bile, per quartum. Cæterum huic ægro modo aluus adstricta erat, modo admodum liquida, & plurima biliosa liquationis instar egerebat: postea iterum fuit arida & sicca admodum aluo. Præterea aderat & cibi fastidium; sitisque inexhausta; ita vt aquam frigidam ac gelidam magna in copia præter consilium medicorum hauserit. Ad hunc, postquam vltra annum laborasset, ingressus, cum ab initio huic sanguinis detractio esset prætermissa, idque male in hepatis inflammatione, & apostemate; nunc id nullo modo licuit, in homine iam tabe & hectica febre consumpto, ipsoque humido radicali etiam absumpto. Ego vero apostema in hepate confirmatum atque incurabile pronuntiaui: & non diu post, meam opinionem confirmauit, cadauer sectum post mortem. Nam tumor admodum durus paucis diebus è regione hepatis ita in immensum excreuit, vt omnibus appareret: non sine dolore: quod signum erat abscessus futuri: nam si simplex scirrhus fuisset, minus doluisset. Quare prædicto prognostico eum pro deplorato habuimus, cum apostema hepatis confirmatum non curetur. At postea cum idem tumor laxior fieri inciperet, febre magis increscente, suppurationem exspectauimus: ideo per chirurgum, qui tunc etiam aderat, ea apponi iussimus, quæ suppurationem iuuarent: nempe hoc cataplasma: ℞. *rad. althææ mundatæ* ℥ ij. *farinæ hordei* ℥ j. *farinæ fœnugr. sem. lini, pinguedinis anseris, porci, an.* ℥ ß. *cyperi, schœnanthi pul. an.* ʒ iij. *ammon. in aceto dissoluti* ℥ j. *olei lilior. mastichin. an.* ℥ j. fiat cataplasma. Postea cum apostema maturum apparebat, & materia satis deducta erat ad saniem, remittebantur quidem prædicta accidentia, grauitas tamen maior remanebat, cum materia in vno loco magis congregata videretur, & tactu lenitas & mollities sentiretur, duritie, quæ prius sentiebatur, in totum ablata. Statim autem cognouimus ex dolore redeunte, ruptionem appropinquare, punctione & febre rursus increscente, & grauitate maiore. Cum tamen per se non rumperetur abscessus, vt chirurgus ruptionem iuuaret imperauimus, & vt emplastris suprascriptis, tum aliis maturatiuis, quibus ad tempus vsus erat, immisceret simum columbinum, fermentum, cæpas & narcissi radicem & similia; vtque æger sese supra latus velociter moueret. Aliqui auctores, vt Gradus, vt facilius rumpatur, clysterem injiciunt (*vt Gradus iubet*) satis attractiuum: & frictiones adhibent versus partem anteriorem: quamquam illi (*vt Serapio iubet*) melius & tutius per viam vrinæ, cum iis, quæ vrinam ciunt, materiam deducunt. Quod etiam commodius, est hoc in loco, vt nos

6

fecimus, cum apostema in gibbo magis videretur: in cauo tamen secessus magis vtiles: de cuius partis abscessu etiam dubitabam, totumque hepar infectum esse; ideo per aluum etiam materiam deduximus. Verum cum eiusmodi ingens apostema non rumperetur, chirurgum præsentem incitauimus; vt ad incisionem procederet; sed in corpore debili & exhausto id tentare noluit, vel non audebat: existimabat enim, quod tandem per medicamenta apposita rumperetur. Verum cum illud non succederet, & eschara quasi induxisset, denuo me in consilium adhibuit. Ego autem cum ex signis præsentibus animaduerterem, quod pus totam cauitatem ventris occuparet, potissimum è regione hepatis, vbi tumor ingens laxior apparebat (*nam motio puris & fluctuatio quædam exaudiebatur*) vlcus iam factum in hepate, malignum, putridum & corro-

siuum iudicabam, quod hominem subito è vita tolleret; nisi vstio (*vt veteres medici facere solebant*) vel incisio aut apertio statim fieret scalpello vel
7 phlebotomo aliquo: quæ licet etiam in homine deplorato & viribus exhausto periculosa haberetur; tamen tentandum fore, ne æger statim ex putredine puris intus colecti exspiraret. Ideo & secundus chirurgus aduocatur, qui incisionem statim agendam censuit; quod & mihi vtile videbatur: præhabito tamen prognostico, quod cura coacta & periculosa foret; tamen tentanda, ne vlcus in peius procederet: interim si fieret, atque æger animo delinqueret, atque sic vitam finiret, id in manu nostra non esse; cum vires exhaustæ essent: interea potius anceps, quam nullum remedium adhibendum. Cæterum ægro ipso, tum amicis astantibus consentientibus, chirurgus dextre suo officio functus est; prima vice post adhibitam incisionem, sanie virulenta & sanguinolenta absque pure exeunte. At cum vulneri impositum esset linamentum, quod secunda visitatione amouebatur, materia viscosa, purulenta, fœtida, copiosa emanauit, cum tanto fœtore, vt totam domum eo impleret, ita vt vix quis-
8 quam nostrum in cubiculo apud ægrum persistere posset. Cum vero materia viscosa foret, vt eo minus exire posset, denuo coactus est incisionem ampliorem facere, quod etiam dexterrime peregit, neque interiora læsit: exiuit tunc materia admodum fœtida, & purulenta, amurcæ similis; vnde coniecimus omnia interiora corrupta, & hepar similiter, & ægrum non euasurum amicis prædiximus. Illud enim proculdubio mortem prænuntiabat, iuxta *aph.* 47. *lib.* 7. in hunc modum diuino illo Hippocrat. inter medicos facile principe, prædicente. Quorum hepar suppuratum aduritur, si pus purum fluxerit & album, euadunt, in tunica enim hoc pus continetur: si vero qualis amurca fluat, pereunt. Similem vero casum aliquando & ipse habui, cui & typhodes febris aderat, qui etiam ex eodem abscessu mortuus est, amurca post incisionem etiam effluente; cuius historiam habes *lib. 2. obseruationum nostrarum, obs. 37. de febre typhode.* Verum in nostro hoc ægro, de quo nunc agimus, tertio statim die ab incisione caro exterius facta est liuida, ac in gangrænam
9 mortificata. Solet autem gangræna fieri ob magnitudinem inflammationis, quæ vitæ, sensus & motus partis extinctio ac mortificatio est; quæ tamen nondum integra est, sed iam futura. Quum vero aliqua pars ita languens, vita & sensu carere cœperit, tum σφάκελος (*vt de sphacelismo ipsius cerebri alias diximus*) Græcis, Latinis Syderatio is morbus dicitur, vt Galeno visum est, in libello de tumoribus præter naturam. Qui distinguere videtur, quod sideratio sit solidorum corporum corruptio, ita vt ossibus quoque insit (*vt & hic in ossibus costarum, corpore iam demortuo ac inciso apparuit, vt mox ostendemus*) gangræna, etiam corporum solidorum, sed ossa non corripiës. Cæterum non solum caro externa circa labia incisionis liuida & mortua erat, sed & interior: quod cognouimus ex ingenti putredine, & fœtore, qui ex loco inciso exhalabat, dum vulnus reficeretur, non aliter quam ex homine cadaueroso & demortuo.
10 Præterea dum chirurgus paulatim pus propelleret, & ad exteriora labia vulneris deduceret, tanta cauitas apparebat promptuarij instar, vt & interna tandem etiam corrupta spectarentur. Interea nos per interiora exhibuimus ea, quæ vlcus detergerent, & mundificarent: quamquam nihil proficeremus, ægro in dies debiliore euadente, vt tandem nihil per os sumëre potuerit. Et vt paucis rem absoluamus, septimo die ab incisione peracta hic mortuus est. Eoque demortuo, cadauer, amicis id consentientibus, à chirurgo incisum, probis viris tum me præsentibus: Est in tota ventris capacitate reperta maxima copia puris valde fœtens, vt præsentes in cubiculo, in quo incisio fiebat, perdurare vix potuerint. Occupabat aliquando pus tam partem sinistram quam dextram sub toto abdomine, vsque ad imum ventrem; & repertum est omentum à pure virulento consumptum: peritonæum quoque diruptum & putidum
11 conspiciebatur: similiter & intestina nigredine & plumbeo colore infecta spectabantur. Hepar autem durum videbatur, ingentis magnitudinis; albicans autem circa stomachum, sed in gibba sui parte, prope costas spurias, nigrum, exustum ac plumbeum in esthiomenon transmutatum: erat enim hepar circa illam partem, potius *esthiomenaum* (*vt ita dicam*) quam vlceratum; & in parte gibbosa paululum deflectente à costis, gangræna infectum. Et vix pus in hepate conspiciebatur, potius vero in concauitate ventris, quod ab hepate dirupta membrana eo fluxerat. Præcipua autem hepatis corruptio erat in parte dextra, versus costas spurias, & circa musculos inter costales, qui etiam similiter nigredinem contraxerant. Costæ quoque spuriæ tanquam igne combustæ ex esthiomeno, nigritiem & exsiccationem contraxerant, ita vt carbonis instar nigræ adustæ frangerentur. Vlceratio vero ad musculos abdominis
12 processerant, magis in parte dextra, qui musculi similiter tandem nigredine & gangræna infecti erant. In parte vero hepatis esthiomenata, potius virus & sanies spectabantur, quam verum pus. Mirum fuit, quod hic tam diu vixerit. Post eius obitum 11. Iulij, anno 1561. facta apertione cadaueris, hæc spectauimus. Cæterum, vt tunc nobis quoque referebatur, antequam in illam tabidam & siccam dispositionem tum dolorem dextri hypochondrij incidisset, multis etiam antea annis fuerat valetudinarius. Verisimile est hunc prius inflammatione hepatis laborasse, demum duritiem subsequutam; postea apostemata: deinde abscessum, tum vlcus, ita vt ex gibba eius parte esthiomenata tum gangrænata, sanies ad partes circumstantes fluxerit, & partes adiacentes, vt costas ipsas esthiomeno infecerit. Et quia ingens fuit abscessus, etiam in parte concaua, facta diruptione pus etiam defluxit in capacitatem ventris, intestina, tum omentum ipsum ac peritonæum
13 inficiens. Diaphragma tamen nullo modo læsum spectabatur: quare & mente constitit per totum morbi decursum, nisi paucis horis antequam moreretur, cum falso imaginaretur se ceruisiam coquere: solent enim morituri, vt longa obseruatione animaduertimus, plerumque ea imaginari, atque facere, & illas actiones obire, quas in vita maxime exercuerunt. Ita hic cereuisiarij famulus, omnia quæ in hoc opere, nempe coquendi ceruisiam, obire solent, agebat, aliosque famulos iubebat, & vrgebat, vt munia sua quoque præstarent. Morituri enim, quæ ad actionem propriam spectant, plerique peragunt, præcipue morte appropinquante: quemadmodum etiam contigit cuidam sartori Alcmariano, nobis familiari (*de quo egimus in libris nostris de Obseru. febrium*) qui moribundus tanquam acu vestes sueret, artem suam sartoriam, gestibus, mox exspirans, exprimebat.

SCHOLIA.

SCHOLIA.

14 SOlet aliquando inflammationem, si in principio negligatur, vel perperam curetur, absces-
sus incurabilis hepatis subsequi: & hunc etiam vlcus magna ex parte lethale: cum & apostema hepatis confirmatum ad suppurationem vergat. Primum igitur sanguis vertitur in putridam saniem, deinde sanies caloris beneficio in pus abit; atque ea ipsa puris collectio abscessus dicitur: erumpente deinde pure vlcus manet cauum ac fordidum, si statim non repurgetur. Hac mutationis serie multa vitia ex vno eodemque fonte dimanant: quæ vt variis sunt nominibus insignita, ita & varias curandi leges habent. Inflammationis seu apostematis notas iam diximus. Abscessus vero (qui & vomica dici potest) & putrida sanies in pus conuertitur: dolores & febres, teste Hippocrat. tum cætera symptomata inualescunt; rigores sæpe nullo ordine, vt diximus, nullaque ratione inuadunt: quos sequitur caloris exacerbatio. Confecto iam pure, omnia quidem remittuntur, ipseque ardor deferuescit: vires tamen relinquuntur multo imbecilliores, pulsusque frequens, paruus ac languidus, crebraque animi defectio. Quum rupto abscessu puris illuuies prorumpit, eius tetro vapore cor obruitur, qui sæpe graui orta animi defectione ægrum de medio tollit: ex hoc enim vix quisquam seruari potest. At quum exiguus est abscessus, si vires satis constent, pus nonnunquam vomitione prorumpit, aut per aluum, vt per vrinas profunditur. Sed & interdum fissa vel exesa jecoris substantia (*vt nunc bis vidimus*) id excidit in abdominis cauitatem.
16 Huius quoque rei narrat Gradus historiam, cui fides vix adhibenda, ita scribens: Si dolor non minuitur ex aliqua re, tunc apostemata hepatis conuertuntur ad saniem (*hic saniem intelligit pus*) & fiet tunc prognosticon: quod eiusmodi apostema sit mortale: quia facta sanie & vlcere in apostemate hepatis, non est regularis curatio. *Tamen vidi ego* (inquit) *in vno scholari Alemano, post vlcus hepatis & eductionem multæ quantitatis carnositatis hepatis: de qua fecimus experientiam multoties, quia concussione facta de eadem substantia in aqua calida cum virgula agitando remanebat vera carnositas hepatis, tunc venulis dispersis per eam. Et tamen in processu liberatus est, & eius color in melius mutatus, ita, vt curatus fuerit præter spem meam, & socij alterius medici. Sed tales enacuationes sunt monstra in natura, quæ aliquoties fiunt in hominibus, vt dicit Auerrhoës, vt alias retuli in simili casu.* Hæc Gradus supra Rhas. *cap. proprio de dolore hepatis.* Verum vlcus ex abscessu contractum, quoniam alimento continenter alluitur, perpetuo colluuie multa sordescit, neque vnquam potest sanescere, vt recte dicebat *Fernelius vir ille doctissimus.* Ideo quoque plurimum dubito de illa Gradi historia, quamquam fide dignus suo tempore professor & insignis practicus, se id vidisse commemorat. Iecoris tamen solida substantia, spermatica cum sit, non magis quam pulmonis reparari potest. Vidimus nos in nosocomio Delphensi vulneratum militem, qui vltra annum cum dimidio ibidem decubuerat, longo tempore superuixisse, at post mortem corpore inciso totam substantiam pulmonis prius per vulnus fuisse excretam, vt sine pulmone iam spectaretur, flabello cordis in totum ablato, cuius etiam mentionem fecimus *lib. 2. obseruationum nostrarum de febr. scholio obs. 37. de febr.* Typhode, *sub finem.* Vbi igitur vlcus hepatis est, tunc vitiosa est sanguinis confe-

15 Nota abscessus.

17 Vlcus hepatis cur difficulter aut nullo modo sanetur.

Vlceris hepatis notæ & præsagia.

ctio; corpus non alitur, sed ferè tabescit; putrida, saniosa, & interdum cruenta est alui deiectio, ac sæpe quasi ex cadauere facta colliquatio. Vrina quoque sanie perfusa, aut si ea in abdominis spatium penetret, hydrops omnium grauissimus oritur, qui & inguinum pubisque grauitate & manifesto tumore se prodit; si quidem vires tam diu persistant, quod vix certe vnquam vlla obsecutio notauit. Ideo etiam huic nostro ægro hydrops non est subsequutus, quanquam etiam pus in spatium abdominis fluxerat: sed potius atrophia totius corporis est concomitata. Ideoque ob esthiomenum vlcus tam putridum partis gibbosæ, tum totius hepatis substantiæ, jecur (vt ego puto) nec vllum sanguinem bonum nec nutritioni vtilem, generare potuit; multoque minus potuit ipsum distribuere in venas: vnde enormis illa macies totius corporis; quum nunquam in vita (*vt paulo ante diximus*) macilentiorem conspexerim. Cæterum quibus modis suppuratio iuuanda, & demum quomodo maturum apostema sit rumpendum, id satis declaratum est: sed rupta vomica, puris subsequitur repurgatio, & ipsius vlceris curatio. Si vomitu, vel per aluum reiiciatur, aqua mellis calide danda, si ad vesicam & renes tendat, aqua mellis cum emulsione lactis seminum comm. frigidorum, vbi adfuerit caliditas & exasperatio, propinanda. Sin calor remissior fuerit, radices asparagi, apij, in aqua mellis coctæ adiungendæ, valet & aqua hordei non excortic. cum sem. mal. & zacch. & aqua lactis caprini, cum zaccharo, consolidamus cum thure, mastiche, bolo armen. & similibus, cum aqua mellis, zacchar. aut endiu. plantag. & similium. De quibus videas tam veteres, quam iuniores.

18

19 Vlceris cura vomicæ.

OBSERVATIO XI.

De hepatis substantia tota purulenta & corrupta post mortem inuenta.

FAmula quædam, Barbara dicta, Delphis apud Petronellum Brasseriam habitans, cum longo tempore non sine febre decubuisset, per me tandem vtcumque restituta fuit sanitati, ita vt aliquot mensibus foras prodiret. Verum postea facta recidiua, rursus aliquot mensibus decubuit; neque tunc vlla medicamenta adhibuit, nisi, cum iam macie exhausta iaceret, cum febre lenta, sitique continua, & fluxu colliquante. Atque cum tunc ad illam accitus essem, tumor circa stomachum apparuit rotundus, ita vt ibidem apostema esse videretur: atque instante iam quasi morte, & remediis aptis adhibitis, etiam extra appositis, nihil iuuantibus, & cum ex tactu pus sentiretur, constabat intus latere abscessum iam maturum. Chirurgus accitus incisionem in moribunda tentare non fuit ausus. At die vno atque altero subsequente, famula obiit die 4. Ianuar. anno 1592. & facta post mortem incisione inuentus est lobus hepatis supra stomachum ascendisse, totius hepatis membrana illæsa, quæ hepar continebat: sed ea incisa, tota substantia hepatis corrupta & purulenta, vomicæ instar, vndique effluxit in capacitatem ventris cum tanto putore, vt quis diu apud cadauer iam sectum permanere non posset. Quæ quidem hepatis vomica causam mortis præbuit.

SCHOLIA.

CVm hic lobus hepatis supra stomachum ascendisset, & tumorem exterius rotundum effecisset, medicus aliquis, quantumuis doctus, ex loco affecto iudicasset ex rotunditate supra ventriculum existente, apostema in ipso ventriculo extitisse, nullo apparente tumore in hypochondrio dextro. Attamen hepate toto suppurato, propter magnitudinem abscessus, lobus ventriculum comprehendens eò ascenderat, quamuis non in ventriculo, sed in hepate abscessus repertus est, vt sectio post mortem indicauit. Ideo diligenter hæc considerandа, ne in simili casu quis fallatur, non obstante quod inflammatio seu apostema hepatis eodem fere modo curatur, vt ventriculi: nam vnumquodque apostema eorundem, tum abscessus, propria quædam remedia sibique familiaria habent: de quibus satis nunc dictum est. Et facile quoque distinguitur iis notis, de quibus superius diximus: ita & inflammatio, seu apostema ventriculi. De quibus egimus *lib.18. de ventriculi affect.*

OBSERVATIO XII.

De hepatis insigni dolore, ex materia crassa, ventosa, intra membranam hepatis & eius substantiam collecta, vt metus quoque de apostemate esset.

GErardus Nannius Alcmarianus, ceruisiarum baiulus (*nam cum tenuis fortunæ esset, victus quærendi gratia dolia ceruisiaria deportabat, alioqui de nobili stemmate Zuylenorum oriundus*) mense Augusto, anno 1546. in insignem hepatis dolorem ex materia flatulenta lapsus est; ita, vt de apostemate metus foret; quamquam se pleuritide existimabat affectum. Ad quem ingressus, statim ob insignem dolorem sanguinem ex vena basilica in cubito dextro detrahere iussi, sanguine circiter vncias octo educto, cum aluum per se satis mollem haberet. Die vero sequenti, cum dolor ex integro non cesserat, ventosas cum scarificatione natibus admoui, ad diuersionem. Deinde cum semel hoc epithemate locum dolentem fouissem, miraculi instar omnis dolor euanuit, qui ex inflatione erat: ita, vt non opus fuerit purgatione. Et præter spem statim conualuit. Fotus seu epithema tale erat. ℞. *flor. melil. flor. vos. rub. folior. absinthij, viol. ana* m. j. *sem. anisi fœnug. lini, ana* ʒ iij. *cocta in aqua communi* (quia pauper erat) *ex his parabatur fotus*, loco dolente etiam inuncto. ℞. *olei ros. olei amygd. amar. olei de spica, absinthij, ana* ʒ ij. *misce.* Interea tamen hoc decocto vtens, sanus factus est. ℞. *sumariæ, agrimoniæ, cassutæ, cichorij cum toto, borag. bugloss. scabiosæ, fœniculi cum toto, ana* m. j. *rad. liquir.* ʒ ß. *flor. chamæmill.* p. j. *sem. fœniculi* ʒ iij. *cicerum rub.* ℥ j. *iuiubar. sebesten, ana num.* v. *hordei mund.* p. j. *fiat decoctio in aqua communi, pro* ℔ i ß. *dulcoretur zacch. bis in die ex eo sumebat.* At alteri mulieri dolenti ex hepate, cum apostemate frigidiore, præcedentibus vniuersalibus remediis, quarto die sacculus hic admotus, prius coctus in vino & expressus, illico dolorem sedauit. ℞. *absinth. chamæd. an.* m. ij. *flor. chamæm. man.* iij. *flor. ros.* m. j. *schœnanthi* m. ß. *semin. lini, anisi, carui, an.* ʒ iij. *santali albi & rubri, an.* ʒ i ß. fiat sacculus. Nocte rursus dolore ascendente, eidem lateri iterum appositus sacculus; & idem dolor sedatus est: at cum haberet maiorem dolorem anhelitus quam prius, & exspueret materiam crudam, locus inunctus est dialthæa, & pro oppilatione hepatis descriptum, quod sequitur. ℞. *pul. trionf.* ʒ i ß. *dialaccæ* ʒ j. *pul. diacapp.* ʒ ß. *zacch. ad duplum pondus*, fiat tragea, de qua sumens quotidie, & bis in die inungens cum dialthæa, septimo die fuit curata, cum sudore magno, & quasi continuo.

SCHOLIA.

TVnicam tantum velantem iecur, præcipue dolere quidam autumant: cum oppilatione tumet membrum, spiritu intus incluso, aut abscessu duro, cum obcalluerit, aut phlegmone, ex lapsu ex alto, vel incussu hepar dolet, vt prius diximus. At extensiuus dolor, vt hic, à ventositate fit, vel vapore, vel humore multum flatuoso. Inflatur a. iecur ex cibis, qui in secunda digestione flatum parant, ventositate in hepate retenta, vel ex crassis humoribus genita. Et dolor fortis est; vel ab apostemate, tunc adest febris: vel si fiat à ventositate, tunc sine febre est: nam febris si accedat, ventositatem sæpe resoluit. Ventositati proprium est, augeri & minui, mutari & interpolari: nec adest grauitas, sed potius tensio, & in gibbo extenditur ad pectus & dorsum: in cauo ad ventrem & intestina: & mutabilis est dolor, nec color corporis aut faciei, vt in apostemate mutatur. Hic autem in victus genere quicquid frigidum, ventosum est, damnatur: paludes ob eam causam vitandæ ac ninosa loca. Quæcunque ad inflationes ventriculi conferunt, hic transponenda. Valent diacyminum, diagalanga, pilulæ aromaticæ dictæ. Miliũ ex fotu iuuat. Si vna cum ventositate adsint vapores, vel humores crassi, materia minoranda, digerenda, eradicanda, diuertenda clysteribus & aliis generibus diuersionum: viæ aperiendæ, vt ventositates exeant, & resoluendæ simul hepar roborando: & accidentia corrigenda, & vitæ regimen imperandum. De quibus vide Arculanum, qui huius doloris ventosi curationem proprio capite persecutus est.

Causæ huius flatulentiæ.

Signa.

Curatio.

OBSERVATIO XIII.

De scirrho hepatis.

VIr quidam Delphensis tumorem scirrhosum diuturnum patiebatur in gibba parte hepatis, qui & tactu deprehendebatur, cum gracile & adipis expers esset abdomen; idque facilius erecto, vel in dextrum latus inclinato ægro, quam decumbente supino: tum quippe non nisi pressu animaduerti poterat. Situ quoque & figura iecoris circumscribebatur: cui etiam ægro facilis decubitus dexter, sinister vero grauis erat, cum moles quædam velut suffocans in ventriculum & præcordia incumberet. Hic autem tumor ex contumaci & inueterata obstructione paulatim originem ceperat. Ab ea quidem Fernelius semper fieri vult, raro, vel potius nunquam, ex inflammatione originem trahere, quod in viscere natura calido & humido omnis inflammatio in pernicioſum abscessum desinat. Fit tamen aliquando ab inflammatione, vt alij volunt, imo sæpius, vt doctissimus quoque Iacchinus recenset: quemadmodum & nos præter hunc virum in aliis, & in nosocomio Delphensi præcipue, obseruauimus: vidimus quoque mulierem ex hydrope mortuam, post mortem à me incisam totum hepar scirrhi modo induratum habuisse: *de qua obseruatione sequenti agemus.* Recte quidem &

& auctores post inflãmationem hepatis de scirrho agunt: quamquam etiam & ab initio statim gigni posse, absque præcedente phlegmone, contendunt, vel paulatim collecto in viscere excremento crasso dum nutritur, vel à liene eò transmisso: quod sane vtrumque fieri videmus quotidie: sed & Galen. in lib. de morbi temporibus ait sensim & latenter incipere. Post multum tempus sentiri, vti & in ægro contigit. Ideo hic scirrhus, vt Fernelius ostendebat, à simplici tumore distat: quod non nisi longo dierum numero, simplex vero tumor etiam breui procreetur. Humorem dicit auctorem esse obstructionis, qui primum tenues iecoris venas implens & infarciens, auctusque in omnem viscris substantiam redundat, & eam perinde atque venas obstruit: quod si rursum multo plenior cumuletur, iecur in amplam molem distendit: tumque viscus turgidum ac tumens apparet. Tempore humor siccescit, & vi caloris parte dissipata: reliquus totus obdurescit: cuius permistione iecoris substantia labefactatur: verusque tandem scirrhus emergit. Secundum eundem, modo sit ab humore pituitoso, vt huic nostro ægro, modo à bilioso. Illum causæ antecesserunt, quæ crassum pituitosumque succum coaceruant, hunc vero, quæ bilioſum; in illo dominantis pituitæ, refrigeratique iecoris, in hoc bilis exsuperantis, concalfactique iecoris, signa illucent: hic vero ictero succedit, & lentam febrem comitem habet: ille nequaquam: hic vnus in eum hydropem præcipitat: qui ascites appellatur; ille citra vllum incommodi genus diu persistit, aut duntaxat cachexiam leucophlegmatiamve infert. Cum igitur hic scirrhus ab humore pituitoso, & refrigerato hepate, originem haberet (*nam & hic victu crasso pituitoso vsus erat, & subinde aquam biberat, cum pauper esset*) vt hunc recte curaremus, victum talem instituimus: quo in obstructionibus liberandis vtimur. Ideo cibos faciles concoctu adhibuimus, & qui incisoriam vim & repurgantem complecterentur, crassa, viscosa edulia, & omnia dulcia, hepati nocentissima vitauimus. Materiam crassam pituitosam minorauimus hoc medicamento. ℞. *syrup. ex infus. ros. cum agar.* ℥ j ß. *diaphœnici* ʒ ij. *aquæ fœniculi, cassutæ an.* ℥ j. *aquæ cichorij* ℥ ß. *misce.* Detur in diluculo: ter, quaterve excreuit aluum. Deinde ad humoris crassi & viscidi præparationem, sequenti decocto vel huic simili vsi sumus. ℞. *rad. graminis, petros. asparagi, fœniculi, macerat. in aceto. an.* ʒ j. *rad. althææ* ℥ ß. *marrubij, ceterach. cassutæ, capill. vener. agrimoniæ, scolopend. an. m.* j. *sem. anisi, fœnic. an.* ʒ j ß. *folior. sennæ* ʒ vij. *agarici fœmin. albi lenis* ʒ j. *zinzib. albi* ϑ i. *uuar. passul.* ℥ j. *ficuum ping. num. v. fiat decoct. in aqua communi pro* ℔ j ß. *colaturæ adde syrup. de byzantiis. acetosi compos. de eupator. an* ℥ j. *misce.* deinde purgaui hoc pharmaco sequenti. ℞. *agarici fœmin. albi lenis* ʒ j. *rhabarb. select.* ʒ ß. *zinzib. albi* ϑ ß. *schœnanthi, spicæ, an. gran. v. infunde per noctem, facta prius leui ebull. in* ℥ v. *decoct. supra scriptæ, mane fortiss. expressioni adde diaphœnici* ℥ ß. *syr. de eupator.* ℥ j. *misce.* Detur in diluculo: quo aluum optime excreuit. Interea inunximus hepar oleis amygd. dulc. lilior. chamæmill. & mastichino simul mixtis. Sed quia non febricitauit: sanguinem non detraxi, vt Amatus fecit in Marci librarij Veneti sororio, qui scirrhum iecoris habebat: vna cum febre. Vide totam eius historiam *cent.3. curat* 48. Post purgationem & olea dicta, hoc linimento regionem hepatis inunximus. ℞. *emplastri de melilot. de muccill. cerati nostri de ammoniaco, an.* ℥ ß. *unguenti santal.* ʒ iij. *pul. ros. absinthij. ana* ʒ j ß. *olei absinthij* ℥ j ß. *fiat linimentum, aceto immixto ad ignem.* Catapotia etiam confecimus ex ammoniaco, puluer. hieræ picræ; vel quæ hoc modo fiunt. ℞. *agarici* ʒ j. *myrrhæ, styrac. an.* ʒ ß. *spicæ celticæ, schœnanthi, cinnamomi an.* ϑ ß. *excipiantur terebinthina: & fiant pilulæ v. ex* ʒ ß. *vel* ʒ j. *dentur mane in exitu lecti.* Rursus dabam decocta magis incidentia & vrinam cientia: *adiect. radic. irid. bismaluæ & semin. alkekengi, etiam passul. & dactilis.* Alij deinde dant pilulas de sagapeno, vel fœtidas. Dedi autem pilulam vnam ex ammoniaco: & postea fotus conuenientes, in hunc vel similem modum. ℞. *rad. alth.* ʒ ij. *rad. irid. sambuci an.* ℥ j. *flor. cham. meliloti, sambuci, ana pug.* j. *aqsinthij, man.* j. *spicæ vtriusque, & azari, an.* ʒ iij. *fiat decoct.* in aqua intestinorum, pauco adiecto vino, quia pauper erat. Deinde tedibam ad vnctiones, cataplasmata, ex ammoniaco, bdellio, & aliis conuenientibus. Quibus remediis hic bene habuit: quamuis ex hoc tumore scirrhoso in totum sanus non euaserit. Cum & Galen. *ad Glauc. c.5.* se scirrhum diuturnum nunquam sanasse, nec alium vidisse qui id potuerit: qua de causa nonnulli consulunt, vt ad balneas eant, quibus vniuersa Italia ornatur. Vidi tamen Elideum Paduanum, medicum Bononiensem, præceptore meum, medicum nosocomij Vitæ dicti, curasse scirrhum hepatis, nunc temporis à Baptista medico haud vulgari tanquam incurabilem iudicatum, exhibendo intermissis diebus modo rhabarb. potionem, modo pilulas de ammoniaco: interea etiam faciendo vnctiones, & cataplasmata loco affecto apponendo, ex ammoniaco, bdellio, & similibus, & exhibens hepar lupinum. Quibus remediis ille æger sanatus fuit. Post vniuersalia, tali electuario ad oppilationem hepatis commode vtebatur. ℞. *rhab. selecti* ʒ j ß. *hepatis lupi præpar. diarod. abb. an.* ℥ j. *cum oxym. q. s. fiat electuarium.* At vnice his prosunt ea, quæ partim aluum subducunt, partim vrinas mouent. Quibus egregie facit confectio ex amygd. & cnico: de qua *Galen. 5. de sanitate tuenda* meminit. Oportet autem cnicum contundere, & sic componere. Iacchinus medicus doctissimus, scribit se feliciter vsum extrinsecus mollientibus, & intrinsecus potione salsæ aquæ, habet enim vim extergentem & extenuãtem plurimam. Itaque alteri scopo satisfacit curãdis cirrhi, nempe vacuationi. Vsus etiam sum, *inquit*, potione ammoniaci, hoc modo; ammoniacum cum rutæ dimidio in pilulas confirmatum propinabam pondere drachmæ vnius vel scrupulorum quatuor. Habet enim vim emolliendi, & leuiter extergendi & exsiccandi. Iuuat vero & trochisc. de rhab. vsus & alia medicamenta aperientia egregie, & vrinas cientia, de quibus dictum est, cum de obstructione ageremus. Vide eundem cap. de obstruct. hepatis. Ad vrinas priuatim, inquit, sum vsus potione dictamni & asari. Extrinsecus adhibebimus ea medicamenta, quæ ad ventriculi scirrhos valent: qualia sunt illa, quæ ex bdellio, ammoniaco parantur ex meliloto & œsypo. Hæc enim in cerati formam redacta apponuntur; habent vtramque intentionem, molliendi nimirum & siccandi: quod quamuis serius faciant; quam quæ solum siccant & acria sunt, id tamen tutius faciunt: ideo præligenda.

SCHOLIA.

HÆc duo viscera: iecur & lien, sunt opportunissima ad scirrhum, vt Gal. docet *13. method. c.15. & 16.* in quo Attalum Thessalum medicum,

dicum Sorani discipulum reprehendit, quum Theagenem Cynicum interficeret, cum solis relaxantibus topicis vteretur. Quod minime faciendum est semper. In hepate quidem, cum limoso sanguine nutriatur, in splene, quod humorem recipiat crassum, & in renibus, quia sanguine spisso nutriuntur. Alibi tamen dicit Galen. splenem subtiliori sanguine nutriri solet. Vide Amatum, qui hoc dubium soluit *scholio centur. 3. curat. 48.*

Scirrhi differentia duplex.

Duplex quoque scirrhi est differentia, *vt 2. de arte curatiua ad Glaucon.* quarum vna exquisitus dicitur scirrhus, tumor sensu priuatus, durusque, altera, non exquisitus. Qui omnino non insensibilis est, *vt patet etiam 14. method. medend.* Estque hic affectus morbus in quantitate, secundo intemperies, quoniam frigidus affectus: & tertio, in soluta continuitate. Quantum ad partem læsam, hepar hic affectum est, quod ex tumore duro quidem existente, cum exiguo aut nullo dolore, & interdum sensu priuato cognoscitur: quandoque non omnino insensili. Duplex eius generatio, vel ab initio ex influxu humoris; sed rarius, vel quod frequentius, si sensim aceruatur in venis: vel facta permutatione ex erysipelate aut phlegmone, ob multam & intempestiuam refrigerationem, quod frequentius cuenire ait Galen. 2. *ad Glauc. cap. 5. nempe ex humore crasso, frigido, pituitoso, vel atrabilario, aut ex his simul mixtis*, vt liquet 4. *Method.*

Affectus.

Pars affecta

Causæ.

Signa.

Si ex nigra bile, color totius corporis ad nigrius declinabit, si ex crassa lentaque pituita, ad albidius, vel plumbi colorem. Scirrhi vero exquisiti, in iecinore sine sensu persistentes omnino insanabiles sunt, vt in cæteris partibus, teste Gal. 14. *Method. & 2. de arte cur. ad Glauc.* quamquam neque is qui difficulter sentitur facile curationem admittat, eodem auctore: quamuis ab initio sæpius ipsum curauerit: sed ad plures dies extentum, neque ipse sanare potuit: neque alium vidit qui posset. Nam omnibus iis, qui ita affecti sunt, ex necessitate subsequitur aqua intercus. Pereunt autem quam plurimi in tempore longo: quidam etiam breui, qui ventris profluuio laborant. Curatio perficitur vicissim, teste Gal. 2. ad Glauc. nunc humidis mollientibus: nunc siccantibus. Si nimium calfaciamus & exsiccemus, indissolubiles, & ideo insanabiles, & similes lapidibus reddimus: si nimium molliamus vel humectemus, hepar dissoluemus: ideo emollientibus adiungenda, quæ digerendi vim habeant, & parum constringant, ne vis hepatis labatur. Vide de his, & Gal. & Ætium, corpore prius euacuato & humoribus crassis, vel atrabilariis, tum iis vtemur quæ per vrinam deducunt materiam, de quibus vide Rondeletium. Exterius iis vtemur quæ constant ex absinthij coma, mastiche, nardino, ac lentiscino vng. adiiciendo thymiama, & bdellium, medullam anseris, & alia topica tam apud *Galen. quam Aetium & Paulum descripta.* Vide & formulas ad hunc effectum aptas cap. proprio apud Rondeletium & Altimarum.

10

11

12

OBSERVATIO XIV.

De hepatis scirrho in hydropem lethalem mutato.

3

MVlier Alcmariæ grauida, etiam hydrope laborans: puppercula; tumore scirrhoso hepatis præcedente ad me venit consultandi causa: cum diu hoc malo laborasset: quare curationem irritam fore iudicabam: quamuis ad solamen quædam remedia paratu facilia, sed frustra præscripserim, quæ tamen cum pariendi tempus adesset, feliciter peperit prolem: At decimo quarto die à partu obiit. Ventre autem matris post partum non detumescente: licet à partu vtcunque purgetur: tamen illam morituram prædiximus: & ita 14. die à partu è vita migrauit. Mortuæ autem corpus incidendum curauimus, eo quod obstetrix certo affirmabat secūdum adhuc partum, ob ventris molem, in vtero hærere, cum ego eandem ex scirrho hepatis, quem hydrops subsequutus esset, mortem incurrisse pronuntiabam: quod & incisio mox indicaret. Incisione itaque peracta, præsente obstetrice, tum aliis nonnullis, integra cupa, qua mulieres pannum lauant, aquæ citrinæ è ventre fluxit, plus quam viginti heminas effluxisse coniectabam. Omētum vero erat plane absumptum, & glandulæ mesenterij induratæ: hepar vero non solum in scirrhum mutatum: sed in lapideam quasi duritiem conuersum: nam sparsim in ipsa substantia hepatis fabæ instar lapilli concreuerant. Vterus bene se habebat: vnde diuino quodam miraculo, & Dei prouidentia, fœtus in vtero ad maturitatem iusto tempore pariendi est seruatus: neque secundus partus inuentus, vt obstetrix existimabat, adeo anatomiæ ignara: vt tentandi causa vesicam pro vtero eidem ostenderemus, vt verum, quamuis loquax satis, à vesica distinguere non potuerit: quæ hactenus diu artem obstetricandi: proh dolor, exercuerat, & in ea etiam consenuerat.

Scholia.

IEcūr autem, vel vnam aliquam eius partem indurari frequentius accidit: imo aliquando lapillis durioribus quasi concrescere cernitur. Meminit e. Dodonæus, medicus doctissimus, se nonnullorum, qui ab ictero in ascitem delapsi erant, iecinora vidisse adeo dura & lapillis vndique plena, vt nouacula perscindi non potuerint. Simile narrat & Andreas Vesalius, in epistola de China ad Ioachimum Roelants de quodam Belloarmato Senensi, cuius iecur prorsus candicans, superficie constabat non leui: sed admodum inæquali, & lenibus tuberculis exasperata, anterior vero eius pars & vniuersa finistra, ad modum lapidis indurata. Refert quoque Antonius Beniuenius. quod in muliere nobili, quæ ex dolore circa iecinoris partes diu afflicta erat, & tandem mortua, post corporis incisionem inuenti fuerint in iecinoris membranulæ parte decliuiore congesti lapilli: figura & colore diuersi: alij enim rotundi, alij angulares, quadrati alij, prout positura & casus effecerat: maculis etiam rubeis, cœruleis albisque distincti. Hi sua grauitate, ex tunica sacculum longitudine palmi, latitudine vero duorum digitorum effecerant. Hanc autem nos mortis causam (*inquit*) arbitrati, disputare de obscuris vanum & inutile iudicauimus. At in vesica fellis, vt alias diximus, & etiam *cap. 94. ab eodem Beniuenio*, dictum est: subinde lapides reperiri contingit, verum laxiorem reddi membranam iecinoris, atque in ea calculos dependere, ex rarissimis est. Sed quod in hac nostra muliere inuenimus glandulas mesenterij induratas & pancreas similiter, id quoque adeo rarum non est. Scribit enim Rondeletius *cap. 35. de hepatis scirrho sub finem.* Id annotatione dignum est, quod ex frequenti corporum dissectione obseruaui, omnes hydropicos, vel scirrhosos, glandulas mesenterij induratas habere, & pancreas similiter. Quare non erit inutile (*vt idem admonet*) totum ventrem oleis tingere, vel vnguentis, totumque ventrem fouere.

OBSER-

OBSERVATIO XV.

De Ictero.

IACOBVS quidam Alcmarianus, annum 27. agens, crapulæ deditus vtcumque, alioqui biliosus, anno 1548. sub finem mensis Februarij, nulla præcedente febre: neque alio morbo, totus palluit, & auriginosus factus est. Quod simplici ictero hic laboraret, qui ex obstructione meatuum ad bilis cystim pertinentium fiebat, facile percepimus: nam repente hominem adoriebatur, sine febre, ac sine magna corporis ac vitium iactura, cum & deiectiones huic albidæ essent: eo quod bilis illapsa in intestina, cohiberetur: vnde & vrinæ admodum crassæ, atque adeo rubicundæ, vt prope nigrescerent, inerat & dextro hypochondrio grauitatis sensus: sine conspicuo tumore. Hæc cum animaduerterem, è vena basilica secta in manu dextra (*cum in brachio non esset consuetus, nec facile admitteret*) moderato extracto sanguine, non tamen multo, cum sanguis frænum bilis existat, mandaui, vt diebus sequentibus bis in die ex hoc decocto sumeret. ℞. *corticum radic. cichorij, fœniculi, petrosel. ana* ℥ j. *rad. bruscі, asparagi, ana* ℥ ß. *cassiuæ, agrimoniæ, marrubij, an. m.* ij. *betonicæ, melissæ ana man.* j. *sem. anisi, carui, fœniculi, ameos an* ℥ j. *semm. quatuor frig. maior. an.* ℥ ß. *cicerum rub.* ℥ ß. *schœnanthi* ʒ ß. *coquantur in* ℔ i ß. *colatura, adde syr. de byzantijs* ℥ j ß. *mellis ros. colati*, (erat enim obstructio ex humoribus viscosis crassis, cum cholera vitellina crassa admixta) *syr. de cichor. cum rhab. an.* ℥ j. *misce, & fiat apozema.* Cæterum cum ictерus fiat ex obstructione, ob vesicæ felleæ oppilationem: ideoque in eo duo potissimum requirantur remedia, vt venæ sectio & purgatio vehementior: post præparationem & humorum extenuationem, sequentem purgationem exhibuimus. ℞. *rhabarb. select.* ʒ j. *spicæ, schœnanthi, an. gran.* iij. *infunde per horas 12. in aquæ lupuli, fœniculi an.* ℥ ij. *fortiter exprimantur. Adde electuarij de succo ros.* ʒ iij ß. *diaprun. lenitiui* ʒ j ß. *agarici trochiscati in puluerem redacti* ϑ ß. *syrup. de cichor. Nicoli* ℥ ß *misce.* Fiat potio: quæ exhibita fuit in aurora, & habuit sex sedes, cum magno leuamine. Verum cum adhuc doleret ex grauitate in hypochondrio dextro, versus stomachum: fotu sequenti adhibito dolor euanuit. ℞. *flor. chamæmill. meliloti, summitatum absinthij, maluæ, cum toto an. m.* j. *sem. anisi, fœnugr. sem. lini an.* ʒ iij. *coquantur in aquæ communi: & fiat fotus.* Sedato dolore, & per purgationem egregie aluo soluta, ablata causa, mox ab ictero liber euasit. Vide Amatum de Perotij à Monte Sancto filio, annos 10. nato, qui tres vncias syr. ros. solutiui tātum sumpsit, cum aqua cichorij: & ab icteritia liberatus fuit.

Bilis fusionis causa.

Quæ partes afficiantur seu affici possint in morbo regio.

Cent. 4. curat. 7.

Scholia.

SI excrementa in hepate non rite, vel omnino non separentur, symptomata quædam inducunt: ita vt per totum corpus cum sanguine diffuso bilis flaua, non omnino, vel non rite, segregetur ac purgetur: qui quidem affectus, proprie ictерus dicitur: licet etiam varia sortiatur nomina. Dicitur a. ἴκτερος à Græcis, teste Galeno, lib. de diff. feb. & 3. de causis, quem affectum Latini quandoque Ictерum, quandoque Auriginosum nominant, à colore auri, quem bilis per totum corpus diffusa representat. Verum cur Græci affectum hunc ἴκτερον nuncūpent, *Aet. declarat cap. 17. lib. 10.* Est enim ἴκτερος, inquit ille, à similitudine ad animalculum, quod ἰκτὶς, id est, viuerra appellatur. Est autem viuerra animalculum illud quo cuniculos excludunt venatores, vulgo *een Vret* dicitur; quod licet corruptum sit, aliquo modo ad Latinum nomen Viuerræ accedit. Alij voluat illud animalculum esse mustellam sylueſtrem, quæ auricolores oculos habet. Celsus autem hunc affectum etiam Arquatum vocat, ab arcu cœlesti, eo quod eius colorem imitetur: ita & ab auro Auriginem quoq; vocarunt. Idem quoq; interdum & morbum Regium appellat, *vt liquet c. 24. lib. 3.* Hinc cecinit Serenus:

Regius est vero signatus nomine morbus:
Molliter hic quoniam celsa curetur in aula.

Hoc idem Celsus testatur, eumque regium vocari morbum, quia lasciuiis, cantu, delitiis, mulsa, vita soluta, curis, in aula curetur. Vulgus medicorum Icteritiam nuncupat. Alij & Icterum dictum volunt ab aue Galbulo dicta latine: quod aureo sit colore hæc auis. Insequitur vero accidens semper causam præter naturam proximam, hoc est, fusionem bilis per cutis exiguos poros: quæ cum incipit, apparet maxime in illis partibus corporis, quæ sunt vehementer albæ, vt oculi, mox in vniuerso detegitur. Huiusmodi rursus fusionis causa interna aliqua prior est, seu proprie causa sit effundens, seu velut occasio. Quæ a. sint eiusmodi effusionis causæ, ex *Gal. habetur 5. de loc. affect. 7. cum breuiter, tam ex Gal. 3. de causis symptomat. & 5. de loc. affect. & ex Aetio & Paulo.* constet ex triplici causa prouenire; vel vitio particulæ, quæ excrementum ipsum expurgat, vel vitio ipsiusmet excrementi, & ideo in morbo regio non perpetuo idem locus affectus est, neque iecur semper afficitur, vt à Gal. demonstratur 5. *do loc. affect.* nam modo iecur afficitur, modo vesica bilis, modo vniuersum corpus. Ita in hoc nostro ægro potius vesica bilis afficiebatur: quod cognouim⁹ ex istis signis, quia citra febrē hic morbus regius hominem occuparat, cum dextræ præcordiorum partis grauitate, & excrementis albis exeuntibus, & vrinis biliosissimis, & affatim excretis: quæ omnia vesicæ bilis vitio talem morbum regium fieri indicabant. Verum & illud bifariam fieri potest, vel ob eius imbecillitatem, propterea quod biliosum humorem, sicuti consueuit, in se ex hepate non attrahit, & ob id impurum sanguinem relinquit: vel etiam contingit eandem nimis repleri, vt propter repletionis multitudinem idem excrementum expelli ad intestina nequeat, excretrice simul facultate existente imbecilla. Poterit & secundo morbus regius fieri vitio viarum ex ipsa vesica ortarum, vtpote cum ipsæ obstructæ fuerint viæ, per quas ex iecinore ad ipsam vesicam biliosum excremētum trahitur, vel eæ, per quas ab eadem vesica ad intestina propellitur: quippe omnibus prædictis modis non expurgatur à bile sanguis, & in totum corpus diffunditur, ac morbus arquatus efficitur. Ex viarum vitio fit, cum propter earum obstructionem fieri contingit. Ex imbecillitate vero separatricis facultatis, si eadem vesica bilis in attrahendo, seu excernendo prædictum succum, propter aliquam intemperiem fuerit debilis. Namque fellis folliculum, cum inter naturalia instrumenta connumeretur, vnicum habet, veluti reliqua, imbecillitatis principium, à partis intemperie ortum, vt *eodem 5. de loc. affect. in fine*, Gal. visum est.

Signa vesicæ bilis affectæ.

Ictери varia nomina.

Atqui

Atqui interstingues, si ob meatuum ipsius obstructionem fiat morbus regius, vt in hoc nostro ægro euenit: namque vna cum albis excrementis: grauitatis cuiusdam sanus dextrum hypochondrium vrgebit, citra febrim. At si propter eius imbecillitatem fiat, talia excrementa circa grauitatem deiiciuntur. Vtriusque tamen statim vrinæ biliosissimæ affatim excernuntur, *vt inquit Paulus.* Et ita hic post venæ sectionem humores vias illas obstruentes, eduliis, potionibus, ac pharmacis attenuauimus, & obturationes deoppilauimus, ex præcepto Gal. 5. de loc. affect. & præcipue purgauimus, iuxta Aetium, auctoritate Ruffi, non in principio: sed prius materia attenuata, & vasis reseratis, alioqui medici, qui bilem expurgant antequam sit extenuata, nec vasis reseratis, maximi mali auctores sunt. Quæ autem attenuent & vias aperiant: & ictericis vtilia sint, de iis vide Aetium & Paulum. Cæterum, si ab hepate, vel à toto malum oriatur, id exemplis infrascriptis patebit: cum & eorumdem affectuum diuersa etiam curatio iuxta causas varias sit instituenda: vt exemplo nunc de ictero, ex calore iecoris vna cum febre orto docebimus: & postea de iis, qui ex alia causa oriuntur, sumus acturi.

OBSERVATIO XVI.

De ictero ex calore hepatis, ac eiusdem visceris, leui inflammatione vna cum febre duplici tertiana.

CVm in Zuytlandiam, pagum vltra Mosam situm, ita dictum, ad quandam mulierem accitus essem, anno 1568. cui febricitanti vna die per Empiricum perperam sanguinis detractio tum purgatio adhibita fuerant: plusquam vigesies hæc ipsa aluum deposuit: ita vt viribus prostratis animam agere videretur: quæ tamen à me curata fuit. Verum in iisdem ædibus laborabat eiusdem maritus non diu post duplici tertiana, corpore etiam flauo tincto colore: ad quem prius decimo die huius mali accitus fui, qui primum octauo die venam sibi secari fecerat, & suomet consilio seipsum foliis senæ purgauerat: cumque semper peius haberet, decimo die me prius vocauit. Aderat tunc dolor quidem in hypochondrio dextro: sed vix effatu dignus: quamuis in eodem loco sentiebatur calor intensus. Antequam in febrem inciderat, etiam quandam grauitatem in eodem loco senserat: & ex parte etiam pallidus aut flauus euaserat, quamquam nunc multo magis: ita vt prius obstructione hepatis laborauerit: nam ex ea etiam solet morbus regius originem ducere: & nunc sine febre permanent ægri (*vt Galen. testatur lib. 9. de compos. med.*) nec non & grauitas quædam in eadem dextra parte præcordiodiorum adest: præsertim inter vehementer respirandum, & ea signa adsunt, quæ de obstructione hepatis prius scripta sunt: quamuis non solum ex obstructione iecoris: sed & scirrho eiusdem morbus regius fieri potest: signis scirrhi tunc præcedentibus, vel præsentibus. Obstructo itaque hapate, facile etiam calor accessit, bile per loca consueta non expurgata: nam ex sola calida intemperie eiusdem visceris: cum multa copia bilis progignatur: quę multitudine expurgari nequit, eadem per totum corpus diffusa, propter eiusdem excrementi copiam, icterus excitatur, vt à fellis folliculo vix recipi possit: tunc plerumque absque febre in dextro hypochondrio feruor circa iecoris locum percipitur: alui excrementa bile perfusa videntur, vrinæ crassæ, croceæ, profunduntur, segnities, spirandique difficultas concurrit, tum potissimum perceptibilis cum mouetur: nam si icteritia ex copia bilis fiat, ab intemperie calida iecoris facta, meatusque ad folliculum fellis pertinentes aperti sunt: alui excrementa tunc biliosa erunt, eo quod portio bilis profundatur in aluum, & tunc vix febricitat æger. Sed non diu post successit febris duplex tertiana, satis valida, ita vt & iecinoris inflammatio post obstructionem & caliditatem hepatis subsequuta fuerit: cum & ipse regius morbus interdum ex inflammatione iecinoris oriatur: propter quam sanguis omnino à bile expurgari nequit: imo vna cum sanguine bilis per totum corpus defertur, & hinc morbus regius generatur, propterea quod & eiusdem bilis copia ob eandem causam in eodem viscere gignitur, & constipatio quædam fit, seu angustia locorum, per quos ipsa bilis ex venis transfertur ad canales vesicæ bilem recipientes: vt Galenus inquit *comment. aphor. libr. 64. lib. 4.* Cuius quidem morbi regij indicia sunt: præcordiorum dextra parte dolor, biliosæ deiectiones, & febris, vt inquit Paulus. Namque ij omnino febricitant, Galeno teste *9. de compos. medic. secundum locos.* Similiter & hic flaua bile vehementer coloratæ videbuntur. Quæ quidem signa cum nunc in hoc ægro adessent, & iam per decem dies febricitasset, & sanguinem octauo prius die emisisset, ab vlteriori sectione venæ abstinendum duximus: quamuis & hic etiam in parte dextra capitis nonnihil doleret, quod ex inflammatione & calore hepatis bile sursum allata (*licet toto corpore flauo existente, non per modum crisis, vt aliquando etiam fieri solet, vt suo loco dicemus*) fiebat. Vnde cum intemperies calida adesset & febris, etiam intemperiem illam sanare instituimus victu & medicamentis: quæ causam huius mali, tum inflammationem, tum intemperiem calidam, tum febrem respicerent. Et quia bilis abundantia aderat, tam ex intemperie & causis dictis: quam ex febre duplici tertiana (quæ omnia bilem abundare contestabantur) ideo non solum bilis erat purgandæ sed & ipsa intemperies alteranda. Quare ad extinguendum calorem, tum febrem ipsam, hoc iuleb. præscripsimus. ℞. *syrup. de endiuia, de limonibus, de cichorea cum rhabar. ana* ℥ j. *aquæ end. acetosæ, fumariæ, ana* ℥ iij. fiat iuleb. pro tribus dosibus. Deinde ita eum purgaui. ℞. *electuar. de succo ros.* ℥ ij. *electuarij lenitiui, diaphœnici ana* ℥ j ß. *rhab. selectiss.* ℈ ß. *spicæ grana quinque syrup. de cich. cum rhab.* ℥ ß. *aquæ cichorij* ℥ iiij. fiat hausthus: quo multa biliosa deiecit, etiam choleram vitellinam. Deinde & diarod. abb. in tabulis exhibuimus, & hepar inunximus *vnguento ros. & santalino simul mixtis.* Et quia non dormiebat, ob febrem, & circa partem dextram capitis dolebat, ea parte tempora inunximus, etiam frontem sub noctem, *cum vng. populeo, cui parum olei nymphææ & pap. immixtum esset.* Postea 14. die egregie sudauit, & à febre liberatus est, & icteritia eundem reliquit.

SCHOLIA.

ICteri causas nunc ex parte indicauimus: sed qua arte coniecturi simus quæ causa affligat: nunc exemplo ostendimus de iecinore: nam si leuis suspicio huius mali adsit in iecinore, à quo obstructio, inflammatio, vel scirrhus eueniat: causam ipsius facile inueniemus. Si adsit obstructio, albicant canum instar excrementa, vrina est flaua, victusque præcedens aptus fuit gignendis obstructionibus. Auget & notitia structuræ corporis: quoniam scimus angustas habere venas, & facile his capi solere. Si vero obstructio absit, considerabimus num causa aliqua bilem abundare fecerit: nempe iecinoris intemperies, vel aliæ externæ. Sic enim causa nota erit; bilis abundantia, si acutus & biliosus morbus præcessit, causa patet, scilicet natura excernens: si enim ex copia bilis fiat, ab intemperie iecoris facta, meatusque ad folliculum fellis pertinentes aperti sunt alui excrementa tunc quidem biliosa erunt, eo quod portio bilis profundatur in aluum, & vix febricitat æger. Quod si nullum horum adsit, concludimus debilitatem fellis vesicæ esse. Num vero peccet vesica attractione, vel pulsione, coniicitur hoc modo: quoniam si pulsione peccat, diu detinetur, & cœrulea euadit: ob id etiam Iacchinus sæpe vidit in vesica fellis lapillos eius coloris, quod & nos ipsi sæpe vidimus: exuritur enim tempore retenta. Num vero pulsio repletione nimia impediatur, vel debilitate, inde ostenditur, quod quę à repletione est, multa simul deiicitur; & malum statim cessat: at vbi debilitas est, diu durat, & forte non cessat: sicut & vbi attractiua debilitatur. Sic quoque, vt docte annotauit Fernelius, cystim fellis occupant obstructio, calculus, repletio, inanitio. Obstructio aut eius est ductus, quo bilis è iecore prolicitur, aut eius quo è cysti in intestina eructatur. In vtraque aluus durior est, pigriorque; fæces albicant, vrinæ flauæ, eraſſæque adeo sunt, vt sæpe nigrescant: bilis cum sanguine in summum corpus effusa ictero cutem deturpat. In priore tamen cystis prorsus exhausta est: in posteriori illa bilis copia distenditur, variisque exsuperantiæ symptomatis premitur. Calculus in cysti fellis plerumque concrescit niger, sed tamen leuis, & qui aquæ immersus innatat, neque ita vt ille qui à renibus aut vesica euellitur, subsidet in imo. Otigo illi est à flaua bile, quæ proprio conceptaculo diutius coercita nec tempestiue vacuata, nec nouæ bilis influxu reuocata, mirum in modum obdurescit. Id autem in primis accidit, cum vterque cystis ductus obstruitur. Huius quidem neque manifestæ sunt notæ, neque grauia symptomata, quibus certo ac facile detegi potest. At suspectus iis esse debet, quibus grauis & diuturnus fuit icterus. Decrepitus quidam senex, in iram mire propensus, post decessum sine felle ac sine cysti inuentus: in cuius sede calculus ingens concreuerat. Quin etiam post diuturnum icterum oborto alui profluuio, huius naturæ innumeros calculos instar pisi aut hordei in plerisque exturbari (*inquit Fernel.*) deprehendimus. Nos quoque vesicam felleam in corpore inciso post mortem; lapillis plurimis viridescentibus subflauis, & nigris, ad flauedinem & viriditatem tendentibus, repletam conspeximus. Sic non desunt alij qui testati sunt, in folliculo fellis inter resectiones calculum innatum fuisse eiusdem cum felle coloris, quod in boue frequentissimum fuisse asserunt, *vt Benedictus medicus Veronensis testatur.* Ita & Ioannes Langius *epistola* 57. *lib.* 2. inquit. Nec tantum in renibus & vesica: sed in fellis folliculo bilis quoque, hepatis adustione, in lapidem concrescit: in quo, dissecto Frederici Ducis Saxoniæ, Cæsaris Romani Electoris corpore, tres iustæ molislapides reperti traduntur. Neoburgi ad Danubium cum virgo Vestalis continuis sub hypochondrio dextro torminibus affligeretur, & medici nec causam tam diuturni doloris reddere, nec opem ferre possent, defunctæ corpus Illustrissimus Princeps Ottenrichus Comes Palatinus dissecare iussit: In quo cætera viscera præter hepar illæsa fuere: de quo folliculus fellis pondere lapidis inclusi pendulus, in substratum intestinum procubuerat, quod mirum in offenso fellis vtero, motu attriuerat. In muliere Diamantes vocata (*vt refert Beninenius*) vnus, in tunica fellis, atri coloris, & magnitudine castaneæ aridæ inuentus est: & alij in paniculo, quo contegitur hepar: vnde etiam veluti in folliculo dependuli sacculum effecerant. Solet autem isti aliquando luteo colore pallere, nausea & cibi fastidio laborare: & diutina aduersa valetudine frui. Bilis porro in propria cysti nonnonunquam tantopere exsuperat; vt hanc ingentem distendat magnitudinem, ac tunc sane infesta est grauitatis pondere, pressu ac suffocatione, ructu, ardore, siti, iracundia, & si quando forte computrescat, febribus intermittentibus. Hinc igitur grauissima mala prodeunt, nec certe leuiora, cum affatim ea prorumpit. Cystis enim quum prorsus exinaniuit, omnemque bilem suam foras eructat, aut biliosus vomitiones, aut choleram morbum, aut diarrhœam, aut dysenteriam, aut alia his finitima symptomata concitat. Non pauci è viuis erepti sunt: in quibus non alia interitus causa comparuit, quam quod folliculus bile omnino esset exhaustus. Sed icterus qui ex obstructione meatuum ad bilis cystim pertinentium fit, repente (*vt diximus*) hominem adoritur, sine febre, & magna corporis aut virium iactura. At ob iecoris inflammationem, totum quoque corpus biliosis excrementis perfunditur, propter magnũ sanguinis incendium, vrinæ & alui excrementa flaua bile colorata sunt, febris cõcurrit vehemens variæ faciei color mutatur, sitiunt ægri, & in iecinoris regione sensum grauitatis percipiunt: quemadmodum euenit Macthildæ Adriani, Delphis in duplici Cruce habitanti, acutissima febricto cum inflammatione iecoris ad necem vsque laboranti, satis vetulæ, ad quam post tres septimanas prius ingressus eam, Deo iuuante, cum magna laude curaui. Fit etiam icterus per crisin in iudicationibus febrium biliosarum, vt exemplis ostendimus in lib. nostris de febribus, etiam fit ex venenata qualitate sanguinem corrumpente: sed de his postea suo loco, nunc aliud exemplum proferamus.

OBSERVATIO XVII.

De muliere ileo malo correpta, & in ictterum incidente, & curata.

POtest aliquando icteritia fieri per communitatem ab intestinis, dum ipsa intestina sunt oppilata, vt in colico dolore & ileo, in quo casu bilis in intestinis retenta ascędit ad stomachum per resolutiones intestinorum, & fit ardor in ventriculo, & corruptio digestionis, vertigo, & similia: vti nuper euenit mulieri ex ilei dolore in ictterum incidenti: quæ cum ingenti dolore torqueretur, & simul ictero affecta esset, clystere iecto statim melius habuit. Deinde adhibitis remediis deoppilantibus & ventositatem carminantibus quæ etiam ad icterum facerent, admodum breui per nos fuit curata.

SCHOLIA.

ARculanus medicus insignis, cum varias causas icteritiæ recenseret, tandem adiungit icteritiam fieri per communitatem ab intestinis, quando obstruitur extremitas meatus cystis fellis

lis ad ieiunum inteſtinum, propter phlegmata, quæ ſunt in ipſis inteſtinis obturantia orificium dicti meatus: vel dum ipſa inteſtina ſunt oppilata, vt in colico dolore, & ileo. Et licet ſecundum eundem, in duplici meatu poſſit fieri oppilatio, ex qua icterus oriatur: nempe in illo, per quem folliculus fellis attrahit bilem ad hepar, aut in illo per quem expellit ad fundum ſtomachi vel ad inteſtina: tamen cholera etiam craſſa, replens inteſtina, poteſt eſſe cauſa: cur cholera exiſtens in cyſti non veniat ad inteſtina, quamuis meatus ſit apertus: & in hoc caſu aliquando cholera retenta in inteſtinis, aſcendit ad ſtomachum, & fit ardor & nauſea in ſtomacho, & ſymptomata iam prædicta, & in his caſibus non habens deſcenſum per inteſtina, reuertitur ad hepar: & poſtea ſpargitur cum ſanguine per totum corpus, & eſt cauſa icteritiæ. Hoc autem fit valde raro: & non niſi ſopita expulſiua, vel deſtructa, & ſopito aut deſtructo inteſtinorum ſenſu, vel etiam deſtructa operatione villorum latudinalium ipſorum inteſtinorum, quod aliquando accidit propter nimiam ipſorum extenſionem: vnde colica eſt cauſa icteritiæ, & antecedit eam, & aliquando icteritia antecedit colicam: quando propter oppilationem, aut aliam cauſam cholera retenta non venit ad inteſtina, ad ſtimulandum expulſiuam, & lauandum inteſtina. Et pendent ambæ, ſcilicet icteritia & colica, ob eadem cauſa communi, vt puta ab oppilatione pori fellei, venientis ad inteſtina. Habetis & alia plurima apud eundem Arculanum de cauſis & ſignis icteritiæ: quem perlegere poteritis. Eſt tamen dubitatio de eo: quod dicimus, icteritiam fieri cum doloribus circa ventrem: quod etiam fatetur Auicenna cum dicit colicam cum ea iungi. Et nos ſæpe vidimus in praxi ad colicum dolorem ſuccedere icteritiam & ſubſequi colicam ad icteritiam. Et ratio dictat id fieri poſſe: quoniam cauſa obſtruens poteſt etiam dolores ventoſos facere, ſi in aliam partem tranſmutatur. At Hipp. 5. *aph. vlt. aph. ait*: Qui icterico morbo tenentur, non valde flatuoſi fiunt. Exponit Gal. quoniam bilis materia non eſt generationi flatuum apta. Gignentur ergo ſolum flatus à calore debili. At aliter aphoriſmum exponit Iacchinus, & magis ad veritatem, quæ obſeruatur experientia: quod verum eſt ex parte materiæ biliosæ flatus non fieri: ſed non ex parte pituitoſæ, quæ obſtruit. Si ergo icteritia ſolum ſit ſine alio affectu obſtructionis, tunc flatus non fient; ſi cum obſtructione, tum ſolum: cum eſt à craſſis & viſcidis & frigidis humoribus, quod ſæpe contingit. Dubitatur ſecundo, pro curioſis verborum Gal. Nam ſi vis expultrix alienorum, veſicæ tribuitur: ergo & ſenſus quo percipiat, quod quantitate, vel qualitate eſt oneroſum: ergo & neruis participat. At contrarium huius dicitur 3. *de facul.* c. 2. quod nullis neruis participat. Falſum vero hoc eſt, & contrarium his quæ 5. *de vſu par.* 9. dicuntur. Vetus interpres prorſus *affectus* legit: ſed cauſam non reddit, cur dicatur. Vnde manifeſtum eſt, quod neruis participat. Sic ergo legatur litera: nec tamen id ſimiliter ſe habet in veſica iecinoris, hoc eſt, non ſentimus ipſam grauari quanto, vel quali bilis. Vnde manifeſtum, quod exiguis admodum neruis participat, i. quod habet exiguum ſenſum: ergo exiguos neruos, quod etiam de vſu partium fatetur Galenus.

Quomodo colica poteſt eſſe cauſa icteritiæ, & rurſus icteritia cauſa colici doloris.

OBSERVATIO XVIII.

De febre acuta, poſt ſeptimum diem cum icteritia ceſſante.

MVlier quædam Alcmariana, vidua, ſæpius icteritiæ obnoxia fuerat. Hæc cum acute febricitaret, & tertianam contiuuam haberet, poſt ſeptimum diem tota palluit, & icterica euaſit: & à febre, bile per criſin ad partes exteriores elata, liberata eſt. Quæ deinde cum nullã ſentiret grauitatem, tenſionem aut dolorẽ, in hypochondrio dextro, manumque huic loco admouens, cum perciperem neque tumorem, neque duritiem aliquam ſubſiſtere, atque viderem alui excrementa eſſe naturalia, incolume iecur: iudicaui bilem effuſam per totum corpus, cutemque colore aureo defœdatam per modum criſis: ideo & à febre per illam expulſionem liberatã fuiſſe. Quæ etiam mox ſudore euocato per cutem, paucis remediis ab ictero conualuit.

SCHOLIA.

REcte ſcribunt medici, icterum quoque per criſin poſſe fieri: quod quidem vitium febriente ægro, repente ac cumulatim ſuperueniens febrem ſi finierit criſin teſtatur: materia ex alto foras prorumpente, proruente nimirum ad cutem bilioſo humore, ratione bonæ indicationis, *vt ex Paulo & Galeno liquet*: qui morbus regius, & excrementi vitio quoque generationem habet: eo ſiquidem craſſiore exiſtente potius quam multo: nam ſi tenuis eadem fuiſſet bilis, vtique & in eadem criſi foras propulſata fuiſſet. Id quoque confirmabunt alui excrementa, & vrinæ, quoniam vtraque ſecundum naturam ſe habebunt, & ob eam cauſam nullum viſceris affectum declarabunt. Fit itaque ex infuſione bilis, quæ per iudicationem fit in febribus, *vt etiam aliquibus exemplis oſtendimus in libris noſtris de febribus*, de quibus Hipp. meminit 4. *aphoriſ.* 62. & 64. Malum, *inquit*, eſt ante diem 7. icterum euenire in febribus: at die 7. & his, qui deinceps bonum eſt. Subiungit, niſi dextrum illum obdurauerit, hoc eſt, niſi morbus eueniat occaſione affectuum, qui omnes communi ratione morbum regium faciunt, eo quod obſtruunt, *vt Galen. ait*, meatus fellis: ſunt autem hi, vt diximus, vel illi meatus, quibus ex iecinore ipſa veſica attrahit bilem, vel quibus ex veſica truditur bilis ad inteſtina. Per duritiem ergo Hippocrates intellexit omnem affectum tumoris, ſeu phlegmone ſit, ſeu ſcirrhus. Sæpe autem icterus fit ob aliquem affectum iecinoris: obſtructionem nempe, inflammationem, vel ſcirrhum, *vt ſcribit Galenus*, quorum affectuum, cum nullus adfuerit, alteram cauſam adeſſe conſtat, naturam videlicet, morbos curantem; nempe quæ ex criſi fit. Significat ergo hæc ſententia Hippocr. tunc laudari debere regium morbum, cum ſola naturæ pulſione fit: & hæc eſt criſis, quam dicit etiam non ſemper laudabilem eſſe, ſed ſolum à die ſeptima. Cuius cauſam Galen. ſcribit. Quoniam, *inquit*, ante ſeptimam diem non poteſt bilis efferri per viam criſis in cutem: itaque neceſſario accidet ob aliquem iecinoris affectum, *inquit Galenus*, qui tres ſunt: obſtructio, inflammatio, ſcirrhus. Hæc quoque ad ſigna prognoſtica pertinent: nam ſymptomata in qualitate mutata, inſigne non eſt 12. Method. Nihil ergo lethale ſignificat, nec curam exigit, niſi ob fœditatem, à qua prouenit. Curam exigunt: vt inflammatio venoſi generis, vt

Signa bilis regij criſis.

Signa prognoſtica.

vt ſcirrhus, vt obſtructio, vt veſicæ infirmitas. Interea tamen, ſi pulſione naturæ fiat, *diſtinguunt Hippoc. & Gal. ſigno iam dicto*, quod ante ſeptimam non laudatur: ſed poſt ſeptimam, non neceſſario, quia tunc etiam ex affectu iecinoris poteſt prouenire, qui etiam vltra ſeptimam perſiſtere poſſet, & mox bilis operationem operari. Intelligitur hic bona criſis, tempeſtiue & legitime facta: alias criſis erat ſymptomatica dicta, quæ ante ſeptimam euenire poteſt, quale erit malum, vel quia malam criſin ſignificabit ante coctionem, vel malum iecinoris, aut veſicæ bilis affectum. Anceps tamen huius terminus videtur, cum & ante ſeptimum ſalutaris aliquando fuerit, *vt nos ex Hippoc. de Epidemiis oſtendimus, lib. 3. de febr. Scholio Obſeruat.* 10. Sic etiam apud Hollerium *cap.* 37. *de morbo regio*, anno 1545. quidam ſexto factus ictericus, commota aluo bilioſa deiecit, vrinis nigris & multo fellis tinctis: febris expers iam ambulabat, quaſi omnino liberatus, 14. recidiua, 17. obiit. Aliis duobus idem accidit. Quidam admodum robuſtus, ante ſeptimum ictericus factus, ægerrime, & cum recidiua, euaſit. Anno 1549. menſe Aprili & Maio (quo fere tempore Lutetiæ febres tertianæ exoriuntur) multis aureæ vrinæ, & morbus regius primis diebus. Cuidam nobili ita affecto detractus ſanguis ter ad octo fere vaſcula iteratis vicibus. Sanguis totus & ſpuma & conſiſtentia flauus. Viſus eſt conualuiſſe 17. recidiua, alui profluuium, bilis craſſa & meracior, ſingultus leuis, 21. obiit. Laborauerat aliquando lue venerea. Multo quoque in Epidemiis ante ſeptimam euaſiſſe legimus: In Coacis ſalutarem eſſe icterum 7. 9. 11. 14. Si induretur, ambiguum. Galenus de rat. vict. in morb. acutis, in bilioſa febre ante ſeptimum ictero cum rigore vel horrore ſolui voluit: ſi vero abſque rigore, ἐξω τῶν καιρῶν, lethale. Vbi criticum icterum, ſine tumore, aut inflammatione hepatis, & excretionem conſequentem, horroris vel rigoris nomine intellexiſſe videtur. Plura de his vide apud Altimarum, *cap. proprio de ictero*: & Amatum ſupra hiſtoriam illam, *centur.* 3. *curat.* 40. in quibus locis ad longum hæc res tractatur. Quod ad reliqua ſigna prognoſtica attinet, etiam & hæc adiungere poſſemus: Morbo regio laborantibus (*ſecundum Hippocrat. aphor.* 42. *lib.* 6.) ſi fiat hepar durum, malum: nam & icteritia, quæ à lapide, & quæ à ſcirrho, incurabilis: quidam ferunt & carnem & verrucam in meatibus increuiſſe: Sed & Celſus, auctoritate Dioclis, teſtatur, quod ſi morbus regius poſt febrem oriatur, ex toto proderit, ſi poſt hunc febris, occidet. Icteritia ſi fuerit diuturna, periculum hydropis minatur, potiſſimum ſi vrina etiam diu fuerit aquoſa: tunc equidem obſtructio magna à viſceris frigiditate prouenit. At malum quoque eſt, proſtratum appetitum eſſe & ægrum vigiliis moleſtari, delirioque affici, ſermonemque cum labore formare. Hæmorrhoides vero in hoc morbo fluere bonum. Periculis quoque obnoxius eſt homo, ſi icteritia confirmata laboret, & non curetur, neque materia expellatur: ſubito enim tandem cor aliaue aliqua nobilis pars opprimitur. Vrinæ innatans, quid ſimile orobi grano, malum, & vrina alba, parum tincta, *vide de his Arculan. & Auicenn.* ſed crocea & tincta magis, ſalutem denuntiat. Turgidus venter in regio morbo malus, & valde tumeſcens lethalis magna ex parte, & ſecundum Gradum infectio crocea per tranſennam commiſſuræ capitis anterioris, lethalis, hepate inflammato. Icteritia etiam ſine febre, iuxta Valeſc. in ſenibus pinguibus, raro aut numquam curatur, vt ipſe ſæpẽ expertus, materia craſſa viſcoſa exiſtente. Citrina magna ex parte velocius curatur nigra, & citius generatur ac terminatur. Citrinæ frequentis criſis ſunt ſigna & ægritudinum hepatis, nigræ ſplenis, ſed de nigra latius ſuo loco, quibus ſi hæmorrhoides fluxerint, præcipue in nigra bonum. Sed è ſplene nigra magis diuturna quam quæ à iecore: licet & hæc à iecore quandoque fieri poſſet: *de quibus vide Arculanum*, & etiam de viridi, cum triplicem icteritiam faciat: quanquam lien nunquam progignat icterum flauum. Quantum vero ad curationis rationem ſpectat, ſi ictherici fiant ratione bonæ indicationis (*de quibus nunc agemus*) facile hi curantur (*Galeno teſte* 9. *de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, & Aetio cap.* 10. *lib.* 10.) ex aquarum potabilium balneis, ac olei diſcuſſorij affrictione, & omnibus cutem rarefacientibus, quale eſt anethinum oleum & chamæmelinum, irinum & amaracinum. Similiter, (*vt inquit Actius*) roſmarinus herba, oleo incocta, ipſum plurimum diſcuſſorium facit. Cum his præterea victus adhibendus eſt humidior, qui humorum craſſitudinem moderate attenuare poſſit, *vt eidem Galeno viſum eſt* 5. *de loc. affect. & Aetio præcitato loco.* Quanquam idem Galen. eodem loco præceperit taliter laborantibus, vt aqua, ſuapte natura calida, & cui diſcutiendi vis eſſet, vterentur: ex his namque quidam bonam valetudinem conſequutus fuit, *vt ipſe inquit.* Interea criſis choleræ ad cutem non eſt impedienda, ſed potius adiuuanda aſpectu rerum citrinarum (*vt Arculanus iubet*) & induendo veſtes citrinas, & cum eductione per poros cutis, cum frictione, balneo, & ſudorem euocantibus.

Curatio morbi regij ſi criſis variatione fiat.

OBSERVATIO XIX.

De ictero abſque febre, ſola purgatione & nodulo in ceruiſia dependente & expreſſo & ceruiſia ebibita, curato.

NObilis matrona Kerckweruia, non febricitans, & bene valens, toto corpore croceo facto 17. Sept. die, anno 1587. conſilij cauſa me adiit, cum ſubito ictero correpta eſſet, & excrementa alba & duriora eſſent. His duobus remediis miraculi inſtar ſtatim conualuit: ℞. *ſyr. ex infuſ. roſ. pallidar. cum foliis ſenæ* ℥ i ß. *diacathol.* ℥ ij. *aquæ agrimoniæ* ℥ ij. *miſce.* detur in diluculo. Aluum egregie depoſuit. Mox quotidie ceruiſiam bibens, expreſſo nodulo infraſcripto, in ceruiſia dependente, conualuit: ℞. *marrubij exſiccati* m. j. *rhab. optimi inciſi* ʒ iij. *ſchœnanthi inciſi gran.* v. *croci orientalis gran.* iij. *ſpec. diarhod. abb.* ʒ j. fiat nodulus filo aſtrictus. Ita Margareta Teylingia, cognata noſtra, ex ſolo decocto foliorum buxi in ſero lactis, ſine aliis remediis ab ictero curata fuit.

SCHOLIA.

SCribit Dioſ. ſuccum marrubij è foliis contuſis expreſſum, & ſole coactum, cum vino & melle illitum, oculorum claritatem adiuuare, naribus regium morbum expurgare. Memini anno 1559. mulierẽ nobilem vetulam de Auizaet, in Hagha-Comitis ex ictero laborantem, ex oppilatione cyſtis fellis, admodum diuturno, multis remediis adhibitis & purgationibus, & attenuantibus, & decoctis, per medicos doctiſſimos, non potuiſſe curari; cui continuum vſum ſyrupi & ſucco ſolo marrubij confecti, cum zaccharo, admodum commendaſſem: quo cum die vſa eſſet, ab omni

flauedine icteri, qua per dūos annos & vltra afflicta esset, curata fuit: ita, vt illum syr. pro curando ictero semper in summo honore habuerim. Sic quoque exsiccata herba in nodulo egregie profuit. Laudatur & apud Aëtium cremor absinthij, & succi cichorij cyathi bini aut terni per se aut cum vino poti, & verbenacæ rectæ aut oxalydis decoctū. Sanguinem hic non detraximus; mulier n. pituitosa erat, & catarrhis sæpissime obnoxia. Sed hic videndum, ob auctorū verba admodum varia, num venæ sectione in hoc malo sit vtendum? *In lib. de purgantium vi, sic scribit Gal.* Si, *inquit*, morbo regio laborantibus sanguinem miseris, extremam in perniciem ages. Hoc etiam argumento vtitur *in lib. de atrabile, ad monstrandum medicamenta proprium humorem trahere.* Alias, *inquit*, idem esset ac venam secare. Cur ergo nullus in his venam secare est ausus? Contra hanc sententiam est communis schola. Nam Aëtius, *Duo maxima*, inquit, *sunt remedia, venæ sectio & purgatio. Sed venæ sectio, si sanguis abundet, adhibetur.* Sic etiam Auic. Respondetur, Icteritia secundum se sanguinem mitti non poscit, id est, si nulla eius causa adsit, sed solus affectus mutati coloris, & causa quæ est morbus, scilicet bilis fusio. Hic n. bilis redundantia est: ergo purgatione opus est; hac iuueris; venæ sectione nihil iuueris. Contra vacuantur omnes humores, & 8. *meth.* secat venam in vitiosi succi abundantia. Respondeo, hæc est sequestrata à sanguine: secundo hæc fixa est, non mobilis per venæ sectionem: quare vacuabis sāguinem depuratum. At vbi adsit causa antecedens, à qua continens foueatur, tunc distinguendum est. Nam si ex copia eius in venis, corpus cacochymum erit. Stultum ergo fuerit venam secare, quod ad eam copiam attinet. Si vero copia hæc habet adhuc causam, vt intemperiem, non secabis; at si sit à phlegmone, eius gratia. Si vero copia sit, quia non expurgatur, tunc distinguas, quod non expurgatur ob imbecillitatem; quare tunc sanguinem frustra mittes: aut non expurgatur obstructione, quæ si à crassis & lentis, & sanguis abundet; secato venam: si à scirrho, vel lapidibus non secabis. Viso in quibus sanguis mittendus, nunc reliquam curationem explere oportet. Hæc vero primo vertitur ad causam, *vt Auic. recte inquit*: postea ad iam factum morbum. Si ergo causa fuit naturæ impetus (*vt fuit in obs. 17. præcedente*) in crisi, nihil nobis erit negotij circa causam, sed solum circa affectum derelictum: quæ erit generalis cura. Si vero ex bilis abundantia, vel ex intemperie, purgare bile corpus oportet, & intemperiem sanare. Purgatio ex diaprun. sol. de succo rosarum. Intemperiem sanare supra docuimus, victu & medicamentis. Si sit ex calida intemperie, sine materia, tantum alterabimus, vt recte apud Arculanum & Gradum inuenies; alioqui si vna adsit materia, digeremus, euacuabimus, & malam intemperiem remouebimus. Formulas medicamentorum videas apud eosdem. Si ex immodico calore partium solidarum fiat, vtemur cibis humidis, *auctore Paulo*, & mediocriter refrigerantibus ptisana scilicet, intybo, seri, cichorio, piscibusque, & vino tenui aquoso, frictione, exercitio moderato, balneis, ex aqua potabili tepida. Sed prius distinguere oportet, num ex vniuerso corpore bilis procreata sit; tunc enim neque dolor aderit, neque grauitas circa ilia, nec febris. Idque tamen bifariam esse potest, vel propter solidarum partium calorem immodicum, vel ratione alimenti, quod ipsis distribuitur. Ex vtraque tamen causa propter excrementi multitudinem ictcrus oritur, quoniam cum expurgari nequit, vna cum sanguine per totum corpus defertur. Vna a. ab altera causa distinguetur, interrogatione facta eorum, quæ præcesserunt. Nam si multo tempore calidioribus cibis ac potibus vsus fuerit æger, ciborum vitio tribuenda erit occasio. Vbi vero hæc non præcesserint, ex calida vniuersi corporis intemperie morbum regium excitari, audacter censeto. Eadem ratione, si ex alimento partib. distributo fiet. Fieri a. etiam potest ex veneno, vel aliqua causa externa, citra febrem, sanguine in bilem exagitato, propter corruptionem aliquam peregrinam, ortam ex noxij medicamenti portione, aut venenatarum bestiarum morsu, *Aetio & Paulo testibus*, quod & exemplo probat *Gal. 5. de loc. aff.* cuiusdam imperialis serui, qui viperarum venationi deputatus erat: cum à vipera morsus erat, huic vniuersi corporis color fuit mutatus, adeo vt ori colorem referret: ex quibus causis si fiat, interrogatione astantium & ægri facile cognoscitur. Si igitur ex veneno sit, proptia curatio veneni exigitur. Gal. Theriacen propinauit. Morsu venenosorum intendatur, trahendo venenum exterius, vt culo gallinæ viuentis, & aliis, & emplastris, vt Arcul. iubet. Et partes tueantur *frigidis & sympticis, aqua vos. aceto & succis infrigidantib. propriis, debita adhibita stricturā; & dentur bezoartica propria: & caliditas ac siccitas superflua, impressa* per venena remoueantur. Si intus venenum sit assumptum, adhibeatur vomitus, & secessus, & detur proprium remedium, si cognoscatur, frangaturq; eorum acuitas propriis præsidiis; & membra nobilia tueantur, & extinguatur membrorum & humorum superflua caliditas. Idem iudicium esto de aliis causis primitiuis; & remoueantur causæ corporeæ, tum febres, si adfuerint. Si causa obstructio sit, ea remouenda: quare à venæ sectione humores parabimus, vt scribitur in libr. de vi purgantium, & 1. de natura humana. Hoc a. fit amouendo qualitatem, qua obstruunt, lentorem scil. & crassitiem; quod fit dissecantib. & extenuantibus. Signum a. egregium, quod soluta obstructio sit, est fæces tingi, vrinam vero reddi melioris coloris: quod aliquando fieri sensim videbitis; confertim aliquando, vt in hac nostra Kerckweruia cuenit, in matrona de Auizaet valde sensim. Quæ a. sint deobstruentia, supra abunde diximus: acida, acria, amara, quibus vtemur in cibis & potionibus, quoad possumus; interim & acribus, vti clysmatis: post ea conducent ea, quæ crassam bilem & pituitam purgant: in quibus diaphœnicon maius esse censetur, & elect. de succo ros. pilulæ aur. cum turbith. & aggregatiuæ. in fine & rhab. infusio. Rusticis Iacchinus *succum cyclaminis radicis* propinat *ad* ʒ ij. *cum vino albo*, post horas duas in stupham ducit, quæ & cutis tincturam per sudores purgat; qui etiam crocei visuntur in strigili. Si vero ex imbecillitate vesicæ felleæ sit causa, primum corpus purgabimus, sæpe enim, vbi non adeo crassa est, sola purgatione & meatuum apertione tollitur. Mox victus ratione conuenienti, & potione, quæ intemperiem sanat, curabimus: similiter & extrinsecus admotis. Cum n. icterici sit annexa vesica fellea, vix fieri potest vt imbecilla fiat, quin iecur vna patiatur: quare cura eius erit cura iecinoris. Post hæc ad iam factū malum descendemus, hoc est, bilem ipsam per summā cutem fusam vacuabimus. Id vero fit omnib. quæ ipsam in vaporem soluunt, extenuando, & aperiendo poros, per quos debet expurgari. Optime itaque hic conducunt, quæ cutem rarefaciunt & sudorem cient, vt balnea dulcis aquæ, & frictiones, ex chamæmelo,

3 *De venæ sectione.*

4

De purgatione.

5 *Ex bilis abundantia & intemperie.*

Ex immodico calore partium solidarum curatio.

6 *Signa vniuersi corporis vitio affici.*

Curatio vniuersi corporis vitio affecti.

Signa deobstructionis.

Curatio deobstructionis.

Ex imbecillitate vesicæ felleæ.

Curatio vesicæ felleæ.

7

8

9

chamæmelo, & eius potio (*ante balneum*) ex vino vel aqua mulsa. Vide balneum conueniens apud Rondeletium, & errhina purgantia bilem, si in oculis & facie perseueret affectus. Aëtius anagallidis succo vtitur, nos etiam betæ, vel cyclamini, aut melanthio cum aceto. Acetum vero acerrimum, si naribus attrahat æger in solio desidens, contineatque etiam pressis naribus paulisper, mirifice conducit, Paulo auctore. Addam adhuc exemplum de ictero ex obstructione iecinoris.

OBSERVATIO XX.

De ictero cum obstructione iecinoris.

BArthilda Verlania, mulier me hercle proba, vxor Bartholomæi Teylingij, fororij mei, anno 1551. mense Aprili, in iecore dolebat, sine febre, potissimum in hypochondrio dextro, qui dolor totum diaphragma occupabat, & ad ventriculum vsque perueniebat: ideo ad vomitum procliuis erat: sed nulla aut pauca euomebat: aluus retinebatur, albedine oculorum bile suffusa: & deinde tota crocea euasit. Lotium tanquam croco in eo infuso spectabatur. Dolor etiam ventriculum cum ructib. & ventositatib. infestabat. Ex signis supradictis, cum ad tactum doleret, imo sine tactu, in hypochondrio dextro, dolore satis vehementi, cum grauitate, obstructionem in hepate esse cognoui; ex qua etiam icteritia orta est. Et quia aluus strictior erat, & ructus in ventriculo aderant: illico clysterem iniiciendum proponebam, sed illa abhorrente, ex glande satis acuta (*ex hiera, melle, sale, & diagridio*) subdita, difficulter, & tantum semel, aluum deposuit. Cum morosa esset, & omnia medicamenta respueret, post aluum solutam glande, licet libentius potionem purgatoriam dedissem, ad subleuandum tamen dolorem, hoc fotu coacti fuimus vti, cum & vna cum obstructione flatus admixti videbantur: ℞. *flor. chamæm. meliloti, summitatum anethi an.* m. j. *sem. anethi* ʒ iij. *sem. fœniculi* ʒ ij. *sem. anisi, fœnug. an.* ʒ iij. *coquantur in aqua communi, pro fotu*, & bibebat hanc potionem: ℞. *flor. anethi, chamæmill. scabios. an.* m. j. *sem. anethi* ʒ i ß. *sem. fœniculi, anisi an.* ʒ j. *coquantur in ceruisia communi.* Ructus emittebat quidem ea potione; sed dolor non mitigabatur: quamuis & locus dolens oleo chamæmel. anethino simul mixtis inungeretur. Quo neque dolor cessabat, nisi fotu postea. Et tunc admisit medicamenta, & primo præscripsi hunc bolum: ℞. *cass. recens tractæ, diacathol. an.* ʒ ß. *pul. cinnamomi electi* ϑ ß. *pul. aromat. ros. sine musco.* ℈ iij. *pul. sem. dauci* ℈ ij. *fiat bolus, quo bis aluum deposuit.* Hypochondria oblinebat sequenti vngu. ℞. *dialthææ* ʒ j. *olei lilior. absinthij an.* ʒ ij. *misce, & bibebat decocti artemisiæ* ʒ iiij. *cymini parum pul. incocti* ad ructus emittēdos & ventositates. Verum dolor nondum ex toto mitigatus est; sed magis increbuit: ideo vsi sumus vesica fomentis impleta, & adhibita loco affecto, & sacculo ex iisdem rebus impositō, *& emplastris ex rad. althææ flor. meliloti, chamæm. absinth. decoctis adiectis, mucc. ag. lini, fœnug. & oleo lilior. supraindictis*, omnib. istis nihil iuuantibus. Quare purgationem quoque adhibuimus: ℞. *diacathol.* ʒ ß. *electi. de succo ros. hieræ picræ simplicis diaphœn. an.* ʒ j. *trochisc. de rhab.* ϑ i ß. *agar. trochisc.* ϑ ß. *aquæ fœniculi, bugloss. absinthij an.* ʒ j. *misce*: sumpsit in aurora; & copiose eduxit pituitam. Et tribus magnis ventosis sub stomacho & hypochondrio dextro appositis, dolor incantamenti instar sedabatur. Remanente adhuc grauitate in hypochondrio dextro, sed leui; & dolore iterum, sed non tam graui, subinde redeunte; ad obstructionem tollendam & icterum, hoc decocto vtetur: ℞. *marrubij viridis, cichorij cum toto, dentis leonis cum toto, agrimoniæ, fœniculi, cassutæ, hyssopi, capill. ven. fumar. an.* m. j. *absinthij vtrinque borag. an.* p. j. *quinque rad. aperitiu. an.* ʒ ß. *rad. liquir.* ʒ iij. *sem. fœniculi* ʒ ij. *sem. 4. frig. maior. an.* ʒ ß. *uuar. pass. ab avill. repurg.* p. j. *fiat decoct. in aqua communi, pro* ℔ ij. *addendo syr. de quinque rad.* ʒ i ß. *syr. acetosi compos. syr. de cichorea cum rhab. an.* ʒ j. *misce.* in eodem decocto hic globulus pendebat, filo adstricto, quem exprimebat dum potionem mane hora vj. & meridie hora quarta biberet: ℞. *rhab. selecti* ʒ i ß. *agarici trochisc.* ʒ ß. *Spicæ scbœnanthi an.* ℈ v. *croci orient. zinz. alb. an.* ℈ iij. *crassius contusa in nodulo ligentur.* Et deinde iterum accepit superiorem purgationem in aurora: quæ cum iterum copiose eduxisset pituitam & bilem vitellinam, ab omni dolore liberata est: & corpore exterius magis bile perfuso recte habuit. Interea post medicamenti operationem sumpsit ius pulli ad reliquias abstergendas, & excreuit denuo bilosa. Pro roboratione iecoris sumebat ex tabulis diarrhod. abb. & tandem ab obstructione hepatis, tum ictero, Dei ope, sanata est; cum astantes ob insignem dolorem, quo prius detinebatur, illam pro deplorata habuissent.

Scholia.

VIdebatur hic obstructio esse in concaua hēpatis parte, cum ictero; cum ad vomitum procliuis esset, licet non vomeret, tamen dolor ad ventriculum ascendebat, neque febricitabat, vt filius illius Berosij doctoris apud Amatum *centur. 4. curat. 83.* annos natus quinque, cui & iecur dolebat, & in eius oculorum albo icteritia percipiebatur; cuius lotium eius coloris erat, ac si multum croci in aqua iniectum esset, non nisi ad nigredinem vergens; & stercus album conspiciebatur: cum quibus ventriculus infestus erat, & ad vomitum procliuis; ita vt puer ea, quæ comedebat, sæpe euomeret: si ea tamen retinebat, in putidos ructus, caliditatem extraneam arguentes, incurrebat. Cum quibus omnibus puer hic aliquantulū febricitabat, quæ omnia iecinoris concauas partes obstructas esse declarabant. Ideo pro victu ptisanam cum sem. melonis paratam dedit, aut amyg. cremorem, jusculum pulli; & pro potu hordei decoctum. Et hunc syr. exhibuit stomacho ieiuno: ℞. *syr. de cnd. lupul. ana* ʒ ß. *aq. end. cichor. lupul. an.* ʒ j. *misce*, & iecinori hoc emplastrum appositi: ℞. *far. hord. ros. rub. an.* p. i ß. *absinthij lupinorum chamæm. an.* p. j. *schœnanthi* ʒ ij. *croci* ʒ j. *olei ros. chamæmill. an.* ʒ i ß. *cum decoct. chamæm. & ros. fiat emplastrum*, quo breui optime valuit; adeo vt sexto die epoto pharmaco ex rhab. cum manna, sanitatem integram obtinuerit, stomacho quoque inuncto linimento infrascripto: ℞. *olei coron.* ʒ j. *ros.* ʒ ß. *ceræ parum, ad ignem fiat vnguentum.* At nostra ægra validiora requirebat remedia, cum simul pituita cum bile vitellina eam magis affligeret sine febre.

OBSERVATIO XXI.

De ictero ex oppilatione meatus cystis seu pori fellei, tendentis ad intestina, vnde ingens colicus dolor sequutus, cum fæcum induratione.

MVlier Alcmariana, quæ in platea Diuæ Annæ habitabat, annos viginti septem nata, cum

peperisset, optimè in partu habuit. At puerpera existens, post mensem à partu, cum forte non ex integro purgata foret, nimium cito sese aëri ventoso commisit: vnde ictheritia oborta, ex obstructione meatus vesicæ fellis, tendentis ad intestina: mox subsequutus dolor ingens colicus, etiam circa hypochondrium dextrum, versus partem inferiorem ventris; qui dolor postea ad ventriculum ascendebat, cum tanta angustia & vehementia, vt ab astantibus pro deplorata haberetur. Postquam mulierculæ varia adhibuissent remedia & purgationes, quibus omnibus nullo modo aluus mouebatur, tandem coactæ fuerunt me vocare. Ingressus ad illam mense Septemb. anno 1549. animaduertens huius insignis obstructionis & doloris causam esse materiam biliosam, & pituitosam ac flatulentam, omnium primo eam tollere decreui, nempe enemate infrascripto; cum illa quoque fateretur, se ante partum ictheritia laborasse; ac nunc multo grauius, cum fæcum indu ratione: & quod in partu minus purgata fuisset: vnde malum ita auctum. Tale erat enema. ℞. *parietariæ, malvæ cum toto, mercurialis, artemisiæ, centaureæ minoris, folior. viol. an.* m. j. *melissæ florum chamæm. meliloti ana* p. j. *sem. lini, fœnug., anisi, carui, ameos, petrosel. communis & macedonici an.* ʒ j. *coquantur in aqua communi pro* lb j. *adde cassiæ pro clysteribus, electuarij, hieræ picræ an.* ℥ ß. *benedictæ laxat.* ʒ vj. *olei amyg. dulc. chamæm. an.* ℥ j. *olei scorpionis* (cum & lotium non bene redderet) ℥ ß. *salis communis* ʒ j ß. *misce.* Bis excreuit: primo squibalas duras, ac excrementa alba; secundo vero paulo liquidiora, cum exigua alleuiatione. Deinde vt hoc decocto vteretur mandaui: ℞. *melissæ, inæ muscatæ, chamæpityos, cichor. end. marrubij an.* m. j. *menth. rubeæ* (ob dolorem stomachi) m. ß. *flor. chamæm. flor. cord. an.* p. j. *flor. ros. rub.* (ad hepatis & stomachi roborationem) p. ß. *cort. rad. fœniculi, apij, petros. an.* ℥ j. *liq. vasæ* ℥ ß. *semin. anisi, coriand. præparati, agni casti, carui an.* ʒ j. *calami arom. incisi* ʒ i ß. *cicerum rub. cassuæ an.* p. j. *hordei communis* p. j. *fiat decoct. in aqua communi pro* lb i ß. *stent per noctem supra herbas, colaturæ adde syr. de artemis. de scolopend. de cichor. cum rhab. an.* ʒ j. *syrup. de byzantiis* ℥ ß. *misce.* bis in die ex eo sumebat. Sed cum rursus dolor vrgeret, hoc fotu vsi sumus: ℞. *flor. chamæm. meliloti, absinthij, menthæ an.* m. j. *flor. ros. rub.* p. ß. *sem. anisi fœnug. lini an.* ʒ ij. *fiat decoct.* in aqua communi pro fotu, fiat fotus cum spongiis, vt artis est. At cum dolor nec eo sedaretur, à decocto suprascripto hanc purgationem exhibuimus (licet post fotum locus dolens inungebatur cum oleo chamæm. aneth. ros. simul mixti) ℞. *elect. de succo ros.* ℥ ß. *rhab. selecti pulveris.* ℈ j. *spicæ incisæ & subtiliter pulveris.* ℊ iij. *diag.* ℊ ij. *cum aqua fœnic. lupuli, melliss. an.* ℥ j. *fiat potio.* quæ satis fortis in puerpera: sed viribus bene constantibus, & cum iam per mensem à partu progressa esset, optime tulit. Oportet enim in ictero ab oppilatione meatuum, forti vti purgatione. Quam equidem cum mane in diluculo sumpsisset, septies aluum deposuit: & tunc vrinam valde tinctam reddidit; quæ & postea magis incrassata est, & crocea euasit, vsque ad nigredinem. Et ideo rursus adhibito fomento, non tantum dolor sedatus est; sed ægra ab ictheritia liberata, & pristinæ sanitati (*quamvis ab astantibus pro deplorata habita*) restituta est. Sed quod iam mente fere exciderat; à purgatione cepit cyathum iuris pulli, pro medicamenti absterſione. Aliqui solo decocto rad. chelidoniæ curati dicuntur. Quo & feliciter vsus sum in muliere, in parte Orientali Delphis diuturno ictero affecta.

Scholia.

PRo curatione huius mali, illud dictum Rhasis 7. Continentis circa principium, cap. de ictheritia, diligenter considerandum puto, quod ipse ab alio medico magni nominis audierat, hoc ipso affectu nullum deteriorem esse, si eius curatio dimitteretur, vel in ea leuis error committeretur, cum vidisset multos hac ratione extinctos. Et ita non fuit mirum, quod hæc mulier, neglectis optimorum medicorum remediis, perperam mulierc ularum pharmacis nescio quibus vtens, in summum discrimen peruenerit. Et ideo vulgus in remediis ictericorum facile fallitur, cum non vna sit causa huius mali, vt diximus, sed varia: quæ inprimis animaduertenda atque tollenda; & demum affectum amouere oportet. Vbi enim diu durat ictherus, facile in peius vergit: cuius exemplum habes apud Amatum, *cent. 1. curat. 83.* de morbo regio, ictero dicto, ob crurum vlcera quædam occlusa eueniente, & postea in dysenteriam cruentam permutato, deinde in mortem, ob hepatis debilitatem. Et sicuti in puerperis hoc malum graue est, ita & in grauidis magis: quibus si forte eueniat, vt aliquando euenire solet, à fortibus purgationibus & aperitiuis abstinendum est. Rondeletius hic præscribit victum optimum, & hoc medicamentum carpis & pedum plantis admouet; quo sanitatem pollicetur: ℞. *folior. visci quercini* m. ij. *chelidoniæ, marrubij an.* m. ß. *contundantur in mortario, addito pauco vino, & applicentur.* Ego tamen in illustri Domina de Schagen, anno 1548. cum in vltimo mense partus ictheritia citrina laboraret, ac iam fere tempus pariendi instaret (quod etiam ad facilitandum partum faciebat, & ad ictheritiam) hoc sequenti vino Hippocratis dicto; seu clareto, cum non febricitaret commode vsus sum. ℞. *marrubij, pulegij, capill. ven. verbenæ, artemisiæ an.* p. j. *calami arom. incisi* ʒ i ß. *croci orientalis* ℈ j. *cinnamomi selecti* ℥ ß. *cum zaccharo & vino Rhenensi albo.* fiat claretum secundum artem, pro pinta vna. Et sumebat mane ex eo cyathum vnum, & meridie hora quarta alterum. Eo cum vix vsa esset per quinque aut sex dies, feliciter peperit, & ab ictheritia in totum liberata est. Verum quia omnia aperitiua, vti & hæc erant, menses euocare possent, & partum immaturum ad exitum promouere, vt sequeretur aborsus; ideo hæc nullo modo competerent, nisi circa finem, cum partus instat, vt felicius procedat, vti hic euenit.

4 Rondeletij experimentum in muliere grauida ictheritia laborante.

OBSERVATIO XXII.

De ictero nigro.

VIr quidam in via molitoria Delphis habitans, cum per duodecim fere annos quartana laborasset (*quod multis portentosum esse videri potest*) totus niger euasit. Deinde cum nigro ictero etiam longo tempore cum quartana affligeretur, neque ab eo, neque à quartana liberari posset (*quem quatuor annos, cum iam octo annis quartana laborasset, à plenitudine curaueram, quartana deinde post 14. diem à pleuritide curata redeunte*), consului, vt bona victus ratione vteretur, neque amplius medicamentis se ipsum conficeret. Verum postea contra nostrum consilium, cum vxorem ad me misisset, cui interdixeram ne empiricis fidem haberet, forte fortuna inciderat in Ægyptium quendam medicum (vt nostri vocant) qui illi pollicebatur ex vna potione sanitatem: qua cum

cum esset vitæ pertæsus, die sequenti à potione exhibita obiit.

Scholia.

2 QVamuis ictherus niger ad lienem pertineat, hic tamen etiam de eodem malo aliquid commentabimur. Cum enim amara bilis seu citrina, auctore Gal. 3. de caus. sympt. à vesica iecinori incumbente expurgetur; ita nigra bilis seu melancholicum excrementum à liene expurgatur, eod. Gal. teste, *loco citato, & 2. de natur. facult. & 4. de vsu partium.* Tertium vero in venarum concoctione excrementum expurgans renes, nempe per lotium. At nunc loquimur de nigra bile; quæ si non separetur; succedit symptoma à Paulo c. 49. *lib. 3.* μέλας ἴκτερος, hoc est, niger ictherus, seu ater morbus regius appellatus. Qui nihil aliud est (*vt ex eodem auctore colligitur*) quam delatio quædam sanguinis impuri, non expurgata ab eo nigra bile, in vniuersum corpus; vel proprij instrumenti expurgantis imbecillitate, vel iis per quas expurgatur quomodocunque obstructis, vel ratione ipsiusmet excrementi, cum immodica fuerit eius quantitas: Lienis actionem, tum eius vsum vniuerso corpori commodum, habes & 2. *de nat. fac. 4. de vsu partium, & 9. de com. med. sec. loc. & 6. de loc. aff.* In ictero nigro totum corpus nigricat, & vlcerum cicatrices nigræ, 2. *de fac. natur.* suntque nigriores quam ab hepate 5. *de locis affectis*, & apud Paul. Lienem affectum esse notat dolor sub siniſtro hypochondrio, teste Aëtio *cap. 7. lib. 10.* aut adest distensio, aut grauitas, seu tumor. Estque hic affectus symptoma in genere affectus corporis, & in eorum numero, quæ visibilia dicuntur, ac totius corporis, *lib. de diff. febr. & 3. de sympt. caus.* Hoc vitio affectos sequitur tristitia præter rationem, & mordacitas eorum, quæ circa ventrem sunt, difficultasque spirandi: cibos auersantur & nigra lotia excernunt: aliquando autem & per quædam interualla corpora ipsorum tepescunt: ſtercora vero chalcanti colorem referunt; & aluus resiccatur, vt liquet ex Aëtio, c. 17. *lib. 10.* Inter omnia signa præcipuũ existit, ater vniuersi corporis color. Si sit ex obstructione meatus, adest grauitas & distentio; vel etiam dolor lienem exercebit. Si sit ex attrahendi potentiæ imbecillitate, cunctæ intemperantiæ causæ esse poterunt, cum simplices tum compositæ. Fusissime distinguuntur causæ ab Aëtio c. 14. *lib. 10.* ab his, quæ eduntur, bibuntur, & ex eis, quæ forinsecus cuticulæ iuxta siniſtrum hypochondrium accedunt: vbi etiam declarat num conferant vel lædant calida seu frigida. Frigida intemperies ab omnibus frigidis læditur, & calida iuuant: contra fit in calida intemperie. Si ex inflammatione splenis vel scirrho ater morbus regius excitetur, ex proprijs signis indicatur, vt libro sequenti docebimus. Si fiat ex eiusdem excrementi vitio, ex victu prægresso melancholico dignoscetur, siue ex signis frigidi ac sicci hepatis. Quandoque etiam vtroque viscere laborante regius morbus euenire poterit, vt sequenti exemplo ostendemus, nigriore quam pro consuetudine veri morbi regij, subsequente colore, ita vt putaretur flaua bilis fuligini esse permixta, vt Gal. inquit, 6. *de loc. aff.* aderuntque indicia indifferẽter affecti tum hepatis tum lienis. Quod vero omnino grauius afficiantur ij, in quibus atræ bilis humor vna cũ sanguine ad cutem est delatus, quam in pallida, ab Aëtio scriptum est c. 17. *lib. 10.* Idem ater morbus regius, si diu perseueraverit, nec obsequatur medicamentis adhibitis accedat,

Curatio.

Quid sit ictherus niger frequenter morbus regius.

3 Signa lienem affici.

Signa affectus præter naturam sit ictherus niger.

Signa eiusdem.

Signa causarum.

Ictherus niger grauida ictheritia.

Prognostica.

SCHOLIA.

3 AB vtroque viscere etiam atrum posse euenire icterum, diximus. Et quia hæc matrona quartana laborauerat, tam ex liene, vel potius vitio totius euenisse potuit hic icterus, quam etiam vitio hepatis, cum & in hypochondrio dextro magis doleret. Cum autem morbus regius ater ex intemperie jecoris aliquando euenire possit, sine liene affecto, tunc corporis minus atro colore tingitur: nam si à solo liene, totius corporis admodum niger erit color. Verum hic & lien afficiebatur, ob quartanam præcedentem. At vbi vtrisque simul viscеribus laborantibus contingit, hanc icteritiam nonnulli viridem appellare solent, cum ad viriditatem color inclinet subinde, iuxta Auicen. tum Arculanum, qui eundem sequitur: & vocatur icteritia viridis, ex participatione icteritiæ citrinæ & nigræ: vti etiam istis diebus vidimus in puella, quæ tanto pallore conspiciebatur, vt viridis appareret. Verum vbi icteritia nigra vna cum citrina iungitur: & ab vtroque viscere tum bile flaua ac atra fit, si adsit repletio totius, vel secundum hepar, vel secundum lienem, vena secanda erit vtriusque cubiti interna, vel in manu, vt alij volunt, modo de vna, modo de alia, alternis diebus; & pro ratione redundantiæ alterius bilis, ac magnitudine affectus alterius viscеris, maior ex vno quam ex altero cubito quantitas sanguinis exhauriatur: quanquam semper eadem venæ sectio moderata esse debet. Sed in hac matrona, quia diu laborauerat quartana, cui in principio vena secta fuerat, venam nunc non secuimus, neque huic puellæ laboranti viridi ictero, in cubito aut manu venam secuimus, sed potius in talo, cum menses restricti essent, cui etiam dedimus à venæ sectione infusum rhab. cum decocto senæ. Deinde, ex mente Hollerij, cum eiusmodi virginibus talis fœdus color oboriatur, dabimus purgationem, *ex hieræ picræ* ʒ i ß. *cum aqua alkekengi, cassiæ, end. & oxymelite, vel hieram picram cum rhab. & agar. trochisc.* Vide eundem. Verum sicuti hic victus ratio communis esse debet vtrique viscеri conducens: ita & purgatio vtrumque suecum aspiciens dari debet, *eisdem succis prius præparatis syr. de succo fumar. cichorij, oxym. cum aqua borag. lupul. end. & cassiæ.* 5 Deinde purgandum cum infuso rhabarb. senæ, epith. vel diacath. & diasenæ. A purgatione vtrique viscеri consulendum, magis autem aut minus vni, vel alteri, prout vnus viscеris affectus, vel alter magis vrgebit: nunquam tamen altero neglecto. Quod etiam de emplastris, linimentis, vnguentis, fotibus, intelligendum est, tam roborantibus intus vel extra admotis, vtrique viscеri conuenientibus, simul mixtis, modo vni, modo alteri magis conuenientibus. Absoluto itaque icteritia viridis, vel mixta ex vtroque humore, & vtroque viscere. ictero, nunc progrediamur ad alia symptomata, nempe cachexiam & hydropem, licet vtrique viscеri quandoque cōmunia, sed præcipue hepati, cum sine hepate affecto non contingant; quamuis ab aliis membris etiam incipere possint, sed non absque hepatis consensu, cum hepar sanguificationis organum (*vt iam sæpe dictum est*) existat.

4 Curatio.

OBSERVATIO XXIV.

De cachexia.

1 VIr quidam Alcmarianus, annos quadraginta excedens, in autumno post febrem erraticam crura habebat valde inflata: quæ quidem inflatio à pedibus incipiebat & tibiis: mox & femora, deinde & totum quasi corpus, tum faciem ipsam, & palpebras ac labia & gingiuas, occupauit, quæ omnia ad albedinem declinabant: ita vt totius corporis moles augeretur, & simul ad colorem album declinaret: & tandem testes quoque inflarentur. Hunc vero præ manibus habebat empiricus: qui cum curare eum non posset, tandem aliqui ex amicis me ad ægrum deduxerunt. Cum vero animaduerterem huius corpus non aliter inflatum esse quam pastam fermentatam (*quemadmodum Serapio medicus ille antiquus dicebat*) in qua digiti impressi manebant; hunc cachexia correptum esse intellexi. Cui, cum nauta esset, & non diues, iussi vt continua potione absinthij in ceruisia communi decocti vteretur, egregie enim prodest: & vt hæc simplicia, *nempe hyssopum, saluiam, absinthium, iuam artheticam, agrimoniam, cassutam, marrubium, ceterach, & rad. ebuli, ireos in vino decoqueret, & vt eluum purgaret cum* ʒ ß. *diaphœnici: mox dialacca, diacurcuma, & theriaca* vteretur, sed & hoc decocto prius præscripto. ℞. *cort. rad. apij, ireos, ebuli an.* ʒ j. *rad. bryoniæ* ʒ ij. *rad. inulæ* ʒ ij ß. *hyssop. capill. ven. cuscutæ, agrimoniæ, absinthij vtriusque an.* m. j. *follic. senæ* ʒ i ß. *agarici fœm. albi & leuis, rad. esulæ an.* ʒ ß. *zinz. albi, cinnamomi selecti, schœnanthi an.* ϑ ß. *rhabar. selecti* ʒ j. *spicæ* ℥ v. *prun. damasc.* (quia durioris alui) *nu.* xv. *uuar. passi. ab avill. repurg.* ʒ j. *liquiritiæ rasæ* ʒ ß. *sem. anisi* ʒ iij. *sem. carthami* ʒ i ß. *sem. genistæ* ϑ ij. *fiat omnium decoct. in sero lactis, pro* ℔ i ß. *col. zacch.* dulcoretur. Ex quo modo semel, modo bis in die sumens cyathum vnum, quotidie quinquies aluum deponebat. Et mox cum theriacam, & alia iam dicta sumpsisset, præter spem conualuit.

SCHOLIA.

CVm vniuersus corporis habitus, quasi in aquositatem diffunditur, affectus quidam oritur à Græcis κακεξία, à Latinis malus corporis habitus dictus; principium hydropicarum passionum, teste Paulo c. 47. *lib.* 3. existens. Vniuersa corporis miscella laxior fiet ac emollescit, vt Aët. refert c. 19. *lib.* 10. Vnde non vna duntaxat pars, sed totius corporis habitus oblæsus, nempe illæ partes, quæ oculis primæ subjiciuntur, & musculi, & quæ ossa ambiunt, & cutis. Corpora inflantur, quæ prementi digito cedunt, tumens facies, genæ, pedum manuumque digiti. Cuius rei causam in quæstionibus Arist. percontatus est, dicens fieri ex naturalis caloris imbecillitate aut alimento impuro, quod facile corrumpatur: vnde à membris abominabile rejicitur, neque ob eam causam vnitur: sed tanquam virosum respuitur, & ad inferiora repellitur. Addunt alij & humoris grauitate id effici, aut quod motib. pedes magis defatigentur, & à caloris fonte remotiores sint. Faciem namque & genas, quod rarioris materiæ sint, ob id facilius inflari; & humoris glutinosi materiam non facile ab exiguo calore consumi. Scrotum interdum & inguina tument, vt huic viro: vrina vix demittitur, ac sudor ferme nullus apparet; venter deinde inflatur, & vlcera, si quæ innascuntur vix coalescunt; lente & grauiter ambulant. Vniuersum etenim corpus (*vt refert Aetius*) virore albicans redditur, ac inualidum; ita vt crura interdum vacillent: & in principio quidem concoctiones impediuntur, manente etiamnum appetitu; postea vero & fastidium accedit; & respiratio ipsis fit rara ac debilis,

lis, quæ motibus & actionibus condensatur: aluus etiam inæqualia recrementa excernit. Aliqui, vt Donatus hunc affectum præter naturam propter intemperantiam frigidam & humidam, ad morbum referunt; vel ad symptoma, respectu coloris totius habitus. Et ita secundū alios est morb. frigidus materialis ac humidus, ex iecoris infirma digestione, sanguinem aquosum generante, qui membris legitime agglutinari non potest: vnde membra præter naturam intumescunt, ac præmollia efficiuntur. Quæ quidem totius corporis immodica refrigeratio ac mollities, ex nulla alia re, quam ex sanguificationis defectu prouenire poterit: quæ vbi immodice amplius augeatur, generandi hydropis causa erit, vt dicemus de hydrope. Et propterea Paulus principium aquæ inter cutem appellauit hanc affectionem: & Arabum princeps Auicen. dispositionem antecedentem hydropisin: quo fit, vt neque generari idem malus corporis habitus possit, nisi & iecur ipsum siue primario, siue per consensum fuerit affectum, ac imbecillum redditum, propter frigidam eius temperaturam: ob quam sanguinem optimum generare nequit, ac pro nutrimento vniuerso corpori eum suppeditare: sed ipsum frigidiorem, serosiorem, & (*vt ita dixerim*) magis pituitosum generat ac distribuit. Et propterea (*vt inquit Aetius*) vt plurimum hæc affectio ex longo morbo congregatur, aut ex viscere, quoniam in scirrhum indurato consequitur: maxime hepate & splene: neque raro in dysenteria diuturna, & affectionibus cœliacis contingit, item ob consuetam aliquam cohibitam exeretionem. Sæpenumero euenit ex immodica sanguinis profusione, in viris præsertim per hæmorrhoides, aut in mulierib. per menstruas purgationes: quemadmodum & aqua intercus generari consueuit. Et (vt in vniuersum dicam) quæcunque causæ iecur ipsum, ac vniuersum habitum infrigidare valent, siue internæ, siue externæ fuerint, huiusmodi affectionem generare poterunt: quas dignoscere haud difficile erit, tum ex te ipso, tum etiam ex laborantium seu astantium loquela. Quæ inquam, omnia exemplis clariora euadent.

Quid sit affectus præter naturā.

Causæ.

6

OBSERVATIO XXV.

De cachexia ex mensibus retentis: & de altera, ex nimia mensium profusione.

1 ANno 1546. mense Aprili, cùm ex Gallia in patriam rediissem, Cornelia Ioannis, cognata mea, ac filia auunculi mei, cum cachexia aliquandiu laborasset, & de hydrope metus esset, & cum toto corpore pallida esset, ac mollitiem contraxisset, ob menses retentos, vix respirare potens inter ambulandum: cum me in consilium adhibuisset, hunc syrupum omnium primo exhibui: ℞. *oxym. squillitici* ʒ i ß. *aquæ meliss.* ʒ iij. *misce, capiebat vnica vice.* Deinde eandem purgaui hoc modo: ℞. *diacatholici* ʒ j. *benedict. laxa.* ʒ ij. *cum* ʒ iij. *decoct. absinth. matricariæ, artemisiæ, fumariæ, summitatum lupul. end. cichorij, addendo mellis ros. colati* ʒ j. *misce, fiat potio,* qua quinquies aluum deposuit. Mox vena saphena dicta in talo aperta, mediocriter sanguine effluente: & ebibito decocto *artemis. flor. chamæm. sabin. in vino Rhenensi, adiecto zacch. & pauco cinnamomo,* ad modum clareti, mensibus apertis: & sumendo dialaccam & diacurcumam in tabulis, curata fuit: etiam cachexia in totum euanescente: adeo vt non diu post viro nupserit, ac mater deinde multarum prolium effecta fuerit. At vxor magistri Theodorici, prope templum nouum Delphis habitans, contraria causa in cachexiam, mox & in hydropem leucophlegmatiam incidit, cum per tres fere annos insigni mensium profluuio fere continuo laborasset, quamquam per nos subinde restringerentur bonis præsidiis ac diuersis: sæpius tamen proluuie illa redeunte, ad extremam debilitatem deuenit, & hepate valde refrigerato & debilitato cachexiam incurrit, tandemque & hydropem, ita vt postremo pro deplorata haberetur, pedibus supra modum intumescentibus etiam facie valde inflata, vt postea neque incedere posset. Variis per me adhibitis remediis attenuantibus & vrinam cientibus, & ad hydropem facientibus, etiam post vniuersalia remedia, & quæ aquam dicerent & ad renes diuerterent materiam aquosam, subinde exhibui dialaccam & diacurcumam: quo factum est tandem, vt multam materiam, aquosam per lotium continuo effuderit. Ad pedes supra modum tumidos & magna mole inflatos, ac œdematosos, vt hoc balneo vteretur mādaui: ℞. *folior. sambuci, sampsuchi, seu maioranæ, flor. chamæm. manæ, flor. rorismarini, vna cum floribus, saluiæ, foliorum lauri an. q. s. cummi parum contusi, salis communis an.* p. iij. *fiat omnium decoctio in aqua & aceto acerrimo.* Mane balneo sic parato, in cupa mediocris magnitudinis vimen intertextum instar cancellorum supra vas vel cupam ponebatur: & pedes nudi supra eandem cupam vel vimen intertextum positi. Et vestibus vndique circumcinctis, fumum hoc modo ex vase euaporante recipiebat: & sic poris apertis sudor prouocabatur. Et postea in eadem aqua pedes balneabantur. Quod quidem omni mane, stomacho ieiuno pluribus diebus fiebat. Deinde postea, cum pedes, crura & femora detumescerent, in eodem balneo immissis & demum exsiccatis fasciis circumducebantur: quod cum continuaretur per aliquot dies, crura œdematosa miraculi instar detumuere: & paulatim non solum à cachexia; sed & leucophlegmatia, remediis ad hydropem aptis, & hæc probe curata fuit, & nunc etiam recte valet, quæ ab omnibus pro deplorata habebatur. Viuit & hoc tempore, anno 1594.

SCHOLIA.

QVi autem ex nimia profusione mensium cachexiam incurrunt, facile in hydropem incidunt, vt in hac vltima muliere (*quamquam eua. genetica. serit*) contingit. Si n. cachexia à stomacho & intestinis ortum habere videatur, tympanitem imminere demonstrat: si à felle, & à liene aut renib. ascitem portendit: si à venis demum ac aliis membris inique nutrientib. corpore tumorib. inæquali, hyposarcam denuntiat affectus initium. Capiuntur quoque hac affectione maxime senes (*teste Aetio*) qui etiam maxime liberantur: imo & pueri, qui facile pereunt, propter vitalis firmitatis debilitatem, & quod succi facile ob raritatem cutis in eis transpirant. At qui in vigore sunt, raro in hoc malum incidunt, & facile se extricant. Cum myrach & venter inflatur, in ascitem terminati volunt quidam; & vbi testiculi inflantur: alioqui vbi totum corpus in molem accrescit, in hyposarcam. Ideo non negligenda erit huius affectus curatio, *vt dicebat Aetius*: nam si diutius protelabitur, in aquam intercutem transit. Quidam aiunt, quod facile curetur malus corporis habitus, nisi pendeat à causa incorrigibili, vt à pulmonis apostemate, aut aqua retenta in eo,

4 Signa procognostica.

5

vel ab hepatis aut ventriculi apoſtemate,& ſimilib. quibus & nos addere poſſemus,niſi & ab alicuius viſceris ſcirrho confirmato originem traxerit. Curatio cachexiæ eadem eſt cum hydropis curatione, vt Valeſcus adfirmat: quare & ægrum retinet in ſumma abſtinentia. Ita ſi conſueuit comedere in prandio vncias ſex panis, tres tantum exhibet: & ſi conſueuit bibere quatuor metretas vini, duas tantum propinat: iubetque ægrum à menſa cum fame & ſiti ſurgere. Sed hic cauſa ſpectanda, num vires prolapſæ ex profuſione: tunc ægrum aliquando ob imbecillitatem nutrire debemus: cum cibis tamen etiam nonnihil attenuantib. In genere, aer eligendus ad calidum & ſiccum vergens: in frigido n. & humecto cœlo habitandũ non eſt. Eadem de cauſa frigidæ humidæque tempeſtates obeſſe creduntur, ſomnus moderatus ſit ac nocturnus, longus a. atque diuturnus omnino vitetur. Moderatis deambulationibus, geſtationibus, vociferationibus & frictionibus ſiccis per linteolo ex lino crudo vtendum. Poſt quæ & exercitamenta moderata conducunt, eodem Aëtio teſte. Mœror quoque & otium vitanda ſunt: neque à cibo ſtatim ambulandum, niſi lente ac ſuauiter. Venus damnatur. Iuuat exinanito corpore ſubiraſci interdum. Marinæ præterea natationes iuuant, nitroſæ ſulphuratæ ac aluminoſæ, vt Ægineta aliique ſcripſerunt. Conuenit & thermarum vſus: ſed caueant à balneis egreſſi ſtatim frigidam ſuſpectam haurire. Nec non arena littorũ maris præcipue tenuis, & ſolibus candens, in medicina eſt ſiccandis corporib. coopertis cachecticorum, hydropicorum, aut rheumatiſmos ſentientium. Sed velare caput à ſolibus neceſſe eſt; egreſſi pariter ab arena, frigidam non bibant, neque cum cibum capiunt. Alius humecta ſit, natura vel arte, cum clyſterib. ac glandib. Damnantur cibi potuſque difficilis concoctionis, qui oppilant, quique praui ſunt alimenti. Cibi igitur eis offerantur ſimplices, & qui facile concoqui poſſunt, optimumque ſanguinem gignere. Inter obſonia perdices, auiculæ: inter quas alaudæ, luſciniæ & ſimiles iis laudantur: ſicuti turtures, phaſiani, columbacei ſyluestres, & palumbes pulli, quib. cinnamomum, caryophillum apte inſerimus, aut crocum: exiguo addito maſtichis. Inter hortenſia, pro plebe, porrum, ſinapi, allium prodeſt commanducatum: & quicquid ſummatim attenuat, aperit & deglutinat, ex cauſa frigida: in iis omnibus temperamentum quærendum eſt. Inter tragemata id vtile eſſe prædicant. ℞. *piſtaciorum* ʒ ß. *paſſul. aniſi ana* ʒ i ß. *maceris* ʒ i ß. *cinnamomi* ʒ ij. *zacch.* ℔ ß. Vinum autem conuenit eis *album, tenue, & odorum*, vt liquet ex Aetio, Aquæ potus omnino vitandus erit. In vniuerſum, victus ſit tenuis & ſiccus, vt inquit Paulus. Verum diæta vniuerſa virib. reparandis ſit apta: per quam (*vt refert Aetius*) ſpes eſt, eos qui hoc malo ſunt impliciti, ad reſtitutionem in integrum peruenturos. Quod ad reliqua præſidia attinet, varia perhibenda prout cauſa ſit varia. Si conſuetæ excretiones ſint retentæ, ex iis ſi oriatur affectio, ſunt prouocandæ & irritandæ, iuxta Aëtium: qui venam incidit in cubito, ſi nihil ſit quod id fieri prohibeat: paulatim, partitis vicib. per triduum ſanguinem detrahendo, eod. Aëtio & Paulo teſtibus. Nos potius in noſtra prima muliere in talo venam ſecuimus, cum affectus ex menſibus aſtrictis originem haberet. At ſi venæ inciſio impediatur, aut vitioſorum copia laborant ægrotantes, ipſos purgare oportet (*relicta venæ ſectione, quæ eiſdem noxia eſt*) non ſemel duntaxat, ſed ſæpius ac paulatim, vbi vſus poſtulabit, prius præparatis & attenuatis humoribus per decocta & ſyr. conuenientes: cum ſyr. byzantino, cum aqua agrimoniæ & ſeris, ſi cauſa adſit feruens, alioqui ſyr. de eupat. cum aqua apij & petroſ. deinde ſi materia ſit cauſa, cum hiera picra, cum rhab. myrob. agarico, prout materia exigat. Non deſunt qui & hic vomitum laudant, ex ſyr. acetoſo infuſo cum raphano. Sed vehementiora catharctica vitanda ne ſtomachum lædant. Demum aperientib. & vrinam cientibus, & nonnunquam vehementibus clyſterib. opus eſt. Valde hic commendant (*vt Paulus*) abſinthij decoctum. Si à cauſa calida vitium oriatur, calida frigidis permiſcenda, cum iis, quæ aperiunt & iecoris vires confortant: ob eam cauſam ſpecies diarrhod. cum nouitia roſacea ac dialacca, pro commiſti humoris coniectura, temperabis: & cum zacch. tragemata conficies, cum eupatorij aqua, ſeris erraticæ portione, mane & veſperi dabis. Ex frigida cauſa diaſpermon, cum dialacca mane & ſero, cum apij aqua & eupatorij. Eadem aliquando huius cura eſt, quæ imbecilli hepatis, eademque cum affectu, quem præcedit, & quem ſequitur: vt ſi cachexia ſequatur ſcirrhum, & vergat in hydropem, tunc victus ſatis ſit exſiccans & attenuans. Exſiccandum quippe ob humiditatem incipientem, aut ſerum, quod eſt factum ab intemperie & imbecillitate hepatis; attenuans a. vt ſemper huius affectus cauſa oppugnetur, ne ſcilic. materia craſſa ſcirrhum faciens gignatur. Eadem eſt ratio medicamentorum. Sed tum habitus vertitur in aquam, magis digerentibus, quam humidis emollientibus, magiſque farinis ſiccis, quam fotibus & oleis, vel decoctionibus, vtemur. Si cachexia fuerit ab immodica ſanguinis euacuatione, corpus reficiendum humidis: partes refrigeratæ calfaciendæ, & habitus corporis ſiccandiuis. Cuius exemplum poſtea adhuc vnum adiungemus. Quod ſi fiat ex ſanguinis retentione, hæmorrhoidas aperimus, corpus leuiter laxamus: ad quas omnes cauſas his pilulis cum magna experientia vtitur Rondeletius: ℞. *pul. dialac. vel diacur.* ʒ j. *rhab.* ʒ ij. *diarrh. abb. diagal. an.* ϑ j. *cum ſyr. de abſinth. fiant pilulæ paruæ, capiat quarto quoque die pilul.* 4. *mane.* Quod ſi affectus hic ſit cum intemperie calida, aut fluxu immodico, fiat, vt ſequitur, pro febre ſic: ℞. *trochiſc. de rhab.* ʒ ij. *rhab.* ʒ j. *agar.* ʒ ß. *pul. diarrhod.* ϑ j. *cum ſyr. capill. ven. fiant pilulæ; capiat ſex his in hebdomada mane: ſuperbibendo aquæ end. cich. ana* ʒ j. Si febricitant, magis conueniunt ſyr. quam pilulæ. Sed qui tam diu vſi ſunt ſyrupis, his minus moleſtæ. Syr. conuenientes ſunt de bizantiis, de eupat. capill. ven. end. compoſ. vel de cich. cum rhab. vel end. addendo rhab. idem præſtabit. Si cum fluxu immodico ſit affectus, pilulæ ſic fiant: ℞. *myrobal. citrin. cheb. indo. ana* ʒ j. *confricentur cum ſucco roſ. rhabar. electi* ʒ ij. *diarrhod. ab. & trionſ. an.* ʒ ß. *cum ſyru. capill. ven. fiant pilulæ. capiat duas mane in exitu lecti.* Poſt harum vſum fere in omni cauſa conuenit opiata ſequens: ℞. *ciner. pellis ventriculi & inteſtinorum gallinæ an.* ʒ ij. *cineris cancrorum marinorum, lotorum ante & poſt vſtionem,* ʒ j. *conſerv. flor. cichor. capill. ven. an.* ʒ j. *pul. arom. roſ. diagal. an.* ʒ iij. *cum ſyrup. capill. ven. fiat opiata* (quando intemperies calida ſeu febris adeſt, diarrho. & pul. trionſ. loco aliorum ponatur) *capiat ſingulis matutinis.* Quod ſi aqua euacuata ſit, ſuperbibat parum vini diluti aqua graminis & aſparagi. Si adſit caliditas, aqua cichor. & end. Si refrigeratio, aqua abſinth. & menthæ. Si fluxus, aqua capill. ven. & abſinthij. Liniuenta ſupra hypochondria, ſunt, quæ ex roborantibus iecur confeciuntur. ℞. *olei de abſinth. nardini an.* ʒ j. *olei cydon.* ʒ ß. *ſpicæ vtriuſque an.* ʒ ß. *cyperi, ſantali rub. & albi an.* ϑ j. *coralli rub. vſti* ϑ ii ß. *ceræ q. ſ. fiat vng.* Vtatur optima victus ratione, exercitio, niſi fluxus immodicus ſit. Tunc enim frictiones fiunt in contrariam partem.

Medicamentorum.

Victus ratio.

Venæ ſectio.

Purgatio.

OBSERVATIO XXVI.

De cachexia ex immodico fluxu ſanguinis narium.

PAter quidam ſeu cœnobiarcha, Thomas dictus, apud Alcmarianos, cui frequenter ſanguis è narib. fluxerat, hepate refrigerato in cachexiam incidit: cui facies tum crura inflata videbantur, cum vrina cruda & hepatis obſtructione. Hæc infraſcripta commode adminiſtrata fuere: quibus etiam præſidiis curatus fuit: ℞. *capil. ven. m. rubij, agrimon. caſſut. ſcolopend. abſinth. vtriuſque, menth. rubeæ an.* m. j. *ſem. aniſi* ʒ i ß. *coquantur in aqua communi & vino Rhenenſi ad* ℔ i ß. *dulcoretur zacch. & arom. cum* ʒ iij. *cinnamomi*; & fiat ad modum clareti. Bis in die eo vtebatur. Poſtea & huic decocto hæc adiuncta ſunt: ℞. *rad. apij, petroſ. fœniculi, cichorij an.* ʒ ß. *follicu. ſenæ* ʒ j. *epithemi, polypod. an.* ʒ ij. in quo decocto hic nodulus immergatur & exprimatur, dum ex eo ſumeret: ℞. *rhab. ſelecti* ʒ j. *ſpicæ* ϑ ß. *fiat nodulus.* Ex eo decocto cum bis ſumeret in die, aluus moderate ſoluebatur, facie in dies detumeſcente, & oppilatione hepatis paulatim ceſſante, & digeſtione vigorata: Interea ſumebat quotidie ex tabul. arom. roſ. pauco diarrh. adiecto, ſuperbibebat aquam abſinthij. Pedes modo fouebat & lauabat aqua marina, modo etiam hoc fotu. ℞. *florum meliloti, chamæmill. folior. lauri, matricariæ, artemiſ. caulium rub. hederæ terreſtris, furfuris, ſalis communis an.* m. j. fiat decoctio in aqua communi. Atque ita paulatim ceſſauit pedum & crurum inflatio: & paucis diebus ſanitatem recuperauit.

SCHOLIA.

CVm hic ex ſanguinis è naribus profluuio malus corporis habitus ortus eſſet, vinum album tenue conceſſi: cum & hic victus viribus reparandis aptus ſit. Sed & hoc hic meminiſſe oportet, quod perpetuo hepati ſuccurrendum erit, à quacunque cauſa oriatur: ipſumque ſemper roborare oportet, cum ſanguificationis inſtrumentum ſit ac ſanguinis officina. Vberius a. ſequenti c. de aqua inter cutem idonea medicamenta pro ratione mali habitus, reperies: propterea plura exempla (*quamuis varia etiam in prægnantib. habuimus, tum aliis ex mola vteri in cachexiam incidentibus, quas curauimus*) non addemus: cum & ſupradicta hic ſatis eſſe poſſint pro tyronibus, ideo ad hydropicos progrediamur.

OBSERVATIO XXVII.

De Hydrope.

COlonus quidam, dum in Gallia praxin exercerem, hydrope diu laborans, cum nihil opis à medicis aliis ſentiret, me conſilij cauſa acceſſit. Cui imperaui, cum non febricitaret, vt continuo allium comederet, quo factum eſt, vt multum aquoſitatis per vrinam profuderit, atque ex inſperato eo remedio ſanus euaſit. Sed & alia mulier hydropica, cui venter & crura in maximam molem excreuerant, cum deplorata haberetur, ex alterius vetulæ conſilio capiebat allij capita viridia, & contundebat, ſuccumque per pannum cum iure veruecis aut pulli vel caponis (*ſi alius ad manum non eſſet*) colabat, & potabat. Et breui venter tum crura detumuere. Et præter opinionem curata eſt: non ſolum illa, ſed alij plurimi. Hinc & hœdos, cuniculos, capreolos, lepores elixos, cum allij, porri, & cæparum decocto, more ruſticorum, Gordonius in hydrope curando commendat. Noui & alios hoc ſolutiuo ſubinde exhibito, multum aquæ per interualla per aluum reddidiſſe, & ſanos factos eſſe: ℞. *folior. ſenæ* ʒ ß. *ſeminis aniſi* ʒ j. *foliorum mezereon* ʒ i ß. *rad. ireos viridis parum contuſæ* ʒ iii ß. *ſoldanellæ* ʒ ß. *infunde per noctem in* ℥ ix. *ſeri lactis, facta prius ebul. mane huius fortis expreſſionis accipe* ʒ vj. *mellis roſ. colati, ſyr. de eupatorio an.* ʒ j. *miſc. pro* ij. *doſibus.* Memini mulierculam etiam ab Heydio collega meo hoc modo curatam: ℞. *folior. ſenæ Alexand.* ʒ ß. *ireos viridis parum contuſæ* ʒ iii ß. *mezereonis* ʒ i ß. *ſoldanellæ* ʒ ß. *infunde per noctem in* ℥ ix. *decoct. communis*: facta prius ebull. mane fortì expreſſ. *adde* ʒ ij. *mellis roſ. fiat potio pro* ij. *doſibus.* Ego etiam cum video vrinam ſupra modum eſſe tinctam, loco mezereonis pono ʒ i ß. *rhab. optimi, addendo ſpicæ* ϑ j. *fiat infuſio in ſero lactis.* quo ſæpe cum magna felicitate vſus ſum in noſocomio Delphenſi. Elideus præceptor meus hoc modo vtebatur. ℞. *rhab. electi pulver.* ʒ j. *pul. ſoldanellæ* ʒ ij. dabat vnica vice, cum decocto aut aqua conuenienti. Cum autem ruſticus ille ex allij vſu curatus eſſet, venit mihi in mentem alterius ruſtici apud Beniuenium, cui conſultum erat, vt nihil biberet, eoque per annum ad eum reuerſo, ac dicente ſe nihil per annum bibiſſe, atque ſic curatum, iuſſit vt paulatim vino aſſueſceret, ſed mero potius quam lymphato, & eo ipſo auſtero ac tenuiſſimo. Qui cum diſcederet, & curioſa potione vſus, ad priſtinumque reuerſus ſtatum, quam mecum familiaritatem primum contraxit, eam (*inquit Beniuenius*) adhuc in hanc vſque diem officioſiſſime ſeruat & colit. Idem quid mirabile narrat de puero ab omni medicorum conſilio deſtituto, qui cum aquam quantum potuit hauſiſſet, ſoluta vmbilici vnitate, tanto impetu aqua fluere cœpit, vt ſupra ventrem cubitos tres aſcenderet. Quo ſane vitam finiiſſet, niſi circumaſſiſtentes oppoſita manu aquam fluere non permiſiſſent. Hinc medico accerſito, & aqua paulatim educta, ac curioſo victu, & cæteris, quæ ad rem facerent iniunctis, breui tempore in priſtinam redactus eſt ſanitatem.

SCHOLIA.

QVoniam non raro gignitur affectus à ſanguificandi facultate vitiata, ex Galeni ſententia: vario modo Græci hunc affectum vocant, modo ὑδρώπιον, interim ὕδρωψ, ſæpius vero ὕδρο, nuncupantes: Latini autem aquam intercutem, ſeu hydropicum morbum, vt liquet apud Celſum, c. 21. *lib.* 3. A ſymptomate nomen ſumit: ſiquidem aquoſus humor hanc paſſionem neceſſario comitatur, Cælio Aureliano teſte *cap.* 21. *lib.* 3. ac Plinio 2. *lib. c.* 12. Hic ſemper iecur afficitur, *vt de loc.* 6. ſiue primario, ſiue per conſenſum afficiatur: *vt etiam* 2. *Prog. decretum eſt*: & ab Alex. c. 1. *lib.* 9. *& à Paulo c.* 48. *lib.* 3. confirmatum. Verum cum non vnus ſit hydropis modus, ideo primum diſtinctio habenda eſt, eaque *ex Gal.* 4. *de victu*; in qua omnes conueniunt; quarum vna *Aſcites* dicitur, quaſi vtricularis à Græcis ἀσκίτης ſic dicta

4 *Aqua inter cutem vnde nomen ſumpſerit.*

5 *Iecur ſemper afficitur, ſiue primario, ſiue per conſenſum.*

dicta est, quod ἀζῆ, hoc est vtris modo in peritonæo humor continetur. Altera *Tympanias* vel *Tympanites*; τυμπανίτης quidem à Tympano sic appellata, quoniam in tali affectione imus venter percussus talem somnum edit, qualem tympanum, Galeno teste, comment. aph. 11. 4. lib. quo loco Hippoc. ξηρὸν ὕδρωπα nuncupauit. Tertia species ἀνασάρκα, aut ὑποσάρκα, aut καπασάρκα, aut λευκοφλεγματία, aut ἀφκίτης, aut ὑποθρυΐδιον appellatur. Et tertia differentia sic appellata est, quoniam per carnem, vel sub carne, vel iuxta carnem: seu secundum carnem, vel supra carnem, seu infra carnem humor continetur: aut propter ipsam λευκοφλεγματίαν nominant, vt quæ pituita liuida constet, vt sui quidem ratione semper alba, sed quæ propter mixtionem quorundam aliorum humorum verum mutet colorem, vt liquet apud Galen. comment. *aphoris.* 29. 7. *lib.* Quæ nomina à similitudine dicuntur externorum. In priori quasi vter aqua plenus cernitur: in secundo genere venter tympani instar inflatur: in tertio genere speciem carnosæ molis totius referunt: vt cum quis ventricosus, & toto corpore crassus euadit. Proprie vero hydrops, iuxta Iacchinum, dicitur ascites, cæteræ vero species per huius similitudinem. De Tympania 4. *aph.* 11. quod ex similitudine. Ibi de tribus speciebus litigant moderni, vt saluent Hippoc. qui duas species ponit. Non est ille locus Hipp. & à Galeno, vt insufficiens, reprehenditur. O miserum laborem! Et ita quidam duas species hydropis, hoc est, aquosi humoris collectionis, esse volunt (*vt Dodonæus supra cap.* 13. *de Rustico apud Beniuenium per annum nihil bibente*) hyposarcam & asciten: cum in tympanite scilicet flatus colligantur. Communi vero modo tres species iam dictæ hydropis ponuntur. Cuius rationem etiam vide apud Donatum ab Altomari. Communis autem omnium (vt inquit Celsus) causa est humoris nimia abundantia: ob quam ne vlcera quidem in his ægris facile sanescunt, vt patet etiam apud Hipp. & Gal. *aph.* 8. 6. *lib.* Et communis generatio cuiusuis aquæ intercutem est, vbi sanguificationis officium intercidat, nempe refrigerato iecinore, & ex consequenti venis omnibus, ex 5. *de loc. affect. cap.* 7. *&* 2. *progn.* In hyposarca per naturalis caloris debilitatem & impotentiam, pituitosior, hoc est, crudior ac frigidior sanguis gignitur, qui per venas in corpus distributus, ipsum tumidum reddit, & albido pituitæque emortuo colore pallens apparere efficit. In ascite vero intra peritonæum præcipue humor colligitur venterque distenditur; ibi enim vitium sanguificandi adest, id est, diminuta concoctio vel vitiata. Diminuta quidem, vbi aqua, vel pituitosus sanguinis generatur: & sunt duæ species iam dictæ. Deprauata vero, vbi in flatus vertitur, & sic in alienam qualitatem. Hyposarca rusticum laborasse verisimile est apud Beniuenium, vt etiam Dodonæus existimat, & crudis frigidisque humoribus per potus abstinentiam à natura concoctis, & in sanguinem conuersis, tum & vitam eum sustinuisse, tum & sanitatem recepisse. Puer autem potuit ascite laborasse, non tamen ex refrigeratione, sed ex calida nimium & sicca iecinoris intemperie, (vt idem Dodonæus putat) qua tam grauiter quandoque iecur afficitur, vt probum sanguinem non conficiat velut in hydrope, quæ acutos morbos subsequitur, teste Gal. *lib.* 4. *de loc. aff.* c. 1. Aduersus huiusce modi hydropem aquæ potio remedio esse potuit, iecinore videlicet refrigerato & humectato, si modo recens nata fuerit: Nam diuturnæ hydropes incurabiles habentur, diuturnitate mali iecinore aut liene corrupto ac vitiato. Succedit autem non raro acutis morbis ascites, & frequenter etiam ictero. Contingit autem non raro in hoc ascite, diffusis per vniuersum biliosis humoribus, calorem subinde tantum excitari, vt, quacunque corporis parte scalpta cute, leuiterque vulnerata, mox calidus, niger, & quasi adustus sāguis effluat. Cæterū hydropis per aquæ potionem curatæ exstat & exemplum *lib.* 2. *epist. Ioan. Langij epist.* 12. Vxor, *inquit*, barbitonsoris in Nouo foro, Palatinorum in Noricis oppido, plus sibiipsi quam marito aut medicis morigera, cuius venter hydrope in immensum turgebat: hæc aquam de fonte scaturiente magnopere sitiebat. Progressa itaque marito inscio extra vrbem ad fontem, in quo cum aquæ scaturigine simul arena ebulliebat: de qua, quantum manu caua apprehendere potuerat, ter aut quater deuorauit. Domum læta reuersa, rem omnem nobis recensuit: & intra biduum per fluxum ventris plurimum pituitæ excreuit, apertis quoque sua sponte in ano mariscis: vnde confertim sanguis niger effluebat: ab hydrope conualuit. At noster Colonus, qui allium comedebat, non solum per vrinam reddebat aquosam materiam, sed etiam per aluum, hoc est, quod *Dioscorides scribit lib.* 2. *cap.* 145. *de allio.* Aluum, inquit, turbat, vrinas detrahit, & hydropicis vtile est.

Quot sint differentiæ: & cur sic appellatæ.

Communis causa generationis omnium trium differentiarum.

OBSERVATIO XXVIII.

De hydropico paupere.

PAuper quidam cum continuo aquam frigidam biberet, iecur affatim refrigerari cœpit: & hydropem tandem incurrit. Nam multa frigida intemperanter hausta membra refrigerant, subito à balneo, aut venere, vel lassitudine; vnde iecoris substantiam subito affectu lædunt. Huic autem, cum pauper esset, tale attenuans decoctum præscripsi, quod simul stomachum ex aquæ longo potu refrigeratum calfaceret atque roboraret: & simul aquam educeret, ac hepar refrigeratum corrigeret: ℞. *rad. ireos, ebuli, petros. apij, bruscі, enulæ campanæ an.* ʒ j. *hyssopi, centaurij, absinthij, fol. sambuci, fatureiæ, ceterach. cassuæ ana.* m. j. *medianorum corticum sambuci, gratiolæ, betonicæ an.* m. ß. *rad. rubeæ tinctorum, calami arom. inciſi ana* ʒ ij. *sem. fœniculi, dauci ana* ʒ ij. *sem. cartham. contusi* ℥ ß. *folio. senæ Alexand.* ʒ i ß. *polypod. quercini* ℥ ß. *florum genistæ* m. ß. *sem. iuniperi* ʒ j. *foldanellæ* m. ß. *uuar. passul.* ℥ j. *glycyr. rasæ* ʒ iiij. *zinzib. cinnamomi ana* ʒ j. *coquantur in aquæ communi, pro* ℔ i ß. *colaturæ adde syr. de byzantiis, de eupatorio, de calamintha ana* ʒ j. *misce,* fiat apozema. Quibus satis aluum reddebat, ita vt venter eo detumesceret. Deinde purgaui eum, modo cum ʒ ß. *diacarthami solutiui in tabulis vel paulo plus cum* ʒ iij. *decocti suprascripti.* Cui & has pilulas dedi: ℞. *pilul. de mezereo* ϑ ij. *pilul. aggregat. de rhab. ana* ϑ ß. *cum succo rad. ireos; fiant pilulæ* vij. Deinde capiebat diacurcuma, & dialacca, cum diacinnamomo in tabulis. Ventrem inunximus hoc vnguento. ℞. *vng. Aprippæ* ʒ ij. *succi ebuli vel sambuci* ʒ j. *bulliant ad succi consumptionem: fiat linimentum.* Quibus paulatim detumuit venter; & cum non diu laborasset, ab hydrope sanatus est.

SCHOLIA.

QVænis specierum aquæ inter cutem, iecinoris refrigerationem consequitur, vt antea diximus. Etenim citra eiusdem refrigerationem, impossibile est aliquem in hydropem incidere, *Gale. & Aetio testibus.* Id autem iecori accidit per se aut per consensum. Immutatur ex refrigeratione splenis, intestinorum, ventriculi, mesenterij, septi transuersi, renum: nam & ipsum iecur scirrho afficitur: vel ipsum spleni indurato seu refrigerato coafficitur: aut ieiuno, seu reliquis intestinis iuxta ipsum, aut mesenterio aut pulmone, aut renibus seu septo transuerso simili ratione primario affectis: nam & renes propter eorum obstructionem, alias quoque ob eorundem imbecillitatem, serosam sanguinis substantiam non secernunt. Sic etiam ex nonnullis causis aliis iecur ipsum refrigerantibus, aqua intercus oriri poterit: vtpote ex immodica hæmorrhoidum profusione, aut ex eisdem diuturno tempore suppressis: similiter ex menstruæ purgationis omnimoda cessatione aut immodica vacuatione: aut ex immodico muliebri profluuio, vt liquet ex Gal. 2. *de nat. fac. &* 5. *de locis affectis.* Si enim calor natiuus strangulatur, ob spirituum vna cum sanguine iacturam factam, pariter ex intempestiua ac immodica aquæ frigidæ potione (vt huic nostro ægro euenit) iecur affatim refrigerari potest, ac statim aqua inter cutem induci: quanquam sic affecti (vt Gal. eodem 5. *de locis affectis* asserit) ob refrigeratum os ventriculi, vehementi ciborum desiderio teneantur, secus quam cæteri hydropici. Id magis fit, si aquam frigidam quis ingurgitet post æstum aut exercitationem. Multi autem & à podagra & à coxendicum dolore vexati, aquam inter cutem incurrerunt; frequentissime etiam eos, qui cibum non sentiunt, & malo corporis habitu præditi sunt, itemque ab arquato infestatos, hydrops corripit. Item quosdam eorum, qui non nisi recta ceruice spirant, aut cœliaca affectione laborant, ac dysenteria, in aquam inter cutem deduci nouimus (*vt inquit Aetius*) Hæc enim mala si diutius persistant; spiritus deinde naturalis, insitusque calor nimium dissipantur. Sæpe etiam febribus longis superuenit, *vt refert Paulus*, nam his qui longis febribus consumuntur, etiam insitus calor atque spiritus nimium dissoluuntur, sanguificationisque officina intercidit. Sic & omnia illa, quæ sanguificationis virtutem infringere possunt, efficiunt ne jecur chymum in sanguinem transmutare possit: atque ita hydropem efficere possunt. Interdum & hydrops morbos acutos sequitur, ex Hipp. sententia, 2. *prog.* cum ex eis sanguificationis opus intercidit, adeo vt jecur cibum in sanguinem transmutare nequeat. Ascites tamen non tantum ex partium nimia refrigeratione, vt anasarca, ortum habet: sed frequenter quoque fit ob solutionem continuitatis alicuius visceris, aut vasculi quo humores contineri solent. Eaque ratione causæ omnes, quæ jecur vehementer excitant, vt ardentes febres, potentium vinorum immodicus vsus, alimenta quoque multum calentia, hydropem sæpe excitant: eo quod viscera, & frequentius quidē jecur, ex occursu siccitatis nimiæ quasi exaresçant atque rumpantur, nec non dehiscant, vt in terra ex nimia siccitate fieri solet: vnde humores in abdomen facile per fissuram illabuntur in ascite, quasi exsudando atque destillando. Ex tumore duro jecoris, lienis, aut alterius partis quoque fit frequenter: contingit enim viscera sic quoque frequenter findi, propter nimiam eorum siccitatem atque humoris inopiam: vnde tempore etiam ipsa membrana ambiens frangitur: sicque sensim serosa excrementa in abdominis ca-

Aquæ intercutis causæ.

pacitatem decidunt. Vide plura de his apud Fernelium, qui eos hallucinare putat, qui per angustos cæcosque poros serosum humorem transferri in capacitatē abdominis putant: sed is potius per fissuram fieri vult. Iacchinus tamen aliter sentit: Cum enim sanguis, inquit, exiguam mutationem suscipit, maiore sui parte in aquosam substantiam vertitur, ac circa primas venas & cauam manens, vtpote tenuis & serosus, resudat in peritonæum. Quod a. maneat, causa est, quoniam à membris & ab vlterioribus venis non trahitur: quod vero non trahitur, causa est vitium eius. Remanent etiam eo sanguine plenæ venæ mesenterij omnes, quibus erat aliqua vis sanguifica: vnde ab iis defluit roris vice aliquid in cauitatem. Vaporis quoque humidi copia, vbi in peritonæum tunicam inciderit, densatur atque in ipsum defluit. Talis est ascitis generatio. Fatemur tamen & aliquando in ipsius abdominis substantia aliquid aggregari, inter musculos scilicet & cutem. Necessario enim contactu aquæ humescunt. Hæc Iacchinus. Amatus vero sentit contra Arabes, *vt apud ipsum longiore sermone videre licet, centur.* 1. *curat.* 30. quod ascites aquosus hydrops sit inter peritonçū & omentum, id est, inter siphac & zirbum, vt incisione sæpius probatur: & non inter mirac & siphac: non autem abdomine, sed peritonæo discisso, aqua effluit, quæ inter illud & omentum vel intestina continetur. Si plura de cauiis hydropis scire desideres, lege interpretem Holerij. Causa igitur ascitis est, multa refrigeratio viscеris, & consequenter venarum omnium. Ideo vero aliquando primario iecur patitur, aliquando secundario. Voco a. secundarium, cum ab alio alterius membri affectu habet originem. Ita in nostro hoc ægro, iecur non primario, sed secundario patiebatur; nam immediate ex causa procactartica frigidum euaserat: nempe ex plurimo aquæ potu: ita & ex opiatorum vsu, vel aliis frigidis, fieri potest: sic & ex his, quæ per accidens refrigerant, vt sanguinis profluuio (vt etiam Galen. 9. *meth. cap.* 10. *&* 5. *de loc. aff.* 6. ostendit) siue è naribus fluat, siue ex vtero, siue ex hæmorrhoidibus. Ad omnes enim hos affectus hydrops ascites plerumque succedit. Vna enim cum sanguine calor deficit. Fit etiam ex propriis frigidis morbis, scirrho, obstructione, & ex multitudine assumpti cibi, calorem innatum extinguentis. Sed per consensum aliarum partium, vel secundario affectu fit, cum scilicet partes illę refrigeratæ vna jecur afficiunt, vt paulo ante recensuimus, 2. *progn.* 1. vt quia venis vel arteriis multis & magnis communicant: vt lien, cum intumescit: & vterus si scirrhum patitur vel molam, vt nos sæpe vidimus: nam etiam aliquando aquosa illa materia non solum in ventrem, sed etiam in vterum profunditur; vt patet de illa muliere apud Fernelium, cui instante menstrua purgatione humor sub abdomine congestus, per vterum sponte ita profundebatur, vt omnis moles abdominis biduo subsideret: alius dein humor sensim proximo mense succrescere incipiebat, qui statq quoque tempore totus effluebat. Vel alia ratione aqua vel frigidis humoribus repletur aut contactu, aut si venter, aut septum, aut intestina afficiantur, vt paulo ante quoque recensuimus. Iam quoque fit à vicinitate, vt à renibus, vel pulmone. A pulmone non raro. Iacchinus vidit in his fieri, qui asthmate laborabant: vt & nos alias vidimus: vnde & refrigeratas eas partes pituita habent. Tandem omnes in senecta in hydropem migrant, hac de causa. A renibus vero non solum fit communi-

cantia

cantia noxæ pēr ſe, ſed ex accidenti, ſi aquoſitatem non purgent; vnde multa remanet in venis; fitque ſanguis aquoſus, & excolatur ſerum. Illud in aluum. Sæpe vero & multa horum iunguntur. Fitque aſcites, vt Fernelius etiam refert, ex jecoris aut lienis vulnere exiguo, quod non alte penetrauit (hoc enim repente hominem interimit) ſed ſummam duntaxat extimamque faciem attigit. Oritur & ex vlcere, quod fere ab illorum ſuppurante phlegmone atque vacuata relinquitur. Tympanias vero ſi ſyncerus ſit, videtur à ventre, & inteſtinis oriri. Sic enim teſtatur Hippoc. 4. *aph.* 11. Si dolores diu circa vmbilicum & lumbos torqueant, qui neque medicamento cedant, id eſt, quibus tamen diligens curatio ſit adhibita, tranſit in tympaniam. Significatur enim, inquit Gal. habitu contracta intemperies; vnde & imbecillitas partium, quæ ad ventrem attinet. Sic & 3. *de ſymptomatis cauſis* 1. Si, *inquit*, cruditates in ventre fiunt, ob facultatis imbecillitatem, ad morbum, qui tympanias dicitur, deueniet.

Tympanites ſeu tympanias vnde generetur.

9 Vult ergo affectum ventri aſcribi. Quomodo ergo vniuerſaliter dictum eſt in omni hydrope jecur affici, & ſanguificationis vitio prouenire? Reſpondet Iacchinus: Proprie ſanguinandi vitia ſunt aliæ duæ ſpecies. Non enim in venis hi flatus vertuntur, ſed quia ſemper adeſt etiam admiſtus humor aquoſus; ideo dicitur neceſſario jecur & ſanguificatio lædi. Contra 4. *de puls. dignotione* 30. Et aliquando tympania & aſcitis ſyncera, in qua non cauatur digitis cutis. Reſpondet idem Iacchinus: Sincerum dicitur, quando notæ admiſſionis euidentes non ſunt. Sic medicus ſynceros tumores dicere ſolet. Quod ſi ab initio læſio à ventre incipit, tandem & in iecur perueniret, per cōſenſum partium: & quia chylus male confectus, male etiam iecur afficiet, & malam coctionem in eo ſortietur. Huius ergo præcipua materia flatus eſt (*vt & Fernelius ſentit*) ex imbecilli concoctione & cruditate genitus: qui cum multus in ventriculo aut inteſtinis, velut in colico dolore, coercetur, nec exitum naturalem reperit: impetu viam ſibi inueniens, per cœcos tenueſque ductus inter abdominis membranas magnis cruciatibus ſeſe infert: ac demum vario impulſus, in ipſum abdominis ſpatium penetrat aut deuoluitur. Rarus certe hic hydrops, iuxta eundem Fernelium, ſicque ſincerus flatus ſub abdomine citra humoris permiſtionem vnquam eſt animaduerſus. Hypoſarca vero fit, cum crudus & ſemicoctus ſanguis plurimus in corpus diſtribuitur; ita vt copia crudorum venæ omnes abundent; & vniuerſum corpus mole augetur: atque adeo habitus vitiatur, vt dignoſci nequeat. Hic rurſus iecur patitur, ſed non adeo fruſtrata eſt concoctio, ſed quia vna affectæ ſunt venæ, ideo vlteriores venæ non poſſunt hanc cruditatem emendare: quare nec membra ſi attrahant in poros, aſſimulabunt: vnde remanet alimentum diſtributum & diſperſum in omnes cauitates: hinc tumor: Hæc 3. *de ſymptom. cauſ.* 1. Hanc à phlegmatica cachexia ſeiungit ſola magnitudo, vt recte Fernelius ait, quod tumidiorem habeat corporis vitiatam molem. Vna & eadem tamen vtriuſque cauſa, immodica nimirum jecoris atque venarum refrigeratio, quæ aut primaria eſt, aut ex cordis, lienis, ventriculi, meſenterij, aliarumque partium concoctioni ſeruientium vitio contracta: & inſiti caloris ac ſpiritus nimia diſſipatio, vt in principio ſatis dictum eſt. Ex cauſis euidentibus, quæque viſcera refrigerant, natiuumque calorem obtundunt, eſt aquæ frigidæ & vitioſæ immodicus potus, lactucarum fructuumque ēſus intempeſtiuūs & ſanguinis è naribus, vtero, aut hæmorrhoide profluuium, vel conſuetarum excretionum ſuppreſſio. Quæ omnia exemplis infra dicendis illuſtriora euadent. Et ita plus quam ſatis de cauſa dictum eſt. Quibus adiungere poteris ea, quæ Arculanus & neoterici de cauſis addunt.

Hypoſarcæ generatio.

OBSERVATIO XXIX.

De hydrope, in duobus prius quartana laborantibus, vno curato, altero ſuccumbente.

1 ANnuam quartanam iuuenis cum ēpērtus eſſet, & magnum lienem contraxiſſet, in hydropem tandem incidit: ad quem accitus, variis remediis vſus ſum, in primis hoc dececto: ℞. *rad. filicis, ebuli, ireos an.* ℥ j. *rad. petroſ. fœniculi, apij, cappar. thamar. ana* ℥ ß. (quidam & his addūt *rad. cyclaminis* ℥ ß. cum egregie faciat ad lienem induratum) *fumar. cichor. ſummitat. lupulor. caſſut. agrimoniæ, folior. ſambuci* (egregie aquam ducit, vt ſæpe experti ſumus) *capill. ven. thymi, ceterach, ana* m. j. *epithymi* m. i ß. *medianorum corticum ſambuci* m. ß. *ſoldanellæ* ʒ iij. *ſem. carthami contuſi* ℥ ß. *folior. ſenæ Alexand.* ℥ i ß. *polypod. querc.* ℥ ß. *flor. boraſ. geniſtæ an.* p. j. *ſem. aniſi, fœniculi, carui, agni caſti, ana* ʒ i ß. *paſſul. enucl.* ℥ j. *fiat omnium decoct. in aqua communi pro* ℔ j. *colat. adde ſyr. de byzan. de cupat. ſyrup. acetoſi compoſ. ana* ℥ j. *clarificetur cum* ʒ iij. *cinnamom. ſelecti*: & fiat apozema ad modum clareti, pro quatuor doſibus matutinis. Die vno atque altero intermiſſo purgaui eundem in hunc vel ſimilem modum: ℞. *confectionis hamech*, ʒ iij. *diaphœnici, diacath. ana* ʒ j. *diacarth. intabul.* ʒ i ß. *aquæ agrim.* ℥ iij. *ſyr. de cupatorio* ℥ ß. *miſce*, fiat hauſtus. Detur in diluculo. Interea ſæpe capiat diacurcuma aut dialacca in tabulis. Lieni appoſuimus prius emplaſtrum de meliloto, deinde hoc vel ſimili fotu vtebamur: ℞. *rad. altheæ* (ob duritiem) ℥ j. *rad. aſari, cyclaminis ana* ℥ ß. *rad. filicis, thamar. cappar. an.* ʒ iij. *centaurij minor. ceterach. abſinth. mercurialis menthaſtri ana* m. j. *flor. chamæmill. meliloti ana* p. j. *ſem. rutæ, carui an.* ʒ ij. *ſem. fœnugr. lini an.* ℥ ß. *coquantur in vino & aceto q. ſ.* & cum ſpongia fomentetur lienis locus: & inungatur cum oleo de capparibus, medul. vituli, adiecto ammoniaco diſſoluto in aceto. Poſtea venit mihi in mentem ſimilis fere caſus apud Amatum, *curat.* 30. *cent.* 1. deſcriptus de hydrope aquoſa, in vxore illius de Landenara: quæ cum viribus conſtaret, & recte ſe ad oblata adhuc haberet (*vt noſter æger*) dedit ad expulſionem *ſucci ireos* ℥ ij. *mellis roſ. colati* ℥ j. ieiuno ſtomacho; cum quo aquam illam quotidie parum emittebat. Poſtea vero octo interpoſitis diebus, catapotia ex nitro Alexand. *cum trochiſc. albandal. mixta propinauit*: nempe *pilul. de nitro Alexand.* ℈ ij. *trochiſc. albandal.* ℈ j. *fiebant pilul.* v. Cum quibus multum illius egerebat aquæ. Quibus ſæpe interiecto temporis ſpatio inter vnam & alteram propinationem vſus fuit. Nam ſenſim & paulatim vacuandus humor iſte eſt: qui vero vna vice tantum humorem iſtum deponere tentant, per purgantia medicamenta, multa mala ægrotanti adferunt: quia eius vires deiiciunt, & iecur & interiora refrigerant. Per vices igitur & nos medicamentis purgantibus vtebamur, modo decocto dicto adiiciendo ſubinde *rad. turbith. gummoſi* ʒ ij. *zinz. pro ſuo correctorio* ℈ ij. modo etiam ſucco illo ireos. Interea roboramus vtrumque viſcus, & iecur & lienem, modo diacurc. modo dialacca; adiectis trochiſcis de capparibus. Et poſtea

poſtea inunximus quoquè lienem cum hoc vel ſimili vnguento: ℞. *vng. Agrippæ, arthanitæ maioris ana* ℥ j. *ammoniaci, opoponacis in aceto diſſolutorum ana* ℥ ß. *olei cucum. aſinini* ℥ ß. fiat vnguentum molle: quo tamen in tumore ſplenis ab exordio mali nequaquam vtendum eſt: ſed vbi iam materia mali vna cum viſcere emollita fuerit. Ideo prius hoc vel ſimili vtebamur: ℞. *vngu. arthanitæ maioris* ℥ i ß. *gummi ammoniac. in aceto diſſoluti* ℥ ß. *olei cappar. lilior. alb. q. ſ. fiat vnguentum.* Sic & Amatus in illa muliere interpellatim purgantibus medicamentis vtebatur; nonnunquam lenioribus, aliquando vero vim inferentibus. Singulis tamen hebdomadis aluum etiam faciebat. Et quod mirum in modum profecit, hoc conditum fuit, quod habet *rad. ireos per tyrocneſtim traiectæ* ℥ ß. *zinz.* ℈ ß. *mellis q. ſ. ad ſpiſſitudinem miſce.* quo ſæpe vtebatur: & optime abſque anxietate & dolore aquoſitatem illam deponebat. Non minus adiumenti attulit mel. roſ. confectum ex floribus perſicæ arboris, quod ſua natura hanc deponit aquam: & id Auicen. Ienelabin de perſis, in cura phlegmaticæ, & aliis locis appellabat. Iis enim huc vſque citatis medicamentis, & nonnullis iecori appoſitis, ſex menſium ſpatio hæc ſanitati fuit reſtituta. Exterius tamen aluus vnguento ſplenetico dicto liniebatur: quo nos loco illius vnguenti, quod ex cyclamino ſiue arthanita inſcribitur, vtimur, quod multum in aſcite valet, *vt ex Meſue comprehenditur*: quo & nos commode in noſtro ægro etiam ventrem obliniuimus; adiecto quoque vng.

5 Agrippæ. At mulier illa apud Amatum, vt deinde recenſet, interdum medicamenta purgantia non ſumebat, diacurcumam cum vino ebibebat, nonnunquam vero dialaccam: quibus & noſter ſubinde vtens tandem conualuit. Laudantur & hic pilulæ de ſagapeno, ſerapino, & ſoldanella, braſſica marina dicta, & decoctum rad. ſambuci & ebuli: quibus & nos vtebamur, *adiecta rad. turbith in exigua quantitate.* Guilielmus Placentinus, ſua ætate medicus doctus, teſtatur ſe paucis iis ad ſanitatem reduxiſſe Azum quendam Parmenſem, hydrope affectum, quæ habent *turbith* ʒ j. *zinzib. zacchari, an.* ℈ ij. *ſcammoneæ electæ pondere duorum granorum hordei, cum vino; miſce. fiat conditum.* Hoc autem in hebdomada illi ſemel deuorandum dabat, ſtomacho ieiuno: quo & quater & quinquies egerebat. Sed omni die ante cœnam diacurcuma, quantitate nucis, cum optimo vino generoſo illi bibendum dabat, quibus curatus

6 ad ſanitatem redactus fuit. Regimen porro mulieri apud Amatum (*vti & noſtro iuueni, qui non diu hydrope laborauerat: ideo etiam melius curatus*) in vniuerſum ad ſiccitatem declinabat: erat vero victus ratio, caro auicularum in dumetis viuentium; non minus vituli & gallinaceorum veruecinæ. A potu vero noſtris monitis abſtinuit, nec alio in tempore quicquam in potu ſumebat, niſi prandij & cœnæ hora, & tunc quidem parum vini albi, potentis & generoſi, polyphori dicti. Sed & noſtro inueni conceſſi ceruiſiam abſinthitem ſubinde. Ab oleribus vero in totum abſtinuit; veluti fugacibus fructibus, quos horarios medici appellamus. Amygdalas tamen & ſole ſiccatas vuas, præcipue Corinthiacas, lubentiſſime concedebamus: & aſſa edulia, minime vero aqua cocta. Cæterum Hippoc. *in lib. de Internis affectionibus*, ſimilem huic prædicto morbum, à vitiato ſplene euenientem, deſcribit: *vt apud ipſum eſt legere folio Frobeniano* 271. At alius iuuenis annorum 25. vel circiter, cum aliquandiu quartana laboraſſet, ac præter noſtrum conſilium medicamentum, neſcio quod calidiſſimum, alterius medici conſilio, quod inhibuiſſem, bibiſſet, in ipſa acceſſione ſubito hydrope correptus eſt, ac variis deinde medicamentis vtens, etiam Paracelſicorum ei ſanitatem pollicentium curati non potuit: & circiter duos annos fere hydrope laborans, tandem extinctus eſt.

SCHOLIA.

FAcile autem liquet ex iis, quæ diximus, quēmlibet aquæ inter cutem differentiam ſeu ſpeciem, morbum eſſe in quantitate ſeu magnitudine. Namque ex genere præter naturam tumorum exiſtunt, vt conſtat *lib. de tum. præter naturam, circa finem*: id quod confirmauit idem Galen. de aſcite *lib.* 14. *method. medend.* Nec obſtat, quod idem Galen. *libris de differentiis ſymptomatis*, inter ea ſymptomata, quæ incidunt in ſanguinis generatione fruſtrata hydropis vitia connumerauerit. Nam vel ſymptoma vniuerſaliter dictum voluit intelligere; vel per vitia aquæ intercutis, eius cauſam immediatam intellexit, quæ quidem ſymptoma eſt incidens in ſanguinis generatione (*vt ipſe inquit*) non peracta, vel non rite peracta. Sed quod ad ſigna attinet, cum cauſas iam ſatis enucleauerimus: ſcire oportet, alia eſſe ſigna præſagientia, alia communia hydropem demonſtrantia, alia cauſarum, tum cauſas ipſas & ſpecies diſtinguentia: alia vero mera prognoſtica. Inter hydropem præſagientia futuram, eſt ipſa cachexia; quæ & ſæpe hydropis initium exiſtit. Et quædam ex his ſunt magis remota, ex progreſſu cauſarum procatarcticarum ſeu primitiuarum, quæ vel hepar debilitant, obſtruunt, indurant, vel abſceſſum inducunt tam in hepate, quam liene, aut aliis membris particularibus iam dictis. Tales cauſæ continuatæ hydropem inferunt, vt & icteritia diuturna, cibique craſſi obſtruentes. Alia ſunt magis proxima, vt ſi color corporis permutetur ad albedinem, citrinitatem; facieſque ac palpebræ inflentur, tum pedes ac teſticuli, & inflatio abdominis appareat. At aquæ inter cutem ſigna communia ſunt, ſpirandi difficultas, tumor, grauitas, & vitiatus color, ex virore albicans: cibi faſtidium, pedum tumefactio, propter diſtantiam à corde; ſitiſque vehementior, propter humores ſalſos & putrefactos. Plurimi quoque ex hydropicis aliquādo febriunt, Aëtio teſte. Quærit Arculanus, *cur manus non tumeant in hydrope ſicut pedes?* Reſpondendum, *Manus cordi propinquiores, & facilioris motus ſunt quam pedes: vapores humidiores (cum fere inflatio pedum commune ſit accidens omnibus ſpeciebus) ſua grauitate deorſum mouentur ac pellantur: vnde pedes magis inflantur.* Si pendeat à cauſa calida, adeſt ſitis, maior inflammatio, citrinitas, vel rubedo; oris amaritudo, vomitus citrinus, aut viridis: vrina tincta, pauca (*vti fere eſt in omnibus ſpeciebus*) viridis aut ſubnigra; febris adeſt pulſuſque velocior; & cauſæ præcedentes calidæ, egregie ad dignotionem faciunt, vt & hepatis tum totius calida temperies. A frigida cauſa omnia contraria: facies diſcolorata, color liuidus, febris abeſt, vel eſt exigua: ſitis minor, pulſus tardior, niſi magna ſpiritualium membrorum compreſſio id inhibeat. Si hepar per ſe afficiatur, adeſt tuſſis, tumor pedum: venter nihil vel parum egerit, adeſtque anguſtia, & ventris tumor: & adſunt ſigna propria affecti hepatis, vt oppilationis, ſcirrhi, apoſtematis: quæ ex locis propriis ſuprascriptis petenda. Ita quoque ſi fiat ex ſolutione

7 *quis affectus præter naturam ſit aqua inter cutem.*

Præſagientia hydropem.

Signa demonſtratiua & communia.

A calida. A frigida.

8 *Ab hepate primario affecto.*

continui, ex causis prægressis, casu, percussione, offensione in regione hepatis, vlcere, abscessu, & similibus. Si per consensum è toto, vt si febres adsint vel præcesserint, ardentes quidem, fit liquefactio in excrementis. Si ab euacuatione notabili mensium, hæmorrhoid. sanguinis profluuio è naribus, ex ægri sermonibus & astantium patebit, & ex causis prægressis, vel à cœliaca affectione, vel dysenteria. Si ab aliis membris particularibus, omnia dignoscere & haud ægre interstinguere licebit ex prædictarum partium affectarum ac prædictorum affectuum dignotione, per enarrata in propriis locis ac capitibus signa. Vt si ab iliis, lumbis, stomacho, intestinis, ex ventris fluxibilitate, siue stomachus fuerit læsus seu mesenterium. In stomacho fit fluxus cibalis: vel lientericus in intestinis, præcipue si adsit oppilatio in mesaraicis, chylosus, & aliquando sanguinolentus. Ex parte etiam doloris ventris, stomachi, vel intestinorum, qui non remouetur cum fluxu. A renibus, ex lumborum dolore, grauitate, frigid. calid. aquositate, regurgitante ad intestina: ex abscessibus vel vlceribus eiusdem. Ita & si sit à splene, ex propriis signis & calore fusco; ex proprio capite de obstruct. & scirrho lienis. Ita si causæ primitiuæ prægressæ, vt ex potu frigido, tum aliis, ab assistentibus & ægro dignoscēs. Quantum ad signa species distinguentia, facile quoque percipientur. Nam quæ affectus demonstrant, satis ad sensum patent. Tympania enim percussa sonum edit: gracilia remanent extrema, nec tument, & jacenti corpus distentum manet, etiam resupino. At in ascite fluctuationem aquæ ægersentit: & hoc ipsum intuitu percipimus, quoniam tumorem in latus jacentis perpetuo sequi videmus: adde, quod recto stanti, ad ima ventris plurima moles fit & tensio, aquæ descensu: at iacenti venter sentitur mollior; & tument breui crura. In hyposarca moles vniuersa transmutatur: ac propriam formam amittunt, albentque toti. Sed dum vniuscuiusque speciei exempla plura adferemus, hæc omnia lucidiora euadent: & antequam signa mere prognostica explicemus, aliud hic exemplum prius adferemus.

9 *Ab aliis membris particularibus.*

Signa species distinguentia.

OBSERVATIO XXX.

De hydrope à muliere empirica & mendica excitato, qui postea curari non potuit.

1 QVidam extra vrbem in Castro habitãs, cum tertiana febre intermittente laboraret, neque remediis opportunis vti vellet, cum tamẽ facile pellatur, & non diu duret, muliercula mendica cum præ foribus stipem peteret, nescio quibus herbis sanitatem eidem pollicebatur: qui cum annuisset, nescio quibus herbis, iisque permultis, tam frigidis quam calidis (*maxime vero vrtica*) concisis & decoctis, potionem ex iisdem paratam obtrusit, & intra diem subito venter inflatus est, febre quidem illum relinquente, sed in atrocius malum incidente; ita vt ascitem incurrerit. Collectio autem huius humoris aquosi plurima existit inter membranam peritonæum appellatam & intestina, vt vere vtris modo membrana ipsa repleta esse videatur. Spatium etenim, quod inter peritonæum & partes ei subjacentes est, aquoso humore impletur, *Galeno 5. de loc. affect.* aliquando vero, vbi peius habent ægri, vsque ad femora tumor producitur, *vt Aetius asserit*, quod huic postea etiam euenit. Quod ascites esset, his notis deprehendi: primum *quod multum vrinæ in illo generabatur & reddebatur; sed paulo post supprimebatur & in venis remanebat, & grauitatem & pondus faciebat.* Cum vero corpus moueretur, sentiebatur aqua fluens veluti per canalem. Si enim abdomen impelleremus, aut ipsemet corpus in alterutrum latus prouolueret, fluctuantis humoris sonus obaudiebatur: fluctuationes enim si excitentur in ascite, fit ex humore, qui veluti in vtre quodam contentus circumuoluitur. Vrina admodum pauca erat, eaque fere crassa & rubicunda, cum præsertim morbo initium jecur dedisset, vt hic factum videbatur, febre subito consopita, & hepate refrigerato tandem atque læso. Erat autem huic aluus tumida, eleuata, vt rumpi videretur: quam quum manu percutiebam, aqua, vt in vtre collecta, sonabat: vt merito morb. iste ascites ab ἀσκὸς id est, *vtre*, denominationem duxerit. Verum licet hic morbus etiam febricitantibus contingere possit, id potius hic à medicamento perperam administrato euenit, iecore tandem & ipso oblæso, sanguificationis officio intercidente. Ad hunc, cum Alcmariæ hoc tempore habitarem, sæpe euocatus sum, & cum medicamentis aptis vti nollet, venter ad summam molem excreuit; vt postea necessitate coactus, ea admiserit hydragoga medicamenta, quibus venter detumescēret. Verum rursus ab iis in totum abstinendo, luna potissimum accrescente mirum in modum malum accreuit per plures menses. Sed inter reliqua pharmaca nullum magis iuuabat, quam sequens medicamentum, quod vna cum altero medico Harlemensi apud eundem agentes præscripsimus: *℞. succi ireos ℥ ß. aquæ casei ℥ ij ß. mellis crudi ℥ ij. (aliquando ℥ iß.)* fiat horum leuis ebullitio, & coletur; cui colaturæ adde, & in ea dissolue *spicæ nardi ℈ ß. cinnamomi ℈ j. diagridij ℊ iij. misce*, detur in aurora. Ex eo semper habebat ad minus octo sedes valde aquosas. Verum postea hic plane omnia remedia contempsit, vir sui cerebri; ita vt lecto omnino decumbere per multos menses coactus fuerit, vt in eius naribus ac cruribus vlcera suborta fuerint, quæ in hydropicis difficulter curantur, à quibus magna copia aquæ effluebat per lectum, etiam solaria transeundo. Tandem, postquam per octo menses lecto misere decubuisset, & miseram vitam absque medicamentis traxisset, vltimum diem obiit.

Scholia.

INferiora tum pedes huic inflabantur, at superiora arefiebant, *vt in ascite fieri assolet, cum & femora tum pedes instentur, & aliquando in serotum descendat humor*:) in fine tamen aliquando contingit, morte instante, manus quoque inflari, quod pessimum signum esse volunt, debilitatem cordi communicatam esse; vnde cor non potest defendere manus ab inflatione. Sed quod ad signa prognostica attinet, causarum prius distinctio ponenda est, & præcipue obseruanda, cum ex iis grauitas morbi coniiciatur. Hinc communis opinio habetur. Quam & Donatus sequitur, quod *tympanites periculosus sit, minus ea ascites: sarcites quoque aliquando curabilis sit, per ea quæ cutim adhibentur humorem detrahentia ac resiccantia pharmaca, vt Aetius inquit*, Iacchinus aliter sentire videtur, cum ita scribit: *Soluenda autem nobis (inquit) quæstio est quam iuniores mouent, quæ harum affectionum sit deterior. Alij enim, vt Auerrh. 3. Colliget. tympaniam dicunt*: ratio, *quia non est hæc sine calore, nec potest sine calore flatus discuti: vnde duplex incommodum in cura sequitur, & augmentum scilicet flatuum,*

Signa prognostica.

quæ signa vera sint.

5

flatuum, & augmentum dyscrasiæ calidæ. Videte quantum proficiat ars sine experientia. Nec enim distinguit veram ratiocinationem à falsa. Miror Brachatos hos medicos primum non esse experientiæ innixos ad problema soluendū, mox rationibus certasse: sed nimis addicti erant scriptoribus, ita vt nihil ab artis operibus vtilitatis assumerent. Ego vero (inquit Iacchinus) à iuuenta perpetuo euentus omnes ægrorum obseruaui: vidique cæteris paribus de ætate & robore, hydropas, qui anasarcæ dicuntur, facilius curari: quod si contendere ratione oporteat; quia causa minus est rebellis: nam proxime hi ad sanguificationem accedunt, nec vires adeo imbecillas habent. At in cæteris membra alimento destituuntur, & omnia imbecilliora. Adde quod sæpius hic casu euenit ex mala victus ratione, vt crapula, cum dimisso exercitio, aere humido, & crassis cibis: & sic videmus pueris aliquando contingere. At hæc facilius sanatur, vt Veritas & Galenus testantur. Alij curatu faciliorem dicunt: significatur enim robur naturæ, cum ad omnes paries diffunditur id, quod noxium est. Quod si tympaniam compares asciti, facilius curam hæc recipit. Ratio dictat, quoniam à minori defectus fit, 4. aph. 11. quia humida substantia sine calore aliquo in flatus non vertitur: quare & vires minus imbecillæ factæ sunt. Sed & alia est causa, quoniam, vt diximus, malum à ventre ortum habet: & sic non est tanta læsio principis partis. Aetius tympaniam periculosiorem facit; sed nullam causam affert, nisi quod incisio adhibetur iuuans. Ad Auerrhois vero rationem dico, veram fuisse, si ex intemperie calida fieret. At non sequitur, Ex maiori calido fit: ergo simpliciter ex calido. Sed in veritate, si deprauitate morbi recte dijudicare debeamus, à fortitudine causa inchoandum. Stat ergo, Tympaniam à scirrho ventris factam vel mesenterij, multo deteriorem esse ascite à frigore jecinoris facto, ob causæ naturã, & fixionem. Ideo qui comparat cætera omnia, comparare debet paria, de causa, de ætate, & aliis, quæ possunt vim morbi & periculum augere. Altera quæstio est: quoniam posuimus ascitem à causa frig. hepatis semper fieri, ex Gal. ideo quærendum venit, num & à causa calida, vt posuit Auicenna, quem sectantur iuniores omnes, ponentes hydropem à causa calida. Similis sententiæ fuit Auerrh. 3. Coll. Sed & verisimile est, hos vidisse multos calidis morbis laborantes, qui hydropici forent; vt cum intemperie jecur laboret nimium calida, vel phlegmone. Et quidem nos vidimus hydropicos, quibus aderant signa caloris in jecinore. Confirmatur hoc, quia sæpe suffusi flauo calore apparent, & vrinæ coloratæ valde colore rubro, vel flauo. Quare stabit cum calida jecinoris intemperie hydrops. Quod si ratione contra hos contendere velis, quoniam generatio aquæ vel flatus est à calore diminuto, & ita necessario ex frigiditate, respectu naturalis temperiei, respondebunt, incrussisse extraneum calorem & morbosum; imminutum vero naturalem cuius vis est concoquere: & ita refrigeratum jecur esse calido innato; sed calidum calore extraneo. Quod vero hoc sit, patet, quoniam ad acutas febres sequitur; non alia ratione, quam quia extinguitur calor concoquens. Hæc quæstio necessaria est, quoniam nosse oportet, num opus sit semper procedere cum calfacientibus in hydrope: an aliquando sit refrigerandum. Profecto ego non video quomodo possit à calida intemperie gigni aqua. Scimus enim quod omnis immoderata intemperies dejicit opus & facultatem 3. de sympt. caus. 1. & ita omnis vitiat coctionem: Sed diuersimode, vt Galenus ibi ait, Nam frigida frigidos semper affectus parit: calida calidos: quod est assare & in bilem vertere, & siccare, quamuis ergo calor natiuus sit debilis, aget tamen jecur calore quem habet in cibos: & hic est calor acris, & mordax & exurens. Ergo plurima bilis gignetur dum ea viget intemperies: sed cessante ea, & restincto calore præter naturam, cum etiam imminutus sit calor qui secundum naturam, erit jecur frigidum: & ita frigiditas eius ad calidos morbos potest succedere per resolutionem. Ad

Medici Brachati taxantur.

6

7 *Verum ascites fiat à causa calida.*

8

ea vero experimenta quæ adducebantur, dico primo, non esse inconuenies de hydrope tympanite, quod fiat ex calido circa viscera vehementiore: dum in ventre, vt intestinis copia adsit pituitæ: quod aliquando euenire potest, vbi homo calidi jecinoris vsus fuerit victu apto pituitæ generandæ. Scimus enim quod ratione materiæ fit à vegeto calido flatus, 14. method. cap. de priapismo. Reliquis vero morbis calidis succedet quidem ascites aliquando, sed non comitabitur. Potest etiam contingere, vt in calido jecinore scirrhus eueniat; vt lienis vitio, vel exustione alimenti & sanguinis, vnde refrigerentur mesaraicæ venæ, & simæ jecinoris, & obstruantur venæ illæ: vnde alimentum crudum & aquosum permaneat, & exsudet in ventrem. Sed semper à frigido fiet, vt patet. Quod vero additur de vrina nihil est: ipsi enim exiguum mingunt; & vrina diu detinetur, vnde rufescit. Gal. tamen 2. Prognost. 2. hydropem ponit factum ex inflammatione lactium & ieiuni. Sed vult fieri tympaniam quia crudum alimentum deiicitur per intestina, & à calore loci in flatus vertitur: & manet in ventre, ob excretricis imbecillitatem. Sed & de ea, qua ex iecinoris inflammatione fit, cap. 3. loquitur. Fieri vero ait, quoniam alimentum, & potio detinetur in lactibus: indeque resudat. Quod vero in iecur permeat, torretur: vnde biliosum fit, ex inflammatione. Quod vero insuper addunt, à sicca intemperie & humida fieri, falsum est. Nam ex his non vitiatur concoctio, id est, alteratio alimenti, nisi vbi iunguntur frigido vel calido: quod ego supra ex Galeno monstraui: sed alias noxas inferent. Hactenus Iacchinus. Non desunt tamen præter illos, qui Auicennam sequuntur, iuniores, vt Rondeletius, aliique viri doctiores, qui hydropem à causa calida fieri volunt. Et sic etiã in vtramque partem disputari quoque posset, quæ nam species sit deterior. Memini enim, cum Louanij in scholis de hac re fieret disputatio, quod ego contra Licentiatum, qui gradum Licentiæ accepturus erat, sustinerem hyposarcam omnium specierum pessimam esse, cum plura membra in eo læderentur; quam positionem tunc contra præfidem Leonardum Hieremias doctissimus defendebat, cumque acurus esset in disputando, ita vt Leonardus paulo calidior in disputando cuadens, diceret, *Ego Galenum legi antequam esses natus*; cui subridens Hieremias, vt erat facetus, inquiebat, *Plura quidem legisti, sed pauca animaduertisti*: Cæterum aliter disputatur in scholis, aliter in praxi re ipsa demonstratur. At omissa hac altercatione, demum ad Prognostica reuertamur. Omnes autem inueterati hydropes, & qui habitum corrumpunt, sunt periculosi; *vt etiam Aetius fatetur.* Iam quoque experientia edocti sumus, aliquas causas esse prorsus insolubiles, vt scirrhum, si in viscere eo sit; si vero in liene, ægre solubilem. Alij à tumore duro jecoris vel etiam lienis, insanabile malũ esse volunt: sed & quando iam aquam intercutem facit, prorsus insolubile, siue in liene, siue in vtero, siue in lactibus sit; diu enim durasse & confirmatum esse oportet. Sæpe vero hoc malum, vt nunc diximus, per se incipit; sæpe alteri vetusto morbo, maximeque quartanæ, superuenit. Inter initia tamen non difficillima curatio est, *vt exemplo huius obs. 28. præceden. ostendimus.* At si malum inueterauerit, non sine magna molestia discutitur, *Celso auctore*, faciliusque in seruis (*si nondum radices egerit*) quam in liberis tollitur: quia cũ desideret famem, sitim, & mille alia tædia, longamque patientiam; promptius his succurritur, qui facile coguntur, quam quib. inutilis libertas est. Sed ne hi quidem, qui sub alio sunt, si ex toto sibi temperare nõ possunt, ad salutem perducuntur, *vt idem refert Cornel.* Difficile vero soluitur habitualis frigida intemperies: attamen non est impossibilis. Facillime

9

10

11

curantur, qui ex obstructione, vel ex victus ratione oriuntur: vt ex cibi multitudine: post hos illi, qui à suppressis menstruis. Curam etiam recipiunt illi qui ex profluuio sanguinis: sed quia raro fit sine scirrhis, ideo rari euadunt. Omnis item aqua inter cutem, si ex acuto morbo existit, mala est, *vt liquet ap. Hippocrat. 2. Prognost.* non enim sedat febrem, sed dolorem admodum infert, ac mortem, vt ipse inquit. Huic quoque affectioni non minus fœminæ, quam viri sunt obnoxij: pueri vero vt plurimum ab hydrope sarcite apprehenduntur, quæ quandoque curabilis sit.

12 *Quæstio.* Sed quæret hic aliquis, *quod ad ætatem attinet, quinam melius euadant? an iuuenes, quorum naturæ morbus est aduersus: an senes, quibus est affinis?* At experientia monstrat pueros aliquos euadere; seniorum vero nullum. An eodem proposito genere causæ morbificæ, magis periclitantur pueri, quam senes? quia magnitudinem causæ commonstrat. Hæc enim est causa 2. *aph.* 34. Sed licet senes de vita non periclitentur, rarius tamen morbo liberantur, ob vires defectas: quoniam branchi in valde senibus non maturantur. Non admodum formidabilis est aqua illa, quæ nullo antecedente morbo ceperit; deinde quæ longo: omnium periculosissima, *vt iam diximus*, quæ ex acuto nascitur; & quæ à scirrho confirmato, non curatur; sic etiam vix à resiccato nimis hepate: ab hydatidibus maxime. Phthisici quoque magna ex parte, eo quod iecori malum communicetur, hydropem incurrunt: eluuies enim saniosa atque virulenta viam inueniens, in iecoris substantiam diffusa aliquando obhæret, eiusque substantiam corrumpit.

13 Quod vero aqua inter cutem laborantibus vlcera in corpore facta difficulter sanentur, idem Hipp. scriptum reliquit *aphor. 8. lib. 6. & aph. 14. eiusdem:* quod sit propter nimiam humorũ abundantiam: *Hydrope correpto* (inquit) *si aqua è venis in ventrem defluxerit, soluitur morbus*: quemadmodum malum esse, si eisdem tussis superuenerit, decretum est ab eo *aph. 35. 6.* vel quod desperati, *vt liquet aph. 47. 7.* Signum tamen pessimum est, vbi vacuata vel sponte, vel arte materia, malum redit: causa enim pertinax est. Ergo, quod scribitur *aph. 14. lib. 6. Hydrope correpto, si aqua è venis fluxerit in ventrem, morbum soluit*; non est perpetuum. Multis enim sponte vel arte commoto ventre, & aquosis multis inde purgatis, non superfuit salus: quomodo sectis mors contigit, siue aqua fuerit in ventre, siue in thorace. Hoc in thorace annotauit Hipp. *lib. de morb.* quod & experientia confirmat. Sed licet aqua sponte vel arte expurgetur, si viscera corrupta vel syderata sint, celerius moriuntur. Multos obseruauit Hollerius, & etiam nos, qui ex alui profluuio melius habuerunt: sed paulo post, manente causa, morbus rediens interitum attulit. Aliquando etiam in nimia effusione humoris vna spiritus effunditur, quod Hippocrat. monet in his, qui secantur & vruntur. Ob id oportet integris viribus esse: & priusquam viscera corrumpantur, remediis vti purgantibus, deinde & aliis. Sed hæc ad curationem spectant, de quibus dicemus, cum de sectione latius loquemur.

OBSERVATIO XXXI.

De Leucophlegmatia, cum alui profluuio vehementi curata.

1 SCribit Hippocrates, si quis Leucophlegmatia detineatur, & fortis ventris fluxio superueniat, à morbo liberatur: *vt patet aph. 29. lib. 7. Namque* (vt Galenus inquit) *ex forti, seu diuturno alui profluuio, soluitur albæ pituitæ superabundantia.* Hoc modo noui Alemarianam mulierem, ad quam curandam accitus fui, hydrope aquosa seu Leucophlegmata laborantem: quæ, cum in alui profluuium vehemens incidisset, mox ab hydrope & totius corporis mole inflata, miraculi instar, omnibus admirantibus, liberata est.

SCHOLIA.

AVicenna contrarium de hydrope in generali dixisse videtur, quod fluxus ventris in hydrope sit lethalis. Sed hoc ita distinguunt: in ascite lethalem esse, in qua virtus fere debilis est. Et sic Auicennam intelligendum esse volunt. Alioqui in hypospharca, cum virtutis constantia & robore, aliisque bonis signis, etiamsi à natura fluxus factus fuerit regulariter, & non symptomatice, vtilis est. Hinc & Rhases 7. *Continentis*, tum Auicenna ipse, potius laudant in ascite siccitatem quam ventris lenitatem. Attamen in hydrope anhelandi difficultas perniciem minatur: vt & si cita pariter aluus superuenerit, qua nec venter obiter resideat. Hydropicis aliquando nauigatio profuit: Nam Ioanni Blancke negotiatori Parisiensi, apud Hollerium, in Angliam profecto, hyeme tumor cum miraculo quodam subsedit: euanuitque morbus, nec rediit. An *quod integro, aut non ita læso viscere aqua partim calore nativo excitato, partim aëre marino resoluta fuerit?* Cuidam per sudores sponte exsiccatos, & quasi distillantem aquam, curatio: Alteri mors, cum multo alui profluuio tumor subsedisset, redeunte morbo. Cuidam ad viuum resectis vnguibus pedum, & frictionibus paulatim humor illuc defluxit: & conualuit. Oribasius tussim signum esse mortis pronuntiauit, *ad aphor. 35. lib. 6.* Verum hoc distinctione quoque eget. *Si videlicet id fiat adiuncto morbo, & aquæ ratione, quæ tam pulmonum arterias asperas occupet, vnde tussis: nam si aliunde, non ita malæ.* Sic quoque, iuxta Gordonium, *à fluxu ventris, si non sequatur alleuiatio hydropicis, malum.* Et iuxta eundem: *vrina bicolor in hydrope lethalis; sicut cum est rufa inferius: & liuens superius: aut rubra superius, & nigra inferius.* Ita egestio hydropicorum tanquam sanguis coagulatus, mortem propinquam decernit: ita & anhelitus constrictio, cum solutione ventris, & vlcere oris, gingiuarum, & totius corporis: vti euenit Domino de Schagen paulo ante eius mortem. Ita & religiosæ morti proximæ vlcera multa in corpore apparuere. Ita in ascite seu hypospharca carbunculi quasi pestiferi superuenientes aut anthraces, mortem vicinam præmuntiant. Omnis hydrops sequens peripneumoniam, lethalis.

OBSERVATIO XXXII.

De quibusdam ab hydrope curatis.

1 PVer 12. annorum, ex hydrope decumbens Bononiæ in nosocomio Vitæ dicto, à præceptore meo Elideo ita curatus fuit: ℞. *pul. soldanellæ* ʒ ij. *aquæ cuscutæ agrimoniæ ana* ℥ j. quod illi exhibuit: & quamuis parua dosis profuit in puero. Deinde ℞. *syr. byzantini, de quinque rad. ana* ℥ ß. *aquav. cuscutæ, eupatorij, cichor. ana* ʒ vj. *misce.* Deinde iterum moderate purgatus est, cum rhabarb. & soldanella, cum aqua agrimon. Rursus *syrupo præparame* vsus. Mox soldanellam puer denuo cœpit: cœpit: & conualuit. Alter Mediolani decumbēs, curatus est hoc modo: ℞. *cass. rec. tract.* ℥ j. *trochisc. de viol. sine scammon.* ϑ ij. *pul. soldanellæ* ʒ j. *misce, cum zacch. fiat bolus*: ℞. *rad. petrosel. fœniculi, dauci an.* ℥ i ß. *sem. fœnic. anisi, dauci an.* ℥ ß. *cassiæ ligneæ, cinnam. electi an.* ʒ j. *centaur. minor. pulegij, calamenthi an.* m. ß. *rad. cucum. sylu.* ℥ ß. *in vini albi q.s. macerata per noctem & ita expressæ addatur rad. azari* ʒ ß. *granor. iuniperi* ℊ iiij. *bulliant simul omnia ad consumptionem medietatis.* Deinde fiat horum omnium colatura: cui adde *syr. de byzant. de quinque rad. ana* ℥ i ß. *exhibebatur omni die* ʒ vj. *vel* iij. Continuatum septem diebus; sed in homine fortiori. Prius tamen potest addi *rad. cucum.* ʒ ij. Deinde si necesse sit, dosis augenda. Potest & macerari in aceto. Vide Dios. Deinde capiebat *soldanellæ* ʒ iij. *cum aqua vel succo conuenienti.* Intermedio tempore sumebat ʒ j. *diacurc. ante cœnam & prandium.* Sed & hoc puluere vtebatur in cibis exsiccantibus: ℞. *pul. seminis anisi fœnic. an.* ℥ ß. *pul. ireos, sulphuris viui & extincti multoties in aqua agrimoniæ ana* ϑ i ß. Abstinebat à potu quantum posset. Quibus curabatur. Vbi non succederet, fortius exhibebatur: addendo supradictæ *decoct. soldanellæ* ʒ ij. *fauinæ* m. ß. *cantharidum* ℊ j. ℞. *syr. byzant. de eupatorio ana* ʒ j. *aquæ agrim. cassuæ, absinthij, fœniculi ana* ℥ j. *misce.* ℞. *trochisc. de eupat. de rhab. ana* ϑ ij. *cum syr. de mentha. fiant pil. detur vna, & superbibat ex syr.* Si non cedat morbus, ætate ferente reiteretur decoctum & purgans conueniens: & intermedio tempore detur diacurc. Et post tres dies huius pul. ʒ ij. ℞. *centaurij minor.* ʒ iiij. *sem. fœniculi, anisi, carui ana* ϑ j. *misce.* Si videbitur necessarium, decocto adde secundum, imo etiam tertium, granum cantharidum. Et si fiat corrosio ex dictis, iniiciatur talis clyster: ℞. *lactis recentis* ℥ vj. *axungiæ hircinæ* ʒ j. *axungiæ porcinæ olei communis & dulc. ana* ℥ iij. *ceruſſæ* ʒ ij. *sang. drac.* ʒ i ß. *aquæ consolidæ maio.* ℥ ij. *misce fiat clyster.* Hoc modo iam præscripto vnum curatum scribitur, iisdem sæpe repetitis. Cum cautione tamen cantharides imponantur: nam in eodem nosocomio Bononiæ vidi in muliere plus obfuisse, quamuis in paupere & fortiore etiam hæc profuere: ℞. *cass. rec. extractæ* ʒ j. *trochisc. de viol. sine scammon. soldanellæ ana* ϑ ij. *pul. liquir.* ϑ j. *fiat bolus cum zacc.* ℞. *rad. fœniculi, dauci, petrosel. ana* ℥ i ß. *sem. fœnic. anisi, dauci, ana* ℥ ß. *pulegij, calamenthi, sabinæ ana* m. j. *rad. azari* ʒ ij. *gran. iuniperi* ϑ ij. *cantharid.* ℊ iij. *fiat decoct. in vino secundum artem, capiebat omni mane* ʒ vj. Deinde istis pilulis: ℞. *pilul. mastic. aggregat. ana* ϑ j. *elaterij optimi* ϑ ß. *cum syrup. de eupat. fiant pilulæ* 5. quiescebat deinde per quatuor, quinque, aut sex dies; quibus vtebatur pul. sem. anisi in cibo, aliisque supra repetitis. Et his æger sanitati restitutus fuit. At ego potius cantharidibus minime vtor; propterea quod ab iis viderim corrosiones; quanquam non dubitem in valde robustis prodesse. Hæc quidem vehementissima non nisi cum cautione, in robustis, & cognita natura, per vices adhibenda.

SCHOLIA.

4 CVm autem ex prædictis constet omnem hydropis curationem difficilem esse, & pluri-

mo artis auxilio opus habere: tamen iuxta Aëtium, inter initia non ita difficilis habetur: *Celso quoque auctore.* Curationis vero prima & principalissima pars ratio victus existit, non solum in aqua inter cutem, verum etiam in omnibus affectibus, & potissimum periculosis, *Alexand. testis.* Et ideo in omni hydrope inprimis studebimus, iuxta omnes auctores, roborare virtutem hepatis digestiuam, ac ipsius ventriculi; vitando cibos nocentes. Et ideo in omni hydrope omnes virtutes ac membra principalia, præcipue hepar ventriculum, roborabimus cibis rebusque odoriferis, moderate stypticis: & mandabimus vt moderate cibis euchymis & leuis digestionis vtantur, mixtis aromatibus roborantibus, idque semel in die. Quæ omnes hydrope laborantes egregie iuuant. Sed hoc meminisse oportet, *si quis hydrope simul & febre corripiatur, quod tunc post dimissionem febris, vel tempore minoris afflictionis cibi exhibendi erunt; atque tunc etiam remedia commoda administranda.* Eaque de re communem omnibus speciebus aquæ inter cutem victus rationem instituemus: & quasi vniuersalem prius aggrediemur: deinceps cuiusque particularem curationem. Ideo loci salubritas imprimis quærenda est: montana loca, marina (*sic quidam hydropicus inflatus ventre, manibus pedibusque & facie, à medicis destitutus, & tanquam desperatus, adiit littus marinum, & nauicula per aliquot miliaria ascendit in altum maris: & prouocato vomitu: post vomitum exercitio vtens, sanitati restitutus est*) aprica ac sicca regio inhabitanda. Propterea aër eligatur ad calidum & siccum vergens: moderata autem sit, & probe temperata ipsa domus, secundum anni tempus, *vt inquit Aetius.* Lectus non valde mollis sit, iis præsertim, qui anasarca laborant. Substernantur etiam arundinum folia, & herbæ resiccantes; velut est *vitex, pulegium, calamintha & similia*: tegumenta etiam ipsa, quibus teguntur, apparentur duriora: mitum est enim quantum huiusmodi per somnum resiccent; vt constat iam quosdam frumenti aceruis obuolutos & absconditos, à somno surrexisse firmos ac resiccatos, *vt liquet ex eodem Aetio.* Somnus eisdem competit moderatus aut paulo breuior consueto: namque vigiliæ moderatæ non minus conferunt: digerunt etenim, *vt liquet ex Galeno 12. meth. med.* Motus insuper, si quid aliud (*vt Trallianus refert*) hydropicis conducit; præcipue qui fit per mare, equum & lecticam. Iis autem, qui viribus constant, etiam ambulatio est vtilissima. Pariter frictiones hydropicis adhiberi debent: namque exteriores corporis meatus rarefaciunt, humores extenuant, ac discutiunt, *eodem Alexand. teste*, Celsus quoque *multum inambulandum, currendumque aliquando esse*, præcipit; quanquam idem inter initia quietem, sitim ac inediam pro affectus curatione probauerit. Addidit etiam, *quod superiores maxime partes sic perfricandæ sunt, vt spiritum ipsum contineat*: euocandus est sudor, non exercitatione tantummodo, sed etiam in arena calida, vel laconico, vel clibano, similibusque aliis: maxime vtiles naturales & siccæ sudationes sunt, quales super Baias habemus in myrteis, *vt ipse refert*; modo autem vulgo sudatorium Trituli forte (*vt Donatus putat*) appellatur. Ac clibano vti volunt: non eo tamen modo, quo Gydone quædam è plebe mulierecula cachecticum filium seu hydropicum temerario ausu dempto pane (*vt scribit Benedictus Veronensis medicus doctissimus lib. 15. cap. 25. de curatione in communi, & de siccis sudationibus*) subiectaque tabula in furnum coniecerat, inuitum ac reclamantem, vicinis ad eam medelam opem ferentibus: nam in caput puerum intulerant: qui vapore occluso spiritu protinus suffocatus est. Remedium conferre indicio matri fuit, quod protinus cõticuit. Stabat ante furnum læta, sudoris desiderio: paulo post puerum percunctari cœpit, *nunquid calor prodesse videretur?* Cum ille nihil responderet, suadentibus

2 *Victus ratio communis singulis aqua inter cutem speciebus.*

5

Ex vomitu in mari, ab hydrope quidam curatus.

6

Sudatorium Trituli. Exemplum imprudens audacis mulieris.

7

8

vicinis, vt puerum quiescere pateretur, ad dicacitatem rediit; paulo post cum puerum extraxisset, exanimatum vidit, furni remedium, suamque & vicinarum temeritatem exsecrando. At nos tuto has siccas sudationes excitamus in lectulo humili, clibani modo lateritiis lapidibus modice accensis & vino albo extinctis, pannisque inuolutis, ne forte lintea succenderentur; atque ita ordine ab humeris ad pedum plantas eos lapides circumponimus, leuiter candentes, exserto ac immuni à vapore capite: tecto tamen sindone: tum sudores ter aut quater, interdum miro modo euocamus. Pares sudationes idem Veronensis vtiles tradit, in specu, in Mylo insula, sæpe salutares: vbi vapor tantum quæritur, sicuti super Baias inueniri tradit Celsus: *vti paulo superius diximus.* Iuxta Aponi fontes, ac in pluribus Italiæ locis, & in Bononiensi agro ac Statiliensi, pares sudationes faciles constitui possunt, rapto in corpora vapore, quoniam balnea, & humores omnes damnauere. Verum neque sudor euocandus, aut corpus valde exercitandum, nisi prius corpore perpurgato. Cibus autem debet esse ex media materia, sed tamen generis durioris (*vt refert Celsus*) tamen concoctu facilis & sufficienter coactus. Alexander laudat panem furnarium probe fermentatum, qui semina flatibus discutiendis apta contineat, *vt anisi, aut cumini, aut fœniculi, cuius etiam copia vitari debet.* Et si optimus clibanites: qui salem ammium, & fœniculum habeat admixtum, *iuxta Aetium*, Ex auibus conueniunt *perdices, turtures, phasiani, turdi, merulæ, sturni, & reliqui minuti passerculi, qui pingues non sunt? interim & non improbantur gallinæ, ac gallinacei pulli, quamquam feræ, anes mansueris præponi debeant*; vt testatur idem Trallianus. Et quadrupedum item carnibus moderate comedant: & eas potius, quæ non sunt pingues, præcipue *ferinas, vt ceruinas, aprinas & caprearum ac leporum*: quarum ius cum extenuante cibo paretur, *apio videlicet, petros. dauco, pulegio: caucalide, eryngio, pastinaca porro capitato, ac aliis*: præsertim hominibus ruralibus & nautis. Has easdem maxime assas, si gratæ sunt, assumere ipsos alienum non est. Verum tam assatis, quam elixatis semper aromatica quædam redolentia adiicias præsertim cinnamomum, aut caryophyllos. Ex piscibus gustari poterunt canceri, locustæ & erinacei recentes. A leguminibus abstineant in totum. Inter bellaria concedendæ sunt *palmulæ, nuces amygdalæ, uuæ pensiles, uua passa, mala punica, pyra cocta, ac caricæ: omnia tamen moderate, neque omnia quotidie.* In vniuersum tamen maximam ciborum partem in cœna accipiant. Quandoque etiam assatas cochleas, atque oua insuper assata gustare poterunt, *vt Aet. visum est.* Pro potu vt vinum tenue, præsertim vetus, itemque illud quod vrinam ciet. Aqua in vniuersum vitanda est. Verum quoniam incommodus est eis plurimos potus tantum præbendum erit, quantum ad infringendam aliquo modo sitim sufficit. Namque potio non vltra danda est, quam vt vitam sustineat: optimaque est, quæ vrinam moueat, *vt Cels. placeat.* Si tamen sitis intensa instet, parum quid delibandum dabimus; solatij tamen gratia. Inedia quidem in hydrope facilius fertur: sitis vero difficillima est, nec sustineri potest: propterea Medrodorum ferunt, Epicurei discipulum, cum hoc morbo tentaretur, neque æquo animo ferret intolerabilem sitim, vbi diu abstinuisset, bibere solitum, ac deinde cucumere, namque si redditur quicquid receptum est, multum tædio demit alioquin morbum auget: ideoque in quolibet tentandum non

9 *Cibus qualis esse debet.*

10

est id remedij genus. Ideo vinum austerum, quidam dandum præcipiunt, cum cibo præparce quam tenuissimum, nec vltra quam vt vitam sustineat: & vt talis sit potus, quæ vrinam tantum moueat. Dulcia vero vina, & vinum mulsum, vitanda sunt: namque ex his sitis non sedatur. Epotum tamen acceptum optima eisdem medela est, *vt liquet 1. de simpl. med. facult.* Quod si velint factitiis vinis vti, id sit absinthites, præcipue quod spicam nardi copiosorum recipit: vel apiatum: aliis autem abstineant, *ex Alex. Trall. testim.* &, vt summatim dicam (*cum Gal. 4. de rat. vict. in morb. acut.*) quam nimium habere & quam plurimum laborare prædictis confert: nempe talis viuendi modus calefacit & exsiccat. Hæc quoad communem victus rationem attinet, dicta sunt satis. Quantum vero ad medicamentorum rationem pertinet, communis etiam omnium curatio ab euacuatione incipienda est. *Pauli & Alexandri testibus.* Ideo sciendum, *quod omni hydrope conferant res euacuantes, incidentes, exsiccantes: tam interius adhibitæ quam exterius admotæ.* Et quamquam vniuersalis methodus sit in omni hydrope, vt materia, quæ morbum faciat, euacuetur, vti aquositas: tamen in ascite, persoluentia, quæ hepati minime inimica sint, est procedendum: ideo cathartica vehementiora damnantur, præterquam in hyposarca quæ vehementiores sustinet potiones, modo vires adsint & ætas ferat. In tympanite vero magis per digerentia. Ita in hyposarca purganda est materia pituitosa: & ea danda, quæ aperiant & vrinam prouocent: idque magis in ascite & hyposarca. Sic & hepatis intemperies corrigenda, ac roborandum semper hepar, siue per consensum, siue per se fiat. Sic & resolutio ventositatum & humiditatum: & meatuum internorum & externorum apertio (*materia prius præparata, & per euacuationem expulsa*) saltem cum frictione ad solem vel ignem cum stuphis siccis, vel aliter, *vt superius dictis est*, omnibus speciebus hydropis curabilibus vident iuuamentum præstare. Sed hoc quoque sciendum, *quod quæuis medicamenta quæ aquosos humores expellunt, atque diuretica sunt, si in puluere sumantur, subtilissime trita cum aquis vel decoctionibus propriis administranda erunt, vt facilius penetrent.* Præterea & hoc obseruandum, *ne tædio afficiantur multis remediis, quod medicamenta sæpius sint mutanda, & varia forma administranda, ne natura assuescat vni præsidio: ne medicamentum fiat vti cibus, non autem vt medicina.* Et sic quoque medicamenta laxantia, roborantia, siue aperientia, quamuis sint diuersarum specierum, non sunt continuo adhibenda: sed vtile erit modo vnum, modo alium administrare: subinde vero & ex toto quiescere, vt natura cibo ac potu refocilletur, à multis remediis subinde lassata. Et ita quoque inter duo solutiua ventris, præstat aliquid deoppilans aut aperiens medicamentum præbere, vt meatus aperiantur, & hydragoga commodius operentur. At vnice studendum, *vt abstineamus à venenatis potionibus, vt euphorbio, cocto gnidio, quantum possibile; & numquam ad mezereon, laureolam, nisi cum cautione accedendum; cum mezereon apud Persas vocetur rapiens vitam; & ab aliis faciens viduas: ideo, nisi coacti, iis non vtemur.* Vide de hac re historiam apud Gradum *de Francisco Sforcia, duce Mediolanensi, qui tamen erat robustus hydrope laborans, & bene tolerans medicamenta vehementiora: sed eius vsu ita fuit debilitatus cum ea accepisset, vt iuuaverit, se numquam talem medicinam acceperum.* Ideo *vt paulo antea diximus*, alia vehementiora cathartica non laudarem, nisi in hyposarca, & in fortioribus ac robustis: cum & hæc valde

Communis medicamentorum ratio.

valde calida ventrem acrius perturbent; & iecori inimica sint: quod si danda sint, ea quidem correcta exhiberi debent: sed tutiùs ab iis abstinebimus. Et ideo si fortiora sint propinanda, semper roborantia aliqua addemus, quæ iecur & ventriculum roborent, & propterea statim à potionibus laxantibus roborationi hepatis incumbendum, vt vis eius & conseruetur & roboretur. Obseruabimus quoque, *vt causam ipsam, quæ hydropem efficiat, auferamus: quamobrem si ab hepate eiusque apostemate, abscessum scirrho, oppilatione hydrops originem traxerit, talis affectus primo tollendus erit ex propriis locis, ac diligenter hepatis prouidendum erit.* Quod si per consensum hic affectus fiat, causæ omnium primo occurrendum erit, siue ex liene fuerit, siue ex aliis partibus nam causarum quoque ratio habenda. Deinde ad id quod genitum est, erit deueniendum. Sed quia aqua collecta morbum facit & auget, ea tanquam causa primum auferenda est; ac ne augeatur, victus exsiccans, *vt nunc diximus*, instituendus. Sed & discretio remediorum à varietate causæ sumenda: nam alia conueniunt in frigida alia in calida, *vt apud Rondeletium videre licet, tum alios auctores.* Curationem itaque *Graci, vt Paulus & Alexander*, ab euacuatione incipiunt: quanquam ascites & tympanites purgans medicamentum duntaxat, quod aquam educat, requirant: anasarca vero interdum venæ sectionem, vt ipsi referunt. Quin imo hic solus hydrops, cum incipit. (*Galen. teste 4. de rat. vict.*) interdum sanguinis detractione indiget, cum scilicet ex retentione, vel hæmorrhoidis vel muliebrium, vel ex quapiam, quæ ita phletorica sit causa inceperit. Tympaniam vero & ascitem (*vt ipse inquit*) nullus per sanguinis missionem sanare est ausus. At in deiectione ventris & hoc quoque obseruandum: materiam prius præparandam, & meatus aperiendos: mox aluus emollienda; imo in singulis hydropicis aluus seruanda lenis est, si non natura, saltem aut clysteribus lenientibus aut glandibus. Quæ vero per aluum infunduntur, cæteris hydropis speciebus traduntur, præterquam anasarcæ: præsertim cum cathartica aut vomitiones minus iuuent. Quidam vomitum ante cibum & post in omni hydropis specie, morbi initio laudauere: præsertim in ascite: sed ab imbecilliori inchoandum iubent. Verum vbi vires non sunt, id remedij genus relinquunt, nam proterit plurimum vires. Cientia vrinas iuuant etiam in ascite, si admoueantur: etiam in hyposarca, per potum, cum in ambitu corporis aqua existat. At illa, quæ sudorem prouocant, non multum prosunt in ascite, quia pauca aqua est ambitu corporis, in anasarca valde prodest. *In tympanite*, inquit Paul. *cathartica quæ corpora colliquant, vitanda sunt, & quæ vrinam vehementer ciunt: nam ea melius mouentur cibis quam medicamentis.* Verum si res cogit, ex iis aliquid, quod id præstat, cibo aut potui admiscendum est; qualis est *iris, nardus, crocum, cinnamomum, & alia quæ Celsus ex præclaris auctoribus adfert*: qualia & Paulus fere commemorat. Hactenus communiter de omni specie dictum sit, postea ad curationes speciales transibimus: exemplo hoc prius adhuc interposito.

OBSERVATIO XXXIII.

De duabus mulieribus hydropicis casu curatis, vmbilico perrupto & aqua effluente: quæ postea tamen ex recidiua vitam finiebant.

MVlier quædam in Thessalia insula, (*non autem Græciæ, sed nostræ Bataviæ*) hydrope ad desperationem laborabat, ventre ita prominente, vt disrumpi videretur. Cum autem hæc vsa esset multis remediis, præcipue empiricorum consilio (*qui ad eiusmodi insulas confluere solent*) nec quicquam opis aut iuuaminis sentiret, tandem pro deplorata habita est. Sed paucis deinde diebus, perrupto vmbilico, ex ingenti mole aquæ, suo pondere ventrem prementis, magno impetu aqua purissima effluxit priusquam postea & paulatim vsque ad congios fere 12. aut plures, vt ipsa nobis narrauit. Atque sic, absque opera medicorum, vmbilico denuo occluso, præter spem multorum conualuit. At tunc nihil remediorum iecori adhibuit, ne denuo recidiuam pateretur; & post plures annos, cum praua victus ratione veteretur, iterum venter in molem excrescere cœpit: neque eadem fortuna, vt antea, curata est: imo remediis tunc nihil iuuantibus, ab hydrope infelix tunc obiit. Idem contigit mulieri Delphensi, ita vt quasi facto absscessu in vmbilico, aqua effluere per vmbilicum eo referato cœperit, sed non ita pura nec alba, vt in præcedente, sed admodum rubra, postea etiam instar carnis loturæ. Ideo me, tum Cornel. Heydium collegam meum, tum duos chirurgos, vocari ad se iussit: adhibitisque optimis remediis, ab hydrope cum euasisse videretur, postea tamen cum stillatim rursus aqua rubra effluueret, vt in matulam vitream reciperetur vmbilico appositam, tunc remediis chirurgorum tantum vtens, tandem & hæc (*licet à nobis satis curata*) postea (*vt à chirurgis nobis relatum fuit*) obiit anno 1562.

Scholia.

ACcidit interdum casu & fortuna sanari nonnullos, quos medicina curare non potest: vti huic priori mulieri euenit; quamquam post multos annos facta recidiua, & iterum in hydropem prolapsa, eodem malo obierit. Altera quamuis fuerit quasi curata, cum tamen ex vrina etiam videbatur viscera putrefacta, postea etiam obiit. Puer tamen, de quo prius dictum est, apud Beniuenium, curatus fuit. Et sic vt idem refert, *mulierem scimus, quæ dum aqua inter cutem adeo laboraret, vt nulla de salute eius superesset spes, nescio quo spiritu impulsa, de eminente quodam loco ad terram deuoluitur, & vero ad lapidem eliso discessuque, ita prorsus omnis effusus est humor, vt quæ puerum octimestrem gestare videbatur, enixam crederes. Sed nec multo post, aut tempore aut labore idoneis ad hanc rem adhibitis præsidiis penitus sanata est mulier.* Recte dixit Argenterius ille doctissimus medicus (*vt alias quoque diximus*) *tria esse, per quæ officia medica fiunt, per naturam, medicum, fortunam seu casum.* Sed quæ casu fiunt, non subiiciuntur præceptis, vt de his, qui ex vmbilico ex se rupto ab hydrope liberantur: quamuis simile quid his accidit, quod ascitici, quibus dissecto abdomine aqua emittitur, de quo Paulus Ægineta *lib. 6. c. 1.* Huius exempla postea adferemus, nunc ad anasarcam seu λευκοφλεγμαΐαν, & eius curationem accedamus: deinceps & aliarum specierum particulatem curationem proponamus.

Beniuen. abditis causis morbor.

OBSERVATIO XXXIV.

De virgine ex mensibus suppressis in anasarcam incidente: & de alia quæ postea ad empiricos prolapsa obiit.

VIrgo quædam satis annosa, 40. annos nata, cui menses longo tempore restricti fuere, tandem cachexiam incurrebat: mox vniuersa caro

huic, atque adeo totius corporis moles, ſpongiæ inſtar, laxa ac madida euaſit, ac toto corpore calore quidem mortuo, ac adeo intumeſcente, vt vix procedere poſſet, illa nempe ſpecie hydropis correpta, quam anaſarcam ſeu leucophlegmatiam appellamus. Ad hanc curandam acciti: cum hic multus crudus ſuccus in vniuerſo corporis habitu abundaret, hunc neceſſe erat vel concoqui, vel vacuari, vel vtrumque fieri, vt methodus curandi exigit. Sed antequam illa fierent, videndum, num adhuc cauſam habeat fouentem: eam prius remoueri oportet. Sunt autem cauſæ, quæ præſtiterunt, *menſium ſuppreſſio; aut prauavictus ratio, tum in qualitate cibi, tum in quantitate: ſimiliter & quæ debilitant iecinoris concoctionem, præter ſcirrhos, aut obſtructiones magnas, & difficiles*: quæ vltimæ cauſæ etiam in aſcite fieri poſſunt præcipue. Cum ergo ex retentis menſibus fuerit (*vt hic erat*) vel hæmorrhoidibus *iuxta Hippoc. aph. 6. & 12.* vbi oſtendit Galenus, *hoc fieri: quoniam prauus ſanguis & multus vitiatus frigido vitio, retinetur in venis*. Sed & cauſam reſpicimus: de quo affectu Galenus loquitur *in libro contra Eraſiſt. cum hydropas ſanguine miſſo ſanatos eſſe ait*. Sed maxime vires animaduertere opus eſt, vt habeant, & vt habituræ ſint à miſſo ſanguine. Nam ſi conſtare videntur, ſignum eſt tantum crudorum copiam non eſſe, quæ prohibeat venam ſecari, *auctore Galeno in libro de venæ ſectione*. Non aliter 4. *de ſanitat. tuenda*, in crudorum multitudine prohibetur venæ ſectio, vbi multum remota eſt multitudo à ſanguinis natura; idque ob virium robur. Sed & modus ille ſeruandus erit, *de quo Gal. meminit in lib. de venæ ſectione*, vt ſcilicet iterato fiat: atque interim ea, quæ humores ad alterationem præparant, propinentur, id eſt, incidentia, & calefacientia & ſubtiliantia. Meminit vero ſanguinis miſſionis ſolum in anaſarca *Gal. 4. de vict.* & in hac ſolum locum habere ait. Quæ præſertim interdum ſanguinis detractione indiget; cum ſcilicet ex retentione, vel hæmorrhoidis, vel muliebrium, vel ex quapiam, quæ ita plethorica ſit cauſa, inceperit. At in tympania & aſcite ſecundum eundem (*vt antea quoque diximus*) nullo modo vena ſecanda. Ideo & nos in talo venam aperire iuſſimus, ſanguine moderate extracto: quamuis ex ea ſectione venæ menſes non fluxere. Propterea recte dicunt medici illuſtriores, quod miſſo ſanguine ſtatim cogitandum erit, vt humoris frigide copiam educamus. Id vero, cum multiplici fiat via, nempe per aluum, per vomitum, per vrinas, per inſenſibilem tranſpirationem, per chirurgiam, & per ea, quæ ex accidente corpus exſiccant; ab iis eſt auſpicandum; victu ſcilicet, vtpote in morbo longo, (*omnibus vero vtendum ideo, quod in variis partibus continetur humor, & eſt per proxima euacuandus*) quem generatim ita inſtituimus: talem nempe victum, qualem ſcholio, *Obſerv. 31. præcedentis* deſcripſimus: & quod ad quantitatem attinet, talem qui vires non deliceret: & quod ad qualitatem, vt ſiccaret corpus; nihilque graue concoctu, ob caloris infirmitatem glutinoſum, vel craſſum propter obſtructiones; humidum actu vel poteſtate, ob humoris copiam, non frigidum, non flatuoſum: omnia enim hæc lædunt hydropas eiuſmodi. Quamobrem effeci, vt condituræ ciborum optimæ eſſent, ex aromatis vrinam cientibus, & ea, quæ ventré ſubducunt quotidie familiaria. Potu quidem quam exiguo vt vteretur mandaui: nempe vino albo tenui, prout ſumptus ferre poſſet; & non adeo adſtringenti: & ſummatim, vt parce viueret. Multi cum forti animo per menſes aliquot ſolo pane alti potu abſtinuiſſent, curati ſunt; adhibito reliquo victu ſiccante per exercitationes, quas ferre poteſt, per aerem ſiccum. In medicamentorum genere primum deiicientia aluum præſcribunt medici. Hæc enim præcedere debent: quæ cum multa ſint, ea tamen eligenda, quæ experientia nota fuerint conuenire; ſæpius enim hæc iteranda veniunt: poteſtque prudens medicus facile experiri. Conſtat autem curatio his intentionibus; vt plurimum operentur abſque ægri moleſtia: & ita vtimur potione & clyſmate. Hic igitur, cum cruditates abundent ſæpius circa primas venas, quidam hieram eligunt, cui ineſt ſolutio modica & confortatio. Modo vtuntur *infuſo rhab. & agarici in optimo vino*; quæ in hac ſpecie plurimum laudantur: aliquando radic. turbith. addentes. Sed his vehementiora ſunt quædam ſimplicia: de quibus ſermo erit in aſcite: nam & his quoque aliquando in hypoſarca vti poſſumus; è quibus ſunt *ſquamma æris, as vſtum, lathyris, ſoldanella, iris, ſambuci, vrina iuuenici vel capræ, eſula*. Verum in hac noſtra puella & virgine, cum ex menſibus reſtrictis hanc ſpeciem hydropis incurriſſet, cum ex vena tali pertuſa menſes non aperirentur, totum ſcopum curandi ad anaſarcam conuertere decreuimus (*hepate iam refrigerato*) vna cum iis, quæ ad menſes facerent; primo humores aquoſos concoquendo, incidendo, & ad expulſionem præparando, deinde euacuando. Primo exhibuimus ʒ j. *pilul. hieræ ſimplicis, ad materiæ minorationem*. Deinde hunc ſyr. ℥. *ſyr. de abſinth. eupat. de artemiſia, oxymel. ſimplicis ana* ʒ j. *ſyr. de duabus rad.* ʒ iß. *aquæ abſinthij, apij, meliſſæ* (ob matricem) *ana* ʒ iiij. *arom. cum* ʒ ij. *cinnamomi electi, & ſpicæ nardi* ϑ ij. (hæc enim conſtringendo modice roborat, & aperiendi facultate prædita eſt) *miſce pro quatuor doſibus*. Poſtea exhibui ʒ j. *pilul. de rhab. deſcrip. Meſuæ*, conficiendo pilulas v. conferunt initiis aquæ inter cutem. Deinde hoc apozema præſcriptum eſt: ℥. *quinque rad. aperitiuar. commanium macerat arum in vino albo ana* ʒ j. *cuſcuæ, agrimoniæ, pulegij*, (ad menſes etiam euocandos) *chamæd. chamæpit. ana* m. j. *abſinthij, matricariæ, artemiſiæ ana* m. ß. *ſem. aniſi, apij, fœniculi, dauci, petroſ. an.* ʒ i ß. *flor. ſambuci* (ſi habeantur, vel eius loco folior ſambuci) p. j. *polypodij quercini, medullæ carthami vel ſeminis parum contuſi ana* ʒ ß. *coquantur in aqua communi pro* ℔ i ß. *colaturæ adde ſyr. de eupat. de artemiſia, oxymellis ſquillitici ana* ʒ j. *arom. cum* ʒ ij ß. *cinnamomi ſpicæ nardi* ʒ j. *& depuretur ad modum clareti*, de quo bis in die capiat. Deinde capiat has pilulas; ℥. *pilul. de agarico* ϑ ij. *pilul. fœtid. rhab. optimi puluer. an.* ϑ ß. *cum aqua agrimon. fiant pil. v.* Deinde omni mane capiebat ʒ iij. confectionis in tabulis, hoc modo paratæ; ℥. *ſpecierum dialaccæ, diacurcumæ ana* ʒ j. *ſpecierum diarrhod. abb.* ʒ ß. *diſſolut. in aqua artemiſiæ, adiectis zacch. albiſſ.* ʒ ij. *fiat confectio in tabulis, vt artis eſt*. Mox illam ita purgauimus; ℥. *diacarthami ſolutiui in tabulis* ʒ iij. *electuarij indi, catholici ana* ʒ ij. *ſyr. de artemiſia, de eupat. ana* ʒ ß. *miſce, cum decoct. ſupraſcripti* ʒ iij. ſumebat in diluculo. Et multa aquoſa deiecit: & cœpit moles corporis detumeſcere: cum & apozema ſupraſcriptum iterum caperet, adiecta ʒ j. *folior. ſenæ, &* ʒ iij. *rad. turpeti, & cinnamomi exiguum*. Crura inflata inunximus, tum ventrem, cum vnguento infraſcripto: ℥. *vnguenti Agrippæ* ʒ iij. *ſucci ſambuci* ʒ j. *bulliant in duplici vaſe, ad conſumptionem ſucci, & fiat vnguentum*. Interea lino ventrem quotidie metiebamur, num decreſceret. Id quidem commendat Benedictus Veronenſis, medicus doctiſſimus, *lib. 15. cap. 26.* ſic ſcribens: *Commodum eſt, ventrem*

quotidie liuo metiri: vt qua comprehendit aluum notam imponere: poſtero die, videre ſi plenius corpus ſit, an extenuetur: id enim quod tenuatur, remedia ſentit. Nec alienum putant, potionem & vrinam metiri: nam ſi plus humoris excernitur quam aſſumitur; ita demum ſecundæ valetudinis ſpes eſt. Sed quod ad vomitum attinet, cum eum per interualla ciere decocto raphani, ſecundum aliquos, optimum ſit (*idque à cibo, in quo aceto condita comederit*) cum hæc ſubinde nauſeam haberet, id ſemel aut commode tentauimus. Sed poſtea cum ægre vomeret, à vomitu abſtinuimus. Et licet clyſmatis ſiccantibus, quidam vti iubent, & aquoſitates ducentibus, & ſimul flatus, qui ſemper adiungi ſolent, & ſic decoquunt carthamum, polypodium, cum ruta, & calamentho, & addunt vini Cretici, & vrinæ iuuenis aliquid & clyſteris modo iniiciunt: Verum cum hæc virgo clyſteres non admitteret, & quia maxima pars humoris erat in membris, & vlterioribus venis: ideo per alia ingenia dicta reliquam curationem maxime perficere ſtuduimus. Ac primo ea, quæ vrinas ducerent (*quæ non minus commoda ſunt ad menſes aperiendos*) non modo in cibo quotidie exhibuimus, ſed etiam vt medicamenta: qualia ſunt azari decoctum, quod vnice prodeſt: præſertim ſi cinnamomi aliquid adiungamus: & fortiter coquemus vna, & cardamomum & ſabinam herbam (*quæ præcipue aperit menſes*) & iuniperi baccas, & rubiæ radicem: huiuſmodi ſunt *& dialacca, & diacurcuma, & trochiſci de eupatorio, de rhabarb. de roſis*, quibus & ſubinde vtebamur. Sudores etiam prouocare inſtituimus, & quamuis hic multa laudentur, vt ſuperius diximus, vt ſunt ſtuphæ, membra ſepeliri calefacta arena ex marino littore: imo & Paulus iubet *tales aquis calidis naturalibus immergi, cæteris vero balneis abſtineri vult*. At ſi lauari placuerit, nitrum, ſalem ſinapi, & ſimilia quidam inſpergi iubent: *de quibus latius in ſcholio ſequenti*. At nos, cum ægræ ʒ j. theriacæ veteris, cum pauco vino dediſſem, atque egregie ſudaſſet: & per interualla ſubinde cepiſſet diacurcuma per ſe modo dialaccam ad ʒ ij. mane; ad aperiendos menſes hoc ſequens balneum vtile propoſuimus: ℥. *artemiſiæ, nepetæ, meliſſæ, lauandulæ, foliorum lauri, ſabinæ, matricariæ, florum chamæmillæ, meliloti ana man.* vj. *thymi man. j. rad. Valerianæ, apij, petroſelini, ebuli, ana* ʒ iij. *florum ſambuci, vel foliorum eiuſdem man.* iij. coquantur in aqua, pro balneo: idque mane, vmbilico tenus; & in ea aliquantiſper immoretur. Atque pars herbarum decoctarum ponatur in ſaculo quadrato, quem habeat ſupra pectinem; & ab egreſſu balnei, ſudore & madore calidis pannis deterſis, venter inungatur inter vmbilicum & pectinem: & pars poſterior, & renum regio, tum inguina ipſa, hoc vnguento ſequenti: ℥. *muccaginis althææ* ʒ iij. *muccaginis, ſeminis lini fœnugr. ana* ʒ j. *olei ſabinæ, irini, meliloti, liliorum alborum, cheirini, medullæ cruum vituli, butyri recentis ana* ʒ j. *miſce*. Eodem tempore in exitu balnei, cum calidum lectum intrant, valet ſumpta ʒ j. *diacurcumæ, cum* ʒ iiij. *iuris cicer. rubr.* Ac ſudore euocato, & cum bis hoc balneo quædam vſæ ſunt (*tum viri quoque*) moles corporis, tum crura ipſa multo magis detumuere. At noſtra puella eo non vtens, ſed ſupradictis menſibus apertis paulatim conualeſcere cœpit, adhibitis iis quoque, quæ & hepar & ventriculum roborarent. Memini quoque Chriſtianam Hugonis, virginem Delphenſem, in hydropem aſcitem ſeu citrinum incidiſſe: (*quæ ſimul leucophlegmatia ſeu anaſarca laborare videbatur*) & multa remedia tum medicorum, tum empiricorum accepiſſe. Cui cum ʒ ß. *diacarth. ſolutiu. cum citro*, dediſſem ſingulis ſeptimanis, menſes fluxere, & corporis moles detumuit. Sed poſt aliquot menſes malo redeunte, prolapſa ad Empiricos, eodem malo obiit.

Scholia.

QVod autem anaſarca curetur victu & exſiccante & extenuante, apud omnes medicos celebriores in confeſſo eſt; & quod in hac ſpecie, *iuxta Galen.* etiam ſubinde conueniat venæ ſectio. Et licet ſanguine frigidore naſcatur, & frigiditatis ratione venæ ſectione non indigeat: tamen quoniam copiæ detractio naturam leuat, vt hæc minorem illam effectam facile ſuſciperet: non alienum ſed rationi conſentaneum eſt venæ ſectione vti. De quibus plura vide *apud Donatum & Alexandrum Trallianum*. Et ſic venam ſecant, ſi vires & reliqua permiſerint, ex interna cubiti vena: alioqui melius ex talo, ſi menſes vel hæmorrhoides reſtrictæ cauſam mali dederint. Hæmorrhoides fluentes ſæpe profuiſſe conſtat. Ita enim Iohāni Scrieckio (*vt aliquando ad me ſcripſit Henricus à Bra, medicus Doccumanæ reipublicæ*) pharmacopolæ Campenſi hydropico ſuperuenerunt hæmorrhoides: quibus abunde profluentibus conualuit: an quod copora cachexia laborantia ſanguinis aquoſa abundant, quam per hæmorrhoidas eiiciunt, per diapedeſin. Habuit idem in cura ſua ruſticum, cui aquę inter cutem ſpecies ea, quam anaſarcam vocant, in fœdiſſimam ſcabiem totius corporis converſa eſt, & ſanatus eſt. Cæterum, ſi ex menſibus vel hæmorrhoidibus ſuppreſſis hypoſarca ortum duxerit, recte medici venam in talo ſecant. Interea nec vnica vice ſanguinem detrahi, ſed iterari ſectionem volunt, prouirium ratione. Alioqui, vbi vires non permiſerint, ſed imbecillæ ſint: aut ex quauis alia cauſa, quam ex iam dictis, anaſarca originem duxerit, ſanguinis miſſio vitari debet, *vt in ſequenti alio exemplo poſtea docebimus*. Sed copia pituitoſi excrementi per vniuerſum corpus redundantis, purgante medicamento vacuari debet. Sic etiam, vbi opus fuerit facta venæ ſectione, eadem purgatione vtare; quæ iterum per vices tentanda erit, *ex ſententia eiuſdem Alexandri Tralliani*: à leuioribus inchoando, & demū ad ea, quæ paulo valentius purgare queunt tranſeundo; prius tamen humore ipſo præparato, ac viis reſeratis: per ea medicamenta, quæ extenuandi, incidendi ac meatus aperiendi vim habent. Ea ſunt *ſyr. ex abſint. eupat. de byzantiis, oxymel. ſimplex ac ſcillinum, ſeu ſyrup. ex hyſſope*, qui exhibeantur cum aliquo extenuātium ac aperientium medicamentorum decocto; *vt de obſtruct. iecinoris, & de eiuſdem imbecillitate diximus*: quibus ſæpius adhibitis, purgans medicamentum tribuendum erit, *vt ex hiera, agar. trochiſc. rhab. inde pilulis confect.* A quibus & ſyrup. ex pluribus infuſ. roſ. cum aqua roſ. propinandus: & poſtea valentius purgandum, multiſque vicibus, prout vſus poſtulabit: iiſdem adiiciendo, quæ iecori robur adferant, *vt rhab. myrobal. & chebulas præſertim: & paſtilles de rhab. de abſinthio, de eupatorio*: idque per vices: & cum à purgationibus abſtinebunt, per interualla *& arom. roſ. dialaccam, diarrhodon, diacurcumam ad* ʒ j. *cum vino albo, aut aqua abſinthii vel eius loco mithridat. aut theriacam*. Atque ea præbenda, quæ vrinam cient: velut eſt *daucus, ſeſeli, cardamomum, rad. aſparagi, aut trifolii decoctum, triſſagnis, vel* ʒ j. *rad. eringij ſiccæ vel ſem. viticis, cum vini cyathis tribus, ex Aetio, vt ſequenti etiam exemplo clarius enadet*: quibus & eodem

Venæ ſectio.

Purgatio.

Quæ incidunt, extenuant, & meatus aperiunt.

Vrinam cientia.

Vomitus. Quæ extrinsecus admouenda.

dem auctore vomitûs aliquando prodeſt. Etiam extrinſecus adhibebimus ea remedia, quæ vim immodicam exſiccandi habent, *eodem Aetio teſte.* Quapropter, præter ſales theriacales, ad inſenſibilem tranſpirationem veteres ſudores prouocabant; non ſolum exercitiis ſub ſole, & loco aprico factis (*cum cautione tum conuenienti, vt ieiuno, & velato capite, ne repleatur attractione calidi,*) ſed & arenarum vſu, imo in puluere volutationibus. Aliquando enim arena probe à ſole ignita, aut pellibus ſimiliter à ſole feruefactis, ægrum occulebant: capite tantum velato, & facie cum ſpongia aſſiduè exterſa, *eodem Aetio auctore.* Sepeliebant itaque robuſtos viros in littore maris, cum ſol maxime ferueret, vſque ad tolerantiam: poſtea in lectulo reclinabant: Fluuiatiles etenim ac marinæ arenæ communem vim poſſident omnium lapidum: liquidem exſiccant carnem tumentem ab aqua inter cutem: ægroto videlicet in eis excalefactis decumbente, ex *Gal. auct. 9. de ſimpl. med. facult.* Nos in domum adferre poſſumus arenam, & calefactam inſpergere. Aliqui in tritici aceruis (*vt ante dictum eſt*) ſub ſole calefactis ægros reclinarunt. Poſt hæc aqua marina, aut aluminoſa, aut ſulphurea lauentur ægri; etenim aliquibus, qui ad eiuſmodi lauacra aſſueuerunt, eæ ipſæ aquæ, tum ad deterrendum morbum, tum ad habitum valentiorem reddendum, ſuffecerunt. In hunc vſum & ſulphureis aquis vti: & ſulphureo prodeſt: cuiuſmodi apud Italos in Patauino agro & Volaterrano reperitur. Prodeſt & ex marina aqua lotio, quæ nobis ex Oceano vicino eſt: vel aliter ſalſa, qua nos ſæpe commodiſſime vſi ſumus. Lege *Paulum lib. primo, capite quinquageſ. ſecundo, Galeno 1, ſimpl. ſeptim.* qui potum & lotionem in his aquis laudat. Quidam iis infeliciter vſi ſunt, quod ſine delectu omnes etiam inſanabiles curare volebant; vt & alij ligni decoctum tentarunt: idque inutiliter, quoniam ſine delectu: Optime etiam conuenit & his cataplaſmatum admotio: eorum præſertim, quæ reſiccare ſimul & viſceribus firmitatem addere poſſunt: quemadmodum ſtercus bubulum reſiccatum, non inepte cum poſca, aut aceto mulſo imponitur, infarta ſulphuris quarta parte: ſimiliter & cochleæ crudæ, tritæ & impoſitæ: agglutinantur etenim, neque diſcedunt, priuſquam vniuerſus humor diſcedit, *iuxta Aetium*, & de his vide *Galen. 10. de ſimpl. medic.* Alij cataplaſmata apponunt. De quibus vide *apud Rondelet. & alios auctores, & Aetium.* Sed corporum ratio habenda; in pueris, tum aliis, qui mollem carnem habent, magis reprimentia conferunt, *ex malicorio, vbi culinario, malo cotoneo, myrti baccis & vitis pampinis*, per ſe, vel mixta cum aliis medicamentis reſiccantibus. Verum, vbi prædictis affectio non ceſſerit, efficacius auxilium adhibendum, quod chirurgia præſtat: fixuras, inquam, circa internum talum infligere oportet, in loco quatuor digitorum ſpatio ſupra talum eminente: ea profunditate, qua quis in venæ ſectione vtatur: ita, vt per aliquot dies, per eaſdem humor frequens feratur: *quemadmodum Celſo & Aetio viſum eſt.* Neque periculum vllum hic verendum eſt, vel in hydropis aſcitæ pertuſione: non enim coaceruatim humores illi euacuantur: & ſi quis velit excretione plurima facta eam cohibere, nihil vetuerit in talibus ipſas fixuras linimentis obturare, ligamentiſque conſtringere: atque vbi rurſus prodire quid velimus, laxatis ligamentis, & ablatis linimentis, geſtatoque ac moto ægro excretionem irritabimus, *vt idem inquit Aetius.* Poſtremo itaque medicamentis vel chirurgia vlcera infligenda ſunt; quæ cum non ſaneſcant niſi ſanato toto, fit vt multum aquoſitatis emittant. Fiant ſupra talum (*vt iam diximus*) parte interna, per digitos quatuor. Quidam & ſupra cubiti iuncturas, & ſupra hypochondria & femora infligunt: atque in hunc vſum nonnulli flammulæ illius, quæ & clematis dicitur acerrimæ herbæ germinibus vtuntur. Sed hæc omnia poſtea exemplis lucidiora fient.

OBSERVATIO XXXV.

De muliere, ex abundante & longo menſium profluuio in anaſarcam prolapſa, & curata.

MVlier apud Delphenſes, cum longo tempore menſium profluuio laboraſſet, in anaſarcam valde difficilem prolapſa eſt. Omnibus modis hic ſtudium adhibuimus, vt materiam aquoſam ad renes, per ea, quæ vrinas mouent, deduceremus: atque nequaquam valde aperientibus, ne menſes magis mouerentur. Hoc iulebo igitur primum vſi ſimus: ℞. *ſyr. de abſinth.* ʒ iij. *aquæ abſinthij* (quia aperit & adſtringit) *aquæ graminis, beton. ana* ʒ iij. *cinnam. ſelecti, ſpicæ nardi an.* ʒ ß. (aperit & ſtringit) *depuretur, ac ori iucundus reddatur: & fiat iuleb. pro* iij. *dosib.* Modo etiam hoc decocto vel eius æmulo vſi ſumus: ℞. *rad. aſparagi, graminis, fœnic. petroſ. ana* ℥ j. *agrimon. cuſcuæ, folior. ſambuci, capill. Ven. polytrichi, ceterach. ana* m. j. *iunci odorati, nardi, ax. ana* ʒ ij. *ſem. viticis* ʒ ß. *cic. rub.* ℥ j. *fiat decoctio in aqua communi, & vino Rhenano part. æqual. pro* ℔ j ß. *addendo ſyr. de quinque rad. de byzantiis ana* ℥ j ß. *arom. cum* ʒ iij. *cinnamomi, & fiat apozema inſtar clareti. Poſtea etiam addendo rad. ebuli.* Purgauimus cum ℥ j ß. *ſyr. ex infuſ. roſar. pall. addendo* ϑ j ß. *vbab. puluer. diſſoluendo cum* ℥ iij. *decoct. ſuprascripti.* Exhibui quoque ʒ j. *theriacæ, cum vino generoſo*, pro ſudore euocando: aliquando & diacurcuma, & poſt decocta aperientia & vrinam rurſus cientia. Ita eandem purgaui *pilul. de agarico de rhabarb. ana* ʒ ß. *cum aqua abſinthij: fiant pilul.* vij. Dedi quoque vinum abſinthites. Venam nullo modo huic ſecari iuſſi, cum debilis eſſet. Nam licet menſium profluuium, quod diu durauerat, ceſſaſſet, cum & in hydropem hanc inciderit: poſtea cum iis, quæ & vrinam prouocarent, & aquam educerent, curationem abſolui. Quale hoc eſt: ℞. *ſem. hyperici* ʒ j. *detur cum vino: quod etiam ab Aetio probatur.* Capiebat etiam *conſer. abſinth. adiectis ſpeciebus diarrhod. abb.* Ad roborationem hepatis regione inuncta hoc vel ſimili vnguento: ℞. *olei nardini, abſinthij, amyg. amar. ana* ʒ ß. *ſpicæ virium que ſchœnanthi, aſari, ana* ϑ j. *cyperi, ſantali, rubr. ana* ϑ ß. *ſem. apij* ϑ ß. *vnguenti ſantalini* ʒ j. *ceræ modicum: fiat vnguentum.* Crura cum valde inflata eſſent, lauari mandauimus cum aqua marina, in qua decocta erant ſambucus, ebulus, lauri ac iuniperi baccæ: modo fomento & balano deſcripto ſub finem *Obſeruat. 24. huius libri.* Quibus paulatim crura detumeſcere cœperunt. Et ſupradictis decoctionibus, tum purgationibus, aliiſque roborationibus aliquando repetitis, ſanitatem & hæc conſequuta eſt.

Scholia.

DIctum eſt prius, quod in hac, ſicuti in aliis ſpeciebus, cauſa ipſa auferenda ſit. Et ideo ſi ex menſibus retentis ſit hypoſarca, facilius curatur, quod ſi ab iiſdem aut hæmorrhoidibus nimium fluentibus contingat. Et ideo cauſæ obuiandum, per ſuum contrarium: & eadem auferenda, antequam ad coniunctam accedamus. Ita, vt

vt priore exemplo oſtendimus; ſi menſes retenti, aut hæmorrhoides reſtrictæ in cauſa fuerint, ſanguine ex talo, ſi vires ferant dimittimus, menſeſque tum hæmorrhoides euocamus: hæmorrhoides, quidem panno aſpero fricando, aut ficuum folio, vel cœpis: menſes facilius medicamentis, quæ vna menſibus euocandis ac hypoſarcę ſatisfaciant. Verum, ſi hypoſarca ortum habeat ex nimio menſium profluuio, aut ab hæmorrhoidibus nimium ſanguinem fundentibus (*ex hac enim cauſa hoc pathema ſubinde contingit, vt de cauſis dictum eſt*) in hoc malo curando medicum ſolertem eſſe oportet. Nimio enim aut menſium, aut hæmorrhoidum fluxu ſpiritus diſſoluuntur, imbecillumque redditur hepar: quare & hæc paſſio, quæ inde naſcitur, ac cauſa eſſe frigida dicitur. Et ſic, quæ ſiſtendis menſibus, aut hæmorrhoidibus conueniunt, hypoſarcæ obſunt: & rurſus, quæ hypoſarcæ conferunt ſanguinis fluxum promouent, augent, & huic nocent. Videndum igitur, vtro ex affectu plus periculi impendeat. Vtemur tamen aperientibus, propter hydropem; mediocriter vero aut parum aperiendi vi præditis, ob ſanguinis fluxum. Interea ſi fluxus menſtruorum valde irritetur, vtemur remediis topicis conſtringentibus, ex capite proprio deſumptis. Ita etſi hæmorrhoides magis ex aperientibus & aquam educentibus fluant, hoc vel ſimili modo reprimemus: ℞. *olei myrtini* ℥ j. *olei cydon. maſtichini ana* ℥ ß. *miſce*, inungantur hæmorrhoides mane & veſperi. Aut ſic: ℞. *balauſt. oſidia, gall. arum, rhois obſonior. baccar. myrti ana* ℥ j. *hypocyſt. oxyacanthæ ana* ℥ ß. *coquantur in vino rubro & pauco aceto ad tertias: deinde chalybs multis vicibus in eo decocto ardens extinguatur: fumus autem per anum reciuiatur.* Alia ex propriis locis poſtea dicemus. Cæterum quod ad hypoſarcam attinet curandam, materia aquoſa per aluum purganda eſt, & etiam per vrinam cientia, *vt iam ſatis oſtenſum eſt.* Quantum ad medicamenta topica attinet, quæ exterius adhibentur, reſiccantia, de quibus paulo ante diximus, quæ membris tumentibus exterius admouentur, etiam diſcutiendi vim habentia, qualia ſunt ſambucus, ebulus, vrtica, & elleborus albus, in aqua lixiuij modo decocta laudantur, expreſſa emplaſtri modo impoſita; vel decocta ſi ſæpe iis abluantur. Imo folia ſambuci per ſe in tegula candente aſperſa vino, impoſita & alligata valent. Prodeſt & lixiuium ex cerri ac vitis cinere, in quo lauri aut iuniperi baccæ efferbuerint, addito nitro. Cataplaſmata quoque ab Aetio commendantur, ex fermento & ſale aut pane, cum puluere hyſſopi, aut fabacea farina, aqua marina, & melle cocta; pari abſinthij modo adiecto, quale & hoc eſt: ℞. *caric. & fermenti an.* ℥ j. *farinæ hordeaceæ, fab. r. loliaceæ, fœnugr. & ſeminis lini ana* m. ß. *rad. & foliorum ebuli, ſambuci, abſinthij an.* m. i ß. *hyſſopi & origani an.* ʒ iiij. *ſulphuris* ʒ v. *miſceantur, & cum poſca aut oxymel. fiat cataplaſma.* Vide plures & varias formulas apud alios.

Diligentem medicum requirit curatio hypoſarcæ ex nimio menſtruorum aut hæmorrhoidum fluxu.

5

6 *Diſcutientia. Topica.*

7 Sed mirabilis eſt hiſtoria vetulæ mulieris ab hydrope curatæ, quam Cornelius ille Roterodamus medicus, qui ante me Romæ agebat apud Giſſibertum Horſtium, hoſpitalis Mariæ conſolationis medicum, præceptorem noſtrum, mihi communicauit; nempe, *quod vetula quædam hydropica, à medicis deſtituta, ab altera vetula edocta, capiebat ranas rubetas dictas, eaſque vinas in ollam nouam coniiciebat, ſuperinfuſo oleo oliuarum, illiſque ſic decoctis, eo oleo ventrem inungebat, deducendo manus verſus inferiora, à ſtomacho incipiens verſus inguina, idque calide: & ſecundo die tumor deſcendit ad inferiora, ita vt mirum in modum imminuerint pedes. Sed cum proſequeretur inun-*

Hiſtoria vetulæ ab hydrope curatæ.

Ctionem, tertio die penitus delituit tumor, cum nulla ſenſibili euacuatione. Laudat Gradus capitre proprio, *ſi in balneis arte paratis imponantur ranæ vinæ; mirabiliter ad ſe attrahere aquoſitatem*, & refert ruſtici hiſtoriam, *qui ſuo tempore, cum peſtis graſſaretur, anno* 1450. *ranas viuentes ſciſſas, & non ſciſſas, venenoſis apoſtematibus applicabat; & illico ranæ morièbantur, & apoſtemata foras educebantur. Et ita extracto veneno omnes liberabantur, quod audiui*, inquit Gradus, *à fide dignis, verum eſſe.* Et ita non eſt mirum, ſi aquoſitatem ad ſe attrahant, idque etiam in aſcite. Sed topica non adminiſtranda, niſi præceſſerint vniuerſales purgationes. Ita ego frequentiſſime vtor, inprimis diacarthamo ſolutiuo in tabulis. Quo ipſo memini me vſum fuiſſe in Cornelia, vidua Friderici Ottonis, *quæ in foro Delphico habitabat, cuius ædibus Mechlinia pro inſigni erat; vetula, cui pedes ac crura vlcerata erant, quibus medebatur chirurgus:* quæ, cum facilis ſolutionis eſſet, ſingulis ſeptimanis ſi ʒ ij. tantum acciperet, pluſquam ſexies multa aquoſa per aluum reddebat. Aliis dare ſoleo ℥ ß. vel ʒ vj. pro vice, qui robuſtiores ſunt. Sic matrona quædam nobilis hypoſarca affecta, his remediis curata eſt: ℞. *abſinthij, agrimoniæ, centaurij, naſturtij hyemalis & aquatici ana* m. j. *ſem. aniſi, fœniculi, cumini, ana* ʒ ij. *rad. fœniculi, petroſel. innulæ an.* ʒ vj. *baccarum lauri* ʒ ß. *ſem. geniſtæ* ℥ j. *ſoldanellæ* m. ß. *coquantur in duobus poculis vini Rhenenſis, ad conſumptionem tertiæ partis, zaccharo dulcoretur vel melle.* ℞. *ſucci ireos cochlear vnum, detur cum cyatho vno decoct. ſuprascripræ.* Veſperi eiuſdem diei, cum ſuccum ireos ſumpſiſſet, capiebat ʒ ij. *confect. mithridaticæ.* Aliquando ſumebat ℥ ß. *vel paulo plus diacarthami ſoluitiui in tabulis.* Quibus & hæc conualuit. Sed ſi febris adeſt (*quod varius contingit in hypoſarca, ſed magis in aſcite*) aliter procedendum eſt ratione febris; vt Obſeruatio ſequens monſtrabit.

Ruſtici hiſtoria.

OBSERVATIO XXXVI.

De anaſarca, cui in principio febris admixta erat.

FRanciſcanus monachus, cui nomen Iohannes erat, de Sancta Trudone, annos 30. natus, Alcmariæ anno 1557. ex chronico morbo prius, & fluxu ventris, quaſi in hecticam febrem incidit, cum putredine: nam & ſumpto cibo incalefcebat. Cui & difficultas ſpirandi aderat, ſimiliter & tuſſis. Tandem morbi diuturnitate, quæ hyeme præcedente durauerat, ad cachexiam deuenit, & ad hydropem hypoſarcam, & lienis aliqualem duritiem: ita vt primo pedes intumeſcerent, ac œdematum modo molliores ac laxiores fierent, & poſtea facies ac totum corpus tumidum euaderet. Ad hunc accitus ſub finem Aprilis, cum prodeplorato quaſi haberetur, infraſcriptis tamen remediis, præter aliorum monachorum opinionem curatus eſt. Tertio autem die Aprilis, anno 1557. cũ tuſſis ac febris illum adhuc vrgerent, eclegma etiã ad hecticam aliquo modo conueniens, omnium primo præſcripſi: ℞. *ſyr. iuiubini* ℥ i ß. *ſyr. viol.* (ob hecticam, ad maiorem humectationem, licet minus anaſarcæ conueniret) ℥ ß. *ſpecier. diatrag. frig. in tabul. zaccbar. penid. ana* ʒ j. *miſce pro eclegmate.* Hoc ſæpius reiterato, tuſſis (*quod mirum videbatur*) fere in totum ceſſauit. Interea cum febris ad ſecundam fere ſpeciem hecticæ progreſſa eſſet, cum putredine tamen, ideo pure refrigerantibus & humectantibus non opus erat, ſed ſimul deoppilantibus, quæ & putredini reſiſterent. Et quia iam fluxus ventris, qui

antea

tantea eidem aliquot diebus adhæserat, paulo ante noſtrum acceſſum ceſſauerat pro febre, hepatiſque deoppilatione, & lienis duritie, ſequens decoctum præſcriptum eſt, quod & tuſſi non obeſſet, quæ adhuc exigua aderat: ℞. *corticum rad. fœniculi, eichorii, dentis leonis, petroſelin. ireos ana* ʒ ß. *herbæ hepaticæ, vrnulæ cabalinæ* (ob tuſſim) *agrimoniæ, endiu. eichorij* (ob febrem & deoppilationem) *buglоſſæ ana* m. j. *fumariæ manip.* ii. *ſem. fœnicul.* ʒ iiij. *fiebat decoctio in ceruiſia tenuiori, pro* ℔ j ß. *& zacch. candi. ad dulcedinem condiebatur: quo bis in die vtebatur.*

3 Hoc autem decocto, in ſe complectente indicationem curandi, mixtam magis, & tam ad febrem quam hypoſarcam, calor ille febrilis ceſſare cœpit, ſimul & tuſſis, ac ſitis, quæ vehementior erat. Ideo poſtea ad materiam minorandam, & leuiorem materiæ expurgationem, ne forte iterum fluxus, quo ante noſtrum acceſſum afficiebatur, rediret, decocto ſupraſcripto adieci folliculorum ſenæ ʒ j ß. ex quo omni mane ſumebat ʒ iiij. vel v. quotidie aluum moderate deponēs: dolore quoque hypochondrium dextrum, propter duritiem & oppilationem aliqualem, nonnihil occupante, paulatim etiam euaneſcente. Et quamuis febris & calor, ac ſimul tuſſis, ſedarentur, cachexia tamen magis accreſcebat, & hydrops anaſarca, vt crura in dies magis magiſque in maiorem molem attollerentur, & corpus ipſum, tum facies ac palpebræ, ſimul inflarentur. Quamobrem, poſt decoctionem vnam atque alteram magis extenuantem & digerentem, iterum decocto ſimul expurgante, cum foliis ſenæ, vſus ſum: & 14. Maij hanc confectionem ſubſequentem præſcripſi: ℞. *ſpecierum dialaccæ, diacurcumæ ana* ʒ j. *ſpecier. triaſant. diarrhod. abb. trochiſ. de rhab. ana* ʒ ß. *diſſolutis in aqua fœniculi, adiecto zacch. albiſſ. q. ſ. fiat confectio in tabulis, ſumebat omni mane* ʒ j ß. *poſtea* ʒ ij. *deinde paulo plus.* 15. Maij, cum aluum non redderet, hoc balano vſi ſumus: ℞. *puluer. hierę picræ ſimplicis* ϑ j. *diacridij pul. colocynth. ana gran.* iij. *mellis* ʒ j. *ſalis parum* fiat balanus; quo ſatis aluum depoſuit. 18. Maij, febre declinante, remanente tamen maxima inflatione pedum & femorum, ventris ac totius corporis, magis tamen pedum, etiam ſiti eundem infeſtante, ex apozemate ſumpſit bis in die cyathum vnum: ℞. *corticum radicis cichorii, fœniculi, petroſe. ana* ʒ ß. *radicis ireos* ʒ iij. *radicis liquir.* ʒ ß. *agrimoniæ, capill. vener. marrub. cichor. endiuiæ ana manipul. j. ſcolopendr. abſinthij Romani ana pug. j. ſem. fœniculi, aniſi ana* ʒ i ß. *ſemin. 4. frigid. maior. ana* ʒ ß. *vuarum paſſul. ab arill. mund.* ʒ j. *fiat omnium decoctio in aqua communi pro* ℔ j ß. *col. adde ſyr. de cich. Nicoli, cum rhab.* ʒ ij. *ſyr. de duab. rad. oxyzacch. ſimpl.* (ob calorem) *an.* ʒ j. *depuretur cum oui albumine, & aromat. cum puluer. ſpecierum diarrhod. abb. diacur. dialaccæ an.* ϑ j. *miſce, fiat apozema.* 21. Maij hoc præſcriptum eſt: ℞. *radicis ireos, ebuli, petroſelini, feniculi, apij, cichorij ana* ʒ ß. *herbæ hepaticæ, capil. ven. ſcabioſ. ſcolopendriæ, ceterach, agrimoniæ, marrubij, cichorij, end. ana* m. j. *hyſſopi, vrnulæ caball. ana* m. ß. *ſem. fœniculi, aniſi ana* ʒ j ß. *follicul. ſenæ* ʒ ß. *epithymi, polypodij querc. ana* ʒ ij. *medij corticis ſambuci* m. ß. *fiat omnium decoct. in* ij. *partib. vini Rhen. & vna parte aquæ, ad* ℔ j ß. *colatura adde oxymel. compoſ.* (nam calor, ſitiſque iam magna ex parte ceſſarant) ʒ j ß. *zacchar. cand.* ʒ j. *arom. cum* ϑ ij. *ſpecierum dialaccæ & diacurcum.* ſumebat bis in die cyathum vnum; & quotidie habuit quatuor aut quinque ſeceſſus, valde aquoſos, cum maxima aquæ euacuatione, & diminutione tumoris totius corporis. 24. Maij lienem & ventrem tumidum inungi mandauimus ſolo vnguento Agrippæ: & accipiebat rad. iridis contuſæ & exſiccatæ ʒ ß. aliquando ʒ j. herbæ lenticulæ aquæ momentum; ligentur in nodulo, & pendeat nodulus in ceruiſia ſua, & exprimatur: ea ceruiſia vſus eſt ad tres ſeptimanas, cum magna vtilitate, cum & multi hoc ſolo conſilio mulierularum curati dicebantur. Poſtea & crura inungi iuſſimus bis in die vnguento infraſcripto: ℞. *vnguenti Agrippæ* ʒ ij. *vnguenti martiati* ʒ j. *miſce.* Et iterum reiterata fuit confectio in tabulis, prius deſcripta 14. Maij. Interea ſuborta eſt magna teſtium inflatio. Pro qua depellenda cataplaſma præſcriptum ex *puluere corticum lignorum quercus* (coriarij vulgo *Rin* appellant) *florum chamæmill. meliloti, roſar. rubear.* decoctis in vino Pictauienſi, addita farina fabarum, ad modum cataplaſmatis: quo equidem illico ceſſauit teſtium inflatio ac ſcroti. 1. die Iunij rurſus reiterata decoctio 21. Maij deſcripta, abſque folliculis ſenæ & epithymo, cum per ſe quotidie ſemel aut bis aluum copioſe deponeret. Vtebamur & vnguentis ſupraſcriptis: quibus tandem ac potionibus iam dictis aſſumptis, tumores ventris ac pedum ceſſare cœperunt; etiam balneis ac fotibus ſequentibus adhibitis: ℞. *florum chamæmillæ, meliloti, furfuris, artemiſiæ, ſatureiæ, parietariæ, cumini, fabarum contuſarum, foliorum lauri ana* m. j. fiat decoctio pro balneo in aqua marina, quæ facile ex mari adferebatur, milliari tantum vno ab vrbe Alcmariana patria noſtra diſtante, vnde & Alcmariam dictam quidam putant, quod non procul à mari Oceano diſtet, vel quod ſit prope halecum lacum. At Adrianus Iunius, medicus doctiſſimus, & noſter familiaris, exiſtimat, ab vniuerſitate lacuum ſic dictam, quos lingua Cimbrica *Meeren* nuncupamus, ac ſi dicas *Almeer*: quam & ab Agillo quodam viro pio filio Radbodi conditam opinatur. Vide eius hiſtoriam Batauiæ. Sed ad noſtrum ægrum redeamus: Cum non poſſet ob œdematoſa crura valde inflata, humiditatem balnei ferre; iubebam ſpongias in hoc decocto immergi, ac denuo exſiccari, & exſiccatas apponi: & imperabam fieri fortes ligationes cum faſciis circa crura: quibus tandem detumuere. Oedemata enim in cruribus, quæ plurimum hydropicis, ac tabidis & cachexia laborantibus contingunt, & ſi ſymptoma eiuſmodi ſuperueniat, ſæpe nulla nec propria cura indigent: nam ſi morbi præcedentes recte curentur, ſola aliquando deligatione curari poſſunt, vt nos ſæpe experti ſumus, faſcias prius aqua marina madidas, & demum exſiccatas, cruribus circumadiiciendo. Ita & hic deligationes, præter linimenta iam dicta, egregie profuere: ſimiliter & abſtinentia potus, quam eidem quoque iniunxeramus. Interea licet crura plane detumeſcerent, 13. Maij ad roborationem hepatis, tum aliorum viſcerum, hæ tabulæ denuo præſcriptæ ſunt: ℞. *ſpecierum dialacc. diacurcum. trochiſc. de rhab. an.* ϑ ij. *ſpecierum diarrhod. abb.* ϑ j. *diſſolutis in aqua hyſſopi & fœniculi, adiecto zacch. albiſſ. q. ſ. fiat confectio in tabul. ſecundum artem.* Reiteratiſque decoctionibus ſupraſcriptis, ab hypoſarca curatus eſt: magno cum noſtro honore. Sed rurſum nono die Iul. pes ſiniſter cœpit inflari, ac valde in tumorem attolli: ideo hoc linimento denuo vſi ſumus: ℞. *vnguenti Agrippæ* ʒ j. *vnguenti alabaſt. vnguenti dialthææ an.* ʒ ß. *miſce*, 20. Iulij die hoc ipſum reiteratum eſt. Verum cum videremus, quod facile denuo recidiuam incurreret, eo quod pes ſiniſter non detumeſceret, ac venter, qui facile ſolubilis erat prius, nunc nonnihil conſtringeretur; 23. Iulij hoc decoctum ſequens præſcripſi: ℞. *rad. apij, petroſel. fœniculi, ireos an.* ʒ ß. *rad. ebuli, bryoniæ, inulæ, corticum rad. cappar. thamariſci an.* ʒ ij. *rad. eſulæ minoris, folliculorum ſenæ alexand. an.* ʒ i ß. *agrimoniæ caſſutæ, ceterach ſcolopendriæ, centaurij minoris, endiuiæ abſinthij Romani, cichor. hepaticæ ana manipul. j. ſemin. carthami parum contuſi, aniſi, carui, ameos, folior. braſſicæ marinæ ſeu ſoldanellæ ana* ʒ i ß. *ſemin. fœniculi* ʒ iij. *vuarum cum arillarum* ʒ j. *fiat omnium decoctio, ſecundum ordinem in ceruiſia communi ad* ℔ i ß. *ſtentque infuſa per noctem ſupra herbas: deinde colaturæ addantur ſyrup. de byzantiis de cichoriis, Nicoli cum rhabarbaro an.* ʒ i ß. *miſce pro apozemate*: de quo modo ſemel, modo bis ſumebat in die: & quotidie, cum facilis eſſet ſolutionis, ſemper ad minus quatuor habuit ſeceſſus, cum maxima alleuiatione. Poſtea cum crus ſiniſtrum œdematoſum neque fomentis neque linimentis in totum detumeſceret, ſola deligatione forti per faſcias ad me deſcripta, probe & egregie hic præter omnium opinionem curatus fuit, cum crura in inæſtimabilem magnitudinem, tum venter inflata eſſent. Verum iſtis ſupradictis diligenter adhibitis, ac diæta conuenienti imperata, perfecte ſanatus eſt: & deinde ſanus exiſtens abſque vllo morbo, in annum milleſimum quingenteſimum ſexageſimum primum, commode ſe habuit: ſed tunc in hyeme rurſus prolapſus in eandem hydropem, in vrbe Leodienſi tunc degens, quod & admiratione dignum eſt, à medicis præſentibus ibidem cum ſanari non poſſet, forte frater eius, etiam eiuſdem ordinis monachus, ad me Delphos venit (*nam eo tempore & ipſe Delphis agebam, nempe anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octauo, in principio enim illius anni eo veneram, honorario publico & ſtipendio condecoratus*) & orauit, vt fratri ea remedia, quibus anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, per me curatus fuerat, tranſcriberem: quæ & tunc penes me conſeruata erant. Tranſcripſi autem eadem: tamen hac cautione, vt medici diligenter obſeruarent, num eadem hypoſarca vt prius, laboraret. Quæ quidem cum fideliter & tranſcripſiſſem, & ad medicos miſiſſem, iiſdem vſi ſunt, cum tanta felicitate (*vt frater eiuſdem poſtea narrauit hic in cœnobio Minoritarum Delphis agens*) vt cum pro deplorato ab aliis medicis haberetur, denuo noſtris remediis ac præſidiis iam dictis, integræ ſanitati reſtitutus fuerit.

Scholia.

11 QVod medici Leodienſes hunc monachum, cum ſecundo in hanc ſpeciem hydropis incidiſſet, curare non potuerunt, in cauſa fuiſſe puto, quod forte præter cauſam coniunctam, antecedentem & præcedentem, tum præſentem, minus animaduerterint, nempe aliquam cauſam calidiorem: vnde vtentes forte ſolum calefacientibus, & anaſarcam tantum facientibus, febre illa relicta, minus ægrum ſanauerint: potuit enim eandem hecticam, vt prius, coniunctam habuiſſe. Quare denuo cum vterentur noſtris remediis præſcriptis, æger ſanitati rurſus reſtitutus eſt: quamuis nos præſentes non fuerimus. Verum cum nos hunc monachum præ manibus haberemus, mihi in mentem venit illa animaduerſio: nempe ſi cum aqua inter cutem febris quoque complicetur, quod admodum calidis auxiliis non ſemper ſit vtendum, neque in cibis, neque in potibus aut purgationibus, aut antidotis, *vt recte admonet Alexander Trallianus.* Nullum enim valde calefaciens ipſos iuuare poteſt: nam eiuſmodi medicamenta ſitim ipſorum augent, & febrem incendunt, & cauſas inflammantes magis adhuc exurunt, intenduntque malum. Quare aqua inter cutem ex acutis morbis profecta, non poteſt non inflammationes habere in ipſa perſeuerantes. Nihil enim adeo interuallorum expers eſt, vt febris: ac mirum, quod neque aqua inter cutem ipſis oboriens, calorem ægrorum extinguat, neque febris omnem aquam inter cutem exhauriat: ſed ab aqua ſimul & igne ambo contineantur, vt vndique dubia ſit curatio, ſiue calefacere, ſiue refrigerare quippiam velis. Quippe neceſſe eſt, vt refrigerantia omnino aquam inter cutem adaugeant: calefacientia rurſus febrem. Satius igitur eſt, huiuſmodi mixtam curationem adhibere, & ei, quod magis vrget, quatenus licet, inſiſtere. At vbi febres vehementiores apparent, tunc refrigerantibus potius vtendum eſt, nec metuendum ea tunc exhibere. Quomodo enim finietur febris, niſi à contrariis? Imo neque aqua inter cutem ceſſauerit vnquam, niſi prius calor præter naturam defierit. Etenim is ſi diutius immoretur, aquam inter cutem parere poteſt. Omnis namque ſiue calida intemperies, ſiue frigida, ſi longius protrahat, ſuperetque vires, deiicit & nutritionem. Itaque cum ægri alimentum, quod diſtribuitur, non amplius in ſanguinem tranſmutant, neceſſe eſt, vt in vaporoſam quandam & prauam ſubſtantiam conuertatur. Porro quod aqua inter cutem etiam ex colliquatione naſcatur, diuiniſſimus quoque Galen. confitetur, vt liquet 3. de cauſis ſymptomatis. Videmus autem colliquationem à calore potius, quam frigiditate oboriri. Quare omnia & quæ præceſſerunt morbum, & quæ nunc adſunt, obſeruanda putamus, ac vbi præſentem intemperiem internoueris, ita ad curationem audacter accedas, non autem vulgarium opinionem ſequaris: nempe, aqua inter cutem laborantes, quouis modo calefaciendos eſſe. Neque enim hoc verum eſt. Nam ego pleroſque (*inquit idem Alexander*) etiam à refrigerantibus medicamentis interdum adiutos conſpexi; atque id euenire poſſe conſtat. Cum enim omnes particulæ à caliditate præter naturam orta ad bonam temperiem reuertuntur, neceſſe eſt, vt etiam iecur probum ſanguinem generet, nullatenus impeditum. Quemadmodum igitur dixi, ſemper conandum eſt, vt ſpeciem morbi inueſtigemus, & cauſam, quæ aquam inter cutem efficit, accurate deprehendamus. Nam quæ Hippocraticæ artis methodi vocantur, hæ ſunt: nempe, *Contraria contrariorum ſemper eſſe remedia.* Propterea & nos ſubinde frigidis vtebamur, mixtis cum aliis, *vt endiuia, cichorea, hepatica, id eſt, lichine.* Neque metuendum eſt, *vt iam diximus*, vbi febres vehementiores apparuerint, refrigerantia tunc potius exhibere. Sed quia hic febris non erat vehemens, eadem coniunximus iis, quæ ad hydropem facerent. Nam vbi inuicem copulantur morbi; eatenus habebunt communem curationis indicationem, quatenus copulabuntur; nobis ſcilicet ad id, quod magis vrget obuiantibus; non tamen alterius cura omnino poſthabita, quemadmodum *Galen. commento aphoriſmo*

Aquæ inter cutem cum febre curandæ.

Hydropici interdum refrigerandi.

sexdecimo, primo libro (de eadem aqua inter cutem cum febre complicata verba faciens) scriptum reliquit. Postquam igitur omnibus aqua inter cutem laborantibus victum vnicuique aptum præscripseris, tunc ad ea accedito, *inquit idem Alexander*, quæ ipsos purgare possunt; non confestim & vna vice, sed paulatim. Ex frigida quidem
15 intemperie aqua inter cutem affectos calefacientibus, imo neque hos cibis nimium siccantibus, aut medicamentis acrioribus statim curare; sed per vices, & à mediocribus primum inchoari oportet: deinde sic ad valentiora, & ea, quæ magis calefacere & extenuare possunt, progredi. Nam calefacientia nimium, si vniuersa ac vna vice assumantur, totum potius habitum colliquant, quam abundantem humorem euacuant. Ita vero etiam, si refrigerantibus vti oportebit, à mediocribus incipiens, particulatim naturæ adiicere conatur. Atque hoc pacto ad magis refrigerantia accedito. Postquam igitur ipsos purgaueris, vt conuenit, etiam ad balnea & motus mediocres ducito. Sed pituitosos & temperatura frigidiores, satius est naturali balneo committere: graciles autem, siccos, & febricitantes, potabilis & dulcis aquæ lauacro, vnctione, mutuatione aeris, & omni hilaritate recreare oportet. Ita namque accidet, vt congruo vtentes victu, ad pristinam rursus temperiem reuertantur; vt etiam iecur non amplius aquam, sed benignum sanguinem, in posterum
16 generare queat. Alioqui si hyposarca, vt plerumque fit, sit sine febre & caliditate aut intemperie calida, tunc victu & aere exsiccante vtendum, *vt prius docuimus*. Refert Nicolus Florentinus, de quodam comedente tantum alaudas (*Gatenaria hoc vix credente*) petroselino impletas, cum pane biscocto, & modico vini subtilis, & vesperi cum pane puro infuso in vino, & puluere sequenti aspersо, ab hydrope curato. Puluis talis erat: *Recipe cinnamomi electi* ʒ ß. *caryophyllorum, galangæ, macis, anisi, amomi, laccæ ablutæ seu lotæ ana* ʒ ß. *misce*. Nocte vero sine potu degebat. Et sic curatus fuit. Quod ad medicamenta attinet, duas rursus intentiones habet; vnam ad materiam coniunctam, alteram ad hepatis malam dispositionem, ne noua materia aggregetur. Prima quidem absoluitur medicamentis solutiuis, materia prius digesta, nempe *melle rosaceo oxymelite simplici syrupo de duabus radicibus cum aqua hyssopi, cuscutæ, absinthii, fœniculi, per quinque dies*. Mox materiam euacuabimus, *vt iam dictum est*, sed iis, quæ hepati non noceant, cum
17 & hepar in hyposarca debile sit, vitando colocynthidem & helleborum: iisque etiam per interualla adhibitis, quæ hepar roborent; minime contenti vnica euacuatione, cum materia rebellis sit. Primo dant *hieram simplicem ad* ʒ vj. per se, vsque ad ʒ j. vel ʒ ß. *cum* ʒ j. *agarici trochiscati vel cum pilulis de rhabarbaro, de quarto in quartum diem, quibus N. colaus se multos curasse fatetur, ex mente Guilhelmi, vel electuario diaphœni, aut Indo*. Vide reliqua apud Gatenariam. Malam intemperiem amouemus cum ʒ ij. *diacurcum. cum aqua absinthii, eupatorii & cuscutæ cum hepate lupi, & rhabarbaro*. In calida vtimur *syrupo de byzantiis, de cichoriis confecto, diarhodo abbat.* vel si timeamus caliditatem, trochiscis de rhabarbaro adiungimus *diarrhodum abbat. vt Gradus fecit in principe*
18 *Sforcia, qui ab hac ægritudine curatus fuit*. Causa enim ipsa semper auferenda: vt si à frigiditate hepatis naturali fiat, reducenda ad temperamentum, calidis electuariis & vino generoso. Si ab obstructione, hepar aperiendum, *vt capite de obstructione eiusdem*. Si ab apostemate, curetur apostema, *vt dictum est*: Ita & de oppilatione splenis, & scirrho; si inde oriatur, curandum, *vt postea capite proprio dicemus*. Ita quoque, *vt prius dictum est*, si ex potu aquæ frigidæ, vel eiusdem balneo fiat, vtatur cibis calidis actu & potentia, vino veteri aromatico, aliisque calidis iam dictis. Si ex fluxu ventris, recurratur ad caput *De debilitate hepatum*, ob laxitatem suæ substantiæ, & ad caput *De fluxu hepatico*. Nunc ad propriam curationem ascitis veniamus.

Historia Nicoli.

OBSERVATIO XXXVII.

De Ascite.

Ascite quidam laborabat istis diebus, cuius venter tumidus erat, & adeo eleuatus, vt rumpi videretur: quem cum manu percuterem, aqua vt in vtre collecta sonabat. Sed cum virtute satis constaret, & recte ad oblata adhuc se haberet, neque febrem pateretur, & ex frigida causa ortum haberet, calidiorem victus rationem huic, & egregie exsiccantem, præscripsi; & humorem serosum statim euacuare decreui, cum ab euacuatione initium curationis instituatur; venæ sectione omissa. Quamobrem omnium primo hunc syrupum propinaui: *Recipe syrupum de quinque radicibus de eupatorio capillorum veneris ana* ʒ ij. *aquæ decocti absinthij, agrimoniæ, florum sambuci* ℔ j. *vel aquæ earundem herbarum, si habeantur, ana* ʒ iiij. *misce, depuretur adiecto cinnamomo selecto* ʒ ij. *suauiore sapore & odore reddatur*, sumatur quatuor diebus in diluculo. Deinde ℞. *diacarthami* ʒ iij. *diaphœnici, catholici ana* ʒ ij. *syrup. de eupatorio* ʒ j. *cum decocto sambuci, absinthij* ʒ iij. *fiat potio, sumenda in diluculo*. Deinde consului, vt hoc
2 vel simile apozema caperet. *Recipe radices ireos, ebuli, apij, petroſæ, fœniculi, asparagi, bruſci ana* ʒ j. *agrimoniæ filipendulæ, pentaphylli, capillorum veneris, pimpinellæ veræ, vulgo beuernellæ dictæ, ceterach, cassutæ, absinthij ana manipul.* j. *azari, casiæ ligneæ ana* ʒ ij. *pulueris cicad.* ʒ ij ß. (has Fontanonus maxime laudat) *seminis apij, fœniculi, dauci, petroseli ana* ʒ i ß. *semin. genistæ* ʒ j. *cicerum rubrorum manipul.* ß. *florum sambuci & genistæ ana pugil.* j. *soldanellæ manipul.* ß. *polypodij quercini, medullæ carthami, vel seminis eius contusi ana* ʒ ij. *rhabarbari selecti* ʒ i ß. *spicæ schœnanthi ana* ∋ ß. *coquantur in duabus partibus aquæ communis, & vna parte vini Rhenensis, pro* ℔ i ß. *colatura addendo syrupum de eupatorio, de radicibus ana* ʒ ij. *aromatum cum* ʒ ij ß. *cinnamomi*; & vtatur quatuor diebus mane. Purgaui hunc cum pilulis sequentibus: ℞. *pilularum de agarico* ∋ ij ß. *pilularum de mezereo* ∋ ß. *cum aqua agrimoniæ fiant pilul.* v. dentur in diluculo. Postridie vero: *Recipe theriacæ veteris Specierum diacurcum. ana* ʒ ß. *conserua capillorum veneris* ʒ i ß. Deinde omni mane
3 sumebat ʒ ij. *vel* iij. *diacurcumi in talulis*. Postea interpositis diebus, etiam illud, quod sequitur: *Recipe succi ireos* ʒ j. *mellis rosarum colati* ʒ j. *cinnamomi* ∋ j. *bulliant; & despumetur cum* ʒ ij. *aquæ florum sambuci, vel sambuci decocti*; detur vnica vice, modo

modo tantum sumendo *drachmam dimidiam succi ireos*. Postea ventrem inunximus *vnguento Agrippæ, martiato, & dialthææ simul mixtis: impositio etiam emplastro ex stercore bubulo, cum oleo irino & vnguento Agrippæ*. Crura vero tumida lauari iussimus lixiuio ex cinere vitis, in quo folia ebuli & sambuci decocta erant. Vomitum non prouocauimus: qui licet in principio aliquando conueniat, tamen quia malum aliquando progressum, eo minus vti licet. Sed eius loco pilulis suprascriptis vt vteretur vtile duximus: subinde & his, vel similibus: *Recipe pilularum de rhabarbaro scrupuli duo, aggregati scrupulus vnus cum dimidio, elaterij grana tria, cum succo radicum ireos, fiant pilulæ octo*. His quoque tabulis: *Recipe specierum diarrhod. dialaccæ, rosarum nouellarum, trochiscati de rhabarbaro, ana drachma dimidia, zacchari albissimi, in aqua eupatorii & cichorii dissoluti, fiat electuarium in tabulis, dosis drachmæ duæ, vel tres*. Hoc cataplasma quoque, vel simile, vt ventri apponeretur proposuimus: *Recipe foliorum sambuci manipuli duo, florum chamæmillæ manipulus vnus cum dimidio, radicum ebuli vncia vna cum dimidia, radicum bryoniæ, ireos ana vncia vna, baccharum lauri drachmæ sex, seminis anisi, cumini ana vncia vna, coquantur in aqua & vino quantum sufficiat ad mollitudinem, addendo rebus tusis, farinæ lupinorum vncias duas, sulphuris vnciam vnam, stercoris vaccini vel caprini drachmas septem, vnguenti Agrippæ vnciam dimidiam, mellis quantum satis fiat cataplasma*. Atque his vel similibus sæpius cum summa salute plurimorum ægrorum vsi sumus; quibus & sanitatem consequuti sunt, si statim in principio ea recte adhiberentur.

Scholia.

4 *Ascitis curatio propria.*

Ascitis affectum licet periculosum diximus, curatio huius tamen tentanda, nam non pauci ex ea euasere, multi vero tamen succubuere. Quod ad propriam eius curationem attinet, si ex frigiditate sola iecinoris consistat, vt ex frigidæ, vel frigidi medicamenti vsu nimio, vel ex aliqua parte affecta, cui iecur consentiat, tunc cura tentanda est: atque inprimis ad materiam proximam respicere debemus, mox ad causas remotas, id est, affectus, quibus vel primario, vel secundario afficitur. Quod ad materiam attinet, intentiones curatiuæ eædem
Purgatio. sunt, scilicet vacuatio. Sed alteratio hic exspectanda non est. Nam serosus ille humor materia sanguinis esse nequit: ideo vt toto genere præter naturam vacuandus. Sed vacuandi modo non iidem: nec enim hic sanguis mitti debet: sed inter vacuationes maxime conuenit purga-
5 *Primam tionis, ob purgandi excrementi vicinitatem. Vri-* *cientia.* natiua etiam conueniunt, quod facile aliquid aquosi humoris per renes traducitur, cum tamen in eos, tum in cauam venam resudat. Præterea faciunt ad distributionem in iecur, ex qua impedita dicebamus, maxima ea parte colligi
Sudores cur minus conueniant in ascite. in ventre aquas. Sudores minus conueniunt: quoniam non est in extimam corporis superficiem humor distributus. Sat ergo erit, exercitiis moderatis vti, ad excitandum calorem: & reliqua victus ratio omnis similis sit hyposarcæ. Balnea quoque & potiones sulphureæ minus his conueniunt: tum quia his vires imbecillæ re-
Quas ascitici magis iuuentur. soluuntur maxime, tum quia sudoribus non multum iuuantur. Iuuantur igitur purgatione, vrinis, cataplasmatis, incisione. Ac primum de purgatione agendum. Hæc autem per potiones fit, aut medicamentis, quæ ad ventrem applicantur, aut clysmatis. Cum autem hæc multiplicia sint, ea afferam, quæ hodie in vsu sunt, & experta. Materia vero eorum, quæ aquosos humores ducunt, hæc est: *Imprimis squamma æris, vel æs vstum*, quo Iacchinus se primum, quod sciat, nostra ætate vsum refert: cum tamen Baesdorpius antea eo vsus sit in Imperatore Carolo Quinto hydropico, cum alij medici desperarent; qui *se vnum remedium habere* profitebatur Carolo Imperatori, *sed eo se potius malle vti in rustico, quam in Imperatore*. Cui Impe- *Nero.* rator respondit (vt nos à fide dignis accepimus.) *Cogita te rusticum præ manibus habere, modo Imperatorem ita curaueris*. Atque eo vtens illum ipsum sanauit. Rhazes quoque eo vsus est, *vt refert Gradus*. Addit Iacchinus, *Vtrumque optime debet conteri, atque in catapotia conformari ex melle. Dosis à drachma vna, ad drachmam vnam cum dimidia. Admisce caryophyllum vel cinnamomum*. Aliud vsitatum remedium est, *cortex radicis sambuci in succum redactus. Dosis ist ad vncias duas, & tantumdem vini odorati*. Benedictus Veronensis *radicis sambuci, corticis succum ad quaternas drachmas quosdam dedisse scribit*. Alij radicis ebuli succum ace- 7 tabuli mensura quotidie nouem diebus dede- *Radicis ebuli succus.* runt, decrescente luna; atque ita sanarunt hydropicos: vel vnciam vnam; egregie enim aquam trahit. Vti etiam facit cortex medius sambuci. Nicolus vna vice dat *vncias sex, decocti sambuci, corticis mediani*, idem dat ex succo sambuci *à drachmis duabus ad quatuor, & succi ebuli à quatuor drachmis, ad vnciam vnam*. Quidam succum ex sambuci cortice medio cum oxymelite propinarunt. Sed si sursum versus (*vt quidam autumant*) è ligno abradunt, vomitiones concitari; si deorsum versus, per inferna deduci tra- *Succus iridis.* dunt. Aliud est iridis succus, ex radice expressi datur cum zaccharo, quod faucibus asperitatem facit: dosin idem Iacchinus circiter *vncias duas, vel tres esse vult*. Vncia vna sæpe satis fuit in robustis, *vt Obseruatione sequenti constabit*. Alij vnciam dimidiam dant, sed purum, nullam fere vim habet si decoquatur. Purus esse debet, abiecto sedimento: ex zaccharo vel syrupo violato, aut ouo sorbili delicatius sumitur; & præstantissimum illud remedium habetur. Aliud 8 vsitatum est *soldanella siue saldanella*, brassicam *Saldanella.* marinam dicunt: frequens est in Zelandia, & copiose ad nos fertur: nos frequenter in decoctis manipulum vnum, vel manipulum dimidium ponimus. Hanc male quidam putant esse eam herbam, inquit Iacchinus, quæ appellatur *Cachile* ab Arabibus: illa enim alia ad marina brassica, & similis vsneæ: & inuenitur æstate in nostro littore: qua in hunc vsum hodie aliqui vtuntur. Soldanellæ succus vel potus, vel etiam folia siccata, & in puluerem redacta, dantur. Scio quosdam, inquit Iacchinus, & aqua exstillata vsos: ego vero non sum vsus. Hollerius tamen refert *libro primo, capite trigesimo septimo de hydrope*. *Aqua exstillata è purpureis floribus ireos data, drachmæ sex, vel vnciæ vna quantitate, cum scrupulo vno, electa viaſanta. & granis octo, cinnamomi, efficacissime aquam hydro-*

picorum ducit. Dosis succi soldanell. secundum Iacchinum, sunt *vnciæ quatuor, ad sex, pulueris drachmæ duæ mane cum exiguo vino vel mulsa.* Donatus huius soldanellæ vsum non facile admittit, cum mirifice ventriculo aduersetur: ipse pluries experientia vidit noxiam inferre, potius quam auxilium aliquod hydropicis præstare, imo quosdam citius periisse obseruauit. Sed quia hic frequens, nos tamen commode hac herba vsi sumus. Præceptor meus Benedictus Fauentinus, in hunc modum dabat: *Recipe absinthij sicci, eupatorij sicci, soldanellæ siccæ ana drachmæ duæ, spicæ scrupuli duo, fiat pulvis, detur drachma vna mane, cum aqua radicis sambuci.* Elideus præceptor meus, etiam Bononiæ dabat, *modo cum rhabarbaro, modo per se, cum aqua agrimoniæ.* Magna cum experientia in nosocomio vitæ vtebatur *soldanella cum rhabarbaro, & passulis*, & mulieres citius, quam viri curabantur: crede propter symbolum, quia frigidiores sunt, & calidiora medicamenta melius ferre possunt. Aliud est,

Laureola. *Laureolæ folia siccata in vmbra, & mox aceto aspersa, per diem vnum vel duos, & rursus siccata, & in puluerem redacta; ac conformitatis melle, vel succo cotoneorum pilulis, duæ sumantur ad ciceris*

Esulæ radix *magnitudinem.* Aliud *esulæ radix est, cuius cortex siccatus teritur: & vtimur scrupulo vno ipsius, addendo mastichen & rhabarbarum, cum succo rosarum: fac pilulas pro vna dosi.* Alia vero, quorum scriptores meminere, hodie (*inquit Iacchinus*) in vsu non sunt: & profecto, si his, quæ diximus, non satis vacuatur, inanis erit cura. At cucumer agrestis in frequenti vsu fuit & Græcis, & Arabibus: quo sic vtendum: *Recipe corticis, radicis cucumeris agrestis scrupulus vnus, infrictum insperge mulsæ.* Sine molestia (*vt Hollerius quoque refert*) pituitam ducit, nec stomachum lædit. Abominabilis licet sit vrinæ potus, tamen maxime probatur medicis. Tolerabilior, si ex puero impube destilletur cum melle, & aliis diureticis.

Clysteres. Quod ad clysteres attinet, etiam acres adhibendi, nisi venter sua sponte humescat. Tunc enim exsiccare ipsum magis conuenit, *vt inquit Paulus.* Clysteres fiant *ex decocto mercurialis, polyp. florum chamæmillæ, ebuli foliorum, & radicum, & caricis.* Cuius *Recipe libræ vnius, adde mellis despumati vncias duas olei anethini, vtriusque, ana, vnciam vnam hieræ picræ drachmas septem, benedict. laxat. vnciam dimidiam, salis communis drachmas duas. vel Recipe mercurialis betæ, parietariæ, ana manipulus vnus, brassicæ marinæ, vel thymel. vel chamæmillæ manipulus dimidius, sennæ orientalis vnciæ duæ, florum hyperic. genist. ana pugillus vnus, anisi, apij, petrosel. ana drachmæ duæ, cartami vncia vna, fiat decoctio, & in libræ dimidia colaturæ dissolue benedictæ drachmam vnam.* Alij competunt *ex radicibus ireos, cucumeris syluestris, ex cyclamine, vel succo, cum vrina hominis, vel cum sero caprarum: & sine oleo iniiciunt, vt Rondeletius facit.* De vrinatiuis diximus. Aliqui dant *polium, vel sampsuchum in vino decoctum, vel iunci odorati, nardi, asari ex vino, vermes terrestres*, vt Aetius, *vel erinaceum terrestrem excoriatum, eiusque carnis in sole exsiccatæ drachmam vnam ex vino tritam præbent.* Paulus exhibet *cochleæ vnum stercoris bubuli vsti, ex vino potum quotidie, strenue auxiliatur*, quibus adiice ea, quæ de anasarcha diximus. Vtimur quoque solutiuis exterius, si æger debilis sit, aut valde lædatur: sic & si puer sit, & medicamenta recuset. Hæc facile est componere ex materia vehementer ducentium aquas. Sed elaterium, & cyclamini radices, & lathyris, inter hæc primas partes tenent, cum grano Cnidio, & vnguentum de arthanita maius: quale hoc est: *Recipe succi thymelææ, cucumeris agrestis, & brassicæ marinæ ana vnciæ duæ, succi aristolochiæ vncia vna, spicæ nardi, sennæ ana drachmæ tres: excipiantur farinæ orobi vel lupinorum, & applicentur supra vmbilici regionem.* Vermes quoque necant, etiam vrinas mouent. Alij eadem supra vesicam, ex oleo rutaceo, & vrina pueri, ac succo pedis columbini parant. Ea enim, quæ vrinas mouent, aliquid faciunt: ideo his vtendum est, sed non vehementer instandum, vt in hyposarcha, ob dictas causas. Vnde & Rondeletius, *Mouent*, inquit, vrinas. Quare illud decet fieri, cum supradicta remedia vrinam prouocantia dabuntur. Rhases tamen minus probat illa laxantia emplastra, cum maiorem inflammationem inducant in membris, quam medicinæ debite correctæ, & in debita dosi administratæ. Verum vbi febris abest, & sit materia frigida, iis vti possemus, vt docti faciunt. Postea ad cataplasmata, quæ emplastra vocant, descendimus: ac primum ex cochleis constat, antiquum sane. Oportet prius per aliquot dies humore excrementitio repurgatas sumere, & cum testis contundere, & leuigare: postea inspergere florem *asij lapidis, calamenthi sicci, & rutæ siccæ aliquid*: finere donec sponte decidant, idque toti ventri adhibendum. Eligantur marinæ cochleæ: sin minus, quæ in montibus pascuntur genistæ herba. Aliud *ex stercoribus, caprino, bubulo, columbino*: *siccetur prius modice, neque admodum vetusta sint: postea componatur emplastrum cum sapa, addendo sulphur viuum, cyminum, lauri folia.* Alij addunt *spicæ nardi, schœnanthi, vel asari, vel valer. exiguum.* Vltimo vero ad chirurgiam, si prædictis non curentur, deueniunt, vel ad cauteria, vel incisiones: de quibus postea. Nunc aliud exemplum ascitis adferamus.

OBSERVATIO XXXVIII.

De ascitico male tractato ab empiricis, qui postea aptis remediis curari non potuit.

PEtrus Candidus dictus, calcearius, ex hydrope ascite cum diu decubuisset, vir crassus & obesus, magnus, vt si quis alius, & robustus, Delphis variis vsus est remediis empiricorum; cui tandem ab empirico famoso (*cui Egberto nomen erat*) qui illi sanitatem pollicebatur, exhibita fuere colocynthis & præcipitatum, ita vt in dies ad maiorem desperationem suæ salutis deuenerit, hepate ab eiusmodi medicamentis sine correctoriis, iisve quæ viscera roborare debeant, plurimum oblæso, in dies peius habere cœpit; ita vt malum in hepate confirmatum fuerit. Vnde postea organo sanguificationis magis affecto, supra modum aquosa materia audacta, venter non solum in molem excreuit, vt in homine crasso & corpulento disrumpi videretur; sed vt etiam

etiam ad crura descenderit, & tandem in scrotum quoque aqua prolapsa, in herniam aquosam inciderit, adeo ingentem, vt talem vix in vita viderim. Eo autem tempore, vtebatur opera Cornelij medici illius senioris Delphensis. Verum cum indies bursa testium ita excresceret, & malum augeretur, & medicus dictus illum pro deplorato reliquisset, qui eundem ad aliquot tempus tractasset, facta est consultatio, & accitus est Cornelius Ericius collega meus, ac Hugo Nicuenius medicus Haghanus, atque me in tertium medicum amici adoptarunt. Proposita autem fuit incisio ipsius scroti seu bursæ testium, vt aqua hoc modo euacuaretur, inter reliqua multæ ac variæ rationes adductæ sunt, vti & illud quod Iohannes Langius scribit *lib. secundo epistolarum, epistola 32. Præsens illud ex salis* (inquit) *subsidio, Hippocratis & Leonidis, ac Archigenis in hydrope remedium, animo memori reconde: qui supra interrum cruris œdemate turgentis malleolum, quatuor digitorum spatio, scalpello, paulo quam in venæ sectione altius, & in orbem cucurbitulæ adacto, ex vulnusculis sale confricatis, ne sanguis vel ipsa concresceret, inde iugi scaturigine aqua guttatim emanante, totam hydropis aquam inter cutem in aluo sub peritonæo vel in testiculorum ofcheo reconditam, sensim educebant. Idque verum esse, mea experientia comperi.* Idem & Aëtius *Sermon. 10. cap. 30.* & de sale *lib. 6. de phlebotomia* reiteranda. Alij autem in ascite, vbi aqua copiose colligitur in peritonæo, punctura vtuntur, per quam aqua euacuatur, quæ per aliam regionem perfecte non potest euacuari. Nec adeo periculosa est ventris apertio (*vt censebat Rondeletius*) modo recte fiat. Nam videmus eos quibus vulneratus est venter, euadere; visi vulnus penetret gracilia inteſtina. Præterea vtilem constat esse ex euentu. Quibus enim casu per vmbilicum aqua erumpit, hi sunt curati, *vt alias & nos quoque ante exemplis docuimus.* Quod si quis obiiciat, *hoc remedio tentato multos interiisse*: huic respondebimus, id contigisse, vel quia facultas hepatis in illis erat emortua, vel postea sanguinem bonum gignere non potuerit: aut quia remanserit scirrhus hepatis, aut lienis; vel quia natus erat morbus ex pulmonis vlcere (*phthisici propemodum omnes in hydropem incidunt*) vel quia in thorace fuerat etiam collecta aqua, quæ vacuata non est; quod ex tussi deprehendi potest. Hos desperatos esse dicit Hippocrates: sed sic intelligendum est, *nisi vtraque pars pectoris aperiatur.* In deploratis, qui ad extremam virium imbecillitatem deuenerunt, qui scirrhum in hepate confirmatum, aut liene, aut vlcus in pulmonibus habent, ac denique in senio confectis, non debemus hoc remedium experiri. Dum venter pungitur, non est spectandum ex qua parte, dextrane, an sinistra, malum cœperit, vt quidam religiosius obseruant. Nam nihil refert, vtram partem fæces; cum ex vtraque possit commode vacuari aqua. Verum hic cum maxima pars aquæ in scrotum vel bursam testium confluxerat, potius in ea incisio facienda erat, *vt docet Arculanus capite proprio de hydrope.* Verum cum vires in hoc ægro debiles essent, ac malum iam confirmatum foret, tandem conclusum est, vt non fieret incisio, sed potius euacuatio humoris aquosi per conuenientia medicamenta, vt succum ireos, & similia, præparatoriis & attenuantibus remediis etiam præcedentibus, & euacuatione peracta, decretum est, vt ad localia medicamenta peruenirem. Sed, quod pene omiseram, tres dies antequam fiet consultatio, prius vocatus fueram, cum Guilhelmo de Dalen chirurgo lithotomo: ac euacuatione vsi ex decocto attenuantium, adiectis foliis sennæ, & agarico, pro scroti inflatione fomenta adhibuimus ex decocto *florum chamæmill. meliloti, absinthij, rorismarini, anethi, flor. ros. corticum quercus, & similibus*, & euaporatione ex prædictis sub sella facta, paulo melius habere visus est, antequam alij medici acciti essent. Idem affligebatur insigni dolore in ano, ex hæmorrhoidibus & apostemate: pro quo symptomate mitigando, & dolorem sedando, vna cum chirurgo hæc infrascripta adhibuimus: *℞. olei amygd. dul. pinguedinis gallinæ, butyri recentis an. ℥ ß. misce.* quo loco dolens inungebatur. Mox & hoc fotu vtebamur. *℞. caput vernecinum integrum, vna cum ossibus & cerebello, flor. chamæmill. meliloti, folior. tapsi barbati, foliorum maluæ, viol. ana man. j. radic. althææ ℥ ß. seminis maluæ, althææ an. ℥ i ß. semin. fœnugr. lini an. ℥ ij. coquantur omnia in aqua communi q. s. ad perfectam mollitudinem*; colatura fortiter expressa, calide locus dolens fouebatur; & hæmorrhoides apertæ sunt; & apostema quod erat in ano, ruptum est, multo pure exeunte, adeo vt dolor ibidem omnis cessauerit; intus etiam assumpto ad detersionem hordei communis decocto cum melle. Repurgato deinde apostemate bene habuit. Scrotum tamen inflatum permansit. Vnde alij medici prædicti vocati, postposita incisione, ob causas dictas, in homine quinquagenario, iam diu hydropico existente, Hugone medico tunc discedente, infrascripta vna cum Cornelio Ericio, collega meo, anno 1562. 22. Nouembris præscripta sunt; *℞. florum chamæmill. meliloti an. man. ij ß. summitatum absinthij communis, florum rorismarini, summitatum anethi an. manip. j. flor. ros. p. j. radic. althææ ℥ iij.* (ob duritiem quæ aderat) *sem. althææ ℥ ij. coquantur omnia in vino Pictauiensi, ad mollitudinem, & expresso humore, leuiter omnia hæc contundantur, cui addantur, stercoris bubuli manipul. iij. corticum quercus, subtiliter contus. & cribro exceptorum man. j. farinæ, fœnugraci, semin. lini an. m. i ß. farinæ fab. m. i ß. pulu. cumini præparati & cribrati m. j. omnia misceantur, pauco liquore decocti adiecto, & oleo anethino, ad cataplasmatis consistentiam*, profuit egregie. Interim 23. Nouembr. infrascriptum apozema fieri mandauimus: *℞. quinque rad. aperitiuarum an. ℥ ß. ceterach, capill. vener. agrimoniæ, cuscutæ an. man. ß. semin. genistæ ℥ ß. semin. fœniculi, anisi an. ℥ j. sem. petrosel. carui, amios an. ℥ ß. corticum rad. thamarisci, glycyrrh. an. ℥ iij. vuar. passul. enucleat. ℥ j. fol. sennæ ℥ vj. agarici optimi leuis & fœminini ℥ ij. zinzib. ʒ j. soldanellæ ℥ ß. fiat omnium decoctio in aqua communi, & vino Rhenensi q. s. fient infusa per noctem.* mane huius fortiss. expressi, accipe ℥ ix. *arom. cum pul. specier. diarrhod. abb. specier. diacur. dialaccæ, an. ʒ j. addendo syr. de enpatorio ℥ i ß. syr. de byzantijs ℥ j. fiat apozema pro 3. dosibus.* Quibus optime aluus soluebatur, cum detumefactione ventris & testiculorum. Vtebatur autem victu extenuante, exsiccante, & abstinebat à potu, tantummodo parum vini Rhenensis sumebat, cum satis diues esset, licet calcearius. Postea capiebat ℥ i ß. vel ij. ex hac confectione: *℞. specier. diarrhod. abb.* (nam vrina tincta erat, & vix videbatur liber à febre) ℥ j. *diacurc. ʒ j. dialac. ʒ ß. dissol. in aqua fœniculi, adiecto zacch. optimo q. s. fiat confectio in tabulis secundum artem.* 26. Nouembr. hæc præscripta sunt: *Recipe radic. quinque aperit. rad. ireos an. ℥ ß. capill. vener. ceterach, agrimoniæ, hyssopi, cuscutæ an. man. ß. seminis anisi fœnic. an. ℥ iij. semin. genistæ ℥ ß. vuar. passul. enucleat. ℥ j. foliorum sennæ ℥ ß. agar. leuis & opt. ℥ j. soldanellæ ℥ ij. folior. mezereonis ℥ ß. zinzib. ʒ ß. schœnanthi ℥ ß. fiat omnium decoct.*

in vino Rhenensi, & aquæ petrosel. fœniculi part. æqualibus, & coquantur in balneo maris, & stent infusa supra herbas per noctem, pro ℔ j. *fortiss. express. adde syrup. de eupat.* ℥ ij. *syrup. de byzantiis, sine aceto* (quia parum tussiebat) ℥ j. *misce, capiat omni die modo semel modo bis: & egregie operabatur.* 28. Nouembr. cum cyatho vno decoct. suprascriptæ sumebat succi ireos ℥ ß. *pul. soldanellæ* ℈ j. *in diluculo*: & habuit sex sedes admodum aquosas; ventre tum testibus detumescentibus: Facta tamen pro bursa testium euaporatione, *ex floribus chamæmill. melilori, corticum querc. adiectis aliis iam supradictis, & emplastro seu cataplasmate præcedente admoto* 29. Nouembr. hac
9 sola inunctione contenti fuimus; & hernia illa aquosa, bis exhibito succo ireos egregie curata est absque incisione: ℞. *olei anethini, chamæmel. meliloti an.* ℥ ß. *misce.* postea ad ascitem curandam & aquam depellendam, 2. die Decembris hæc præscripta sunt: ℞. *rad. quinque aperit. an.* ℥ ß. *radic. ireos* ℥ ij. *ceterach. capill. vener. hyssopi an. m.* j. *semin. genistæ, anisi, fœniculi an.* ℥ j. *semin. petrosel.* ℥ ß. *cort. rad. thamaris.* ℥ j. *glycyrrh.* ℥ iij. *passul. enucleat.* ℥ j. *folior. sennæ* ℥ ß. *agarici fœmin. soldanellæ an.* ℥ ß. *zinzib.* ℈ j. *schœnanthi, spicæ an.* ℈ ß. *fiat decoct. in aqua fœniculi, petrosel. & vini Rhenens. qu. suf. stent per noctem infusa*; cuius expressionis accipe ℥ ix. *addendo syr. de eupator. de byzantiis an.* ℥ j. *arom. cum specier. diarrhod. abb. diacur. dialaccæ an.* ℈ j. *misce. detur, vt dictum est, omni mane.* Postea ℞. *succi ireos* ℥ vj. *pul. soldanellæ* ℈ j. detur cum cyatho vno decoct. suprascriptæ; deiecit meram aquam citrinam de-
10 cies. Egregie venter detumuit, cum maxima alleuiatione. 4. die Decembr. cum aliquantulum tussiret; hæc præscripta sunt: ℞. *syr. capill. vener.* ℥ ij. *specier. diapeni* ℈ ij ß. *specier. diaireos Salomonis* ℈ j ß. *zacch. penid.* ℥ ß. *misce. pro linctu*, sumat cum baculo liquiritiæ ad libitum. 8. Decemb. sequens sumpsit: ℞. *succi ireos* ℥ vj. *pul. soldanellæ* ℈ i ß. *dabatur cum decocto vltimo præscripto*, optime ad miraculum eduxit aquam. Interim diebus sequentibus, pro roboratione viscerum vtebatur sequenti elect. in tabulis. ℞. *specier. diarrhod. abb.* ℈ ij. *specier diacurcum. dialaccæ, diaireos simpl. an.* ℈j. *dissolut. in aqua agrimoniæ, adiecto zacch. albiss. q. suf. fiat electuar. in tabul.* Cœpit in dies tunc venter detumescere, tum crura ipsa; ac paulatim melius habebat 16. die Decembr. rursus ex hoc decocto sumebat. ℞. *rad. quinque aperitiuar. rad. ireos an* ℥ ß. *capill. Vener. polytrichi, ceterach, agrimoniæ an. m.* ß. *sem. anisi* ℥ j. ß. *folior. sennæ* ℥ vj. *sodanellæ* ℥ ij. *vuar. passul. enucleat.* ℥ j. *liquir. rasæ* ℥ ß. *coquantur in aqua communi. pro* ℥ ix. *forti expressioni adde syrup. de eupat. de byzantiis an.* ℥. j. *misce.* Sed tunc crus excoriatum est, & maxima copia aquæ quotidie effluebat. Pecia lini cum vng. albo superinducta apponebatur, ob excoriationem. Eo decocto absumpto, iterum ℥ vj. *succi ireos. pul. soldanellæ* ℥ ß. *cum decoct.* cepit: deinde iterum elect. in tabulis; & pedes detumuere; & quasi curatus videbatur. Verum cum homo esset admodum crassus, mere rusticus, & insignis ceruisiarum potor, iterum largius ceruisiam bibens, à qua diu abstinuerat, cum iam aliquot diebus curationem vlteriorem intermisisset, iterum venter mirum in modum inflari cœpit; & crura denuo in maximam molem excreuere: adeo vt iterum 16. Ianuarij nos vocauerit, anno 1563. Cum vero adhuc robustus videretur, vna cum Ericio hanc potiunculam exhibuimus. ℞. *soldanellæ* ℥ j. ß *mezereonis* ℥ ß. *sem. anisi, carui, dauci, fœniculi an.* ℥ j ß. *bulliant in vino Rhenensi stentque per noctem infusa, mane huius fortis colaturæ accipe* ℥ iij ß. *adde succi ireos* ℥ vj. *misce.* Exhibita fuit mane potio in diluculo: ex qua semel 12
vomitum habuit. Sed postea per diem & noctem sequentem copiosissime hæc ipsa aquam eduxit: ita vt venter omnino detumuerit, tum crura subsiderent. Hoc tamen medicamentum forte est, quo non vtendum nisi in robustis, quorum naturam cognitam habemus: Nam & hic vir quadratus & robustus, bene tulit, & optime profuit. Huic rursus & confectiones elect. in tabulis exhibitæ, ad viscerum roborationem: & denuo bene habere cœpit: & tunc rursus à medicamentis abstinuit. Deinde cum videret iterum crura in-
flari, denuo sequutus est mulierc ularum consilia, 13
quæ pedibus applicarunt & cruribus bolum armenum, cum aliis repercussiuis: vnde tam pessime habuit, iterum facta recidiua, multo peiore præcedente; adeo vt crura tandem in tantam molem excreuerint, vt ad eum vterque rursus accitus, in vita maiora nunquam spectauerimus, in homine licet magnæ staturæ & valde crasso. Imo ex nimia mole cute suppurata, sub poplite vlcera valde putrida cum putrefactione subsequuta sunt: quæ nullo modo postea curari potuerunt. Et post tres septimanas magis rursus intumescente ventre, cum cruribus, subsequuta est febris, licet lenta & leuis. Ita vt præhabito prognostico 17. die Februar. eiusdem anni è vita discesserit.

Scholia.

Recidiuam ipsa radice, diximus *in lib. Obser.* 14
nostrarum de febribus, multo peiorem esse; & hic præcipue: nam postquam mulierculæ illa repercussiua femoribus applicuissent, ea ipsa statim cum tanto dolore intumuerunt, vt nullo modo sedari possent. Mox subsequenti suppuratione sub poplite, deinde & febre, ventre semper magis increscente, tum cruribus, hic asciticus parum in fine curationis obseruans victus rationem, è vita decessit. Semper enim ascitis grauis & suspectus morbus est: & hic periculosior factus, primo ab empiricis, postea in fine etiam à mulierculis. Nulla præsidia, licet videbantur hominem iam antea restituisse, postea viribus deiectis vllo modo iuuare potuerunt. Quibus modis curetur ascitis, iam satis dictum est: semper habita 15
intentione ad causam coniunctam, nempe hydropem; & ad remotam, nempe malam dispositionem ipsius hepatis. Nam frustra, vt diximus, hydropem curamus, nisi malam intemperiem hepatis remoueamus; alioqui cito redit aquositas. Multa sunt, quæ hic commendantur à medicis: *vt hepar lupi, trochisc. de vhab.* de quibus vide Nicolum, Gatenariam, Arculanum, & alios auctores, qui maxime Auicennam & Arabes sequuntur. Quomodo autem curetur à Græcis, iam satis quoque dictum est.

OBSERVATIO XXXIX.

De ascite, ex hæmorrhoidibus constrictis & lienis oppilatione orta.

Nobilis matrona, Barbara Zuzia, vxor Ioannis Heuteri, mense Octobri, anno 1578. 1
post hæmorrhoides longo tempore restrictas, quæ consuetæ erant fluere, incidit in oppilationem lienis: & ex ea tandem in hydropem asciten. Venter huic tum pedes tumebant. Post multa adhibita remedia, ad eandem sæpe accitus sum in Hagham-Comitis, vbi tunc habitabat, & post pacificationem è Traiecto eo venerat: capiebat subinde

subinde pil. 7. ex aloe lota cum aqua saluiæ, ad hæmorrhoides aperiendas, præcedentibus decoctis aperitiuis. Et ad aquam educendam capiebat pilul. tres exiguas ex mezereo, descriptionis Donati (*de quibus latius in scholio agemus*) ab Altomari *cap. proprio de hydrope*, quas idē pro ascite expertas habet. Dat autem ipse ℥ j. *vel* ℈ ij. pro vice qualibet: sed quia hæc matrona debilis erat, capiebat tantum tres pilulas; & egregie aquam soluebant. Gualtherus pharmacopœus Traiectensis, vt nobis tunc referebatur, simili morbo laborabat, nempe hydrope ex hæmorrhoidum obstructione, quæ prius illi naturaliter fluere solebant: verum hic singulis septimanis capiebat pilulas ex aloe lota, deinde etiam istas pilul. ex mezereo, 2
descript. eiusdem Donati. Quibus solis remediis fuit ab hydrope curatus; & hæmorrhoides denuo eidem fluere cœperunt, mox ventre detumescente. Nostra vero matrona, postquam bis accepisset tres pilulas dictas ex mezereo, hæmorrhoides fluere cœperunt; post magnam liquidorum humorum aquosorum euacuationem. Post decocta aperitiua & pilulas sumptas, his nodulis in vino suspensis & expressis capiebat vinum, nempe cyathum vnum bis in die ℞. *zalsæ parillæ* ℥ ij. *ligni sancti* ℥ j. *tamarisci recentis m* j. *ceterach, chamæd. an. p.* j. *cort. rad. cappar.* ℥ ij. *cinnamomi confracti.* ℥ ß. *fiant tres globuli seu puppæ*: ℞. *ligni sancti* ℥ iij. *rad. fœnic. bruscі, asparagi, ononid. an.* ℥ j. *chamæd. saluiæ an. p.* j. *rad. asclepiæ seu hirundinariæ* ℥ j. *granor. iuniperi, baccarum lauri an.* ℥ j. ß. *rad. caryoph. illatæ, polypodij quercini an.* ℥ ß. *comæ absinth. m.* ß. *fiat magnus globulus seu puppa*: quæ coniiciatur in quartam partem cupæ ceruisiariæ: qua ceruisia vtebatur pro quotidiano potu, tam pro lienis obstructione, quam hydrope. Huic matronæ prius bene per 3
pilulas dictas repurgatæ post aliquos fotus conuenientes pro cruribus inflatis, sequens etiam cataplasma cruribus supra modum inflatis, opposuimus: ℞. *rad. ebuli recentis m. vj. rad. bryoniæ* ℔ j. *corticum exteriorum sambuci m.* iiij. *folior. cucumeris asinini man.* ij. *caulium rub. man.* vj. *folior. maluar. man.* ij. *folior. althææ m.* iij. *furfuris macri man.* v. *florum chamom. man.* iij. *flor. meliloti man.* ij. *absinthij exsiccati man.* iij. *decoquantur in aqua communi q. suffic. pistentur, addendo vnguenti Agrippæ* ℥ iij. *farinæ hordei* ℔ ß. *fiat cataplasma, vt artis est.* Hoc cataplasmate crura inuoluebamus vsque ad genu: quo multa aqua effluxit, absque corrosione. Est egregium, & pro arcano retinendum. Hæc præscripta sunt in principio Decembris: 6. vero die & hæ tabulæ præscriptæ: ℞. *specier. dialaccæ, diarcurcumæ ana* ℥ ß. *specier. ros. spec. diacinnamomi ana* ℈ j. *dissolutis in aqua agrimoniæ q. s. zacchari albiss.* ℥ iij. *fiat confectio in tab.* Lieni applicabatur em-
plastrum de melilloto: & venter inungebatur vn- 4
guent. Agrippæ. Quibus bene se habere cœpit. Cæterum in principio Ian. anno 1579. cœpit peius habere, curatione paululum intermissa. Tunc eam accessit quidam chirurgus Haghanus, qui pollicebatur eidem sanitatem: at vir eius Ioannes Heuterus prudens, ei auscultare noluit. Præter alia remedia, quæ intus exhiberet, etiam proposuit vesicatoria ponenda esse sub poplite, 5
in parte domestica, de quibus latius in scholio, idque in vtroque crure, cum crura rursus valde intumescerent. Cuius causa ego denuo accitus, in ea re illi assensi, modo non essent cauteria potentialia, & cutem vsque ad carnem adurentia; ea enim solent in cruribus œdematosis vlcera difficilia inferre, & subinde gangrænam, vt experientia in multis vidimus. Ideo vesicatoria leuia concessi; quæ adhibuit, & vesica illata incisa fuit: ex qua multum aquæ effluxit; eaque deinde per se consolida est. Cæterum post aliquot dies pustulæ per se in cruribus obortæ, insignem pruritum induxerunt; & me inscio, absque etiam consilio chirurgi, caules rubros apposuere: vnde pustulis perruptis, & vesiculis effractis in ambobus cruribus subsequuta est magna corrosio, & tandem vlceratio: & effluit continuo aqua, vt vires paulatim deficerent. Ad 14. Ianuar. rursus 5
ad eam vocatus sum: maritus denuo voluit exhibere pilul. de mesereo; sed in hibui, ob vires nimium debiles. Interea propter vlcerationem, ne accederet gangræna, imperauimus crura lauari cum vino, in quo decocta erant folia vngulæ caballinæ, aliquid masticis, myrrhæ, thuris, & litharg yrii, etiam folio vngulæ caballinæ (quod siccatum aderat, & recens tunc non inueniebatur (loco vlcerato impositio, ne fluxio omnino impediretur, neque nimium flueret. Vlcera deinde paulatim ceperunt melius habere, & dolor mitigabatur: quanquam illa semper in peius, quo ad vires (*licet venter aliquo modo detumesceret subinde*) vergebat; ita vt eam tandem morituram prædixerimus. Cæterum vinum illius decoctionis, effi- 6
ciebat, ne fieret gangræna in cruribus. Crura vero eo decocto & lauabantur & inuoluebantur, super vnum locum appositio folio vngulæ caballinæ, ne fluxio in totum restringeretur. Interea hoc apozemate vtēs, videbatur quasi curata: ℞. *rad. ireos viridis* ℥ j. *rad. fœniculi petros. an.* ℥ ß. *agrimoniæ, cassuthæ, ceterach, chærefolii, soldanellæ an. man.* j. *flor. trium cord. ana p.* j. *semin anisi. fenic., carui an.* ℥ j. ß. *sē. cartami contriti* ℥ ß. *medianorū corticum sambuci m.* j. *folior. sennæ* ℥ j. *turpethi optimi* ℥ ij. *vhab. selecti, agarici albi fœmin, ienis an.* ℥ j. *spicæ, schœnanthi, zinzib. albi an* ℈ ß. *vuar. passul.* ℥ j. *liquir. rasi.* ℥ iij. *polypod. querc.* ℥ ij. *fiat omnium decoctio in tribus partibus vini Rhenensis, & vna parte aquæ petros. ad* ℥ ix. *clarificetur arom. cum* ℥ iij. *cinnamomi selecti; addendo syrup. de eupat.* ℥ iij. *fiat apozema, pro* iij. *dosibus mutinis.* Ex prima dosi habuit 7. secessus: ex secunda, post tres dies assumpta, habuit enormes secessus, cum magna angustia, vt putarent illam morituram. At post secessus, continuo per plures dies reddidit lotium; & venter ad miraculum detumuit, & pedes; & præter spem multorum videbatur curata, & liberata ab hydrope. Vetum anno eodem 7
1579. in Septembri iterum venter intumescere cœpit. Post præparationem materiæ, & assumptis bis tervæ pilulis de mezereo consuetis, 13. Septembr. iterum hoc apozema præscriptum est: ℞. *rad. ireos viridi.* ℥ vj. *cort. rad fœniculi, petrosel. ana* ℥ ß. *agrimoniæ, cassuthæ, ceterach, chærefolii ana man.* j. *soldanellæ m.* ß. *flor. trium cord. tert. medianor. sambuci an. p.* j. *semin. anisi, fœniculi, carui an.* ℈ iij. ß. *semin. cartami* ℥ ij. ß. *folior. sennæ, absque stipitibus* ℥ vj. ß. *turpethi optimi* ℈ iiij. ß. *vhab. selecti agar. albi an.* ℥ ß. *spicæ, schœnanthi, zinzib. albi, ana* ℈ ß. *vuar. passul. enucl.* ℥ j. *liquir. rasæ, polypod. querc. an.* ℥ ij. *fiat omnium decoctio in* iij. *part. vini Rhenani, & vna part. aquæ petrosel. circiter* ℥ viij. *infusis per noctem. & mane fortissime expressis adde syrup. de eupat* ℥ ij. *clarificetur, & arom. cum* ℥ ij. *cinnamomi selecti pro* 2. *dosibus matutinis.* Vtebatur deinde dialacca, & diacurcuma in tabulis. 26. Septembris etiam purgata est cum diacarthami solutiui ℥ ß. *aliquando* ℥ vj. in tabulis etiam hæc tragea præscripta est: ℞. *seminis anisi, fœniculi, cumini ana* ℈ iiij ß. *specier. diacalamenthæ* ℥ j. *specier. diacurcumæ, dialaccæ an.* ℈ ß. j. *trochisc. de cappar.* ℈ ß. *cinnamomi selecti* ℈ j. *baccarum lauri nu. v. puluer. subtilissime, & adiecto zacch.*

albiſſ. ad pondus omnium, ſiat tragea: doſis ſit ʒlj. Rurſus
8 14. Nou. huic matronæ nobili venter ex hydrope valde intumuit; & rurſus accepit tres pilulas ex mezereo, deſcript. Donati & intermiſſis aliquot diebus hæc præſcripſimus: ℞. *ſpecier. diacarthami* ℥ ij. *zacch. albiſſ.* ℔ ß. *fiat confectio in tabulis, doſ.* ℥ ß. *ſingulis ſeptimanis*: & ex vna doſi quinque vel ſex aquoſos ſeceſſus ſemper habebat, aliquando & nouem ſeceſſus, ſine torminibus. Has tabulas valde laudabat. Interea quotidie accipiebat mane cyathum vnum parum huius vini ſequentis: & hora quarta pomeridiana alterum: ℞. *cinerũ totius fruticis geniſtæ cochlearia duo: infunde in pinta vna vini albi Rhenani optimi: ſtent hæc infuſa calide ſuprà cineres calidos per noctem: mane per manicam Hippocratis coletur, idque ſæpius; & fiat claretum.* Et rurſus exhibita ℥ ß. diacarthami in tabulis, habuit quatuordecim ſedes aquoſas liquidas pituitoſas, & non male inde habebat. Poſtea, cum videretur aliquo modo melius habere, curationem non proſequebatur, numero remediorum tædio affecta. Sed 19. Febr. anno 1580. denuo ad eam accitus ſum. Et cœpit tunc peius habere, ventre magis intumeſcente, & aqua ad diaphragma aſcendente, & pulmonem comprimente; vnde etiam difficultate anhelitus corripiebatur, tuſſi tamen non accedente. Et quia tunc ſatis ſeceſſum habebat, abſtinuimus ab vſu diacarthami. Bibebat tunc vinum Rhenanum bis in die, in quo decoctæ erant radices eringij, ebuli, ireos, aſparagi, adiecta exigua quantitate cicerum rubrorum, & ſummitatum geniſtæ iam prius pullulantis. Et menſe Martio procedebamus cum iiſdem remediis, aliquando & ſupradictis. 19. Aprilis & hoc linimentum præſcriptum, pro ventre: ℞. *ſucci ireos, ſucci rad. ebuli, & radicis ſambuci, ſucci bryoniæ an.* ℥ j. *vnguenti Agrippæ* ℥ iij. *bulliant ſimul ad conſiſtentiam vnguenti mollioris.* Rurſus præparata materia cum decocto *rad. ebuli, aſpar. vt prius*, 25. Aprilis ita eandem purgauimus: ℞. *rad. ebuli, vel eius loco, ſi deſit, radic. ſambuci, aſparagi, ireos, an.* ʒ ij. *agrimon. cuſcutæ, ceterach. an.* m. ß. *ſoldanell.* ʒ j. *flor. cord.* p. j. *ſem. aniſi, carui, dauci an.* ʒ i ß. *uuar. paſſul. enucl.* ℥ ß. *liquir. raſ.* ʒ ij. *coquantur in aqua communi & vino Rhenenſ. & in* ℥ v. *huius decoct. infunde per noctem, facta prius leui ebull. folior. ſenæ abſque ſtipitibus* ℥ ß. *turbith gummoſi* ʒ i ß. *rhab. optimi* ʒ j. *zinzib. ſquinanthi, ſpicæ cinamomi an.* ℈ ß.; *mane fortiſſ. expreſſ. adde diacarthami in tabul.* ʒ ij. *ſyr. de eupat.* ℥ j. *miſce, fiat*
10 *hauſtus brevis*, detur mane in diluculo. Euomuit hanc potionem, quamquam adhuc ter plurima aquoſa depoſuerit. Rurſus vtebatur tabulis roborantibus ſupraſcriptis. Interea dum aliquando redirem, & cum remediis vix vteretur, ac tædio præſidiorum afficeretur, & ſemper in peius poſtea procederet, vt vix ambulare poſſet, Heuterus eius maritus nobis oſtendit literas ab Antuerpia tranſmiſſas, de muliere hydropica ab omnibus medicis derelicta, hoc modo ab hydrope curata: m. j. mediani corticis ſambuci abraſi, modo in poculo vno ceruiſiæ, modo in vino tantum infundebat, abſque decoctione. Quo quidem vino continuo vtebatur. Adhibito quoque veſicatorio, ad rotunditatem palmæ manus, ex fermento, cum 2. cantharid. in parte ſyluestri cruris. Quibus duobus tantum præſidiis hæc ipſa mulier Antuerpiana curata erat, præter omnium ſpem. Hæc tamen nullo modo hanc iuuabant. Et à priore potione iam dicta, materia ex lumbis ſupra pubem prolapſa, non poterat bene reddere lotium. Sed cum puluerem oculorum cancri ſumpſiſſet, cum exiguo vino, ad cochlear vnum, cœpit meiere. Poſtea, cum ſecundo ſumeret potionem prædictam, cœpit plurimum mingere; ita vt ſexies copioſiſſime minxerit: & deinde ter quotidie aluum deponebat, limoſa putida excernens, ſed in minori copia, quaſi cum tenaſmo. Sed paulo poſt melius excreuit, ſemel globulo excrementitio exeunte calculi inſtar durioris. Cæterum poſtea menſe Martio, cum amplius medicamentis vti nollet, venter ſemper in maiorem molem excreuit: & quamquam nulla ſpes ſupereſſet, imo ante duos annos prognoſticon feceramus apud maritum & amicos, eam ab hoc hydrope aſcite morituram; attamen variis remediis, hydropica exiſteus, cum vſa eſſet, vltra duos annos & tres menſes vitam produxit: partibus ſuperioribus, nempe brachij, ita exſiccatis & macilentis, vt corpus cadaueroſum & præcipue facies, ante mortem cerneretur, ventre ſupra modum prominente, vt rumpi videretur, & femoribus ac cruribus valde craſſis & inflatis: & quamquam aqua quotidie ex cruribus efflueret, nihil tamen inuaminis inde habuit; ita vt tandem 7. die Iunij anno 1580. è vita deceſſerit. Maritus quoque poſtea, anno 1582. in autumno eodem malo correptus, vitam miſere vſque ad annum 1583. ætatis ſuæ 57. protrahens, licet aptis adhibitis remediis vtens, tandem interiit in autumno, cum pœ integrum annum hydrope laboraſſet.

Scholia.

Pilulæ ex mezereo, etiam deſcriptionis Metuæ, 19
licet ſeroſum excrementum valenter purgant, ſeu aquas, & ob id hydropen iuuant; tamen illæ quibus nos ſæpe feliciter vſi ſumus, aliter componuntur, *iuxta Donatum ab Altomari*; quantum experientiam ſæpius & ipſe habuit, (*vt refert. cap. de hydrope*) quæ & citra noxam pluries ſingulis ſeptem vel decem diebus exhiberi poterunt: mirabiliter etenim ſeroſos purgant humores, citra aliquod nocumentum notatu dignum. Conficiuntur autem hoc modo: ℞. *foliorum plantæ, quam communiter ſeplaſiarij mezereon appellant, & proprie eius, quam nuncupat Dioſcorides chamælæam* ℥ ij. *vel* iij. infundantur per viginti quatuor horas in ſufficienti quantitate aceti vini albi, in quo prius mala cydonia fuerint decocta: demum in vmbra exſiccentur; & iterum parato decocto ex pomis dulcibus & acetoſis, in eodem aceto vini albi prædicta folia infundantur; & eiſdem adjice hieræ picræ ſimplicis tantumdem: & cum ſucco radicis iridis fiant paſtilli, & ſeruentur: quorum doſis eſt ʒ j. vel ℈ ij. pro qualibet vice: interim vero ʒ ß. agarici trochiſcati, aut rhab. vigorati, & tantumdē trochiſcorum ex myrobal. chebulis adjicere poteris eiſdem namque catapotiis, Deum teſtor (*inquit idem Donatus*) me nonnullos hac ſpecie (*nempe aſcite*) aquæ inter cutem laborantes, ſæpius per interualla eis exhibitis, perfectè curaſſe. Nec etiam parum conferunt pro curatione aliarum aquæ inter cutem ſpecierum, vbi eadem purgatione indigeant: quemadmodum hoc in anno 1557. obſeruauimus, in Illuſtriſſimo Petro Antonio Sanſeuerino, Piſignani Principe; qui cum aſcite ſimul atque anaſarca laboraret, adeo vt fere à cunctis pro deplorato haberetur, vbi ter aut quater dicta catapotia per interualla deuorauit, liber euaſit: teſtes ſunt nonnulli cum medici, tum magnates, qui ipſum aqua inter cutem laborantem, ac demum abſolutum, & liberatum inſpexerunt: quamquam non exiguam etiam huic opem tulerit ſudatorium. Trituli

Pilulæ pro-priæ & ce-ſtitæ.

Trituli hodie vocatum, cuius ſupra meminimus. Cæterũ quia hic ab hæmorrhoidibus reſtrictis & liene obſtructo hydrops inceperat, hęmorrhoides primo aperuimus cum pilulis ex aloe: deinde pilulis de meſereo cum vſa bis eſſet, apertæ fuerunt hæmorrhoides: alioqui vſus fuiſſem illo remedio, quo frater Domini de Sprang in Hagha-Comitis vſus fuit, cum hæmorrhoides reſtrictas haberet: detergebat enim anum cum foliis ficuum: & aperiebantur. Hoc remedium deſcribitur à Leonello
14 cap. proprio: *Medicamen*, inquit, *rumpens hæmorrhoidas*: Accipe folia ficuũ, tempore quo habentur; & fricentur primo illa folia ſupra linguã, quouſque exeat lac: & poſtquam ſic fuerint præparata, tunc cum eis fricentur hæmorrhoides; ſcilicet loca hæmorrhoidum: rumpuntur enim cum facilitate. Plura apud eundem egregia habes de curatione hæmorrhoidum. Sed de his ſuo loco. Verum cum hic hydrops quoque originem haberet à vitio lienis, propterea etiam quędam peculiaria eligebamus lieni conferentia, tam in decoctis, quam in purgationibus: & etiam in iis, quæ extrinſecus admouebantur: ita tamaricis decoctum in vino probatur, ſic & ceterach, rad. capp. & ſcolopendrium adiecimus, *vt agnum caſtum*, tũ alia, & radic. ebuli, cum ſola radix ebuli accort. ſambuci ex vino decocta tam lieni quam hydropi conueniant. Extrinſecus modo emplaſtrum de meliloto, modo ammoniacum diſſolutum in aceto, cum puluere ceterach & aliis lienem reſpicientibus, lieni impoſuimus. Et quia hæc matrona melancholica erat, eo quod diu extra patriam ob bellum Traiecti agebat, etiam multis amiſſis bonis, diu laborauerat lienis duritie; quæ magis confirmata, ſubſequente aſcite minus curari potuit. Quod & marito eius diu melancholico, ob eandem cauſam etiam euenit, qui ſimili hydrope interiit.

OBSERVATIO XL.

De aſcite ab icttero originem habente.

Ida, vxor illius Petri Cornelij ceruiſiarij, in cu- 1
ius cupis ttes Glandes quercuum pro inſigni erant, mulier quidem craſſa & obeſa, anno 1580. ſub finem Februarii, cum in dolorem dorſi verſus hypochondrium dextrum incidiſſet, & ventoſitatem eſſe putaret; qui magis magiſque intendebatur: decoctum florum chamæmillæ in ceruiſia ſumpſit. Sed eo dolore minime ceſſante multa bilioſa euomuit. Tertio die tota crocea euaſit, vt ex obſtructione hepatis tum veſicæ fellis, dolor ille originem haberet, excrementis tum albis tum durioribus exiſtentibus. Cum vero & hæc aluum difficulter ſolubilem ſemper haberet, quod alias in illa experti eramus, iſchiade aliquando laborante, *vt ſuo loco dicturi ſumus*; cumque dolor hic non ſolum dorſum, ſed & ventrem totum nec non & hypochondrium dextrum occuparet; ſtatim apozema ſequens præſcripſimus, ad eam acciti 29. Februar. ℞. *folior. maluæ man.* ij. *parietariæ, abſinthij communis an. man.* ß. *flor. chamæmill. flor. cord. an.* p. j. *ſem. aniſi, fœniculi, carui ana* ʒ j ß. *prun. damaſc. nu.* ix. *uuar. paſſul. enucleat.* ℥ j. *liqu. raſ.* ʒ ij. *folior. ſenæ* ʒ vij. *agarici leuis fœmin. rhabarb. ſelecti ana* ʒ j. *ſchœnanthi, zinz. albi ana* ℈ ß. *polypod. quercꝰ.* ℥ ß. *ſem. carui* ʒ j. *fiat decoct. in aqua communi*: & huius fortis expreſſionis accipe ℥ iij *ſyrup. ex ſucco roſ. ſolut. & ex infuſ. ana* ℥ ß. *miſce, ſiat hauſtus*. Altera doſis maneat in infuſ. Euomuit, & vix retinuit. Et cum non ſolueret, glande acuta iniecta ſquibalas tantum eiecit. Et cum clyſterem non admitteret, ʒ. Martij hoc ſequens præſcriptum eſt: ℞. *rad. cichor. dentis leonis an.* ℥ ß. *capill. vener. polytrichi, fumariæ, folior. viol. an. m.* j. (aderat enim & calor in hepate, cum obſtructione) *marubii m.* ß. *flor. cordial.* p. j. *ſem. aniſi, fœn. dauci an.* ʒ j. *ſem. carthami* ʒ ij ß. *ſem. melon.* ʒ ß. *prun. damaſc. mun.* ix. *uuar. paſſul. enucl.* ℥ ß. *folior. ſenæ, abſque ſtipitibus* ℥ j. *polypodij querc.* ℥ ß. *rhab. ſelecti* ʒ j ß. *ſquinanthi* ℈ ß. *fiat omnium decoct. in aqua communi, huius fortiſſ. expreſſ. accipe* ℥ iij. *pro* ℥ viij. *addendo ſyrup. de ſucco roſar. de abſinth.* (vt potio minus dulcis eſſet: nam ipſa metuebat vteri ſuffocationem, in quam leui ex cauſa vel dulcedine incidebat) ℥ ß. *fiat hauſtus brevis*: altera doſis maneat in infuſ. Rurſus euomuit; & à meridie tantum vnam ſe- 3
dem habuit, albam, duram, & non liquidam, dolore ſemper augeſcente. Ob quam cauſam & venam aperuiſſem: ſed quia menſes fluebant ſatis copioſe, abſque tamen alleuiatione, à venæ ſectione abſtinui: & licet ex glande nihil excreuerit, tamen icteritia in lotio apparere cœpit, eratque lotium craſſum, citrinum. Cum & alteram doſin etiam euomeret, ſexto Martij die hanc purgationem accepit: ℞. *electˢ. de ſucco roſ.* ʒ vj. vix per horam retinuit, & multa bilioſa cum anguſtia euomuit. Et glande nihil quam ſquilabam vnam depoſuit: & cum dolor ſub noctem magis intenderetur, tandem clyſma ſequens admiſit: ℞. *rad. althææ mund.* ℥ j. *mercurial. betæ, maluæ, viol. flor. chamæmill. meliloti an.* m. j. *marubij* m. ß. *prun. damaſc. num.* xiij. *uuar. paſſul. enucleat.* ℥ j. *liqu. raſ.* ʒ ij. *folior. ſenæ* ʒ vij. *agarici leuis fœmin. rhabarb. ſelecti ana* ʒ j. *ſchœnanthi, zinz. albi ana* ℈ ß. *polypod. querc.* ℥ ß. *ſem. carui* ʒ j. *fiat decoct. in aqua communi*: & huius fortis expreſſionis accipe ℥ iij *ſyrup. ex ſucco roſ. ſolut. & ex infuſ. ana* ℥ ß. *miſce, ſiat hauſtus*. Altera doſis maneat in infuſ. Euomuit, & vix retinuit. Et cum non ſolueret, glande acuta inicta ſquibalas tantum eiecit. Et cum clyſterem non admitteret, ʒ. Martij hoc ſequens præſcriptum eſt: ℞. *rad. cichor. dentis leonis an.* ℥ ß. *capill. vener. polytrichi, fumariæ, folior. viol. an. m.* j. (aderat enim & calor in hepate, cum obſtructione) *marubii m.* ß. *flor. cordial.* p. j. *ſem. aniſi, fœn. dauci an.* ʒ j. *ſem. carthami* ʒ ij ß. *ſem. melon.* ʒ ß. *prun. damaſc. mun.* ix. *uuar. paſſul. enucl.* ℥ ß. *folior. ſenæ, abſque ſtipitibus* ℥ j. *polypodij querc.* ℥ ß. *rhab. ſelecti* ʒ iij. *ſchœnanthi* ℈ ß. *bulliant in aqua communi, pro* ʒ ix. *& fortiſſ. expreſſ. adde ſyr. de byzantiis, ſyrup. ex ſucco roſ. ſolut. an.* ℥ i ß. *miſce*, fiat apozema pro iij. doſibus matutinis. Cum vnã ſumpſiſſet, denuo euomuit; quanquam ex illa habuerit vnum ſeceſſum: & poſtea multa & plurima bilioſa per vrinam excreuit. Menſes debito ordine fluentes, poſtea ſubſtiterunt. Verum, quia dolor in hypochondrio dextro permanebat circa ſtomachum, hoc fotu vſi ſumus: ℞. *rad. althææ* ℥ i ß. *ſol. maluæ, viol. flor. chamæmill., meliloti ana* m. j. *flor. roſ. rub.* p. j. *ſummitatum abſinthij* p. j. *ſem. maluæ* ʒ i ß. *coquantur in aqua communi, pro* ℔ i ß. *expreſſioni adde aceti roſ.* ℥ ij. *aquæ roſ.* ℥ ß. *ſpecier. diarhod. abb.* ℈ i ß. *fiat fotus cum ſpongia*. Cum parum iuuaret, & menſes nunc non fluerent, venam je- 5
corariam in brachio dextro incidere fecimus, ſanguine moderate extracto: & ſenſit leuamen. At poſtea adhuc dolore circa præcordia hærente, alteram doſin decoct. vltimo præſcriptæ exhibuimus: ſed vix per horam retinuit. Ideo glande acuta impoſita ſeceſſum habuit; & die ſubſequente per ſe excrementa deiecit, licet adhuc alba, & minus liquida. 14. Martij his tabulis vtebatur,

pro

pro dolore & ventositatibus circa præcordia hærentibus: ℞. *specier. diacumini, diacurcumæ ana* ʒ j. *specier. diarrhod. abb. trionsant. dialaccæ ana* ʒ ß. *dissoluis in aqua flor. chamæmill. adiect. zacch. albiss. q. suf. fiat confectio in tabul.* Tertiam dosin decoct. cum sumpsisset, bene excreuit, & dolor cessauit, cum semper plurima crassa & valde citrina mingeret. Interea hoc globulo in ceruisia, qua quotidie vtebatur pro potu, pendente expressoque vtens conualuit: ℞. *marrubij exsiccati* m. ß. *rhab. selecti* ʒ ß. *croci orientalis* ℊ vij. *schœnanthi* ℊ ij. *fiat globulus seu puppa.* Verum cum hæc conualuisset, ad colorem citrinum per totum corpus permanentem depulsandum, varia mulierc̃larum consilia huic mulieri proposita erant: vti lac cum semine cannabis, croci paululo adiecto: verum illud vulgare remedium mihi non arridebat, cum Dioscor. referat *lib.* 3. *cap.* 141. quod semen huius in cibo largius sumptum genituram extinguat, & ex Gal. 1. *de aliment. facult.* concoctu difficile sit, ac stomacho & capiti noceat, & praui sit succi. Ideo, iuxta 6 Matthiolum, comment. *in* 3. *Dios. lib. cap.* 188. grauiter errant mulieres Italicæ, cum pueris comitiali morbo laborantibus cannabis seminis decoctum exhibeant; quo tantum abest, vt morbum curent, vt etiam augendi occasionem præbeant. Secundum erat aliud vulgare remedium radix vrticæ decocta in ceruisia, qua & plurimi sanati dicebantur: licet Matth. *in libr.* 4. *Dios. cap.* 89. & *Gal.* 6. *de simpl.* tantum folia & semina in vsu esse scribunt. Tertium empiricum erat radix chelidoniæ, etiam in ceruisia decocta: quæ magis mihi placebat, *ex Dios. lib.* 2. *c.* 176. cum dicat, *quod radix chelidoniæ maioris, cum anisso & vino albo pota, regio morbo medeatur.* & Gal. 7. simpl. *ea vtitur ad morbum regium iecoris, in vino albo cum anisso* Brabantina quædam mulier, & longo tempora icterica, cum decocto *rad. chelidoniæ maioris*, ad aliquod tempus vsa fuisset, aliis tamen medicamentis prægressis, 7 & à me descriptis, ab ictero egregie euasit. Verum hæc altera ægra, de qua nunc loquimur, iterum 28. Mart. circa præcordia angustiam quandam sentiebat: quæ his pilulis exhibitis cessauit. ℞. *pilul. aggreg.* ʒ ij. *pilul. de rhab.* ʒ j. *diag. gran.* ij. *fiant pilulæ* vij. egregie excreuit, cum alleuiatione: & recte habuit. Verum hæc eadem mulier, cum curata esset, & iterum foras prodiret, denuo incidit in febrem, & tunc biliosa euomuit, & biliosa excreuit per se: & cum peregre esset profecta, incidit in maximam debilitatem. Quare ad eam accitus 17. Aprilis, cum omnia medicamenta respueret, ex hac mixtura capiebat ℞. *conserv. folior. acetosæ* ʒ ß. *manus Christi cum perlis* ʒ vj. *conser. borag.* ʒ i ß. *syr. de limonibus* ℥ j. *misce.* & febris eam reliquit. Sed non diu post iterum ictcrus illam inuasit, cum hepatis obstructione. Hoc infuso adhibito denuo conualuit. ℞. *marrubij* m. j. *bulliat in aqua cichorij* ʒ v. & *in hac decoct. infunde folior. sennæ Alex.* ʒ iij. *sem. anisi* ʒ j. *rhabarb. selecti* ʒ j. *schœnanthi* ʒ ß. facta vnica ebul. mane fortiss. express. adde syr. *ex succo ros. solut.* ʒ j. *misce*, habuit quinque secessus, quia tunc erat debilis, & denuo recte conualuit. Sed post vnum aut alterum mensem rursus ictero 8 affecta, ex iecoris obstructione, postea mense Septembri ex illo ictero præcedente in hydropem asciten periculosissimam incidit, adeo, vt pro deplorata haberetur. Atque hoc malo vltra octo menses detenta, mirabiliter tamen per me ab hydrope ascite, cum ventrem in maiorem molem excrescentem haberet, tum crura adeo inflata, præter opinionem curata fuit, iisdem remediis, quibus in Heutera vsi sumus, in decoctis semper adiecto marrubio, eo quod hoc malum ab ictero & obstructione originem traxerat. Sed huic vesicatoria vtrique cruri in parte sylvestri apponere iussimus, sub genu: quæ postea vlcerabantur; & effluxit perpetuo paulatim aqua, vt inde curata fuerit, cum maximo nostro honore, & omnium hominum admiratione, quamquam vlcera illa ita inducta tandem etiam ægre quidem curata fuerint.

Scholia.

Recte prius diximus, cum de ictero ageremus, in signis prognosticis, quod icteritia diutur- 9 na plerumque hydropem minatur, quæ difficilli- *Si hydropi coniungatur icteritia vel eam sequatur, quomodo curetur.*
me curatur, cum adsit obstructio hepatis simul, verum hepate nondum in scirrhum permutato. Hic hydrops (*ascites inquam*) quamuis periculosissimus, & curatu difficillimus, tamen magna nostra industria fuit curatus. Prassium seu marrubium bene oleps in hac curatione magnam prærogatiuam habet: quo etiam in decoctis ad hydropem facientibus semper vsi sumus. Vbi enim ab ictero contingat; vel simul icterus cum hydrope coniungatur, Nicolus Florentinus valde commendauit *succum brassij depuratum, cum vino albo, & zaccharo vel melle*, exhibet autem stomacho iciuno, fœcibus prius ab intestinis eductis. Illud idem Gerardus de Solo *super.* 9. *Almans.* in pauperibus hydropicis dat, sed speciatim valet, quando hydrops coniungitur cum icteritia, vel eam sequitur. Refert idem Nicolus, duas se curasse mulieres hydropicas, à causa frigida cum tussi, quarum ventres in maximam molem excreuerant, tum crura ac coxæ, exhibendo eis omni mane ʒ iiij. aquæ prassij, & eiusdem aquæ ʒ ij. ante cœnam per horas duas, purgando eadem de quarto in quartũ diem cum succo ircos, quæ ita sanatæ sũt.

OBSERVATIO XLI.

De muliere ascite laborante, cui pedes seu crura ac fœmora fuerunt scarificata.

Post vniuersalia remedia in hydropicis, crura 1
œdematosa aliquando à veteribus scarificari solebãt. At in Anna, muliere, hospita Delphensi, cum ascite laboraret, & multa illi remedia, per nos, tum alios administrata fuissent, medicus quidam cum in hospitio per vnum aut alterum diem detinebatur, iussit in hunc modum crura tum femora hinc inde verberari & flagellari cum 2
amusculo vitidi aquifolij aculeati (*nostri vulgari lingua appellant hulst.*) nam ita cute vndique mane in diluculo flagellata, vulnerata seu scarificata, aqua è crurib. & femoribus stillatim emanabat, & demum crura ita scarificata aqua tepida abluebantur: deinde folia plantaginis aquaticæ applicabantur, fasciis lineis circumductis. Flagellabantur autem ita mane, & post meridiem hora quarta, ad 4. dies: ita vt crura tum femora detumescerent mirum in modum, tum venter ipse. Interim bis in die bibebat vinum Pictauiense confectum cum cinere stirpium fabarum ac genistæ, quod per saccum clarificatorium, instar clareti sæpius transfundebatur, quo remedio aliqui dicebantur curati. Quamuis hæc mulier annosa, malo in hepate confirmato, etiam dudum facto per me prognostico, quod non curaretur, licet primo videbantur remedia iuuare, attamen malo ingraueſcente postea cum multis mensibus decubuisset, tandem obiit.

Scholia.

Scholia.

Inter topica contra hydropem remedia, quæ 3
minime sunt administranda ante vniuersalem curationem & euacuationem, præter emplastra superius dicta, balnea, thermas, euaporationes, etiam sacculos è *macris furfuribus, milio, panico, sale, sulphure*, calidos & ita appositos, tum sacculos ex arena & sabulo vel cineribus calefactis, sæpius appressos, præter cataplasmata alia, *de quibus superius diximus*; & de quibus auctores perlegere poteritis, nonnulli & sinapismis (*vt Hollerius*) ex 4
stercoribus animalium confectis vtebantur & perseuerante malo ad phœnigmos ex radice scrophulariæ, ranunculorum, & similia emplastri modo impositа, vel ad vesicatoria perueniebant, & vesicas configebant, & vlcera aperta conseruabant, superimposito folio brassicæ, vncto butyro vel oleo, permittentes aquam effluere ad sexaginta dies. Alij scarificatione vtebantur, *vt Scholio Obser.* 33. *huius libri diximus*. Aliqui & cauteria ventri inducebant in ambitu vmbilici, & quibus partibus tumor erat. Nam & scarificationes quoque conueniunt: sed si nihil proficerent his remediis, ad extremum præsidium, nempe Paracentesin, accedebant: de qua vnum exemplum, temerarie tamen adhibita, adferemus.

OBSERVATIO XLII.

De paracentesi perperam in ascitico quodam adhibita.

Ioannes Bokelli, vir 40. annorum, cum ebrius 1
& vino satis oppletus ex mensa saltasset, vena magna aliqua ei perrupta fuit; vnde in vomitum sanguinis enormem prorumpebat, & copiosissimum sanguinem tam infra quam supra deiecit, ad quem tunc accitus sum. Et licet tunc temporis, præter spem multorum, cum ad desperationem venisset, à me curatus fuerit: postea tamen inordinate viuens, in hydropem asciten incidit: multisque adhibitis remediis vexatus est à quodam Paracelsista, qui eundem tunc curabat, & sanitatem ei promittebat. Verum postea, eo malum progressum est, vt Paracelsista relicto, alium medicum & chirurgum ac me vocarint. Medicus autem & chirurgus proponebant paracentesin, & ægrotum & assistentes eo perduxerunt, vt illum hoc modo ab hydrope perfecte sanatum iri crederent: idque magnis promissis iactabant, cuius causa cõsultatio facta est. Ego vero tunc certas rationes in medium adduxi: nempe quod vires iamdudum ex nimia sanguinis profusione prostratæ essent, & quod inde hepate refrigerato, originem traxerat hydrops, in homine nigro, & extreme macilento, etiam ante hydropem, & nunc tanto magis, cum sese nullo modo erigere posset, in lecto decumbens, difficultate anhelitus laborans, & quod ideo in syncopen facile incideret: & ob hæc nullo modo paracentesin in hoc ægro conuenire. Hac quidem mea opinione explicata, à curatione excludor, eo quod veritatem protuleram: nam post duos menses, cum eandem paracentesin peregissent, postquam ex profusione larga sanguinis in hydropem incidisset, atque ea vltra semiannum nunc laborasset, aqua subito effluente, altero die (*quod etiam cuidam in aurem dextram, postquam audieram paracentesin peractam, quod* 24. *horas non superuiueret*) cum ignominia illorum æger exstinctus est, anno 1579. mense Ianuario.

De paracentesi magna olim controuersia, 3
aliis medicis eam omnino reprobantibus, *Paracentesis.*
aliis approbantibus. Vtriusque sectæ argumenta colligit Aurelian. 3. *Chronicon. cap. de hydrope.* Illos enim deterrebat, quod fere moriuntur omnes, qui puncti fuerint. Hi vero remedium temperabant, neque in omnibus vtebantur, atque ita seruabant aliquos. Tempestiua autem est punctio, priusquam in eachexiam morbus abierit, firmis viribus, corpore inuenili, si atra bilis hydropem non induxerit, si validus stomachus, si æger non febrit: aut si febrit, remissionis tempore. Ideo diligenter cauent, ne purgentur intestina, cum facultas hepatis est emortua, scirrho aut splenis tumore, aut cum vlcere pulmonis, aut infirmis viribus, aut ætate senili æger laboret. Hæc omnia prouidenda sunt, priusquam de paracentesi decernas. Alioqui temeraria via, etiam si hæc adsunt. Quæ cum hic adessent, nempe in homine ex- 4
treme macilento, atrabilario, cum ex macie niger esset, tanquam ossa tantum restarent, etiam antequam in sanguinis profusionem inciderat, & facultas hepatis emortua esset, & vires ad extremũ deiectæ, ideo temerarie facta fuit in illo paracentesis. Erasistratus apud Celsum *cap.* 21. *lib.* 3. reprobat sectionem hydropicorum, quia semel effusa aqua, & affecto hepate, postea regeneratur. Si tamen priusquam putreat materia, & vires concidant, grauiusque affectum hepar & partes aliæ fuerint, adhibeatur, optime nutrito prius ægro, & confirmato, nihil peccatur. Sed extremum remedium est, & non nisi vrgente necessitate vsurpandum, & cum magna medici prudentia. Ideo dempris iis, de quibus paulo ante diximus, minus est periculi, cum natura sæpe moliatur viam aquæ per vmbilicum, *vt ante ostensum est*: & quibus vulneratus est venter, nisi vulnus ad gracilia intestina penetret, omnes euadunt. Præmo- 5
nendi tamen semper sunt amici ægrorum, quanto cum periculo remedium tentetur. Tentarique debet, modo illa non adsint, de quibus diximus, vbi aliis remediis nihil profectum est. Longa tamen cautior est scarificatio cutis totius ventris, secundum aliquos, ad aponeuroes musculorum, paruis scissuris, quibus per ventrem serum resudet. Galenus, Paulus, Albucasis, Mesue in ascite pungunt, ad latera vmbilici, qua parte illa vacua & inania sunt, & propemodum excarnes musculi. Alij quidem dextra parte, si lien, sinistra, si hepar in vitio est: alij vero ex eadem parte, qua visus est, à quo malum primum ortum est. Rondelet. *vt paulo ante meminimus*, ex vtraque parte commode posse fieri, & aquam vacuari putat. Si vero intestina in causa sunt (*vt quidam sentiunt*) pungunt quatuor digitis sub vmbilico, sed paululum reducto phlebotomo in latus. Hippoc. intercutaneos pueros incidit, *in libro de locis in homine.* Aurelianus consensu veterum, in intercute magis, quam ascite paracentesin probauit. In aqua inter cutem Asclepiades quatuor digitis supra talum, tibiam compungit, interiori parte, ea profunditate, qua vena inciditur. Qui locus com- 6
punctus si parum aquæ reddit, femora, scrotum, pudenda, si quidem intumuerint, loca etiam supra manum & articulos, incidenda sunt, *ex Leonide & Hippocrate.* Formulam vero punctionis ex lib. 6. Paul & aliis collige. Hippoc. non solum paracentesin, seu sectionem, sed vltionem etiam probat: puto, vel pulmone affecto, vt in suppuratis, vel

vt para-

vt paretur via ſcalpello: quemadmodum enim docet Hollerius, Hippoc. id præſtare in eo libro, cuius initium eſt, ἢ ἢ σὺ πλόμιος ἀφτιεῖν: Vbi ſuppuratos, de qua parte pus ſe prodit, in dorſo & pectore vrit aut ſecat, alioqui enutritos prius lacte. In hydropicis vero venas in ſcroto craſſiſſimas ſecat; paulo poſt in ſcroto, femoribus, ac tibiis frequentia vlcuſcula ſcalpello incutit. Deinde qua parte magis fluctuat aqua, aut tertiam coſtam ab vltima ad os, ex quo terebra caua τρυπάνῳ πυγμαιείῳ perforat, donec exeat aliquid aquæ: ex qua linamentum indit è lino crudo, ſpongiamque mollem alligat, ne excidat linamentum. Quotidie ſemel aliquid expurgat, ad dies 12. Decimotertio die reliquum aquæ emittitur: via relinquitur, vt quod ſupernaſcitur effluat, venter cibis reſiccatur. Si femur & ſcrotum intumuerint, vulnuſculis audacter configito. Sæpe hepate maximo, & prius lacte nutrito ægro, non metallo, ſed alia materia, inurit, octo inde cruſtis factis. Nonnulli ad faciendum cenſent buxeis fuſis, ferueuti oleo tinctis. Libro *de locis in homine*. Tenuiſſimis ferramentis circa vmbilicum vrit, ac tantum aquæ quotidie trahit, quantum vires ferant. Hoc ſemper obſeruato, vtendum aut ſecandum prius, quam pituita corrumpatur, aut viſcera grauius lædantur, & vires concidant: deinde vacuationem paulatim, id eſt, 12. diebus, vt prius faciendam. Galenus paracenteſin in hydrope laudat: vſtionem, in ſuppuratis: duplicemque affert rationem, cur periculoſa ſit vniuerſa vacuatio in hydropicis: extinctionem, ſcilicet caloris natiui, ſimul cum humore effluente ſpiritu: & pondus viſceris, quod cum non amplius ſuſtentatur ab aqua, ſeptum & reliqua thoracis viſcera trahit deorſum. Plura ſunt apud Albucaſin, Aurelianum, Paulum, *lib. 6. cap. 44.* Recentiores tutius progrediuntur. Viam parant cauterio potentiali, deinde actuali. Hinc ſcalpello perforant, & cannula caua, commodiore, quam linum crudum Hippocratis, ſenſim educunt aquam. Aculeato ſcalpello vtuntur, vt minor fiat perforatio, locumque eligunt, vbi aqua deorſum in imum ventrem tendit, relicto hepate & hypochondriis, in medio muſculorum aliquorum epigaſtrij. Partem materiæ medicamentis purgans, topicis diſcutiunt, ſiccante victu abſumunt, vires diligenter fouent. Minus metuunt à peritonæo perforato, quam à membrana ſuccingente coſtas. Diligenter etiam cauent (*vt paulo ante diximus*) ne pungantur inteſtina.

OBSERVATIO XLIII.

De tympanite.

RVſticus quidam Alcmariam acceſſit, tympanite laborans, vt à me curaretur: cui venter ſupra modum intumuerat, vt concuſſus tympani ſonum redderet: reliquæ vero corporis partes macilentiores erant. Ideo huic omnia flatulenta inhibuimus, & vt exercitio vteretur quantum poſſet, & vt famem ſitimque ſuſtineret: mirifice enim hæc proſunt, cum curatio præcipua conſiſtit in roborandis partibus, coquentibus, & in offerendo ea, quibus minime flatus exſpectantur. Ideo primum talem victum eidem inſtituimus, panem & obſonia minime flatulenta: & condimenta, quæ ad flauum iuuant diſcuſſionem, & concoctionem faciunt, cuiuſmodi ſunt *anifum, cyminum, liguſticum, imperatoriæ ſemen*. Potus illi erat tantus, vt non fluctuaret, omnino parcus, quamuis non extreme, vt in aliis. Verum hæc ſpecies ſimiliter purgantia medicamenta, & quæ vniuerſum corpus emaciant; atque etiam, quæ vrinam ciunt, exigit. Similiter & quæ extenuare & digerere ſpiritus flatuoſos poſſunt, tum extrinſecus tum intrinſecus adhibere oportet. Etenim verendum non eſt, in hac aquæ inter cutem differentia, ſimul cum flatuoſo ſpiritu ſeroſos quoſdam humores ac tenues redundare, qui in flatuoſum aërem à diminuto calore tranſmutantur: quinimo vanum eſt ac intellectu carens, ſine vllo humore ſuperfluo laborantem hydropicum vocare, *Celio Aureliano teſte*. Hinc quoque celebriores auctores eiſdem purgantibus medicamentis pro eius curatione vtuntur, quæ pro aſcitis curatione præcipiuntur, eiſdemque redundantem humorem præparantibus, atque etiam vrinam cientibus: perpetuo tamen prædictis adiiciendo ea, quæ flatum diſſipant, vt ſemen fœniculi, aniſi, cumini & ammi: ſimiliter & prædictis antidotis diacuminum, aut dianiſum commiſceatur. Cum autem hic circa ventriculum & vmbilicum dolores tanquam colici hærerent, cum hoc vitium ex ventriculo fere originem primam habeat, ideo materiam illam crudam prius purgaui cum pilulis aromaticis, & de hiera ex ʒ j. *pilul. de hiera*, quæ materiam minorabant. Deinde hunc ſyrupum præſcripſi. ℞. *ſyr. de end. compoſ. de quinque rad. de eupator. ſyrup. acetoſ. compoſ. an.* ʒ i ß. *aquæ apij, end. cichorij, an.* ʒ iiij. *depuretur & aromat. cum ſpecier. diarrhod. abb. cinnamomi electi. an.* ʒ j. *pul. diacumini* ʒ ß. *fiat iuleb. ad modum clareti, pro quatuor diebus*. Deinde ℞. *pilul. de hiera ſimpl. rhab. electi. de agar. an.* ϑ j. *cum aqua aſarimon. fiant pilulæ* vij. *ſumantur circa noctis dimidium*. Poſtea hoc decoctum ſumebat. ℞. *menthæ ſiccæ, hyſſopi, betonicæ, abſinthij, folior. ſambuci, an.* m. j. *cichorij, end. agrimoniæ, an.* m. ß. *flor. chamæm. anthos an.* p. j. *ſem. aniſi, carthami, an.* ʒ ß. *ſem. apij, petroſ. an.* ʒ j. *ſemin. dauci, ſem. 4. frig. maior. an.* ʒ ß. *folior. ſenæ orientalis* ʒ i ß. *agarici albi, ſem. rhab. electi, an.* ʒ i ß. *ſpicæ, ſchœnanthi, zinzi. an.* ϑ j. *uuar. paſſul. ab arill. repurg.* ʒ j. *fiat omnium decoct. in duabus partibus aquæ & vna parte vini, pro* ʒ ix. *colaturæ adde ſyr. de byzantiis, de eupatorio, ſyr. ex infuſ. roſ. an.* ʒ j. *miſce*. fiat apozema pro tribus doſibus matutinis. Deinde detur elect. in tabulis, modo diacyminum, modo diacurcumum, & capiat ſæpe ex hoc puluere ante paſtum. ℞. *ſem. aniſi, fœniculi, carui, cumini in aceto maceratorum, an.* ʒ j. *fiat pul. ſumat ex eo* ʒ ij. *per horam ante prandium, & poſt cœnam duabus horis*. Poſtea etiam has pilulas ei exhibuit. ℞. *pil. mezereonis, deſcr. Meſu.* ϑ ij. *troch. agar.* ϑ j. *cum ſyr. de byzantiis, fiant pilul. v. capiat poſt mediam noctem*, libenter ei dediſſem clyſterem, modo admiſiſſet, (*nam in hoc malo maxime commendantur clyſteres*) in hunc vel ſimilem modum paratum: ℞. *folior. ſambuci, mercurialis, rutæ, origani, pulegij, calaminthæ, furfuris, an.* m. j. *flor. chamæmil.* p. j. *ſoldanellæ, folior. maluæ an.* m. ß. *ſem. aniſi, fœniculi, carui, dauci an.* ʒ ij. *coquantur in aqua communi, pro* ℔ j. *colaturæ adde olei ruti acei.* ʒ iij. *benedictæ laxat.* ʒ j. *electuarij de baccis lauri* ʒ ß. *vitellum vnius oui, ſalis communis* ʒ iij. *zacch. rubr.* ʒ i ß. *miſce, fiat clyſter.* Quemadmodum enim eiuſmodi clyſteres, ita & glandes egregie auxiliantur, ſi ex foliis rutæ, cumino, ac caricis exiguoque ſale figurentur. Vel ℞. *mellis deſpumati q. ſ. ſem. aniſi, fœniculi, cumini, an.* ʒ j. *agarici, ſalis gemmæ pul. hieræ an.* ϑ iiij *miſceantur, & fiant balani*. Reliquos clyſteres tum balanos inuenies, quando loquemur de colicis doloribus, qui & hic valde laudantur. Cum autem cum ſucco ireos, tum aliis, adicto ſemper aliquo puluere diacymini, ſatis purgatus eſſet, etiam iis, de quibus paulo ante de aſcite diximus, extrinſecus quoque adhibuimus vnguenta emplaſtra cataplaſmata, in hunc vel ſimilem modum parata, & quia circa ventriculum dolebat ſubinde, appoſuimus ceratum ſtomachicum Galeni: & hypochondria inunximus, tum ventrem, hoc vng. ℞. *olei rutacei, aneſbini, vngu. Agrippæ, an.* ʒ j ß. *ſuccі rutæ abſinthij, ſuccі ſambuci an.* ʒ ß. *vini optimi* ʒ j. *coquantur leuiter in duplici vaſe, ad conſumptionem ſuccorum, adde ſeminis apij, petroſ. cumini. an.* ʒ ß. *ceræ exiguum fiat vnguentum*, & tempore inunctionis adde parum vini maluatici, vel, ſi deſit, vini albi. Ventri apponebatur emplaſtrum de baccis lauri, primo cingulo conſtricto, vel faſcia. Poſtea & hoc emplaſtrum, aut ei ſimile. ℞. *ſtercoris vaccæ* ℔ j. *puluueris cymini, & rutæ, an* ʒ j. *cum vrina pueri incorporentur*. In proceſſu iubebam, vt adderentur ſalis vel nitri, vel ſulphuris, ϑ ß. His autem tum aliis remediis ſæpe repetitis, tandem hic ruſticus melius cœpit habere. Sed cum non progrederetur in curatione, iterum venter intumuit: & domum rediens, tandem mortuus eſt, vti & alius ruſticus Scotelianus, etiam tympanite laborans, qui ſanationis gratia ad nos venerat: ſed cum non diu maneret apud nos, remediis aptis non ſubleuabatur, curationemque relinquens idem & tympania mortuus eſt.

SCHOLIA.

Curatio tympaniæ.

PLus flatuum in tympanite, & minus aquæ ſubeſt, *vt de ſignis huius mali diximus*: non tamen eſt ſine aqua, ideo iiſdem fere remediis vtuntur auctores, quæ ad aſcitem valere tradunt, adiunctis ſemper iis, quæ flatus diſcutiunt. Oportet igitur laxare, & aperire mediocriter, & diſcutere, tam ſumptis, quam admotis, præſertim in cauſa frigida. Nam in cauſa calida, minus calidis vtendum. Et ſic, ſi ſine febre aduenial, vel ex exigua, & ſola conſiſtat, aliam curam exigit: nempe vt flatus etiam diſcutiamus, & bonam concoctionem procuremus ventris & inteſtinorū, cum iis quæ partes roborent, & benè concoquantur, & flatus minime gignant. Robur quoque ventri addimus, ex his, quæ ſupra ſunt poſita, vnguentis, ceratis, emplaſtris: quibus & hypochondria comprehendere vtile erit. Quidam hic pilulas aromaticas & ſebeliana in principio commendat, *vt Rondeletius*, ſyrupos magiſtrales, tum opiata, qualia apud illū inuenies. Qui Arabum decreta ſequuntur, vitant ea, quæ ventoſitatem generant: atq; iis vtuntur, quæ eandem reſoluunt: vitæque inſtitutum ad calidum & ſiccum vergendum docent, mox intentionem curandi ad materiam cōiunctam conuertunt, eam reſoluendo: poſtea ad cauſam remotam oculos habent, remouendo malam diſpoſitionem hepatis, & aliorum membrorum coniunctam cauſam abolent ſolutiuis, non tantum iis, quæ expellunt ventoſitates, verum etiam, quæ euacuant aquoſitatem. Incipiunt, *iuxta Auicennæ præceptum* à leuioribus, *vt hiera in cauſa calida, cum aqua apij fœniculi, cichorii, & ſimilibus*: & in frigida, *cum decocto carminante ex aniſo, cymino, & paniſimum cum clyſteribus carminantibus iam dictis, ex hiera, polypod. oleo rutaceo, ſale & ſimilibus*. Ioannes Arculanus ſingulare remedium aſſerit, *ſi in clyſteribus adiicrantur elect. de baccis lauri* ʒ iij. Ad reſolutionem vero cōpetunt, *diacalamintha, diacyminum dianiſum, diagal. & elect. de baccis lauri, & alia, de quibus egimus de dolore ventriculi ex ventoſitate*. Exterius vero apponunt ſacculos, qui flatus diſcutiunt, *iuxta Rhaſen*.

ex milio, panico, ſulphure, ſale, cinere calido, vt etiam Nicolus facit. Alij malunt *lixiuium, vel decoctum ex vino albo, flor. chamæmill. origan. calamintha, & aliis reſoluentibus, cum ſpongia aut veſica impleta vel panno*, per modum fotus ventri apponere. Nonnulli emplaſtrum de baccis, quod habetur paratum, toti ventri imponunt, vel illud, quod ad Ariſtarchum refertur à Meſue. Interea etiam aliorum membrorum ratio habenda eſt, nempe à quo mēbro præcipue originem trahat, vel num per conſenſum afficiatur, ſiue fuerit hepar, lien, vel ventriculus: ſolet enim tympanites generari modo ex aqua frigida, modo ex vino multa aqua infrato, vel ex aliis inflantibus quæ comeduntur, ex quib. incoctio ſtomachi ſequitur, aut icinoris: ſed ſtomachi (*vt quidam ſentiunt*) peculiare malum eſt, ſicut aſcitis ſecundæ digeſtionis, & hypoſarca tertiæ vitium eſt: Ex ea enim digeſtione vapor ac ventus ab inualido calido excitatur ſtomachi, aut inteſtinorum, in quibus generatur. Ex capite item, ac aliis membris defluit materia, quæ in ſumum facile conuertitur ab infirma caliditate iecoris. Inconcoctus à ſtomacho ſuccus, ab imbecillitate iecoris, in ſummum ſeu ad caput facile aſcendit, & iterum defluit. Euenit interdum in acutis febribus, ex innaturali feruore, cum antequam digeratur à naturali calore, naturali opere inuentum verti neceſſe ſit. Iam etiam tympanites, vt plurimum inflato lieni euenit: quoniam membrum ratum eſt, fungoſum, humoris inconcocti receptaculum. In ventre eodem modo continetur, vt in aſcite humor, nec ſine aqua is ſpiritus inuenitur: ſub peritonæo enim fumus ille partim in aquā cogitur: partim ſub forma fumi remanet derelictus. Cæterum robur ventri addimus, ex his, quæ ſupra ſunt poſita de ventriculi imbecillitate, & de eiuſdem ventoſitate. Hepar roboramus cum diarrhod. abb. & diacurcuma, quæ ad lienem faciunt dicemus lib. ſequenti. De vitiis lienis. Quod ſi ab vtero radix ſit inflationis vt ſæpe fit, remedia præcipue ipſis fiant, quæ ſpeciatim de vteri inflatione dicturi ſumus. In ſumma, peſſis vtemur, *ex gallia muſcata, ladano compoſitis & ziberto*: Vtemur & ſeſſionibus earundem virium, & fotu. Si ex febre fiat, vel ea ipſa adſit, modo febris, modo hydropis rationem habere oportet, *vt ſcholio Obſ. 35. huius libri abunde ex mēte Trallani & aliorum docuimus*. Sed & illud de hydropis curatione obſeruandum, quod ſæpe miſti ſunt affectus, ac miſcere curādi rationes oportet, vt aliquādo omniū notæ miſtæ apparent: perpetuo tamen alicuius ex his notæ apparent. Ideo Rhaſes inprimis curationem ponit aſcitis, quæ cū affectu calido iungitur: atque exigua quidem adfert remedia, hāc ob cauſam, vt arbitror, quod eandem omnino difficilem vel plane deſperatam iudicat. Remedia tamen vehementia adfert, *vt pilul. de rhabar. nimis fortes ob thymelææ folia & fructum*. Si vero talia ſigna non ſunt, dat pilulas de mezereo dictas, & emplaſtro vtitur ad ventrem: & ea propinat, quæ vrinas mouent. Poſtremo tympaniam curat victus ratione, & electuaria & emplaſtra adhibet, & clyſteres. Quidam in tympanite vehementia catharctica vitanda eſſe volunt, quibus venter augetur: aquā tamen, quā vna cum flatu permiſtam fiunt, per aluum educendam volunt: qui ſpiritus inde generatur. Et laudant pilulas ſagapenas, quæ valde aperiunt, & ad ventoſitates faciunt, & menſes promouent. Quod ad extrinſeca remedia attinet, alij ſacculos toti ventri apponunt: qualis hic eſt. ℞. *milij, ſalis, & furfuris, ana m. j. ſem. aniſi, apij,*

fœniculi, dauci, cumini, ana ʒ iij. *flor. chamæmeli, melilloti, & fœnugr. ana* ʒ iiij. *folior, rutæ, lauri, pulegij, ana m.* ß. contundenda contundantur, & fiant faccelli, qui calefacti in latere ignito, vino albo inspersо, applicentur, & sæpius iterentur. Præterea etiam cucurbitulas leues ctebro toti ventri affigendas esse volunt, *vt Paulus quoque iubet*, mox & cataplasmata, de quibus diximus (*& mox etiam ostendimus in Obseruat. sequentibus*) quæ flatus discutiunt, commode apponunt.

OBSERVATIO XLIV.

De intestinis in scrotum prolapsis, cum hydrope.

RVpturam adeo ingentẽ patiebatur, pauper, intestinis in scrotum prolapsis, fere per menses duos, ita, vt nullo modo intestina in locum reduci possent, multis tentatis remediis, iisque diuersis etiam à vulgaribus adhibitis. Purgationibus quoque variis ad rem non facientibus vsus: adeo, vt venter in insignem molem excreuerit, tanquam disrumperetur. Torquebatur autem insigni dolore, non sine febre: inquietus erat, vt nullo modo ob ventris extensionem atque torsionem dormire posset. Tandem æger ad restim deductus aduocat chirurgum. Chirurgus vero me vocat, cum nihil auxilij superesse videretur. Eundem accedens, reperi ventrem tympani modo inflatum, non sine hydrope. Cæterum quicquid sumebat per os, reiiciebat: aluum pluribus diebus non reddiderat. Cum parum spei superesset, sequentem clysterem, vt statim iniicerent, iubeo, qui & in hunc modum: die Octobris Anno 1594. paratus erat. *℞. rad. althææ, mund.* ʒ j. *foliorum mercurialis, parietariæ, maluæ, betæ, ana m.* j. *flor. chamæmillæ, melilloti, summitatum anethi. ana p.* j. *semin. anisi, fœniculi, carui, ana* ʒ j. ß. *coquantur, in aqua communi. q. s. huius colaturæ accipe* ℔ j. *adde benedictæ laxat. diaphœnici. ana* ʒ ß. *diacatholici* ʒ ij ß. *olei chamæmill. anethini. an.* ʒ j ß. *salis communis triti.* ʒ j. *salis gemmæ.* ʒ ß. *misce fiat clyster.* Bis ex eo ventrem deposuit, fæcibus tantum eductis, & simul multis ventositatibus reiectis. Vnde dolor ventris nonnihil fuit sopitus, ita vt nocte sequenti melius dormierit. At ventris moles nullo modo detumuit. Die vero sequenti rursus dolor hominem multo grauius torquebat & conficiebat. Quare rursus clyster iniectus est, quamuis eundem non retinuerit, & is vltro effluxerit, stercore adhuc retento: Mox alio immisso, quem retinuit, aluum postea mediocriter excreuit, at non copiosè. Die quinto Octobris potionem sequentem sumpsit. *℞. Diaphœnici* ʒ ß. *aquæ florum chamæmillæ, agrimoniæ, ana* ʒ j. *misce fiat potio.* at nihil eduxit, nisi sub vesperam, glande sequenti immissa. *℞. pul. specier. hieræ picræ* ϑ j. *trochisc. alhandal.* ϑ j ß. *salis parum, mellis q. s. fiat suppos.* Interea totum ventrem hoc vnguento inungebat. *℞. vng. Agrippæ* ʒ j ß. *succi sambuci* ʒ ß. *ebulliant in duplici vase, ad consumptionem succi, & fiat linimentum.* Sexto Octobris sequens apozema præscripsimus, & simul fotum pro sero to, vt melius intestina reducerentur. *℞. rad. ebuli, iridis, petrosel. fœniculi, asparagi. ana* ʒ j. *agrimoniæ, cassutæ, capill. ven. polytrichi, ceterach. ana m.* j. *folior. sambuci. m.* ß. *soldanellæ* ʒ j ß. *folior. sennæ à stipitibus repurg.* ʒ j. *polypodij querc.* ʒ vj. *semin. cartami parum contusi* ʒ ß. *sem. anisi fœniculi. ana* ʒ j. *uuar. pass. mund.* ʒ j. *sem. cucumeris melonum, ana* ʒ j ß. *fiat omnium decoctio in aqua communi, pro* ix. *colaturæ adde syrup. de eupatorio* ʒ j ß. *syrup. de byzantijs* ʒ ß. *misce; fiat anozema pro* iij. *dosibus.* Fotus vero hic erat. *℞. radic. althææ mundatæ* ʒ j. *caput vnum lilij albi, florum chamæmillæ, melilloti, maluæ, ana m.* j. *semin. lini.* ʒ iij. *semin. maluæ* ʒ j ß. *fiat decoctum in aqua communi, pro* ℔ ij. *pro fotu seu fomento.* Cum duas doses decocti suprascripti accepisset, nihil quicquam excreuit, at tertia dosi sumpta, & simul glande imposita, septimo die Octobris, aluus ita enormiter soluta est, vt prius stercora dura, mox liquida reddiderit ventositatibus simul emissis, & vt tam magnã copiam aquæ inferiore profuderit, idque continuo, vt tandem venter deturmuerit miraculi instar, præter omnium astantium opinionem, cum morti proximus videretur, & intestina in locum deducta fuere, & ita hic homo sepulchro, quasi in vitam reuocatus. Tale erat suppositorium. *℞. trochisc. alhandal.* ʒ ß. *pulue. hieræ picræ* ϑ j. *salis parum, mellis q. s. fiat suppos.* Interea totum ventrem hoc vnguento inungebat. *℞. vng. Agrippæ* ʒ j ß. *succi sambuci* ʒ ß. *ebulliant in duplici vase, ad consumptionem succi, & fiat linimentum.* Sexto Octobris sequens apozema præscripsimus, & simul fotum pro sero to, vt melius intestina reducerentur. *℞. rad. ebuli, iridis, petrosel. fœniculi, asparagi. ana* ʒ j. *agrimoniæ, cassutæ, capill. ven. polytrichi, ceterach. ana m.* j. *folior. sambuci. m.* ß. *soldanellæ* ʒ j ß. *folior. sennæ à stipitibus repurg.* ʒ j. *polypodij querc.* ʒ vj. *semin. cartami parum contusi* ʒ ß. *sem. anisi fœniculi. ana* ʒ j. *uuar. pass. mund.* ʒ j. *sem. cucumeris melonum, ana* ʒ j ß. *fiat omnium decoctio in aqua communi, pro* ix. *colaturæ adde syrup. de eupatorio* ʒ j ß. *syrup. de byzantijs* ʒ ß. *misce; fiat anozema pro* iij. *dosibus.* Fotus vero hic erat. *℞. radic.*

Scholia.

IN simili casu, & præcipue in hydrope, longa experientia didici folia sambuci in decoctis eiusmodi adiecta, egregie aquam ducere: quod & ebulus quoque præstat, *teste Dios. lib. 4. cap. 165. Eadem*, inquit, *virusque vis, & vsus exsiccans, aluo detrahens aquam stomacho inutilem. Folia olerum modo coquuntur, ad pituitam bilemque detrahendam, caules teneri in patinis cocti, eadem efficiunt, radix in vino decocta, & in cibis data, hydropicos adiuuat.* Soldanella quidem, seu brassica marina, stomacho inimica, acris, vehementissime aluum mouet in cibo cocta. Coquitur propter acrimoniam cum à pingui carne flauas enim & hydropicorum aquas & pituitas educit. Copiosè apud nos nascitur in Zelandia.

OBSERVATIO XLV.

De tympanite, multo tempore perdurante, & tandem mortem inferente.

VXor Petri Theodorici lanionis Delphensis, cum vltra duos annos tympania laborasset, variisque remediis tam muliercularum quam empiricorum vteretur, tandem cum nulla præsidia iuuarent, & in dies magis venter extuberaret, nostram opem implorauit, nunquid præsidij superesset. Ad quam cum intrassem, hæc signa cum aduetterem adesse, sanitatem nolui promittere, sed tantum meam diligentiam, cum malum adeo progressum esset, vt vix aliqua spes in tam magno malo recuperandæ sanitatis adesset. Venter enim in magnam molem excreuerat, vt vix similem casum in vita viderim: erat enim mulier vtcumque procera, & venter ita eminebat, vt disrumpi videretur: cutis ipsius ventris arida plurimum intendebatur: & tympani modo venter manu mea impulsus sonabat: vnde & huic malo (*vt antea ostensum est*) nomen inditum. Cætera membra arefacta, & supra modum extenuata squallebant. Deinde & huic mulieri ructus crebri, & ventris crepitus, qui plurimum videbantur ex parte iuuare, licet venter iis tamen non detumescoret, & iacẽti corpus distentũ manebat, etiam

ętiam resupinæ. Ex quibus signis facile cognouimus tympanitem esse, sed iam confirmatam: nam longo tempore hoc malo detenta fuerat, vt malum exstirpari eo minus posset. Verum illa instante tum amicis ipsis, hæc infrascripta remedia præscripsimus: inprimis, cum minime febricitaret, victum attenuantem, ad calidum & siccum mediocriter inclinantem: & vt ab iis abstineret obsoniis, quæ flatulenta essent, aut flatus inferre possent: quem victum ægre ad longum tempus obseruare potuit, 28. Septemb. ann. 1577. ad eam accitus, hoc decoctum descripsi: nam licet spiritus flatuosus superabundaret, non erat tamen absque aqua, quæ per aluum deducenda erat, ita vt etiam simul ad ventositates expellendas conduceret. *℞. rad. ireos* ʒ j. *corticum rad. fœniculi, petrosel. apij, ana* ʒ ß. *agrimoniæ, calaminthæ, cuscutæ, melissæ, soldanellæ, ceterach, scolopend. vulg. ana m.* j. *flor. chamæmill. p.* j. *sem. dauci, fœnic. carui, petrosel. ana* ʒ i ß. *flor. folior. sennæ Alexan.* ʒ i ß. *turbith. select. gummosi* ʒ ij ß. *sem. carthami parum contusi, polypod. querc. ana* ʒ ß. *rhabar. select.* ʒ j. *agar. fœmi. albi leuis* ʒ ß. *schœnanthi, zinz. albi, spicæ an.* ϑ ß. *uuar. passul. enucleat.* ʒ j. *liquir. rasæ* ʒ iij. *coquantur in tribus partibus vini Pictauiensis, & vna parte aquæ communis, pro* ℔ j. *fiant infusa per noctem.* mane fortiss. expressioni adde *syr. de eupatorio,* ʒ iij. *arom. cum* ʒ ß. *cinnamomi electi*, & fiat ad modum clareti, pro iij. dosibus matutinis. quibus multa aquosa reddidit, vna ventositates expellendo, vt venter aliquo modo diminueretur. Postea iteratum fuit decoctum, *impositis* ϑ j. *folior. mezereonis præparatorum.* Interea sumebat omni mane ante cibum ʒ ij. vel iij. *diacymini*, & fuit hoc modo rursus purgata. *℞. diaphœnici* ʒ vij. *dissolue cum* ʒ iiij. *decoct. vltimo descripti*, & habuit plus, quam octo sedes valde copiosas, cum maximo iuuamine. Deinde rursus sumebat ex diacumino. Postea 8. die Octob. ita demum fuit purgata. *℞. diaphœnici* ʒ j. *dissolu. cum* ʒ iij. *aquæ flor. chamæmillæ, addendo syr. de eupatorio* ʒ j. *misce, egregie profuit.* 9. Octob. hoc elect. in tabul. præscriptum. *℞. spec. dialaccæ, diacurcumæ, spec. diacumini, ana* ϑ ij. *dissolu. in aqua agrimon. adiect.* ʒ iij. *zacch. fiat confectio in tabulis.* dosi omni mane ante cibum & ante cœnã ʒ iij. vel ʒ ß. 11. Octob. hoc decoctum præscripsimus. *℞. pulegij, sabinæ, ceterach, agrimoniæ, cuscutæ, soldanellæ, ana m.* j. *rad. ireos,* ʒ j. *corticum rad. fœniculi, apij, ana* ʒ ß. *rad. lappæ* ʒ j. *ligni sancti, seu hagioxyli* ʒ i ß. *sem. anisi, dauci, carui, fœniculi, ana* ʒ i ß. *spicæ* ʒ j. *uuar. passul. enucleat.* ʒ j. *coquantur in aqua communi, pro* ℔ j. *colaturæ ayem. cum* ʒ iij ß. *cinnamomi electi, addendo syrup. de eupatorio* ʒ iij. misce fiat apozema, ad modum clareti 14. Octob. hæ tabulæ præscriptæ. *℞. specier. diacalaminthæ, diacymini, dialaccæ, ana* ϑ j. *diacurcum. diairεos, ana* ϑ ß. *dissolutis in aqua flor. chamæmill. adiecto zacch. albiss. q. s. fiat confectio in tabulis.* Rursus præscripto decocto superiori, & exhibito diaphœnicone, cum venter aliquo modo laxaretur, breui rursus in tumorem increscebat. Libentissime clysteres adhibuissem, maxime huic hydropi accommodos, sed noluit admittere: & tandem tædio medicamentorum affecta est, quanquam etiam ventrem inunxerimus vnguento infrascripto. *℞. vnguenti martiati, emplastri de meliloto, olei costini ana* ʒ ß. *misce.* Et tale cataplasma toti ventri imponerem, quod constabat ex emplastro de baccis lauri, cum triplo pondere cyperi, etiam adiuncto stercore bouillo q. s. ad formam emplastri, quod toti ventri apponebatur interstutum cerati instar. Postea nulla remedia amplius admittere voluit: & quanquam longo tempore superuixerit, tamen, vt prognosticum feceramus, tandem obiit. Sic quoque ex tympanite, anno 1580. interiit Hadrianus Alovvinus, Delphius ceruisiarius, quum vna cum Bontio professore apud Lugdunum Batauorum, mortem amicis prædiximus. Quare etiam æger nos reliquit, assumptis duobus Paracelsistis iactatoribus, eidem intra 14. dies sanitatem promittentibus. Atque ita idem postea 13. die, magna cum illorum confusione obiit: viris quibusdam consularibus hoc tempore dicentibus: Nunc videbimus, quid Paracelsistæ præstent, quod Galenistæ præstare non possent. Quibus tamen respondebamus, quod vere viderent ægrum non diu superuicturum. Et ita breui morte subsequente, Galenistas, quos prius contempserant, & debito honore fraudauerant, in arte sua versatos esse iudicarunt.

Scholia.

TYmpanitem omnium specierum periculosissimam esse, communis schola medicorum recte iudicauit: præcipue vbi diu perduraverit, vti huic mulieri euenerat: quamquam vltra tres annos hoc malo laborarit, antequam ex eo moreretur. Videbatur aliquo modo emplastrum ventri appositum iuuare: sed hoc præsidium, quia erat tædiosum, ficuti & alia omnia, respuebat. Aëtius Aëtius hunc in modum cataplasma componebat. *℞. stercoris caprini sexiantem: tantundemque stercoris bubuli, & columbini, farinæ fabaceæ sesquiunciam, calaminthæ, salis nitri, seminis apij, seminis dauci, sem. fœniculi & cumini, cuiusque vnciam vnam, panis aridi quadrantem, mellis sesquiunciam, terebinthinæ quadrantem: misce & vitor.* Alia vide apud auctores. Interim magna ex parte hoc malum lethale est, si diu duraverit: quemadmodum etiam euenit Heinrico Amio Consuli Delphensi, vti nos vna cum Bontio illum tractantes prædixeramus.

OBSERVATIO XLVI.

De tympanite ab vtero originem habente, & casu admodum mirabili.

SImonis Ioannis, typographi Delphensis, vxor, quæ in foro piscatorio vel prope forum habitabat, duplicem quartanam, qua per totum autumnum & hyemem laborauerat, & à me curata erat (mulier si quæ altera valde obesa & crassa) bene postea valebat, ac prægnans putabatur: nam & ipsa motum fœtus se sentire dicebat, imo obstetrix illa sagax, & magni nominis hoc tempore apud diuites mulieres Delphenses, cui Salutaris nomen erat, etiam eandem grauidam esse pronuntiabat: quamuis paulo post hæc ipsa de imprægnatione dubitauerit. Ingens moles ventrem totum occuparat, saltus maximus aderat, & murmur quoddam instar flatus hinc inde exaudiebatur aliquando: atque mulier hæc ipsa quotidie magis magisque obesa & crassa euadebat, quamuis propria natura, *vt paulo ante diximus*, valde corpulenta esset: tamen in immensum & enormem tumorem venter excreuit. Verum tempus imprægnationis & pariendi cũ præteriisset (*decimum enim mensem iam excesserat, quod se grauidam & partum in vtero sese habere crederet*) tandem & hæc ipsa inordinate febricitauit; ita vt eam accedens, cum ventrem adeo tumidum, vt rumpi videretur, cernerem, eumque durum & tympani modo sonum reddentem animaduerterem, si percutcretur: &, quod mirum alicui

esse poterit, cuidens saltus non solum sentiebatur, sed etiam oculis spectabatur, vt etiam in lecto iacenti tegumenta eleuarentur: & id magis in imo ventre cum murmure quodam ac rugitu audiebatur, equidem nil aliud erat, quam spiritus flatuosus, qui sursum ascendebat, ac cor premebat. Ego molam ventosam in vtero esse suspicabar, & vna tympanitem adesse, cum totus venter intumesceres tympani modo, non sine tamen materia aliqua aquosa, vel potius flatulenta, cum putredine instar molæ, quæ vterum primo occupauerat, mox totum ventrem & tandem hepati quoque læsionem inferebat. Nam hoc tempore, cum eandem accessissem, vndecim menses præterierant, quod menstruæ consuetæ euacuationes non fluxerant neque apertæ fuerant. Tunc denuo per me accersita obstetrice, iussi vt os vteri tangeret, atque tentaret num durum esset: ea autem respondebat, nec durum esse; & quoque affirmabat se dubitare, quod grauida non foret, quamquam illud prius affirmauerat. Cum venter vndique in tantam molem excreuisset, vt maiorem in vita nunquam viderim, & multo maiorem, quam in præcedente, in vrbe inter plebeias mulierculas varia de hac muliere opinio subsequuta est: vna referente, quod monstrum pareret: alia vero, quod arbor in ventre excresceret. Deliræ mulierculæ, vt solent, eiusmodi somniabant. Cæterum, quamquam venter durus erat, si tamen fortiter tractaretur, non solum ex tactu validiore manus, venter tremebat, sed & omnia viscera ita mouebantur, vt non solum venter aliquando videretur attolli, sed operimenta ipsius lecti (*vt paulo ante diximus*) imo & lectus ipse, in quo decumbebat: & erat talis in saltus corpore, ex spiritu flatuoso (*vt opinabar*) irruente, tam enormi, vt simile quid in vita non spectauerim. 4 Verum, vt paucis rem ipsam absoluam, cum hæc omnia à mala ventosa fieri iudicarem: vel à ventositate instar tympaniæ, ita vt in siccam hydropis speciem confirmatam incideret: tandem medicamenta opportune adhibita meam opinionem postea confirmarunt, ita vt ab iisdem præsidiis pristinam sanitatem, omnibus admirantibus, recuperauerit. Præscripsi multa carminantia in decoctis, quibus quotidie vtebatur: toto corpore prius euacuato. Præcipue & hoc sequens. ℞. *sem. anisi, fœniculi, carui, ammi, cumini, ana* ʒ ij. *sem. anethi* ʒ i ß. *bulliant in aqua artemisiæ: cuius colaturæ accipe* ℥ viij. *addendo syrup. de artemis.* ʒ ij. *misce pro duabus dosibus.* Continuo quoque pro potu quotidiano vtebatur ceruisia communi, *in qua flores chamæmillæ decocti erant*: quæ ceruisia adeo profuit, vt admirari satis non potuerimus. Eam quoque per interualla etiam prius, antequam supradicta sumeret, purgauimus cum *decocto simili carminante & purgante; adiectis foliis senæ, subinde cum diaphœnico.* Ventrem autem primo inungi mandauimus *oleo chamæmelino, & anethino*: postea & circa pubem etiam oleis & vnguentis calidioribus, postquam à purgatione paulatim & febris illa inordinata cessasset. Postremo ad vteri apertionem dedimus puluerem dominarum, *scilicet* ʒ j. *cum* ʒ ij. *aquæ artemisiæ, &* ʒ j. *syrupi, artemisiæ.* 5 Istis remediis sæpe iteratis, menses aperti sunt, & fluxere. Deinde tabulis infrascriptis cum perpetuo fere vteretur, miraculi instar venter paulatim detumuit, multasque ventositates per ructus plurimos superius emisit, etiam inferius per ventrem: etiam bombis, quod dictu mirum videtur, ex vtero emissis, qui vna cum murmure ac strepitu erumpebant. Et cum menses aperti fuerunt, multa putrida, & ex parte corrupta excreuit; etiam quædam aquosa; idque longo tempore. Tabulæ vero confectæ, tales erant. ℞. *Species. diacymini, diacuminæ, species. aromat. ros. an.* ʒ j. *cum aqua melissæ, adiecto zaccharo optimo q.s. fiat confectio in tabulis secundum artem.* Quibus cum vteretur per duos menses, & aliis remediis supradictis sæpe repetitis; præter opinionem omnium magna cum nostra laude euasit; & adhuc sana viuit, etiam hoc tempore eum plusquam viginti quatuor anni præterlapsi sunt, cum hæc denuo recolligerem, nempe anno 1592. mense Iunio.

Scholia.

6 Siue fuerit mala ventosa matricis, siue tympanites, vt ventositate ab vtero ob menses restrictos originem habens, eandem curationem requirebant: nempe præter vniuersalem curationem, carminantia, quæ etiam conueniunt in colico ventoso per interius & exterius administrata: in potu enim conferunt calida subtiliantia: & postea etiam emplastra, quæ simul emolliunt, & menses educunt. Quod si in principio fuissem accitus, cum menses detinebantur, aperuissem venam in talo, nempe saphenam. Sed potius aliis remediis vsus sum, quæ ad mensium retentionem faciebant: cum & balnea hic conferant, ab vmbilico infra, in qua decoct. *maluæ, althææ, fœnugræci, rutæ, sauinæ, iuniperi, menthastri, nasturtij*, & ante introitum balnei, per duas horas, exhibeatur ʒ j. *trochisc. de myrrha.* nobis satis fuit *pul. dominarum, cum vino albo veteri etiam exhibitus*, postquam eum dedissemus cum aqua artemisiæ, & syrup. artemisiæ. Et licet mola carnea difficilioris sit curationis, quam ventosa, veruntamen inflatio si perduret; curam non recipit, cum sæpe remaneat per totam vitam, & si malitia illius ad vltimum progrediatur, hydropem, nempe timorosum tympanitem inducit: vt hic euenit: tamen fuit optime curata, etiam à tympanite, nondum tamen confirmata, vt aliæ tympanitæ, de quibus paulo ante diximus. Et ita absoluimus omnes species & differentias aquæ inter cutem: & quibus modis vnaquæque species curetur: quod & exemplis nonnullis ostendimus. Atque ita affectibus iecoris absolutis, hunc librum finiamus, & ad Lienis vitia, morbos, & affectus transeamus.

Finis Libri decimi noni.

OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM

Liber vigesimus.

DE LIENIS MORBIS, VITIIS AC AFFECTIBVS.

OBSERVATIO I.

De quodam Splenetico seu lienoso.

1 VIr admodum niger, hirsutus, melancholicus, subtristis, à quartana lienem durum habebat grauitatemque in parte sinistra quãdam percipiebat: sitis eidem vehementior aderat, ac oris siccitas: cui accessit anhelitus difficultas: postea circumscriptus tumor in hypochondrio sinistro apparuit, & valde durus, ex humore melancholico: mox & pedum inflatio, atque etiam pudendotum circumspiciebatur, colorque plumbeus: cui & decubitus in sinistrum latus, grauis quoque dolor ad iugulum sinistrum vsque tendebat: noctuque sudor grauis apparebat; & anima fœtebat, ac pudenda turgebant: sanguis huic etiam, vt in scurbuttis, ex gingiuis erumpebat, vt etiam gingiuæ dentesque magis corrumperentur in sinistra parte: & venæ ad lienem nigricabant, cum cute squallidiore, vlceraque maligna in tibiis, & potissimum in sinistra tibia nascebantur, & cicatrices nigræ in cruribus fiebant, (*Imo aliquos tales nouimus, in quibus ob eandem causam pediculi in corpore scatebant.*) Hunc autem lienosum, vel splenetici iudicauimus: nam horum aliqua vel omnia splenetico ostendunt. Post bolum exhibitum, *ex cassia & catholico an.* ʒ ß. *pul. ceterach & cinnamomi electi, an.* ϑ j. *zacch. aspersо*: altero die venam saluatellam in manu sinistra secari iussi, mediocriter nigro educto sanguine. A sanguinis detractione hoc decoctum vel simile præscriptum: ℞. *rad. petros. cichor. fœnic. apij, macera. in aceto, an.* ʒ ß. *corr. rad. capparis, chamæpsci, ana* ʒ j. *ceterach, capil. ven. ana m.* j. *cochlear. m.* ß. *flor. rorism. hyper. genistæ, ana p.* j. *sem. agni casti, end. scariol. portul. acetosæ, sem. frig. maior. ana* ʒ ß. *rad. salicis, fraxini, genistæ, an.* ʒ ij. Hæc enim omnia iam dicta peculiariter conueniunt lieni: præter ea quæ de oppilatione hepatis conscripsimus: & in liene abstinendum ab iis, quæ nimium calefaciant, nisi frigidis temperentur: ideo sem. frig. incidentibus addenda (*polypodij querc.* ʒ j. *fiat decoct. in aqua com. pro* lb ß. *colat. addendo syr. acetos. simpl. capill. ven. de duabus & quinque rad. de fumo terræ, de scolopend. an.* ʒ ß. *misce pro apozemate.* Deinde eundem purgaui sæpius *cum decocto epythymi, foliis senæ, adiecta confectione hamech.* Frequens vsus huic erat *capparum, asparagorum, & caulium cinaræ, & cauliami marini muria conditi, & capparum ex sem. genistæ.* Quidam & hic commendat *lienem bouis crematum in vase testaceo ad* ʒ j. *cum oxymelite exhibitum; aut potionibus inspersum.* Post purgationem commode exhibui decoctum *bekabungæ & cochleariæ, cum syrup. scelerybico nostro, ex succo earundem herbarum cum zacchar. parato* (cuius vsum nos primo inuenimus) *in serolactis*: ex cuius continuo vsu melius habere cæpit: liene quoque inuncto hoc linimento. ℞. *olei de capparibus* ʒ j. *medullæ vituli, pinguedinis anatis, ammoniaci in aceto dissoluti, ana* ʒ ij. *aceti exiguum, ceræ q. s. fiat unguentum.* Deinde impositio emplastro de melioto, & emplastro de ammoniaco simul permixtis, recte habuit: & vlcera remediis intus sumptis, sæpeque iteratis, facile luni consolidata.

Scholia.

Lienis naturam, & eius vsum, in præfatione huius libri exposuimus, & in libro nostro *de vrinarum incerto iudicio.* Est enim atræ bilis sedes & melancholici humori, repurgatorium. Vbi autem lien inefficax efficitur, & lutosum à se sanguinem nequit expellere: tunc turget supra modum: vnde lienici vel splenetici dicuntur: vel si attrahere non possit, cachexia subsequitur: facile enim lien quoq; inflatur, incluso vento, aut sẽsim atro sanguine crasso intus cõstipato, vnde obstructio: facile quoq; obstruitur & induratur; subinde & inflãmatur, sed rarius, & in abscessum permutatur. Doloribus quoque afficitur, modo ex calida causa, vt phlegmone, quod rarius est: modo ex flatibus, quod frequentius: flatus autem hi aliquando soli sunt, aliquando vero adiunctum habent superfluum humorem frigidum, id est, qui vinci à calore non possit. Sine dolore vero, vel exiguo: scirrhosis tumoribus prehenditur. Etiam nuda intemperie affligitur, *vt Aetius docuit, lib. 10. cap. 7. ex Philagrio*: Potissimum vero frigidam & humidam sustinet. In frigida, omnis cibus & potus efficaciter refrigerans splenem lædit; constitutio aëris frigida tum alia præcedunt, & aqua frigida admota, vel lotiones frigidæ frigidam arguunt splenis intemperiem. Frigiditatem quoque ostendunt, cibi tædium, intestinorum murmura, quæ in ructus acetosos commouentur, eamque intemperiem omnia calida confolantur. Si intemperies calida, solatio eis sunt omnia refrigerantia: sitis adest, lingua arida, flauus corporis color: adest inflammatio in parte sinistra: ita concitata dolent. In sicca, omnia arida nocent, vel deuorata, & aquæ marinæ præcedentes, aluminosæ & sulphurulentæ & pharmaca exsiccantia. In humida splen increscit, vt ad ventrem pertingat ac hepar. Calida citra tumorem simplicissimis pharmacis, ac fomentis & irrigationibus corrigitur, *ex rosaceo, melino, & ceratis refrigerantibus*, frigida calidis, *vt vnz. nardino, cyprino, decocto pulegij, scordij*, &c. tum aliis medicamentis apud Aëtium positis. In humida adhibet salis florem. Reliqua vide apud eundem *cap. 7. & 8. ser. 10.* & apud Benedictum Veronensem *lib. 17. de lienis affect. cap. 2. vsque ad cap. 8.* in quibus non solum explicatur intemperies nuda, sed & cum materia, & quibus modis curentur: & præcipue *lib. 8. cap. 10. apud Alexand. Trallianum*: in quo cap. expresse de omnibus affectibus lienis agit. Cæterum, cum exemplum cuiusdam à vitio lienis curati adferat compendiose Beniuenius *cap. 105.* à nostro iam

dicto parum differens, his adiungere nobis visum est: *Lienis* (inquit) *vitio afficiuntur quam plurimi: horum sinistra pars tumens ac durior prementi venitur.* Quod si diu perseuerat (*nam interdum perpetuum id malum est*) tumescunt crura; & si vlcera præterea innascuntur, vix sanescunt; Multos nos tali vitio affectos curauimus: inter quos vnum: quem cum septennio hoc morbo vexatus, frustra multa consilia, ac pene infinita præsidia expertus fuisset, solo tandem cappari, qui tali ægritudini aptissimus cibus est, solaque vi aquæ, in qua faber ferrarius sæpe candens ferrum extinguit, annua potione liberauimus: tanta scilicet in eiusmodi aqua contra hoc vitium inest vis atque virtus. Vnde & compertum est, animalia, quæ apud fabros educantur, per quam exiguos habere lienes. Cæterum cum & illi lienici dicantur, in quibus vires ipsius lienis quædam aut omnes vitientur: inde & lienicus, quis fieri dicitur: sicut stomachici & hepatici dicebantur communi nuncupatione: proprie tamen quidam eos sic appellans, ex Galeno, quibus durus lien est.

OBSERVATIO II.

De lienis obstructione, cum tumore eiusdem.

MElancholicus humor si non expurgatur, facile crassescit, ac obstructionem venarum, & arteriarum gignit: tunc quidem sola grauitas hypochondrij sinistri, interdum & lienis dolor ægrum exercet. Verum excedens, non tantum venas, sed & lienem vniuersum implet atque distendit: dissipataque tenui illius portione, crassior subsidet, & lien totus obstruitur: & quia lien substantia rarus atque laxus, leui occasione distendi potest, quumque sanguinis fęci excipiendæ destinatus sit, hanc omnemque impuritatem admittit: hac imbutus tumet, multo quidem, quam jecur frequentius: ac plerumque sine scirrho. Quod quidem euenit nobili matronæ, cui Hester nomen erat vxori Guilelmi Sonneveldij, cognati nostri, quæ cum obstructione lienis, tum leui tumore, non admodum duro laboraret consultandi causa, anno 1546. me accessit. Cui consului, *vt inprimis aerem serenum quæreret, & temperatum, curasque omnes ex animo expelleret, deambulationes ante cibum admitteret, somnumque in dextrum latus temperatum: verum vt vitiaret ventum septemtrionalem austrinumque crassum & pluuiosum frigidumque, mœrorem & continuatam mœstitiam, somnum quo supra sinistrum latus: talis enim tumidum reddit lienem.* Suasi quoque, *vt à cibariis abstineret, qui ex legumine, milio, panico, & triuico impuro constant: hæc enim damnantur: quemadmodum & oryza, pastilia quæcumque farinacea, placenta, lens, cicer, faba, ac cicercula pisumque. Inter obsonia, bubula vetus caro, ceruina, suilla, ac hircina, vetusque lepus, anseres, anates, columbi palumbique vetusti, turtuesque veteres, & lac omne fere, caseusque vetus, salsus, & ex iis condimenta, ouaque dura ac butyro fricta, pisceseque paludtres & mollis cutis, sine squamis, duræq; carnis, lienicis nocent: sicuti clibano vel craticula inassata, fructusque stiptici, acerbi ac pontici. Castanearum vsus, cydoniorumque offendit. Musta inflant lienem, & quæcunque crassa sunt, ac dulcia turbulentaque, & si quod nimium austerum sit: ita & aqua potus nocet: maxime vero à balneo & labore, magisque gelida vel niue iniecta, omniaque n.llita, dulciaria ac zaccharea, vel in condimentis.* Concessi auiculas montanas, pullosque gallinaceos, phasianos, perdices, passerculos, & alaudas, ciboque concoctu faciles, attenuantes succumque tenuem generantes: *talia enim obstructiones eximunt, ac detergunt. Tum acida ipsa conueniunt, vti & vinum non valde vetus, ac cappares præcipue.* Quod ad medicamenta attinet, hæc infrascripta administrata sunt. ℞. *end. cichor. cum rad. ceterach, capill. ven. cassuæ, scolopendriæ vulgaris, seu linguæ ceruinæ, an. m. j. summitatum lupul. m. ß. corticum rad. cappar. thamarisc. an. ℥ ß. sem. agni casti ℥ ij. sem. anisi, carui, an. ℥ j. follicul. sennæ ℥ i ß. epithymi ℥ iij. uuar. passul. ab arill. vepurg. ℥ j. fiat omnium decoctio in aqua comm. pro* ℔ i ß. *adiectis ℥ iij. aceti in decoctione, coletur, colat. adde oxymellis simplicis, syr. de quinque rad. & de scolopend. an. ℥ j. misce.* Deinde secta est vena lienaris, in manu sinistra: quod egregie profuit. Postea denuo purgata est *cum decoct. sennæ, ceterach. & epith. & similiter etiam cum confectione hamech, adiect. syrup. de epithymo, & ceratum ex ℥ i ß. simpl. de meliloto, adiecto pul. rad. thamar. capp. ℥ j. gummi ammoniaci dissoluti in aceto ℥ iij. & olei de capp.* valde exiguum, ad modum cerati lieni impositum est, & pilulæ tres ex ammoniaco aceto dissoluto adhibitæ: & statim post pilulas deglutiendo *oxymel. squillitici ℥ i ß.* Hoc solo vidi præceptorem meum Elidæum Bononiæ in nosocomio vitæ curasse quendam splenecticum, tribus annis eo malo detentum, iussi quoque, *vt veteretur vino decoct. rad. filicis*: quo & idem præceptor meus vti solebat. Idem dedit Amatus *cent. 6. cur. 39.* ad splenis duritiem post vniuersalia remedia, ad 20. dies, minuit enim lienem: vti & fotus aceti acerrimi, in quo lapis pyrites, *marcasitæ* dictus, candens & ignitus extinctus fuit: quod acetum spongia vel filtro exceptum, ad Galeni mentem optimum est remedium. Prius tamen, cum hæc mulier esset pituitosa & alba, inunxit lienem iis, quæ tumorem laxiorem reprimerent, nempe oleo rutaceo, & de capparibus, & nardino: verum postea, cum durior lien videretur, vtebar supradictis, insequendo vestigia præceptoris nostri: vt ℞. *ammoniaci in aceto scyllino dissoluti ℈ j. fiant pilulæ iij. superbendo oxym. simpl. ℥ i ß. postea ℈ ij. &* ℥ ij ß. *oxym. scillini superbendo.* Vtebatur in nosocomio etiam hoc vnguento & cerato. ℞. *succi bryoniæ, succi cyclaminis, an.* ℔ j. *dialthææ, ammoniaci in aceto dissoluti, olei de capp. olei amygd. dulc. an.* ℔ ß. *omnia in duplici vase bulliant, & adde ceræ q. s. fiat vnguent.* subinde addebat præceptor meus & hæc sequentia; ℞. *pingued. anseris, muccil. alth. an. ℥ j. pul. thamarisci, ceterach, rad. capp. rad. filicis, an. ℥ j. resinæ colophoniæ ℥ ij. ceræ, resinæ pini, an. q. s. fiat ceratu.* Commendabat *pulverem thamarisci in furno exsiccati cum cinnamomo, in cibis*, & in potu dabat *pulverem radicis filicis.* Quibus & hæc nostra matrona vtens egregie se habuit, tum continuo capparum esu cum aceto. Noui vetulam quandam, (*cum viginti annis splenetica fuisset*) tumore lienis duriusculo laborantem, solo continuo esu capparũ conualuisse.

SCHOLIA.

SÆpe autem vena, quam iecinore ad lienem ducit, magna ex parte obstruitur; vel illa, quæ ad os stomachi fertur, exilior, ex crasso humore vel crasso vento, vel sanguine ipso crasso diutius ibidem, vel in splene, retento: ex retentrice robusta, aut expultrice infirma: cum enim eo sanguine alatur, & in membri substantiam conuertatur, quandoque ita intus inspissatur, vt in miram crescat magnitudinem. Causæ huius oppilationis multiplices, *viarum angustiæ, humoris crassities, aut viscositas, vel eius exuberantia.* Fit & ex prægressis causis, nempe *costaneis, fungis, palmis, sicis, melle, musto, piscibus, aqua paludtri, legumine, brassica, pastillibus farinaceis, exercitationibus à cibo, balneo sine mensibus aut hæmorrhoidibus suppressis, ex sanguine melancholico, bile notha, & pituita crassa.* Signa communia habentur ex *sanguine vitioso per vniuersum corpus distributo, ex colore nigro, vlceribus immedicabilibus, grauitate hypochondrij sinistri duritie, timore, spiritus difficultate, mœstitia melancholica, turbulentis insomniis, dolore lateris sinistri.* Lienis enim, iuxta Æginetam, os graue olet, gingiuæ putrescunt, neque in cruribus vlcera persanantur, *vt prius dictum est.* At attractricem offendit, si iecoris vena ad lienem fuerit constipata, si vero superior vena ad os stomachi, expultricem lædit. Si enim vis digerendi lædatur, in omnibus partibus oppilatio contingit; ex ea enim compositæ febres, hepatici morbi: nam eo pariter affecto hydrops haud dubie oritur. Aliquando adest oppilatio sine febre, & sine tumore: tunc totius corporis grauitas, ac magis in sinistro percipitur latere, non sine aliquo dolore. Hic aderat etiam læuis tumor. Ita quoque si oppilatio orta sit ex febribus vel si diuturna fuerit, sub sinistris præcordiis apparet durior: tument pedes, ac cutis exulceratur, ac post cibum intenduntur præcordia, sequitur anhelitus difficultas ac tussicula. Ex lienis vero magnitudine corpus macie conficitur; quod in collo euidentius apparet: ex ea jecinoris habitus corrumpitur, & digestiua præsertim virtus, oppilata vena ad iecur: corporis totius hilaritas & splendor vitiatur, & alia symptomata praua sequuntur. Quæ vero ad os stomachi pertinet si obstruatur, nullum adest cibi desiderium, vomunt atram bilem, acetosam, summa tellure ebullientem ac spumantem, aceti acerrimi modo. Vrina sæpe sani similis emittitur, qui si aliquando fatigetur, obscuram reddit. Quod si ex aliis humoribus, vt bile, vniuersum corpus calet, etiam si abest febris, oculi & vrinæ per bilem coloratæ aderunt, sitis, cibi fastidium, & vigiliæ: & frigida appetunt. Si à pituita, color albus: non sitiunt, nisi salsa pituita fuerit: cibũ fastidiunt, & pocula magis amant: alioqui vrina crassior & turbidior emittitur, ructusque cum multa saliua aquosa, facies decolor, aluus humida, sæpe & membra defatigata à cibo. A sanguine, inter appetentiam ciborum & fastidiorum medio modo se habent: reliquis magis languent: venæ sanguine plenæ sunt, & vrinæ subfuluæ; etsi non parem visceris tumorem habent. Sed hic magis contingit ex succo melancholico: ita vt fusco colore visantur: quibus subinde aluus sicca existit: tenuis aliquando vrina conspicitur: sed cum humor ille ad jecur retrogreditur, tum vrina crassior emittitur; sordidior: lien extenditur, grauia membra sentiuntur, atro colore suffusa: & acida eructant, & si ex innaturali melancholia, à cibo maior grauitas, incoctæ ructationes, ventrisque torsiones, excrementa spumosa cum crepitu multo erumpunt, tum alia antèdicta adsunt. Si attractrix male habet, coloris decor amittitur, album oculi languide fulget. At si facies rubore aliquo suffusa decolor facta fuerit, cum cibi tædio, ac in liene calor sentiatur: & si vrina spissior ac rutila reddatur, caliditatis notę sunt. Contra ex frigiditate facies oculique obfuscantur, & plumbea facies cernitur; parum appetunt, lien ipse frigidior sentitur: vrina, quæ in summo clara est, in imo turbulenta subsidit. De auguriis lienicorum. Lienicus si dolet (*vt ait Hipp.*) adhuc spes est: nam à parte ægra non sentitur dolor, sed à sana, vt scribit Auerrhoes. Lienicis, si superuenerit dysenteria, in bonum cedere indicauit Hipp. si iudicialiter euenisse constat; tum enim paulatim lien residet atque sponte discutitur, alioquin hydrops sequitur pernicioſus, nimio frigore corpus occupante;

plurimum enim refert an dysentericus ille fluor melancholicus fuerit. Clamat idem auctor, pernicioſiorem fieri, si diarrhœam diuturnã dysenteria longa sequuta fuerit; & hydrops subinde intercedat, aut liĉteria; tum lethiferum haberi: si splencticis quoque profluuium accesserit sanguinis ac sine dolore albescentes vesicas extulerint, cum cibi tædio, secundo die interitum augurari. Interea, si ex splenis oppilatione febres fiunt, pessima symptomata generantur ex ea, nisi subito curetur: cum enim jecur pariter afficiat, hydrops haud dubio oboritur. At catarro obnoxij raro splenetici fiunt: nam materia aquosa fluida duritiem non efficit: fit enim durior splen ex materia crassa & melancholica: & quo durior, eo periculosior: cum & inueterata durities, *vt postea docebimus*, insanabilis habeatur. Quod ad curationem attinet, & victus rationem, satis constat ex obseruatione præcedente, quæ vitanda, & quæ conueniant. Quod ad reliqua medicamenta attinet: quæ jecinori subueniunt, eadem ferme lieni medentur: verum vehementiora conueniunt, ac asperiora. Sicuti enim membrum sine metu manu comprehendimus, ita remedia tanquam seruili membro & abiecto imponimus: sine vllaque æstimatione omnium experimentis expositus est lien: jecur vero medicamentorum vires reformidat acutas, sicuti aceti acrimoniam: spleni vero conducit oxyporis additum. Cauendũ est, *ne ab aliis remedijs obuio jecinori injuria non parua fiat*: Licet tamen lien initio facile sanatur: verum si negligitur, ita vt obstruatur, aut indurescat, curationem difficilem facit. Opus igitur est (*reste Galeno*) attenuantibus, nec tamen nimium excalfacientibus, ne crassior intus humor fiat, ac inexstirpabilis: nam stiptica admixta iuuant, qualis est *capparis radix, & asplenion*. Tale absinthium jecori existit: eadem cum oxymelite sumpta, tumorem lienis discutiunt: miro modo valet & acetum, in quo decocta sunt. Bibitur eadem quoque ex vino cocta: & imponitur quoque: ita & absinthium: portulacæ sem. ℥ ij. *ex aceto sumptæ, & plantag. acetum scillinum, & capparis radix in vino pota.* Recte itaque dixit Rondelet. *quod tot & tales morbi fiunt in splene, quot & quales in hepate: vt intemperaturæ, inflammationes, tumores duri, obstructiones, & morborum similium symptomata, vt icteri, hydropes.* Quare cum fiant simili modo, etiam simili methodo, & fere eadem materia medica curantur. In hoc tantum differunt, *quod morbi splenis valentiora medicamenta desiderant, incidentia, non ob substantiam partis* (est enim tenuis & rara) *sed ob materiam terream & crassam, quam in se continet.* In aperiendo minus vtimur adstringentibus quia pars minus est principalis, & minus sui conseruationem indicat: quod de remediis internis velim intelligas. Nam quum ad splenis affectus fortissima remedia instituuntur, ad jecur etiam perueniunt, idque lædunt nimis fortiter aperiendo, vel dissoluendo. Differunt & in hoc, *quod melancholia in splenis affectibus præcipue expurgatur, bilis in hepatis, in vtriusque vero obstructione, pituita, quoniam magna ex parte facit obstructiones sua crassitie.* Quare eadem medicamenta curabunt intemperiem hepatis & lienis. Inflammatione laborantibus his partibus, in sanguinis missione differunt indicationes, ob situm partis: atque in topicorum admotione. Nam in hepate admouentur in dextra parte circa posteriora, si in gibba sit affectus: ad interiora vero, si in caua: in sinistra & infra nothas costas applicantur splenetica. In curatione obstructionum & icteri sola medicamentorum vehementia differunt. Quare & fortissima

14 ab obstructiones & scirrhos lienis præscripta, erunt splenetica. Item quæ cappares & acetum recipiunt, quæque minus adstringunt, spleni magis sunt accommodata. Quare superfluum esset, ea hic repetere. Id tantum annotare hic oportet, *limaturam chalybis, increscentem lienem minuere, vt & aquam fabrorum (de qua prius diximus) & semen portulacæ; cum ob eius facilem relaxationem intumescit.* Quæ enim constringunt cogendo: substantiam raram minuunt. Aliud etiam notandum est, *quod in tumoribus & doloribus splenis, flatus discutientia, vt agnus castus, seseli, apij, & petros. semina, succus rutæ, multum iuuant. Colon intestinum spleni alligatur & incumbit, quod in flatibus distentum, & agros & medicos sæpe fallit.* Sed hæc nota discernuntur, *quod spleneticus dolor grauis sit: colicus vero distendans, acutus & mobilis: spleneticus in parte vna fixus est, in colico totus venter à flatibus distentus: in splenis vero affectibus, sola pars sinistra.* Sed hæc omnia exemplis particularibus multo clariora euadent, rursus assumpto exemplo, *De obstructione lienis.*

quæ lienem minuunt.

Colici à splenetico distinctio.

OBSERVATIO III.

De obstructione lienis.

1 ISTis diebus quidam cum dolorem fixum in loco lienis, nempe parte sinistra, haberet: & valde melancholicus esset, atque grauitatem in liene sentiret, cibisque melancholicis vsus esset, & mœstitia melancholica, somniisque turbulentis vexaretur, homo niger & hirsutus: facile obstructionem in liene esse cognouimus. Cum plenitudo totius corporis adesset, viresque permitterent: & trigesimum annum ageret, tempore autumni, quo melancholia magis viget: huic post ventris solutionem ex cassia, *nempe* ʒ j. *in bolo, adiecto* ϑ j. *trochisc. de capparibus*: altero die venam iecorariam vel potius spleneticam, in cubito sinistro secari iussimus, lata venæ diductione, vt sanguis crassior efflueret. Quemadmodum etiam in altero in manu sinistra ex saluatella fecimus, cum in cubito minus appareret. Deinde per triduum hoc decoctum sumebat. ℞. *rad. cappar.* ʒ j. *quinque rad. commun. aperit. in aceto macerat. an.* ʒ ß. *summitatum tamaricis, hemionitid. ceterach, chamæd. chamæp. bugloss. cum rad. summitat. lupul. capill. ven. polytrich. an. m.* j. *vuar. passul. ab arill. repurgat.* ʒ j. *sem. portulac.* ʒ i ß. *sem. viticis, fœniculi, anisi, seleos, apij, an.* ʒ ij. *sem. 4. frig. maior. an.* ʒ ß. *flor. genistæ p. j. florum cord. man.* ß. *follicul. sennæ* ʒ i ß. *polyp. querc.* ʒ vj. *coquantur in aquæ chalibeatæ* (lienis enim duritiem dirimit) *q. s. scilicet pro* ʒ ix. *colaturæ adde syr. de scolopend. de duabus rad. an.* ʒ i ß. *misce, pro* iij. *dosibus matutinis.* Postea purgatus est, in hunc modum. ℞. *catholici* ʒ vj. *confect. hamech*, ʒ iij. *syr. ex infus. ros. pallid. cum foliis sennæ, & syr. de scolopend. an.* ʒ ß. *aquæ fumar.* ʒ iij. *misce.* Altero die mane sumebat theriacæ veteris ϑ ij. *conser. bugloss.* ʒ ij. *dabatur sex horis ante cibum.* Deinde rursus assumpto decocto suprascripto, purgationem sumpsit ex pilulis infrascriptis. ℞. *pilul. indarum* ʒ j. *cum aqua bugloss. fiant pilul.* vij. *sumendæ circa noctis dimidium.* Interea adhibuimus præsidia corroborantia lienem, eiusque obstructiones tollentia; tam intus quam extra, vt puluerem diacapp. cum vino: & has vel similes tabulas: ℞. *pul. specier. diarrhod. abb.* ϑ ij. *diacappar.* ʒ ß. *sem. portul. sem. viticis, pul. rad. filicis, an.* ϑ j. *zacch. q. s.* dissoluti in decocto summitatum tamaricis; fiat confectio *in rotul. ponderantibus* ʒ ij. vna sumatur tribus horis ante cibum. Mox & hunc fotum lieni adhibui. ℞. *flor. chamæmeli, meliloti, florum genistæ, an. p. j. summitatum anethi m.* ß. *ceterach. rutæ an. m.* j. *seminis viticis* ʒ j. *coquantur in aquæ vino albo & aceto æquis portionibus, pro* ℔ i ß. atque in hoc decocto madefacta spongia & expressa, regio lienis bis terue mane & vesperi ante pastum fouebatur: atque demum exiccata, hoc vnguento inungebatur. ℞. *olei de cappar. liliorum an.* ʒ ß. *olei rutæ, amygd. dulcium & amar. an.* ʒ ij. *bdellij ammoniaci dissoluti in aceto, an.* ʒ ij. *seminis agni casti puluer. ceterach, seminis portul. puluerisat. an.* ϑ j. *croci* ϑ ß. *aceti & ceræ exiguum, fiat vnguentum.* quo inungebatur regio lienis calide, mane & vesperi, mox à fotu: hoc cerato ad linguæ bouis figuram etiam imposito. ℞. *emplastri de meliloto, diachylo ireati an.* ʒ i ß. *cortic. cappar. ceterach, ficci & puluerisati, an.* ʒ ij. *seminis viticis, rad. tamaricis, an.* ʒ ß. *cum oleo liliorum. q. s.* fingatur ceratum. Quibus hic optime se habuit: vti & iuuenis in parte Orientali, his & similibus curatus est.

2

3

SCHOLIA.

4 IN obstructione lienis circumspiciendum, *num obstructio sit à crassis & frigidis humoribus, sine tumore*; tunc à venæ sectione abstinendum: & materia dirigenda *cum decoct. chamæd. ceterach, agrimon. cuscutæ, hyssopi, calaminth. rad. irid. cappar. thamarisci, betonicæ, agni casti*, dulcoretur cum zaccharo & acetum adiiciatur vel oxymel & purgetur *cum hiera Ruffi, vel decoct. sennæ & polypod. adiecto agarico.* Si materia sit calida, & adsit plenitudo, vena secanda erit, ex saluatella, *vt quidam iubent, iuxta Rhasim etiam ex præcepto Galeni*, vel interna sinistri brachij: de qua re latius agemus *de phlegmone lienis.* Conuenit & syrup. acetos. *cum aqua cichorij, scolopend. end.* Et aluus soluenda *cum infusor. rhab. & cathol.* & tunc videndum; *num adsit febris*, cuius ratio quoque habenda. Hic valet & oxyzac. *cum decoct. end. scariolæ scolopend. fumar. ceterach. & similibus*, & aluus soluenda *cum cathol. & thamarind. ac rhabar. vel sero caprino, in quo epithymus maduerit.* Vbi vero tumor laxus adest, fottioribus discutientibus & aperientibus, cum adstringentibus calidioribus opus erit: etiam exterius. Sed in duriore tumore magis erit emolliendum; *vt postea de scirrho dicemus.* Vide plura de externis remediis, tum euaporationibus lieni obstructo conuenientibus, & potionibus ad lienem oppilatum valentibus, *lib. 17. cap. 12. apud Alexandrum Benedictum Veronensem.*

5

OBSERVATIO IV.

De splenis inflatione ac tensione.

PEdissequa cuiusdam matronæ nobilis, dolorem ex ventositate lienis patiebatur, post esum leguminum, castanearum & ficuum. Cum enim inflatio, *iuxta Trallianum*, ex spiritu generetur, quemadmodum & aliis corporis partibus, ita in liene tumor naturæ contrarius excitatur, id quod accidit ex leguminum, aut bulborum, aut palmularum, aut castanearum esu, aut ficuum, vel malorum, vel mellis dulcis, vel vini vsu. Hæc enim omnia non modo lienem inflant spiritu, sed etiam colum, mesenterium, ventrem & stomachum flatibus distendunt. Facile autem deprehendere licet, an ex cibis tantum inflatio excitetur. Nam si ex his nihil assumptum fuerit, ad aliam causam morbus referri debet. Quod si lien flatibus distendatur, & in amplum tumorem attollatur, & æger interrogatus, id se citra pondus

1

dus & loci ipsius grauitatem sustinere, dixerit: tunc ex cibis frigidis malum accidere cognosces. Quod huic pedissequæ contingebat, cum tumor loci imposita manu ad tactum cederet, & distensionem loci inferret, ac cum manu premerem, intus ventus murmuraret. Cum autem ex leui causa id malum excitetur, facile etiam vincitur. Et 2 ideo dedi huic decoctum florum chamæmillæ, cum puluere diacymini, cum vino generoso: & fotum exterius adhibui lieni, in hunc & similem modum. ℞. *florum chamæmil. meliloti, summitatum anethi, sampsuchi, rutæ, an. m.* j. *rad. iridis, cyperi, an.* ʒ ß. *baccar. lauri num.* vij. *sem. apij, petros. cymini, an.* ʒ ij. *sem. fœnugr.* ʒ ß. *coquantur in vino Rhenano, aquæ & aceto, an. partibus æqualibus, ad* ℔ ij. *& fiebat fotus cum spongia.* Deinde inungebat vng. sequenti: ℞. *olei liliorum, rutacei, amygd. dulc. an.* ʒ ß. *olei de cappar.* ʒ ij. *ceræ exiguum: fiat vnguentum molle.* Nam & altera mulier sola hac inunctione sanata est, sumendo per horas duas ʒ ij. huius puluveris, cum vino. ℞. *diacymini* ʒ ß. *trochisc. de cappar.* ʒ ij. *misce*, & vix per tertiam inunctionem fuit curata. Leuem hæc duritiem, & oppilationem quandam splenis sentiebat: sed non aderat materia. Alioqui illam purgassem. Pharmacopœo cuidam post quartanam curatam remansit in liene tumor, cum inflatione in latere sinistro, ab hypochondrio ad vmbilicum vsque; ita vt se hydropicum putaret: cui hic sacculus impositus est. ℞. *florum chamæmillæ, meliloti, an. m.* iij. *rutæ siccæ, absinthij, an. m.* ij. *folior. lauri m.* j. *sem. lini* ʒ j. *anisi, cymini, an.* ʒ iij. fiat sacculus calefactus in vino Gallico, & expressus calide, in quantum sustinere poterat, admotus. 3 Post aliquot dies tumor recessit ex ventre, nonnihil sub hypochondrio manens: qui tamen de loco ad locum mouebatur. Ideo sumpsit continuo ex electuario sequenti: *diaprassij* ʒ j. *diacymini* ʒ j. quo maximam ventositatem emisit: & inflatio recessit, ac appetitus rediit: difficultate anhelitus etiam cessante: hoc tamen sacculo etiam imposito. ℞. *rutæ siccæ m.* iij. *folior. lauri, calaminthæ, flor. chamæmil. an. m.* ij. *cymini* ʒ ß. *fiat sacculus.* quem cum ter quaterve apposuissem, ab inflatione omnino curatus fuit.

Piper enim & cuminum calefaciunt! ruta flatus discurit, & partem affectam iuuat, humoresque pituitosos imminuit: nitrum ventrem subducit: mel similiter purgat calefacitque & humores extenuat. Pari modo etiam medicamenta faciunt: diacalaminthes, & diatrionpipereon, *eodem auctore.* Nos commode vsi sumus & diaprassio, quod & spleneticorum angustias paragorisat, & omnium intraneorum vitiis prodest, inflationes & torsiones ab eis aufert. Panis vero ac edulia vinumque, quod in potu sumunt, ex petroselino, anisо, cuminove similibusque conspergenda sunt, *iuxta Aëtium.* Iam quoque melanthium, apij semen, anisum, & petroselinum trita, pani apud pistores inspergi debent. *Tralliano quoque auctore: Eadem*, inquit & ille, *ex vino pota lienis inflationem tollunt.* Itaque liene inflato, prædictis potionibus, 6 & epithemate diaspermatum, *ex Aëtio & Trallian.*, exterius vtendum: modo non adsit durities lienis, alioqui hæc nimium desiccarent, & maiorem duritiem excitarent. Potui vero dare eis viticis semen torrefactum, petros. melanthium, anisum, fisonexpedit, & si flatibus plenus sit lien, dantur illa ex aceto aut oxymelite, aut posca. Plura videas apud Trallianum, & Benedictum Veronensem *lib. 17. c. 20. de lienis inflatione*, qui & cucurbitularum vsum in lienis affectibus commendat. Vehementius enim impactæ plurimum iuuant, cum ex alio spiritum extrahant, sed non nisi præcedentibus remediis vniuersalibus, si & humores obstruentes adfuerint.

OBSERVATIO V.

De phlegmone lienis.

VIr ille, qui æstu quodam, tum febre continua, corripiebatur, simul grauitatem cum 1 dolore & distensione hypochondrij sinistri sentiebat; ita vt hic lien proculdubio afficeretur phlegmone, sanguine ad ipsum confluente calido, & satis crasso. Ad hunc cum intrassem accitus, talem victum præscripsimus, qualem sæpius in aliis inflammationibus valere scripsimus. In principio vinum inhibendo; postea in fine aquosum concedendo: in primis diebus solo ptisanæ cremore ægrum nutriendo, & etiam panata. Statimque iussimus, & sanguis vt vena iecoraria cubiti sinistri detraheretur. Et mox à venæ sectione locum dolentem inunximus oleo rosaceo, & chamæmelino, pauco addito aceto. Oportet enim statim à venæ sectione aliquod reprimens apponere, sed neque adeo frigidum, neque valde astringens: humor enim densatur & stipatur facile. Ideo ea incoqui debent, cum his quæ incidunt & extenuant humoris crassitiem: cuiusmodi est acetum; quo etiam calido vult Rhases foueri. Sed si vinum austerum vetus, oleo dulci admiscueris, optimum erit fomentum: vel hoc quod rosaceo & aceto constabit; quo nos sæpe feliciter vsi sumus. Verum cum post venæ sectionem etiam ea medicamenta conueniant, quæ aluo educendæ idonea sunt, lenia tamen eligenda, ex eiusdem Alexandri testimonio, præsertim per initia. Lien etenim per initia purgari potest. Tamen processu temporis validiores purgationes exhiberi possunt, *vt ipse refert.* Hac namque via dumtaxat lienis superflua vacuari debent, non per renes, sed superne deiectorium adhibendum, à situ societatéque sumpta indicatione: *quemadmodum à Gal. 13. method. scriptum inuenitur*, quamuis venter etiam per clysteres assidue elui debeat; & maxime

2

Fluctuationes ventris.

4 SPiritu sæpe lien intenditur, sicut stomachus ac iecur: quæ equidem inflatio (*vt dicebat Aëtius ser. 10. cap. 9. de inflatione splenis*) aut in ventre oborta ad splenem transfertur, aut in ipso adeo splene generatur. At vbi lien (*teste Tralliano*) ex toto flatibus repletur, fluctuationes, vbi paulo liberaliorem potum assumpserit, experitur. Græci fluctuationes clydonas appellant, quando vt in vtre aqua, ita in ventre copiosior potio sonitum elidit, cum agitatur. Ex frigidis autem cibis acidus ructus frequenter prouenit, & post cibos singultus. Quod si nihil horum in ventre contingat, lien autem tendatur, pungaturque citra aliquam grauitatem, flatuosos spiritus esse putato. Ventosa igitur flatus generatio, *eodem Aëtio teste*, ex frigiditate membrorum ipsum producentium contingit. Quare tum ventrem, tum splenem concalefacere oportet (*præsertim his, quibus vtrumque membrum est affectum*) atque id tum his, quæ forinsecus imponuntur, tum cibis ac pharmacis, quæ intra corpus deuorantur, perficiendum est. Ventri itaque auxiliabimur, siquidem per consensum fit affectus, diospoliticam confectionem exhibendo, atque etiam alias, quæ huic similes 5 existunt. Diospoliticum etiam dat Trallianus.

Curatio.

maxime si venæ incidendæ mēdela relinquatur, *ex Aëtij sententia*, & præcipue in morbi initio, vel incremento, *vt inquit Alexander Trallian.* Verum antequam purgans medicamentum exhibeatur, etiam humor præparari debet ad expulsionem, cum oxymelite, syrup. è succo sumariæ seu borag. *cum decocto meliſſæ, lupul. & ſimilium.* Nos vero tali vsi sumus. ℞. *rad. cichorij, dentis leonis macerat. in aceto, an.* ℥ j. *fumariæ, ſummitatum lupul. borag. bugloſ. viol. hordei mundati, an. m.* j. *vuar. paſſul. enucleat.* ℥ ß. *fiat decoct. in aqua communi, pro* ℥ ix. *colaturæ adde oxyzacch. ſimplicis, oxymel. ſimplicis ſyrup. ex ſucco fumariæ, an.* ℥ j. *miſce, fiat apozema pro tribus doſibus.* Deinde illum purgaui, *in* ℥ iij. *eiuſdem decoct. diſſoluens diacatholici, electuarij lenitiui, an.* ℥ ß. *ſyrup. roſ. ſolut.* ℥ j. *miſce.* fiat potio. detur in aurora. Cum autem aluum optime depoſuiſſet, poſt inunctionem iam dictam, hoc etiam cataplasma vel ſimile impoſuimus. ℞. *farinæ hordei* ℥ ij. *flor. roſ. rub.* ℥ j. *chamæmeli, abſinthij, meliloti, an.* ℥ ß. *cum oleo roſ. in maiori quantitate: adiecta exigua portione olei nardini: fiat cataplaſma.* Verum ſi caliditas magis intendatur, addemus ſuccum portulacæ, & folia ſalicis. Poſtea vero, vbi feruor magis conquieuiſſet, ad medicamenta plus reſoluentia tranſibam. Oportet autem in mali incremento relaxantia ſiue diſſoluentia augere, *vt latius ſcholio ſequenti agemus.* Ideo inunximus oleis ſequentibus. ℞. *olei roſ. chamæmill. lilior. an.* ℥ ß. *miſce.* Vbi enim feruor quieuerit, parum ad medicamenta, quæ reſoluunt, eſt tranſeundum; cauendo ſemper ne induretur, diſſoluentibus. Præterea ſtudendum eſt, vt robur eius ſeruetur. Nam ex imbecillitate, ſi non attrahat, vel non pellat, cacochymum redditur corpus totum, non ſecus atque in veſica fellea, vel renibus: ideo mixtura aſtringentium eget; ſed non æque (*vt paulo ante diximus*) ac iecur. Interea intus vtebamur *decocto ſcolopendrij, corticis ſalicis, fraxini, viticis, folior. & ſem. & rad. myricæ, cum oxymelle etiam non parum acido, vel horum æmulis.* Et vtebamur in cibis *intybis coctis ex aceto, & lactucis, ob febrem, maxime in principio, cum amplius eſſet refrigerandum.* Poſtea febre inclinante, decoctis iam dictis vtebamur *etiam fotu, ex fœnugræc. ſem. lini in poſca coctis: additis rad. cappar. foliis maluæ, & ceterach ac viticis ſemine.* Quibus præſidiis dolor ceſſauit, & inflammatio reſoluta fuit à fotu abſque ſcirrho. A fotu quoque poſtea inunximus *oleo amygd. amar. cui maſtichis & ceræ parum adiunctum eſſet.* & in fine *oleo de capparibus.* poſtea *diacappar. cum oxyzacch. vel oxymelite*: & ad roborationem intus ſumendo diarrhod. abbatis. Quibus remediis ſanus factus eſt.

secus incumbunt, excreſcat. Ego enim ſæpius vidi, (inquit Alexander) *non ſolum ventrem & ſtomachum, ſed etiam dextram præcordiorum partem, & pubis peſtinem, lienis tumore occupari. Hippocrates memoriæ prodidit, ſanguinis in liene abundantia ventrem indurescere: corpus humoribus vigiliisque extenuari, & faciem emacreſcere. Nam & liene ipſo carnes colliquescunt, & magna ſitis vrget. In primis enim lienis tumor apparet humidior: dum ſcilicet humor adhuc fluit: vbi vero collectione facta indurauerit, neceſſe eſt, vt iugulum non ſentiat alimentum, & venæ in muſculis foras prodeant, color melancholicus aut pallidus ſiat, & aqua ſubter cutem ſubſequatur. Vbi biliosus fluxus in lienem decumbit, totum corpus calidum eſſe, & ſine febri, videtur: oculi tincti ſunt: vrinæ coloratiores, acreſque, aut flauæ, aut rubræ exiſtunt: ægri ſitibundi, frigidam bibere appetunt: animo ſunt abiecto: cito furunt: os habent amarum, cibum faſtidium, vigilijs torquentur & ventris turbatione: linguam habent flauam, atque alia id genus ſimilia, quæ bilem teſtantur, ſuſtinent. Si humor melancholicus adſit, paulatim in his color melancholicus fieri videtur: præſertim facta iam inflammatione, cutis & vrina nigrior efficitur. In toto corpore bilis ætra abundat, ginginæ nigræ apparent, ſitis vrget; & ægri ſi frigidam potionem aſſumpſerint, magis cibum appetunt. At ſi humor pituitoſus in liene collectus inflammationem pepererit, color pallidus, aut eius naturæ ſimilis inuenitur, oculorum, linguæ, & cutis corporis: ægri non ſitiunt, ſed cibos appetunt: ſi pituita non falſa fuerit in liene. Hoc ergo ſcire licet, quod ex pituita quotidie febricitant, ex bile, tertio die: ex melancholia quarto.* Quod ad curationem inflammationis lienis attinet, *primum* (vt idem docet) *vniuſcuiusque humoris ſigna conſiderari oportet: atque ſic tandem curatio adhiberi debet. Recidua, vt videtur, non magna ſolicitudine timenda eſt. Nec pluribus verbis opus eſt. Nam vbi ſemel curata fuerit, non facile reuertitur: varius enim* (vt paulo ante diximus) *lien inflammatione conflictatur. Hoc autem obſeruandum eſt, vt pro humoris natura, ex hoc generata eſt, conueniens, non autem contraria, adhibeatur curatio. Nam enim cibi potuſque aliqui morbo occaſionem dederint, aut aliquid extrinſecus acceſſerit, omnia inueſtigare oportet: ſimiliter otioſi ne ægri fuerint, ac exercitio ac labore ſe fatigarint, an balneis frequenter, aut nunquam vſi ſint: & an ex accidente, an à parentibus hunc affectum ſuſtineant. His diligenter examinatis, ſi inflammatio lienem exercet, primum ſanguis derahi, deinde purgationes adhiberi, poſtea medicamenta extrinſecus imponi debent.* De quibus videas eundem Alexandrum Trallianum *lib. 8. cap. 12. de lienis affectibus.* & Aëtium *ſerm. 10. cap. 10. de ſplenis inflammatione.* Sed hæc omnia exemplis particularibus multo illuſtriora apparebunt.

Lienis ex bilioſo humore inflammati ſigna.

Ex humore melancholico ſigna.

Lienis pituitoſi notæ.

Curatio.

Scholia.

4 QVamuis rarius (*teſte Alexand. c. 12. lib. 8.*) quam alia viſcera lien inflammatione conflictetur; interim tamen & ipſum inflammari contigit: *vt liquet apud Galen. 6. de loc. affect. & 13. meth. medend. & aliis pleriſque locis.* Et quamquam præcipue fiat ex ſang. craſſo melancholico, poteſt etiam ex aliis humoribus fieri, vt ad longum docet idem Alexander Trallianus, nempe *ſola ſanguinis copia in lienem confluxa: & tunc dolor cum tumore & tenſione vrget vehementer, cum multa grauitate: interim obſtructio membri tunc excitatur: vnde ſcirrhum & inflammationem plerumque contrahit: interdum etiam ſine dolore augeſcit, duruſque efficitur, quod tactu ſubinde cognoſcere poſſumus. Quippe tangentibus facile appareat: item cum ex mollitie in largiorem molem deductus fuerit: attolliturque adeo, vt ſuper muſculos, qui extrinſecus incumbunt, excreſcat.*

Lienis inflammati ex ſolo ſanguine notæ.

OBSERVATIO VI.

De inflammatione lienis, ex ſanguine craſſo melancholico.

1 RAriſſime ex ſanguine optimo, ac mediocrem craſſitudinem habente, ipſam inflammationem in liene oriri contingit: ſed ſæpius ex ſanguine craſſiore excitatur, fœculento, limoſo, ac craſſo: vnde & inflammationes facile duriores fiunt, ob humorum craſſitiem: hinc & dolor ſiniſtri hypochondrij, ac etiam feruor, diſtenſio & tumor, & multa grauitas vehementer vrgens, ſtatim apparent; & tumor ob duritiem facile tangendo deprehenditur, *ex Galeni ſententia*, præſertim proceſſu temporis, vt ab hinc aliquot annis in viro quodam decumbente animaduertimus. Sed hic ſtatim, eo quod erat ex humore craſſo,

craſſo, & in alio quodam viro, ad quem acciti ſumus, etiam leuis durities apparuit. Has notas itaque conſiderantes hoc modo curationem inſtituimus; ſimilem victum inſtituendo, quem in cæteris inflammationibus nunc vtilem diximus: etiam cremore ptiſanæ tum aliis vtens, vt in priore ægro fecimus. Venamque ſtatim ex ſaluatella manus ſiniſtræ incidere feci, cum magis appareret. Quod ſi venæ ſectio omnibus viſceribus inflammatis præſentiſſimum eſt remedium (*teſtante Trallliano*) maxime certe in lienis inflammatione adhibenda eſt: ſi nihil contra ſuadeat, nempe ætas, aut vires, aut locus, aut conſuetudo, aut aeris conſtitutio, aut præcedens ciborum cruditas, aut magnum ventris profluuium. Hæc enim ſola in iſta cauſa dilationem ſuadent. Sin autem ætas, aut vires non prohibeant, venam brachij ſiniſtri interiorem ſecabis: ſi ea non appareat, media ferienda eſt: ſine illa quidem in conſpectum prouenial, humeraria cædenda eſt: ſi nec ipſa quoque conſpiciatur, ea, quæ minimo digito vicina eſt, aperiri debet. Rhazes etiam ex ſaluatella ſiniſtræ manus ſanguinem demit. Quod vero huius venæ in extrema manu exiſtentis, ſectio conferat pro lienis inflammati curatione, confirmauit Paulus. Id quod forte innuere voluit Galenus *in lib. de curatione per venæ ſectionem.* Quanquam quidam negatiue literam legant: nam 13. *method.* ſecat venam cubiti ſiniſtri. Etſi vero ex ſaluatella, *inquit Trallianus*, minus ſanguinis euacuetur: tamen quantulacumque inde tentata inanitio præcipuum lieni ad ſanitatem adiumentum eſt.

3 Cum ſanguis fluit, attendendus eſt, valde ne rubeus ſit, & purus aut liuidus. Nam ſi liuidus eſt, aut æquo rubentior, copioſior auferri: ſi purus ac ſyncerus, paucior debet. Verum ſic extrahendus, ne vitalis facultas deficiat. Ideo præſtat aliquando non ſemel quantum cōueniat extraxiſſe; ſed in duos dies id partiri ſatius eſt, *vt Galenus refert.* Deinde aluum altero die leuiter expurgauimus *cum decocto ſenæ & epithymi*: addendo *caſſiæ recens tractæ* ℥ ß. *& diaprun. ac electr. lenitiui, an.* ʒ ij. *miſce.* Mox & hunc ſyrupum propinauimus. ℞. *ſyr. de ſumo terræ: viol. de epythymo, an.* ℥ j. *aquæ buglo. lupul. cichor. an.* ℥ ij *detur duabus vicibus.* Poſtea purgaui hoc modo. ℞. *diacathol.* ʒ vj. *diaſenæ* ℥ ij. *diaprun. ſolutiui* ℥ j. *cum aquæ decoct. borag. bugloſſæ, fumariæ, ſcolopend.* ℥ iij. *fiat potus: addendo* ℥ ß. *oxymellis ſimplicis.* Interea ſtatim à purgatione priori, ad extrinſeca medicamenta peruenimus, quæ citra euidentem calorem extenuarent: admixtis quibuſdam adſtringentibus, *iuxta Pauli doctrinam*: nam ea mixtæ qualitatis eſſe debent, non ſolum in generatione phlegmonis, ſed etiam cum nec effluat amplius quicquam: quanquam ſi quis in principio repellentibus tantum vtatur, non peccet, *Galeno auctore 13. method. med.* Communis tamen indicatio (*vt idem inquit*) omnibus his partibus, quarum munus eiuſmodi eſt, vt toti corpori ſit ex vſu, eſt, vt medicamenta exigant, quæ mixtæ facultatis ſint. Et propterea nec lienem tantum relaxantibus curare oportet, cum hic quoque ex iecinore quicquid limoſi & melancholici eſt, expurget; propterea ſcilicet, quod ex eo humore nutritur. Quinimo ſemper eius robori conſulendum eſt, adiiciendo relaxantibus aſtringentia medicamenta, *eodem Galeno & Alexand. teſtibus.* Primo itaque hunc fotum, vel ſimilem, adhibui ſtatim ab initio. ℞. *vini auſteri veteris* ℔ j. *olei dulcis, olei roſ. cotoneorum, olei chamæmel. an.* ℥ ß. *aceti optimi* ℥ j. *lana ſuccida excepto medicamento (vt Aët. ſuadet)* vel lienis linteis ſæpius ſiniſtrum hypochondrium fouebamus: etiam hoc linimento (vel eius æmulo) inungendo poſt fotum. ℞. *olei anethini, roſacei, cotoneor. an.* ℥ ß. *pauco vino ac cera adiecta: fiat vnguentum.* Impoſito hoc vel ſimili quoque cataplaſmate, *ex Aëtio* ex hordeacea & loliacea farina, cum poſca, & mellis ac olei omnino pauciſſima menſura, in quibus abſinthium ac pulegium incocta eſſent. Poſtea, cum paulo durior ſplen fieret, hoc vel ſimile cataplaſma impoſui, *ex farina fœnugræc. lini, hordei, ana.* ℥ j. *caricarum, aceto acerrimo macerat arum, num.* v. *adipis anſeris, & butyr. recentis, an.* ℥ ß. *olei chamæmill. cotoneor. lilior. an. q. ſ. fiat cataplaſma.* exiguo oxymelite adiecto. Quibus dolor ceſſauit: & curatus fuit: vt neque in ſcirrhum tranſmutaretur, neque ad ſuppurationem veniret, quod tamen rarius contingit.

Scholia.

VErum, quod iam fere omiſſum eſt, cum hic laboraret lienis inflammatione, & quarto die ſanguis quidem è ſiniſtra nare erumperet, magnam attulit vtilitatem. Nam quibuſcunque κατ' ἰξὼν eruptio ſanguinis accidit, ſummum id commodum laborantibus affert: quemadmodum Hippocrates memoriæ prodidit: quibus vero contra euenit, nihil iuuat, aut etiam interdum nocet, quod vires citra morbi leuamen deiiciat atque exſoluat, *vt lib. de curand. ration. per venæ ſectionem, à Galeno ſcriptum eſt.* Hæc enim ad prognoſtica ſigna pertinent, vti & hoc: *Licet rarius quam cætera viſcera lien inflammatione tentetur, tamen ſi in eo excitetur, magna cum diligentia curanda erit: alias non ſolum pratia conſequentur ſymptomata, verum etiam temporis proceſſu perniciem cauſabit: potiſſimum ſi eadem in ſcyrrhum vertatur.* Ideo cauendum, vt non niſi corpore euacuato calidioribus vtamus: alioqui ſcirrhi auctores, *iuxta Aëtium*, erimus. Quod ſi ad permutationem in ſuppurationem repat, quod tamen raro contingit, licet aliquando periculum adferat, adiuuare tamen eam oportet, ne plura corpora putrefiant: per cataplaſmata videlicet, quæ pus producunt, de quibus hepatis abſceſſu manifeſte eſt prædictum. Hepar enim frequentiſſime abſceſſum præfert ac exulceratur: lien rarius. Hoc tamen ſemel in monacha Alcmariana vidimus, quæ abſceſſum in liene paſſa, pus per lotium excreuit, & à me curata fuit: cuius hiſtoriam poſuimus *lib. 4. de feb. pag.* 245. Cæterum ea, quæ de hepate diximus, ad ſplenis curationem hic tranſumes. Euenit quoque interdum, vt iecoris abſceſſus in ſpleniticum conuertatur: quod in bonum cedit: materia enim ex nobiliori membro ad ignobilius conuertitur. Atſi è contrario contigerit, perniciociſſimum eſt. Apoſtema quod totum lienem complet, malum eſt; è ſanguine minus periculoſum: durum deterius: vel ſi membri ſummam partem compleuerit. Sicuti ex nare ſiniſtra ſanguinis profluuium, ita & profluuium ventris, bonum pronuntiat, ſi in die iudiciali euenerit, ac ſigna digeſtionis materiæ anteceſſerint. At ventris fluxus breuis, ex aliis pariter humoribus bonum augurium præſtat. Vrina vero fæci ſimilis, viſcoſa, dubium præſagium denunciat. Neoterici vero, & qui Auicennam ſequuntur, apoſtemata lienis penes materiam diſtinguunt, vel ex ſanguine, vel ex aliis humoribus: quamuis plerumque dura & melancholica exiſtant: rara mollia, pituitoſa & biliosa: ſed

Prognoſtica.

Apoſtematū ſplenis diſtinctio.

ex

Causæ.

ex sanguine crasso facile ad duritiem permutantur; secundum figuram modo rotunda, lata, longa, penes situm. Et ita causæ huius apostematis aliæ primitiuæ, vt regimen indebitum rerum non naturalium, aer crassus, vinum crassum, & quæuis melancholicum succum procreantia; casus, percussio supra latus sinistrum, labor superfluus in æstate, quo sanguis aduritur, cibique crassi. Causæ antecedentes sunt humores ipsi: atque horum signa ex Tralliano adduximus. Si plura de notis distinctis huius desideres, perlege *cap. 16. lib. 17. apud Alex. Bened. Veronensem.* Vide *& Arculanum.* Hoc præmonito quod quinque modis, *iuxta Arculanum*, terminetur: aut enim resoluitur insensibiliter, aut euacuatur sensibiliter, per vomitum, vrinam, aut secessum: aut induratur, & sic perpetuo maneus, aut permutatur ad hepar, aut ad alia membra nobilia vel ignobilia, sicut ad cutem: & fit apostema difficilis suppurationis, & subinde ictericia nigra.

8 Aut maturatur ac suppuratur & rumpitur. Signa suppurationis & collectionis constant ex iis quæ de pleuritide & abscessu hepatis diximus. Dum pus fit, sunt dolores & rigores: & suppuratione perfecta dolores desinunt. Sic etiam phlegmone præcedente si dolor ac feruor quiescant, & durior fiat tumor scirrhum exspectamus. De

Curatio apostematis splenis.

quo paulo post dicemus. Quomodo autem apostema splenis seu inflammatio curetur, nunc ex parte diximus. Neoterici & Arculanus, vestigia Auicennæ insequentes, omnium primo rationem habent causæ antecedentis, vtentes & diuersione & euacuatione: secundo vero causæ coniunctæ, in principio vtentes repercussiuis, sed non

6 adeo puris, ne fiat durities: in augmento vtuntur repercussiuis, mixtis resolutiuis: in statu & declinatione, resoluentibus modo ad viam resolutionis tendat: sin ad maturationem, quod raro contingit (*vt diximus*) iuuanda erit: alioqui si ad scirrhum & duritiem, tunc curabitur, vt scirrhus, cuius postea exempla adferemus. His adiiciunt & accidentium correctionem. Diuertendi autem & euacuandi intentio perficitur in principio cum venæ sectione. De qua iam dictum est, nempe ex basilica sinistra vel saluatella: alioqui secundum quosdam, ex saphena, si ex mensibus restrictis vel hæmorrhoidibus constrictis euenerit. At si aluus non respondeat, prius præmittunt clysterem, aut leniens medicamentum. A clystere statim venæ sectio peragenda. A leniente per os exhibito, in alterum diem venæ sectio proroganda: quæ magis conuenit in apostematibus calidis, quam frigidis, in quibus hæc ipsa suspecta est. Alioqui etiam in iis, qui non sustinent venæ sectionem, cucurbitulis cum scarificatione natibus impositis, vel sanguisugis venis hæmorrhoidalibus admotis vtuntur. Aluum autem, quod ad purgationem attinet, de qua etiam prius dictum est, molliter soluimus epithymi decocto, adiecta cassia vel manna, in materia calida: in frigida agarico, adiecto electuario lenitiuo, in melancholia, diasene & diacatholico. Et si detergentibus opus est, in iis cauemus ab illis, quæ vehementer vrinam ciunt. Nec à deiectione largior potus dandus, ne ad iecoris gibbum materia trahatur: tum enim sitire conuenit, aut saltem parcius bibere. Iam aliter quoque syrup. fieri posset, in materia calida *ex succo, sumariæ, feridis, tenerrimorum foliorum salicis, tamaricis, fraxini interioris corticis, & scolopendrij, sem. portulacæ, corticis rementorum cucurbitæ aridæ, cum zacch. addito aceti momento.* In frigido apostemate, *salicis eiusdem, & tamaricis tenerrimæ, fraxini, scolopendrij, marrubij, rad. capparis, fœnic. apij, bugloss. cichorij, feridis sumariæ, sem. anisis chamæd. adiecto zacch. & aceto. fac syrup. acetosum.* Plura de potionibus & purgationibus vnicuique humori destinatis, vide apud Trallianum & inter neotericos Arculanum. Quod ad topica attinet remedia, Aetius vtitur fotu *ex oleo dulci, & vino austero in principio*, & si major sit caliditas, *oleo ros. aut omphacino.* Alij in materia calida filtro fouent in decocto immerso, & expresso *in decocto hordei, salicis, cum aceto, vel oleo ros. solo, & tertia parte aceti.* Vel inungunt cum oleo ros. & chamæmel. In augmento addunt folia tamaricis, & semen agni casti. Si magna sit inflammatio, addunt succum portulacæ vel plantaginis, vel vtuntur emplastro ex farina hordei, ros. absinthio, meliloto, scolopendr. In statu addunt *schœnanthum, cyperum, ceterach. flores genistæ, & ficus, cum aceto infus.* In declinatione *oleum de cappar. ping. vituli, ammoniaci, medull. & ping. anates, & similia.* De quibus latius vides & Aetium & Paulum, ac Alexandrum Trallianum, & Alexan. Benedictum *cap. 18. lib. 17.* quæ ipse ex iisdem auctoribus: tum Arculano, mutuatus est. Alioqui auctores, vbi prædicta non sufficiant ad phœnigmos & vstiones confugiunt. Si ad maturationem tendat, vtendum diachylo: licet maturantia varianda pro diuersitate materiæ, vt in calida, maluauiscus, farina, sem. lini, fænugræc. ficus pingues, oleum sesaminum: in frigida, rad. ireos; in melancholia, magis emollientia, & non multum calida, *vt mucc. ag. sem. lini. fænugr. althææ.* Vt rumpatur, adde *radic. narcissi. capr.* Post ruptionem vlcus curandum, vt reliqua vlcera, & detergendum: & postea consolidandum. Si ad duritiem & scirrhum tendat, magis humectandum & mollificandum. Sed de scirrho latius dicemus. Accidentibus vero succurrunt, nempe doleri, per anodyna, ynctionibus fomentis, sacculis, emplastris, vesicis; & similibus: & numquam, nisi coacti, ad stupefacientia perueniunt: *vt ostendemus exemplo sequenti*, tum Scholio, ad maiorem enucleationem doloris ipsius splenis.

Topica.

10

11

OBSERVATIO VII.

De lienis dolore.

1 VIr quidam quadragenarius, qui à quartana dolorem splenis incurrebat, hoc vnguento sequenti optime habuit: quo vtebatur, corpore prius repurgato ac euacuato, decocto senæ & epithymo, & aliis conuenientibus. ℞. *olei rutacei, olei lilior. de cappar. an.* ʒ ß. *succi fraxini, axungiæ porcinæ, an.* ʒ iij. *pulueris ceterach.* ʒ j. *ceræ parum: fiat unguentum fluxibile.* Illud etiam, quod ex genista fit, commode adhibetur ad splenis dolorem: etiam ad eiusdem duritiem. Quod ita fit. ℞. *florum genistæ* ℔ vj. *butyri Maialis, axungiæ porcinæ, an.* ℔ j. *terantur simul, & stent in sole: addendo ceræ parum: fiat unguentum.*

Scholia.

2 DOlor splenis, qui tristis sensatio existit, per membranam eiusdem plerumque, & non per carnem spongiosam, contingit. Interea hic dolor quintuplex esse potest: *pungens, perforans, extendens, grauans & pulsans.* Pulsans magis contingit *in inflammatione, ob multitudinem & magnitudinem arteriarum, quæ sunt in ipso: & magis ad arterias pertinent hi dolores.* Pungens, *ad membranam.* Grauans, *ad*

Differentiæ & distinctiones doloris lienis.

ad substantiam eiusdem, ex materia aliqua. Extendens, *ad vapores flatulentos, & ventositatem.* Perforans, seu mordicans, *ad vlcerationem.* Quidam & hunc dolorem distinguunt, *in leuem, obtusum, parvum, vehementem, non diu durantem, diuturnum & aegre dissolubilem, ex se incipientem, aut alios morbos consequentem, in corpore sano, forti, robusto per naturam, aut debili.* Vel distinguunt penes materiam, *in immaterialem, vel materialem*, idque cum apostemate, vel sine, modo cum febre, modo sine ipsa. Sed ille dolor potest esse à nuda intemperie, aut à solutione continui, aut vtraque simul, vt in apostemate, vel ab obstructione, inflatione, tumore. Cæterum inflatio

3 ingentes dolores efficit: & qui ex obstructione fit dolor, minime contemnendus est, cum facile ad apostema transeat, vel tumorem inducat. Tumor hic potest esse non apostematosus siue humoralis, siue ventosus: & non est quidem immediata causa doloris, sed solum mediante mala intemperie, aut solutione continui, sequente extensionem. Similiter eius oppilatio doloris causa esse potest. Mala autem intemperies, existens causa doloris, aut est calida, frigida, sicca, sine materia, aut cum materia, ex quocumque humore, magis tamen ex materia melancholica & sanguinea, rarius ex pituitosa & biliosa. Rursus huius malæ intemperiei aliquæ causæ primitiuæ, aut plures ex sex rebus non naturalibus aut extraneis: aliquæ corporeæ, & sequentes dominium humoris, qui est in ipso, aut eius oppilationem, aut vapores flatulentos. Et quandoque fit aut fouetur per communitatem, aut à toto, sicut in febribus, hydrope, lepra, & similibus, aut à membris particularibus, vt hepate, vtero, & aliis. Ad intemperiem etiam pertinet debilitas splenis: nam & hæc à duabus causis in genere prouenire potest, aut à mala intemperie, aut à mala compositione, seu à laxitate suæ substantiæ: quamuis & debilitas fiat ob solutionem continui; sed cum medici hoc relinquant chirurgis,

4 pauca de eo admonent. Debilitatur quoque ex apostemate, vlcere; præcipue vero à calida & sicca intemperie, minus ab humida, nisi oppilando & extendendo. Et sic debilitates virtutum cū sequantur malitiam complexionis, seu intemperiem, & intemperies causa doloris existat; ideo & debilitates sub hoc capite dolorum splenis concludunt illi auctores, qui supra Rhasem scripserunt. De causis externis manifestum est, quod & victus ac occursus multum calidi aut frigidi, inducant intemperiem, & quæcumque multiplicant vapores crassos, & inhibent resolutionem: ita aër crassus vaporibus mixtus dolorem splenis infert; & somnus prolixior, & animi accidentia subtristia, & quicquid humorem melancholicum crassum generat, *vt legumina, fabæ, lentes, caro bubula*, tum alia, quæ de melancholia diximus, hæc splenem afficiunt. Quod autem apostemata dolorem inferant, satis liquet ex supradictis; quamquam hæc differant à tumore & duritie per solutionem continui, quæ est in apostemate; & non in duritie, & tumore non apostematoso. Hæc ipsa distinguuntur penes materiam, & penes figuram. De quibus satis dictum est, à quibus fiant, & quibus signis cognoscantur, & quomodo curentur, in duobus Scholiis præcedentibus. Dolor itaque, qui in apostemate contingit, modo causa ablata & apostemate curato, modo anodynis tollitur. Sed quod ad signa doloris attinet; quædam præsagiunt dolorem futurum, vt omnes causæ potentes inducere intemperiem ipsius splenis, siue primitiuæ

5

Signa præsagientia dolorem.

fuerint, siue antecedentes aut corporeæ, vt de aëre calefaciente vel infrigidante lienem; quæque oppilationem & ventositatem in splene inducunt, *vt potus aquæ gelidæ, cibaria melancholica, pedum infrigidatio*; ita de aliis causis, quæque solutionem continui vel apostemata præcedant. Ita percussioni præcedenti in loco lienis, subsequetur dolor. Ita in autumno magis exspectamus spleniticas ægritudines; & post quartanam & febres diuturnas. Signa demonstratiua per se manifesta sunt, quia adest dolor in sinistro latere, & tristes fiunt, ob vapores melancholicos à materia resolutos, & cordi vel cerebro communicatos. Color quoq; iis mutatur, modo ad citrinū, viridem, pallidum, vel atrum colorem, iuxta diuersitatem causæ efficientis dolorem. Signa etiā cau-

6 sarum, scilicet ex nuda intēperie, satis liquent ex Scholio *Obserū. 1. huius libri.* Sic frigida patet ex cibo & potu frigido assumpto, aqua frigida, ostrea, fructibus pomaceis copiosis, cibisq; crudis: calida magis in febribus, sanguine accenso in æstate, & in homine plus iusto calefacto. De quibus vide plura *apud Alexand. Trallianum, & curationem etiam scholio iam citato.* Ex intemperie cum humore, qualis humor abundat, *in scholio obser. 2. huius libri* diximus, *& scholio obserū. 5.* cum de phlegmone ageremus. Ita vt & obstructionis & phlegmonis signa satis dicta sint; & vtriusque mali, tum obstructionis, *vt obserū. 2. & 3.* videre licet: & de phlegmone seu apostemate egimus *Obserū. 5. & 6. in scholiis iisdem.* Sed hoc obseruandum, *quod oppilationem ab apostemate hoc modo distinguimus: quoniam in illa meatus omnes obstruuntur, nec lien violenter distenditur, & plerumque sine magno dolore & febre: in hoc vero, materia in vnum cōgregatur locum, qui violenter & acriter distenditur, ita vt continens materia soluatur vel scindatur.* Reliqua vero signa oppilationis & apostematis, superius dicta sunt: quamuis & hoc in memoriam reuocādum, quod oppilatur via, per quam splen recipit melancholiam; tunc splen non erit tumidus, tumore ab humore proueniente; imo potius extenuatus. Quādo vero oppilatur via, per quam mittitur melancholia ad os stomachi, splen tumidus est, cum melancholiam recipiat, & non expellat; neque fames more solito excitatur. Præter iam dicta, vt *constat 2. ad Glauc.* fit dolor & extensio ex flatibus; & est morbus frequentissimus. Facile enim, *vt prius dictum est, obserū. 4. & scholio eiusdem huius libri*, à crassa materia turbida, vapor turbidus & flatus excitantur. Rhases de hoc affectu egit, cū ait: *Si splen tensus fuerit, & cum tangitur, sentitur rugitus, id est, sonus flatuosi spiritus collecti circa sinistrum hypochondrium.* Hoc modo distinguit Arculanus ab apostemate, primo, *quod in inflatione non sit grauitas*: secundo, *quod incessus & exercitium in apostemate, splenem dolore magis afficiant, in ventositate è contra dolorem sedent & ventositatem resoluant.* Tertio, *in inflatione adest rugitus, qui non adest in apostemate, & tactus, per quem ager alleuiatur.* Quarto, *in inflatione non adest febris, quæ apostema comitatur.* Curationem inflationis, loco citato diximus: Quam & Rhases curat, primo *dieta, quæ ad calidum & siccum & extenuans tendat: cibos dat minime flatulentos, tenues, concoctu faciles, olera omnia abiicit, legumina, potum aquæ, vel vini austeri. Propinat trochiscos de cappar. ibus. Extrinsecus apponit emplastrum ventositatem dissoluens.* Plura vide apud Arculanum, & quæ prius ad inflationem valere diximus. Sed his & illud addendum, *quod dolor splenis quocumque modo fiat, differt à dolore musculorum, per tactum externum: si enim musculi dolent, etiam leuiter si tanguntur,*

Doloris differentia ex inflatione.

7

8

Distinctio musculorum splenis olentium & colici doloris.

gantur, *illico dolorem percipit æger.* Sed in splene, dolor statim à cibo sumpto communicatur, & color sæpe mutatur; quod in musculis externis non fit: quamuis difficilius cognoscatur in musculis profundioribus, quam in iis, qui in superficie positi sunt: hæc tamen supradicta non aderunt. Vnde Bertrutius, medicos iuniores admonebat, dicens: *Caue ne inflationem musculorum ventris, vel intestini coli, transeuntis super lienem, iudices oppilationem splenis, seu apostema. Distingue ergo per colorem corporis prædictum, & per profunditatem loci, & vrinam albam, subtilem, radiosam, vel rubram confusam, quoniam ista non apparent in doloribus intestinorum vel musculorum.* Certius quoque signum sumitur à ventris stipticitate, quæ sequitur & antecedit tales dolores, & à satietate nauseatiua. Quare per resolutionem excalfactoriis, vt plurimum, soluuntur, vel cum ventris fluxu, aut alui solutione: quod non statim contingit in apostemate vel oppilatione splenis. Dolor immaterialis, ex nuda intemperie, non ita grauitatem habet admixtam, vt materialis. Sed quibus vna quæque intemperies, siue nuda, siue cum materia, internoscatur, satis ex locis iam supra citatis cognoscetur. Restat, vt signa tantum debilitatæ virtutis lienis breuiter explicemus: & hæc plerumque tria existunt. Primum *est corruptio coloris corporis, & conuersio eiusdem ad nigredinem, quæ omnium primo & præcipue apparet in oculorum albuginibus: quod eqnidem contingit liene ad se non attrahente melancholiam ab hepate, neque in eo purificante sanguinis massam, cum hoc sit eius proprium officium. Hinc si attractiua virtus debilis est, materia melancholica in toto abundat, & fit ictheritia nigra, de qua prius dictum est.* Secundum signum commune est, *prostratio appetitus, & pauca melancholiæ acetosa, quæ transmitti debebat à splene ad os ventriculi, vt appetitum incitaret.* Tertium *est ablatio vel diminutio hæmorrhoidum, quæ oriuntur à splene ad venas eo deriuatas.* At si debilitas potissimum attractiua sequatur calidam intemperiem, vel ab ea orta fuerit, signa aderunt caliditatis, quæ sentitur in hypochondrio sinistro: & citrinitas seu rufedo quædam cum nigredine, in cute corporis & albuginibus oculorum apparet: nigredo enim illa inclinat ad rufedinem, cum quadam claritate: & destructio appetitus adest, cum vrina spissa & colorata, seu rubea crassa. Si ab intemperie frigida, color liuidus erit, nigredini permixtus, nigredine inclinante ad quandam obscuritatem circa alba oculorum, & liuiditatem. Et frigiditas in latere sinistro sentitur; neque adeo destruitur appetitus, vt in causa calida. Vrina modo clara, modo turbida mingitur, sæpe & glauca, inferius turbida, & clara superius. Quod si eueniat ob raritatem substantiæ splenis, tunc cum signis communibus prædictis apparet priuatio signorum calidorum & frigidorum; & quod splen facile læditur ex quacunque causa, postquam peruenerit ad membranam inuoluentem: nam eius substantia caret sensu, eo quod sit mẽbrum carniforme, & non neruosum. Quod si virtus nimium attrahat, tunc fit extenuatio in toto, & splen increscit, *vt dictum est*: sequitur sæpe caliditatem vel apostema calidum. Si defectus sit in expulsiua, tunc priuatur appetitu cibi, & promptitudine descensus materiæ melancholicæ ad intestina, si nimium expellat. Si autem sit defectus in debilitate ipsius in expellendo, tunc etiam destruitur appetitus, retenta materia melancholica in liene. Signum debilitatis retentiuæ virtutis, est euacuatio atræ bilis per fluxum vel vomitum, secundum declinationem humoris & eius quantitatem; licet fieri posset hoc accidens ex vigore virtutis expulsiuæ: sed tunc fit euacuatio cum alleuiatione, & pluris quantitatis pro vice, & periodice. Signa prognostica, quod ad dolorem attinet, huc transferenda, quæ de prognosticis obstructionum prius diximus: illud addendo: *Si obstructio lienis remaneat, vel inducta sit post febrem quartanam, vel etiam febrem erraticam, recidiuam minatur, nisi medicus, egregie in sua acte versatus superueniens splenem rectificet.* Oppilationi medendum statim, alioqui hepatis infrigidationem infert: hæc infrigidatio denuo indigestionem, indigestio autem hydropem periculosam creat. Antiqua vix aut nunquam recipit curationem, ita nec apostema scliroticum. Oppilatio splenis vel hepatis, dum pungit & sentitur, recens est: dum vero non sentitur, antiqua & confirmata est, & non curatur, quod tamen potius de scirrho dicendum. Prognostica apostematis iam diximus. Sed quod ad dolorem attinet, catarrhis obnoxij raro tumore splenis, & per consequens dolore, afficiuntur: & spleniticus, si cum duritie dolorem sentiat, melius curatur quam si non sentiret. Hæmorrhoides fluentes, dolorem splenis sedant, quibus adiungere posses ea, quæ de lienis apostemate retulimus. Quod ad prognostica debilitatis lienis attinet, sciendum, *quod debilitas splenis inducat oppilationem hepatis, dum sanguinem non mundificat, & oppilatio digestionem prohibet, dum calorem mortificat naturalem, & humorum discursum per sua loca retardat: digestio vero prohibita aquositatem multiplicat & ventositatem, & sic tandem hydropem ascitem, vel febrem chronicam perniciosam inducit, cum omnimoda appetitus deiectione & virtutis nutritiuæ defectione.* Quod ad curationem tam oppilationis, quam inflationis & lienis apostematis, satis superque dictum est, & quibus modis intemperies lienis curetur, & propterea si debilitas splenis contingat ex intemperie calidi, prius parati ac alterati educendi cum rhab. & similibus, etiam in principio, si adsit totius repletio, cum venæ sectione, & intemperies nuda tam intus quam extra alteranda, *vt satis dictum est*, & si adsint humores calidi, post venæ sectionem & purgationem, externa remedia applicanda, qualia ad inflationem valere scripsimus. Ita quoque si à causa frigida nuda intemperies, vel cum humore orta fuerit, vt in præcedentibus dictum est, procedendum erit. Simplex enim cum calidis tam intus quam extra alterabitur: materialis non apostemans, sed oppilans, digeratur *oxymelite simpl. syr. de duabus radicibus, & aquis apij, scolopend. absinthij, & purgetur cum agarico.* Remotio intemperici completur *diamoscho, dialacca, diacurc. diacapp. & potibus calidis, vt superius dictum est.* At curatio debilitatis splenis ob raritatem substantiæ, neque requirit sectionem venæ, neque pharmacum solutiuum: sed satis fuerit topica calida stiptica abhibuisse, non valde excedentia, qualia de hepatis debilitate recensuimus, vti est *oleum mastichinum, cyperus, mastix, spica, nux cupressi, absinthium, calaminthe, cort. cappar.* ex quibus fiant fotus, dentur elect. roborantia, *vt diacydon. cum speciebus.* nutriatur æger carnibus assis, conditis cum vino *granat. berberis, succo acetoso, vino stiptico, capparibus conditis*, & bibat vinum rubrum vel album vetus, & tenue: vtatur diacapparibus. Valet dialacca ad omnem hepatis & splenis oppilationem, modo febris absit. Ad debilitatem splenis conducit *aqua ferrata, elect. de scoria ferri, & de limatura chalybis*, reliqua vide apud Arculanum. Quomodo dolor curetur ab oppilatione

9 *Signa prognostica.*

10 *Dolor materialis, quomodo ab immateriali distinguatur.*

11 *Signa priuatæ attractiuæ debilis.*

12 *Si nimium attrahat, signa.*

Defectus expulsiuæ. Signa debilitatis retentiuæ virtutis.

Curatio doloris.

tione splenis vel inflatione, prius diximus, tum etiam de dolore obtingente in apostemate: nam apostemate curato, & oppilationibus, tum ventositatibus remotis, facile dolores dicti curantur. Interea cum triplex sit cura doloris, vna remotionem causæ, secunda per anodyna, tertia, sed coacta, per stupefactionem; prima curatio manifesta est: ablata enim causa cessat effectus. Sed lienis dolor ex calida causa, salicis foliis tritis, addito sale, sedatur protinus, ex frigida, iride, vel ceterach, cum aceto impositis. Si dolor sit ex lapsu vel ictu, vulnere, vena secta ad chirurgiam cõfugiendum, de qua nunc non est noster sermo: sed fortasse, si Deus me superstitem fecerit, de iis agemus. Quod si dolor non sedetur per remotionem causæ, tunc ad secundam intentionem curandi deueniendum, scilicet per anodyna, vtentes floribus *chamæmillæ, meliloti, meth. sem. lini. fœnugr. althææ, parietariæ*, quibus propria addenda, vt *ceterach, cappares, tamarix, & similia*, ex iis conficiendo fotus, faeculos, vnctiones, emplastra, & similia. Quibus si adhuc non sedetur dolor, tunc opus erit tertia intentione, vt perueniamus, ad stupefacientia: attamen cum causæ à minimis incipiendo, sumptis & admotis, mixtis tamen cum his, quæ splenipropria remedia existunt, ne materia intus retineatur, & scirrhus eueniat. Quod si diuersi affectus fiant, vt si splen frigida, venter vero calida affectione laboret, ex meatu biliario flauã bilem excipiente, bilemque reiectante, tunc difficilis erit curatio, *teste Aetio lib. 10. cap. 14.* splene caloris fotum expetente, ventre ac vniuerso corpore refrigeratione indigente, idque eodem tempore. Tales in tristitia, cura, ira, vehementibus motibus, inedia à malo cibo auocemus, & bilem citra molestiam euacuemus, os ventris roboremus, ne quid influat. Dabimus panem cum oliuis albis, aut colymbadibus dictis, citra vllum potum. Verum vt splen illæsus permaneat, conuenit, plurimum cibos boni succi & actu calidos præbere, postea frigidos, & os ventris corroborantes, & stomacho gratos, vt mala punica: & oleo rosaceo melino stomachum inungemus, spleni epithemata calida iam sæpius dicta, & apud ipsum descripta, apponentes. Quod si etiam tussis infestat, & acris destillatio (*eodem teste c. 15.*) spleniticis difficilis est curatio; si ex crassis humoribus, eadem. Sed si acris vrgeat destillatio, densanda cum theriaca recenti. Reliqua vide apud eundem. Trallianus vtitur diacodio, & spleni applicat epithema extenuans, & pastillo crocode dicto, ex aceto & oleo rosaceo dilutosynciput fouet.

17 *Curatio.*

OBSERVATIO VIII.

De scirrho lienis.

Lienem autem opportunissimum esse ad scirrhum, veluti & iecur (*quamquam lien, propterea quod rarioris sit substantiæ, crebrius scirrhosis vitiis affligatur, propter nutrimenti, quo vtitur speciem*) à Galeno decretum est, *lib. 13. meth. meden.* Nutritur autem (*vt ante dictum est*) crasso sanguine, qui veluti limus purioris existit. Scirrhus autem duplicem originem habet: vel enim per se incipit, vel medicorum imperitia paratur, id quod crebrius accidere consueuit, vbi vehementer inflammationes & erysipelata attingunt, & nimium refrigerant, vel topicis calidis vtuntur, tenui humore resoluto, vt paulo ante recensuimus, duro

14 *Prognostica debilitatis.*

Curatio debilitatis.

relicto. Sed vir quidam Alcmarianus, melancholicus, cum crasso victu vsus esset, & gelidam aquã bibisset, durus tumor paulatim obortus illi est in hypochondrio sinistro, adeo etiam durus, vt eum tactu facile deprehendere potuerimus, cum ad me curandi causa accessisset. Ante duos menses prius aliquem dolorem senserat, cum quadam grauitate, vt narrabat, sed nunc malum auctum: & sine dolore scirrhi initium esse iudicaui. Cum enim durities lieni accidat, vt tangenti resistat, nec non loci quædam intemperies appareat, copia substantiæ: scirrhum lienis excitat. Nam eidem cum tumor apparet cum duritia, humor ei infixus est, aut flatuosus spiritus (*vt antea demonstratum est*) aut vtrique simul mixti: vnde liẽ præter modum augetur, & à naturali recedit magnitudine. Sed humorem & flatum his indiciis ex Tralliano cognoscimus: Si flatus est (*vt dictum est prius*) tactui resistit pertinaciter, & lien punctionem tensionemque experitur: sin autem grauitas cum pondere in latere ipso percipiatur, ex prædictis signis flatus cum humore mixtos in liene esse scias, idque per initia. Nam postea, morbo inueterato, humoribus frigore nimio, aut siccitate induratis, scirrhus generatur: quemadmodum in hoc ægro euenit. Non tamen adeo inueteratus erat, vt vna cum tumore & duritie sub minister hypochondrio, os fœteret, gingiuæ exederentur, & vlcera in cruribus cicatricem non reciperent, qualia inueteratis scirrhis (*& spleniticis appellatis*) iuxta Paulum & Celsum obuenire solent. Attamen hunc scirrhosum esse tumorem, facile intelleximus. Vbi enim cum renitentia, tumore ac duritie, grauitas cum pondere in sinistro hypochondrio percipiatur, ex humore lento & crasso (*vt hic erat*) lieni indurato infixo, tumorem durum ortum iudicabimus, quem proprie scirrhum, seu scirrhosum tumorem appellamus. Ideo necessarium erat, vt huic statim remedium adhiberemus, cum hic tumor, ex consentiente nimirum iecinore, potissimum, vbi diutinus fuerit, aquam inter cutem generare posset, *vt liquet apud Galenum 5. & 6. de locis affect.* Quapropter antequam fieret exquisitus, in curatione laborandum erat: nam exquisitus omnino incurabilis, *vt idem Galen. scriptum reliquit 3. de art. curativa ad Glaucon.* Pro eius curatione huic talem victum præscripsimus, qualem de scirrho hepatis diximus: nam eadem victus ratio, maioris minorisque dumtaxat ratione differens, (*vt idem Galenus testatur 13. meth. medendi*) conuenit. Capparis itaque esum continuum, cum oxymelite, commendauimus, tanquam vtrique visceri vtilem: quamuis nec pari modo, nec similiter habeat oxymel. Nam & ipsa copiosior, & exminus diluto oxymelite, lieni est vtilior. Atque hæc differentia est, quæ ex maioris minorisve ratione accepta, *vt idem Galenus inquit*, Inhibuimus tamen dulcia omnia: nam his tum iecur, tum lien intumescere consueuit. Similiter & vitiosos, maxime vero glutinosos cibos vitandos esse consuluimus, & quod ij tantum exhiberentur, qui concoctu faciles essent, ac bonum & tenuem succum generarent, & vt simul cum iis offerrentur ea, quæ extenuarent, obstructiones tollerent, ac detergerent: acida quoque commendabam, quæ maxime, Celso auctore, conueniunt. Iubebam, quoque, vt potius vino veteri (*modo sumptus ferre posset*) aquæ permixto vteretur, in qua ferrum sæpe ignitum sit exstinctum, *vt laudat Aëtius*, quam vt ceruisiam crassam biberet, nisi tali aliquando vti vellet, in qua absinthium, aut

folia thamariſcis infuſa, aüt cocta leuiter eſſent. Et quia febris aberat, cum vitium hoc quies augeat, exercitium & laborem moderatum concedebam, vnctiones, frictiones, & ſudores, *iuxta Celſum*. Plurimum namque fiduciæ in exercitiis ponendum: quibus ante cibum vti conuenit, corpore ſuperfluitatibus non abundante: ex eorum autem genere ex ſuperabundanti faciunt deambulationes, & curſus. Et noui ſane aliquos, qui ex his ſolis ab omni affectione ſint liberati, *vt idem Aëtius reſtatur*. Sed cum hic ſpleniticus ad me, vt curaretur veniſſet, in memoriam reuocaui hiſtoriam illam Tralliani de liene indurato, quæ ita habet: *Nouiſti*, inquit, *curatum à me fuiſſe militem: qui dum ad me veniret, totam lienis regionem barbaricis ferramentis inuſtam habebat, quem duobus tribusve diebus medicamentis per os datis purgabam: & deinde diligenter ei curam in ſingulis conuenientibus remediis efficrendis adhibebam. Piſanæ cremorem quotidie in cibo porrigebam, oxymelite conditum, & piſces ſaxatiles. Ex auibus autem gallinas, perdices, ac alia concoctu facilia, boni ſucci, & probe macerata. Prohibebam ei quæcunque viſcoſos & craſſos humores generant: ſimiliter & carnes bouillas, ſuillas, ouillas, caprinas, & hœdinas: item aues, quæ in aquis paluſtribus degunt, omneſque piſces paluſtres, & pelagios: præſertim, qui duras & craſſas, non alias carnes obtinent: ad hæc polypos, mulos, ſepias, erphos, oſtrea, conchas, bullos, placentas ex melle, & chibro, & quæcunque inflant, duraque & craſſa, vel quæ cruda ſunt. Vinum imprebantur craſſum, nigrum, adſtringens: dandum autem eſt, quale Hippocrates, præcipit, quod neque craſſum, neque valde frigidum, neque calidum exiſtat. Hoc igitur modo cibus eſt adminiſtrandus. Potui vero dabam vinum, in quo capparis radicem, ſcolopendrium & myricæ radicum corticem decoxeram: initio quidem ſingulas herbas ſimpliciter adhibebam, deinde ex poſca aut oxymelite, aut ſolo aceto coctas: interdum etiam in puluerem redactas, cum ſupradictis liquoribus, citra coctionem, per intercalla dabam, idque non plus quam duobus vel ternis diebus. Quin & oxymel purum per totam hyemem propinabam: nonnunquam ſupradictas ſtirpes decoctas, temperataſque cum aqua calida, ante & poſt cibum, die & noctu, quandocunque volebat æger, potui offerebam. Vere primum ineunte, cum æger multum ſe recollegiſſet, & lien decreuiſſet, videbatur mihi potiones medicaminum efficaciores præſtari debere, quæ lienem euacuare poſſent: qui cum magis immineret, fortiora medicamenta adhibebam. Ac mox inter initia veris, ſanguinem ex brachio ſiniſtro copioſe detrahebam, & poſt viginti quinque dies, hoc medicamento quod ſequitur vtebar. Spicæ nardi, cappar. rad. corticum myricæ, folior. aſpleni herbæ, ſquammæ ferri. an. ℥ xviij. myrobalani ℥ x. ammoniaci ſuffimimis ℥ xviij. polytrichi ℥ vj. ſtœchad. ℥ iiij. ſcolopend. ℥ iij. paſtillos Singulos drachmam pendentes, ex oxymelite fingebam, ac vinum oxymelite dilutum potui dabam. Poſtea vero, cum liene probe eſſet explicatus, medicamenta ad ciendam aluum dabam, ac otioſos humores validioribus nempe hieræ, diacolocynth. ℥ iij. euacuabam. Inchoante iam æſtate, non tres drachmas, ſed quatuor exhibebam, ita vt à prædictis medicamentis nullo die diſcederem. Vbi ſanitati propemodum eſſet reſtitutus, cyclaminis rad. ℥ j. ex mulſa deinceps ſemel, aut bis poſt ſingulas potiones offerebam. Nam ea vitioſos humores ex liene per ſudores expurgat: calidis extrinſecus operimentis medicamine dato iuuandi gratia admotis. Deinde ſæpe lienem potione quidem ex ſcolopendrio & cappare, & epithematibus quibuſdam etiam malacticis, tum aliis, apud eundem longiore ſermone deſcriptis, vt videre poteris corroborabat: quibus hominem eundem ſanitati reſtituit.* Verum quod ad noſtrum ægrum attinet, eadem victus ratione vſus eſt: venæ ſectione omiſſa, cum non multo ſanguine abundaret, & humor magis craſſus lieni impactus eſſet. Quare medicamenta aperientia, extenuantia, incidentia & abſtergentia, tam intus quam extra adhibuimus, & quæ ſimul exterius emollirent. Et ſic pro minoratiuo primo exhibui ℥ j. *caſſiæ in holo cum* ϑ j. *pul. ceterach. zaccharo exiguo conſperſam.* Deinde ante purgationem corpus ita præparaui. ℞. *ſyr. de ſcolopend. aceteſ. ſimplicis, ſyr. è ſucco fumariæ. ana* ℥ i ß. *ſyr. de epithymo, oxymelitis ſcyllitici* (quia hic duricies ſcirrhoſa aliquandiu durauerat) *an.* ℥ ß. *aquæ bugloſſ. ſcolopend. capill. ven. an.* ℥ iij ß. *adiectis* ℥ ij. *cinnamo ſelect. ſaporis gratia.* Per triduum in diluculo ſumantur. Poſtea eundem ita purgauimus. ℞. *diacatholici* ℥ vj. *confect. hamech.* ℥ iij. *ſyr. capill. ven.* ℥ ß. *cum decoct. communi, addendo polypod. querc. folicul. ſenæ. an.* ℥ ß. *florum tamaricis. p. j. fiat potio, ſumat in aurora.* Splenem deinde inunximus vnguento ſequenti. ℞. *dialthææ* ℥ j. *olei rutacei, de cappariibus. an.* ℥ ij. & altero die à potione purgatorio electi. ſolidum præſcripſi, vel huic ſimiles. ℞. *ſpecier. diarrhod. abb. pulueris diacappar. an.* ℥ ij. *pulueris roſ. nouellæ* ℥ j. *zacch. diſſoluti in aqua bugl. ſcolopend. q. ſ. fiat electi. ſolidum: doſis omni mane* ℥ iij. *trib. horis ante cibum.* Rurſus & hoc decocto vtebatur. ℞. *rad. cappar. tamaricis filicis. an.* ℥ ß. *ceterach. capill. ven. agrimon. filipendulæ, chamæd. an. m. j. ſem. portulacæ, agni caſti cnd. an.* ℥ i ß. *flor. genſtæ p. j. fol. ſen, epithymi, polypod. an.* ℥ ß. *uuar. paſſul. enucleat.* ℥ j. *glycyr. raſ.* ℥ iij. *ſem. carthami contuſ* ℥ ß. *fiat decoct. in aqua communi, pro* ℔ j. *col. addendo ſyr. de epithymo, de ſcolopendrio, oxymell. ſimpl. an.* ℥ j ß. *miſce.* Deinde hoc vnguento, vt huius æmulo, inungebatur. ℞. *olei amygd. dul. amar. liliacei, vmi, de cappar. an.* ℥ j. *ſucci centaurij minoris* ℥ ß. *corticum cappar. myricæ. an.* ℥ ij. *adipis anſerini, gallinacei. an.* ℥ iiij. *ammoniaci in aceto diſſoluti* ℥ ß. *ceræ q. ſ. fiat vng.* Interea eundem purgaui hoc modo. ℞. *decoct. ſupraſcriptæ* ℥ iij. *adde confect. hamech.* ℥ ß. *diacatholi.* ℥ iij *ſyr. de pomis, oxymel. ſimplicis, an.* ℥ ß. *miſce.* Fiebat & hic fotus. ℞. *rad. & folior. althææ. an. m. ij. centaurij minoris, ceterach. an. m. j. corticum rad. cappar. rad. tamaricis an.* ℥ ß. *bulliant in aceti & olei partibus æqualibus, & cum ſpongiis fiat fotus*: quibus ſæpius admotis, vnguento ſupraſcripto inungatur, mox & ſequenti. ℞. *æſypi, axungiæ gallinæ, olei amygd. dul. an.* ℥ j. *olei chamæmelini, de cappariibus an.* ℥ ß. *miſce. mane & veſperi ante paſtum inungatur.* Poſtea imperaui, vt hoc arcano præceptoris mei Benedicti Fauentioi vteretur ad 15. dies, quo omnis ſplenis durities diſſoluitur. ℞. *rad. filicis* ℥ ß. *rad. cuſcutæ* ℥ ij. *miſce, & bulliant in* ℥ viij. *vini albi potentis vſque ad conſumptionem tertiæ partis vini*: deinde coletur, & colatura patienti detur modo dicto. Interea colophonem huic curationi imponens, vt hoc vnguento regio lienis inungeretur mandaui, quo & alij curati ſunt, & magni pretij apud me habetur. ℞. *olei capparum* ℥ j. *olei lilior. amygd. dul. chamæmelini, butyri recentis. an.* ℥ ß. *ſucci bryoniæ, cyclaminis an.* ℥ ß. *ebulliant olea ad conſumptionem ſuccorum, addendo ammoniaci in aceto diſſoluti* ℥ ij ß. *pingued. gallinæ crurum vituli æſypi humidæ an.* ℥ ß. *pul. corticum rad. tamaricis cappar. ceterach. rad. filicis. an.* ℥ j. *pul. ſem. agni caſti geniſtæ. an.* ϑ j. *ceræ parum, fiat vng.*

Scholia.

Hic quidē affectus leuis initio apparet, adeo vt ne medicum quidem rogēt: ſæpe & multis annis perdurat. Noui nobilem quandam matronam, quæ vltra 30. annos duritie lienis laborauerat, & tamēn in ſolitis operationibus non lædebatur, quod nota dignum. Vidi tamē ſæpius, licet multis annis perduret, tandem ex eo affectu ad febres longas deueniſſe, quæ in tabem aut hydropem tranſibant, & ad eos morbos nonnullos deduxiſſe, quos memorauimus ex cacochymia melancholica eueniſſe. Lien itaque facile in ſcirrhos incidit, ſiue quod quis ipſum infirmum habeat, quales ſæpe experimur, qui crebro doloribus ea parte capiuntur, & leui de cauſa & errore in victu, ipſis intumeſcit; ſiue quæ plurimum melancholicum humorem quis gignit, eumque craſſum, vnde obſtructio in eo gignitur primum, mox tumor in vniuerſa carne; idque vel quia natura eius corporis talis eſt, vel quia ex febribus eſt genitus hic affectus: hinc & quartanarij ſæpe lienem durum incurrunt, vel ex victus ratione tum in cibo & potu, tum in exercitiis. Equidem vina nigra & craſſa id faciunt: nec non & aquæ paluſtres lutoſæ. Vnde Iacchinus in ſua patria plurimum hunc morbum inueniri dicebat, & circa maritima fere loca. Quod & nos obſeruauimus in noſtra Batauia, plures hoc malo tentari, ob craſſum victum & ceruiſiam craſſam, fæculentam, & præcipue apud noſtros nautas, qui pane nautico (*biſcoctum* vocant) longo tempore mucidum quid redolente vtuntur, & larido rancido, vnde & Scurbutto malo dicto ac lienis duritie afficiuntur, nimirum morbo veteribus incognito, *vt poſtea de eo dicemus*. Noſtrates enim plerique craſſo victu & melancholico vtuntur. Fit & aliquando ex criſi, natura ſequeſtrante in magnis morbis materiam in liene. Cur *ſæpe ſunt hi tales citrino colore*. An quia expurgatio hepatis debilis eſt, debilitato viſcere per conſenſum? Cauſas etenim communes habet cum hepatis ſcirrho, & generationis geminos modos, vt diximus, vel ex ſe per paulatinam collectionem, vel medicorum imperitia, ex inflammationibus male curatis; vel nimium refrigeratis: & eadem prognoſtica habet cum ſcirrho iecinoris: & ideo quæ de eo dicta ſunt huc referenda. Sed quod ad curationem attinet, id quoque ſciendum ex Galen. quod vnus ſcopus generalis ſit vacuatio, attamen ſi quis violenter inſiſtit vacuando, proficiet quidem primum egregie, ſed relinquetur contumax affectus, qui ſanari non poterit. Quamobrem neceſſe eſt, vt iungamus ea, quæ calefaciunt modice & humectant, cum his quæ diſſoluunt. Quoniā vero craſſi etiam lapides incidentibus diffringi ſolent, optimum erit & ad diſſoluendum durum tumorem illis vti. Inter hæc vero maxime acetum conducit, & ea quæ acida ſunt, vel tenuium partium, & calida modo non adeo calore participent, vt nimium ſiccent. Medicamenta itaque ex ſupraſcripta methodo ad ſcirrhum lienis multa nobis comparare poſſumus, tum ebibita, tum extra applicata. Verum prius hic videndum, num vacuatio per venæ ſectionem conueniat. Aëtius vero commodum hoc eſſe aſſerit, ſi prædicti laborantes multo ſanguine abundant: & tunc in interna ſiniſtri cubiti vena ſecetur: quamuis multam ſanguinis copiam auferri minime velit. Multos id cum Iacchino facere videmus, etiam in ſaluatella, ſi hæc minus appareat, & Galenus non videtur prohibere: qui in lib. de venæ ſectione. *Neſcio* inquit, *cur multi lienoſis ſanguinem mittere omiſerint*. Lienoſos vero appellare, *eos*, ſolet, *qui ſcirrho laborant*. Sed ego cum Iacchino credo raro conuenire: ſed potius purgatione egent, præſertim ſi iam cacochymi ſunt. Secus eſt inter initia, vbi craſſus & melancholicus ſanguis abundat: tunc enim vena ſecta eſt opus, *vt in libr. de venæ ſect.* Ratio eſt, quod in ſcirrho eſt de materia appropriata, non educes, & vires debilitabis: nam iam influxus ceſſauit. Quod ad medicamenta attinet, cum plura eſſe poſſint, ea adferemus, quæ nunc magis in vſu ſunt. Cum itaque primum tumorem diſſoluere debeamus: hoc non faciemus, niſi eum prius præparauerimus *aceto mulſo. ſyr. ex ſucco fumariæ, ſeu acetoſo ſimplici, & melle roſaceo.* Nam acetum & acetum mulſum huic viſceri commoda ſunt, vt pote ſecare, & attenuare craſſos humores citra calefactionem potentia, *vt inquit Galen. 9. de compoſ. medic. ſecund. locos.* Vel incipiemus à potionibus: ac primum ex ſimplici oxymelle, cum ſcolopendrij veri ſeu ceterach. & betonicæ decocto, idque per dies 3. vel 4. Poſtea purgatione aliqua leni vtemur, *vt infuſione ſenæ, epithymi, & polypodij in ſero decoctos: ſint veriuſque* ℥ iij. Alij purgans medicamentum propinant, pro ratione redundantis ſucci: nam pituita redundante, illa exhibent, quæ eandem expurgant: ſi vero melancholicus ſuccus redundet, quæ & ipſum expurgant, præbent. Deinde potiones quaſdam, ac topica medicamenta, quæ induratum ſplenem curant. Debent autem eſſe potiones fortiſſimæ: vt & illa quæ de foris medicamenta applicantur. Nam eas ſine moleſtia ſplen tolerat, *vt 2. de art. curat. ad Glauc. à Gal. decretum eſt.* E quorum numero primas partes ſibi vendicant cortices rad. capparis, & ſcolopendrium, & myricæ rad. atque germina, omnibus huiuſcemodi in aceto vel oxymelite coctis. Dabimus & trixaginis potionem, tum montanæ, tum paluſtris, quam ſcordion dicunt, myricæ folia addendo, atque hæc ex acido oxymelite per plures dies. Diſſecant hæc & extergunt, & ſiccant citra vehementem calorem. Attenuantibus itaque opus habet induratus lien pharmacis, citra manifeſtam caliditatem: cuius gratia valde amara medicamenta ipſi offerimus, ac quædam ipſis ex auſteris miſcemus, *vt eodem 9. de compoſ. med. ſecundum locos ſcriptum eſt.* Pro potu denique ieiuno dari debet abſinthium incoctum, ac poſt cibum aqua à ferrario fabro, in qua candens ferrum ſubinde exſtinctum ſit. Hæc enim vel præcipue lienem coercet. Quod animaduerſum eſt (*vt antea diximus*) in his animalibus, quæ apud hos fabros educata exiguos lienes habent, *vt liquet ex Celſo*. Hæc aqua, in qua ignitum ferrum ſæpe ſit exſtinctum, febricitantibus ſola, non febrientibus vero cum vino, auctoritate Archigenis, à Galen. *9. de compoſ. medic. ſecundum locos.* commendatur. Conuenientiſſimum etenim ſpleni in ſcirrhum indurato remedium exiſtit ferrum, aqua aut vino, aut poſca exſtinctum. Et ipſa enim aqua, aut vinum aut poſca in principio exhibita, iucunda & vtiliſſima exiſtit, & per plures ex ordine dies datur. *Aetio teſte.* Datur autem per ſe aqua, cyathis tribus, febri vero carentibus, cum vini vel aceti cyatho vno, *vt inquit Paulus*. Interim vero extrinſecus humectantibus humorem fundemus: quibus & incidentia admiſcebimus, his enim maxime ad diſſolutionem humor paratur. Fiat ergo fotus ex oleo ſimplici, tenuium partium, & aceto, quibus & vini aliquid tenuis potes adiungere: & eſt facile parabile. Poſt hæc purgabimus rurſus fortiori medicamento, quale eſt ex helleboro nigro paratum, additis aniſo & cinnamomo, qualem potionem alias Iacchinus docuit: quæ & multis diebus ſumi poterit, modo vires ægri faceret, & leuari ægrū videris. Vbi ſatis morā traxerit æger, interim victus ratione

tione vtemur in cibo & potu,& exercitatione,*vt dictum est*,atque ex diarrhod.aliquid dabimus: & lienem ex vnguento amygd. amar. inunges, dum à potionibus quiescit. Mox valentius siccantibus vtemur: acidis admixtis,sed per interualla etiam humectantibus. In potionibus itaque *oxymel. scilliticum erit cum scolopendrij decocto, aut foliorum cappa-ris recentium.* Quæ vero extra admouentur, si quidem mollitus tumor manibus sentiatur (*hoc enim quotidie tentare expedit*) erunt siccantia, extergentia atque incidentia, *vt fotus ex aceto,in quo ferueant capparis radix vel folia, rutæ semen, cyminum, myrica cum fœnugræco, & althææ radice.* A fotu vero inunges oleo ex capparibus appellato.Quod si interim imminui valde videbitur, sed durior fieri, expediet ad emollientia calida & humida verti: quorum exemplum est *œsypi ceratum ex compositis, & emplastr. è meliloto,& è muccilag.fœnugr.althææ,sicuum, adiectis medullis ossium & adipibus.* Hæc igitur iteranda sæpius, quousque metam attingas: & semper de recidiua timeto. Facile enim recidunt, ob visceris ex longo morbo infirmitatem. Sed si his nihil proficias, & iam malum inueterauerit, extrema remedia tentanda sunt. At primum potiones hæ: arida capparis folia, cum oxymelite: chalybis,quod stomoma appellant,potio: cui intentioni etiam satisfacit ex auro, similiter & squammæ ferri potio, de qua Aëtius. Nos autem lima attrita vtimur, vel elect. de limatura ferri, quo præceptor meus Benedictus Fauentinus vtebatur. Vnde eius Empirica. Exercitia: quoque inungemus: interim fouendo oleo & aceto, & victu boni succi vtendo. Post hæc his, quæ extra, vtemur, ac primum cyclamine, cum suillo adipe subacto: habet enim vim maxime extergentem, incidentem, sicut & scilla: ex qua similiter emplastrum vel vnguentum confici potest. Aliud efficacius, ex stercore caprino, axungia subacta. Oportet enim interpositis diebus, & humido aliquo vti. Postremum omnium est ex calce viua, cum nasturtij semine, & fœnugræco, coctis in mulsa, simul subacta atque imposita. Sunt qui cucurbitulas adhibent, atque scarificant, sale inspergentes vlcuscula, alij cauteria affigunt. Sed qui superioribus non sanantur, his 19 non sanabuntur. Historia cuiusdam est, qui per annum durauit, & iam fere tabidus credebatur, qui sanatus est. Qui vero prorsus sanari nequeũt, hos in vita seruari oportet: si vere & autumno purgentur,& congrua victus ratio vtantur.Tentarunt aliqui aquas sponte natas: alij ligni potum: illi præseruati ab vlteriori lapsu, non curati: hi in peius ruerunt, eredo siccatione nimia.

Topica.

men lini, fœnugræcum, althæa, malua, adeps, medulla ossium,cera, carica, & quæ tota substantia splenem iuuare probata sunt, vt *ceterach, tamariscus, cortex capparis.* Potentiora sunt, quæ post apparentem coctionem tuto adhiberi possunt,*ammoniacum aceto liquatum, quod leuiter decoqui debet, ne efferuescat: bdellium molle & pingue, styrax, galbanum, propolis, semen apij, radix iridis, cuminum, ruta, anethum, flos genistæ: glans vnguentaria, quam myrabolanum Græci vocant, medicamentum præ cæteris palmam in iuuando liene obtinens.* Ex quibus possunt confici fomenta, cataplasmata,vnguẽta, cerata, linimẽta,& si quæ sunt alia, viscera laxantia & emollientia. Sed in principio leuibus & primo ordine citatis, stante vero coctione, quod est in morbi vigore, id est, statu,tunc potentioribus vtimur: acetum semper addentes, quod in omni topico medicamento adiungi debet, quia lieni acetum maxime conducit, vt testatur Galen. *lib. 9. de compos. medic. secundum locos, & lib. 11. & 14. meth. med. 5. de simpl.* Acetum tamen quartanariis per os dari non debet, vt longa oratione demonstrat idem Amatus contra Arabes. Post purgationem itaque ex sena, thymo,epithymo, polypodio,& fumaria,& lupulis, adiectis diasene vel diacatholico, interea optimo victu attenuante vtitur, iniectis herbis, vt *scolopendrio,ceterach dicta,aut tamarisco*: quamuis linguam ceruinam,dictam phyllitim, à consortio harum herbarum etiam idem Amatus eliminandam putat,vt pote quam contrarias vires habere, 5 ipse credit. Nos vero hoc fotu vsi sumus. ℞. *rad. althææ.* ʒ iij. *maluæ.m.ij. florum chamæmeli, meliloti, ceterach. an. p j. corticum cappar.thamarisci, ana* ʒ ß. *sem. lini. fœnugræc. an.* ʒ iij. *coquantur in aqua communi & aceto, pro* ℔ j ß. *pro fotu, cum sponsis vel filtro.* Deinde inungatur hoc linimento. ℞. *emplastri de meliloto, de muccilag. ana* ʒ ß. *olei de cappar.* ʒ j. *olei amygdal. amar.* ʒ ij. *œsypi humidæ, adipis gallinacei, an.* ʒ iij. *puluerис ceterach.* ʒ j. *ammoniaci dissoluti in aceto* ʒ ij. *aceti parum, & ceræ exiguum: fiat linimentum.* Mox apposuimus emplastrum *de meliloto, de muccilag. adiecto exiguo puluere filicis,* & *rad. cappar. & olei de cappar. parum, cum pauca cera*, fiat ceratum splenі applicandum. Cum iam lien detumescceret, & minueretur, decoctis sæpè repetitis ex *cardno benedicto, ceterach, rad. cappar. & thamarisci, centaurea, borag. bugloss. fumitar. lupill. & fumaria*, & repetita purgatione, febris quartana mitescere cœpit: & cum iam ver initet, duritie illa lienis paulatim cessante cum remediis supradictis, febris illum breui reliquit, & sanus factus est,& à duritie lienis liberatus, melius deinde valuit: optima tamen victus ratione obseruata. Alius quoque, qui à quartana in dolorem lienis ac duritiem inciderat, cum iam non amplius quartana laboraret, iussi vt continuo cappares cum aceto comederet, & lienem oleo *amygdal. dulc. lilior. de cappar. & rutæ*, inungeret, & vt hoc fotu vteretur. ℞. *rad. althææ mund.* ʒ ij. *rad. bryoniæ,thamarisci,cappar. an.* ʒ ß. *flor. meliloti. m ij. flor. chamæmil. p j. foliorum, rutæ,ceterach. an. m.ß. sem. malnæ, lini. an.* ʒ ij.*coquantur in duabus partibus aquæ communis & vna parte aceti acerrimi,pro* ℔ j ß.& post fotum inungatur hoc vnguen. ℞. *emplast. de muccilag.* ʒ ß. *empl. de melilcto* ʒ ij. *olei de cappar.* ʒ ß. *olei lilior.* ʒ iij. *misce.* & hoc emplastro demum imposito. ℞. *emplastri de muccilag.* ʒ j. *emplastri de melilcto* ʒ vj. *vngu. Agrippæ* ʒ iij. *pul. rad.cappar.thamarisci. an.* ℈ j. ducatur supra alutam, ad formam linguæ bouis,& sindone rub. cooperiatur,insuatur, vt melius cohæreat. Interea & diacurcuma, & diacappar. vtebatur. Et durities lienis non solum

Topica.

OBSERVATIO IX.

De quartanario duritiem lienis habente: & de altero,qui post quartanam in duritiem lienis incidit.

8 VIr quidam quadraginta annos natus, cum à quartana liberari non posset, eo quod lienem durum haberet,ad eum nos in consilium adhibiti sumus, & tunc nobis in mentem venit illud dictum Amati *in schol. centur. 1. curat. 8. de curatione quartanæ, quod quartana curari non possit, nisi splen ipsius curatus fuerit.* Proinde spleni, si durior euaserit, & in scirrhum permutetur, & viscеribus summopere prouidendum est, vngendo, illinendo: atque emplastrando, his quæ mollire ac laxare leniter possunt: qualia sunt *butyrum,œsypus, lana succida, oleum amygd.alinum, chamæmelinum,* se-

lum cessauit, sed etsi mẽtis erat de hydrope,sanitatem pristinam recuperauit, neque in hydropem, vt alteri euenit (*qui tamen à me quoque curatus fuit*) lapsus est.

Scholia.

5 NOn solum his myricæ seu tamariscі radices, verum etiam folia, citra molestiam dantur, eis qui corpora habent calidiora, præsertim scirrho non inueterato,quibus etiam conducunt virgulta ipsius myricæ,& scolopendrion,& rumicis siluestris, maxime vero acuti semen, foliaque & radix: probe etiam facit anchusa,si rad. eius ʒ j. detur: polytrichon quoque & capni decoctum, ad tertias redactum & folia salicis,& cortex,maxime in principio, *iuxta Aëtium.* A leniorib. semper incipiendum. Verum inueteratis scirrhis, & corporibus agrestioribus, atque eis, qui omnem corporis habitum habent frigidiorem, exhiberi possunt *trissago, gentianæ radix, calamintha,pulegium, cyclaminis radix,scordium,trifolij bitumen olentis semen, hyperici coma, acori, asari & eringij rad. viticis semen torrefactum, centaurij minoris succus, etiamsi sit exsiccatus, chamæpityos, polium, sed non ante purgationem.* Omniaque iam dicta medicamenta simplicia, in 6 principio cum posca diluta coquantur, postea vero meraciore:progressu autem temporis,etiam ipsa contusa & cribrata cum aceto,aut aceto mulso, exhibetur, modo non laborent quartana, *vt Amatus volebat.* Et quod ad Topica, eadem seruanda methodus, quam seruari præcepimus, *cap. de scirrho iecinoris*, semper etenim emollientem, & discussoriam medicamentorum facultatem præcellere oportet: quibus parum quiddam eorum, quæ astringendi vim habent, admiscendum est. *Gal. auctore ac Aëtio.* Nisi quod tutior erit vsus aceti in lienis scirrho, etiam à principio, cum naturaliter rarus sit: nec est quod metuas,ne quis neruus eius vi lædatur: quemadmodum in tendonibus, ac neruosis musculi partibus. vt liquet 14. *meth. med.* In hunc vsum capparis cortex ex aceto contritus illi tusque confert: *is enim* (inquit Aëtius) *admixtis aliis medicamentis, vltra hoc, quod dissecat & expurgat, etiam splenem corroborat: multisque modis huic rei capparis aptus est.Nam & ipsum cum cibo assumere, & muriam eius cum aceto sorbere, commodum est: quin etiam extrinsecus radicem contritam, vel corticem eius cum sulfuribus, aut ipsum capparem cum melle contritum imponere expedit*, vt Celsus inquit: 7 Quemadmodum etiam non pauci ammoniacum cum aceto, ad luti crassitudinem redactum, lieni imponentes eius scirrhum curarunt:inque solum ei curando sæpe satis fuit, *vt liquet ex Galeno 14. meth. med.* Necnon & salicis cortex consimiliter illitus, & centaurij succus, ac cinis fabrorum cum cruda polẽta ex oxymelite illitus, aut etiam lupinorum farina, magnopere conferunt, *ex Pauli auctoritate.* Etiam emplastra, tum vnguenta superius dicta conferunt: adiectis *adipe anserino & medulla ceruina, seu vitulina*, & in processu seuum tum hircinum, tum taurinum, ac etiam caprillum adiici potest,& quantitas ammoniaci augeri, adiiciendo *bdellium & galbanum, prius in aceto dissoluta: & styrax & opopanax,cyclam. farina seminis lini, fœnugræci, ac althææ.* ex quibus varia medicamenta componi possunt, & prout affectus exigit,tum addere, tum adimere poterimus, ea quæ emolliunt, attenuant, discutiunt, & robur addunt.

Inueteratis scirrhis & corporibus agrestioribus, quæ cũ uentant.

Topica.

OBSERVATIO X.

De scirrho incurabili, cum variis symptomatibus.

ADrianus Leoninus, Leydanus, vrbis Delphensis Pensionarius (*vt vulgo dicitur*) vir doctissimus, per integrum annum hectica febre laborauerat, & scirrho lienis afficiebatur, vt *Obs. 9. de hectica marasmode, lib. 4. Obs. nostrar. de feb.* abunde egimus. Sed nos reliqua illa, de febre hectica,prætermittentes, nunc tantum de iis tractare decreuimus, quæ ad duritiem & scirrhum lienis attinent. Henricus Vergerius, Medicus certe doctus, vt & Ericus collega meus, multa linimenta, vnguenta, partim emollientia, partim discutientia, ac emplastra pro scirrho præscripserunt, vti hæc erant. ℞. *muccilag. rad. althææ & seminis eius, ac seminis lini. an.* ʒ ij. *pingued. anatis, anseris,gallinæ. an.* ʒ j. *butyri recentis non salitі.* ʒ ij. *farinæ seminis lini m.j ß. furfuris frumenti exacte comminuti & cribrati.an.m.j.corticum rad.cappar.thamarisci. an.* ʒ ß. *rad. cyclaminis* ʒ vj. *seminis agni casti.* ʒ ß. *sicuum pinguium* ʒ iiij. *oleor. irini. lilior. de cappar. amygd.amar.ana. q.s.* fiant cataplasmata secundum artem. Postea præscripserunt & hoc linimentum. 9 ℞. *ammoniaci dissoluti in aceto sambucino.* ʒ j ß. *olei de cappar. amygd. amar. irini. an.* ʒ iij. *adipis ceruinæ, gallinæ,anseris. ana.* ʒ ij. *pinguedinis vituli.* ʒ vj. *cum aceto sambucino q.s. fiat linimentum.* Deinde & illud quod sequitur, absque pinguedinibus. ℞. *ammoniaci dissoluti in aceto sambucino.* ʒ j ß. *olei de cappar. amygd. amar. irini. an.*ʒ iij. *cum aceti eiusdem q.s. fiat linimentum.* Mox lienem fomentarunt lapide marcasita, cum aceto acerrimo in ollam coniecto, ebulliente, vt artis est. Deinde ad vnctiones & cataplasmata redierunt,deinde ad fomentum, eo fere modo, quo habetur 2. *ad Glauconem, cap. de scirrho.* Mense vero Maio ad eum accitus fui, cum antea per integrum annum & hectica & scirrho lienis laborasset, & varia ac diuersa remedia essent tentata, cui tunc solus aderat Henricus Vergerius, Medicus egregie doctus. Quæ ad hæcticam & alia accidentia præscripta sunt eodem tempore, lector inueniet *Obs. 9. de hectica marasm. lib. 4. nostrarum Observationum.* Quod ad scirrhum attinet, de quo nunc agimus, *Galen. ad Glauconem cap.*de scirrho vult,vt insistamus primo emollientibus, deinde discutientibus & moderate emollientibus, atque hoc ipsum vicissim faciendum suadet, vt eorum vsus alternatus sit, non simul, quemadmodum ibidem narrat de puero Cercilij, quem à tumore scirrhoso in femore curauit: & tam diu emollientibus vtendum iubet, vt perfecte mollities quædam conseretur, ad tuborem carnis fere exterioris. Deinde discutientibus vtitur. *Nam si altero tantum medicamentorum scirrhum curare tentauerimus* (vt idem dicebat) *neque quam sanabimus: Quæcunque enim nimis digerunt, ob calorem vehementer digerentem, scirrhum in tophaceam duritiem concrescere facium: aquæ vero nimis emolliunt, non possunt solum præstare, vt scirrhus decrescat. Alternatus igitur eorum vsus moderatus, confert. Sed nec, quæ emolliunt, continuo affectum curant. Opus enim est & digerentibus, non quidem vehementer, sed quæ emolliendo id commode præstent.* Hactenus Galenus. At hic in liene licet primo emollientibus sit vtendum, 11 tamen addenda (*vt recte fecerunt medici doctissimi*) quæ roborant (*liene hoc requirente, magis quàm femur*) & discutiunt: quia discutientia, non sine emollientibus in progressu magis augenda. Lienem autem scirrhosum, *eodem Galeno teste 3. ad Glauc.*

non solum adhibitis vehementibus medicamentis foris curare oportet; sed & validissimis potionibus: nam & hæc lien citra molestiam perfert, *vt antea dictum est*: vt est radix capparum, & cortex, & scolopendrij, & myricæ, tum radices, tum ramuli, in aceto vel aceto mulso incocta. Quibus etiam medici expertissimi in principio recte quidem hic sunt vsi: sed cum viderent quod æger calore magis afficeretur, & hectica augeretur, statim ab eiusmodi medicamentis intro assumptis probe abstinuere. Cum vero in principio huic crura maculis variegata fuissent (*vt in scorbutosi fieri solet*) vt medicus præsens nobis narrabat, procul dubio & nos hoc malum (*vulgò Scurbutum dictum*) adesse existimauimus, & ob hoc medicos doctissimos tunc præsentes, commode cochleariæ decoctum præscripsisse. Hectica tamen magis inualescente, coacti fuere talia decocta relinquere. Itaque cum scurbutus hic adfuisset, ex lienis obstructione; obstructio illa diu perdurans, proculdubio conuersa est in scirrhum exquisitum, & qui iam vltra annum durauerat. Quare ego eum omnino incurábilem iudicaui; eoque magis cum hectica adesset. Interea, quantum ad duritiem lienis pertinebat, consulebam. vt medicamentis solum externis, quibus antea vsi fuissent, adhuc instaremus, ne intus assumpta paulo calidiora & deobstruentia hecticam augerent. Ideo inter me & Henricum Vergerium medicum, qui tunc aderat, concluſum est, vt ceratum emolliens apponeremus, & deinde reuerteremur ad emollientem inunctionem, & simul dissipantem & resoluentem. Huic ceratum meum de ammoniaco, quo ego vtor, impositum fuit. Cuius hæc est descriptio: ℞. *ammoniaci dissolui in aceto* ʒ j. *dialthææ, emplastri de meliloto ana* ʒ ß. *furfuris frumenti optime cribrati* ʒ j. *pul. rad. bryoniæ siccæ, pul. rad. ireos siccæ. ana* ʒ ß. *pinguedinis anatis anseris, gallinæ ana* ʒ iij. *bdellij, galbani ana* ʒ j ß. *olei irini* ʒ i ß. *bulliant leniter in mucilaginibus seminis lini. fœnugræci ana q. s.* & vt in formam debitam cerati coeant, *adde ceræ* ʒ iiij. *terebinthinæ, & resinæ pini an.* ʒ i ß. fiat ceratum secundum artem, plurimum emollit & resoluit duritiem scirrhosam, vt hoc ipsum pro arcano habeam, ac in officina pro me semper paratum inueniatur. Quo primum vsi sumus in Godefrido Ilsbrandi ceruisiario Delphensi, vt suo loco aliquando dicturi sumus. Postea vna cum Henrico Vergerio hoc sequens etiam vnguẽtum præscripsimus: ℞. *ammoniaci* ʒ vj. *bdellij mollioris & subalbi* ʒ ij. *pinguedinis anseris, gallinæ. Seui ana* ʒ ij. *interioris rad. cyclaminis, furfuris frumenti ana* ʒ i ß. *cerebrach. agni casti, rad. cappar. thamarisci ana* ℈ ij. *olei de cappar. irini, amygd. amar. an.* ʒ iij. *succi bryoniæ* ʒ i ß. (eo quod deerat succus cyclaminis) *dissoluantur gummi in aceto scyllino, & olea cum pinguedinibus bulliant*, vna cum succo, ad consumptionem fere succi: & ab igne ablatis adde gummi, ne indurescant nimio calore: & tandem pulueres exacte contriti & cribrati commisceantur; addendo ceræ nouæq. suf. fiat vng. mediocris spissitudinis. Deinde intermissis aliquibus diebus, lien fomentabatur cum aceto, cui lapis marcasita ignitus in olla aceto plena injiciebatur; ollam bene cooperiendo: deinde cum spongia huic aceto immersa fiebat fotus. Ad hunc autem modum, *teste Galen. 2. ad Glauc. de scirrho*, ministratur lapis pyrites vel molaris: Igni candens, aceto acerrimo perfunditur; & super vaporem calidum, quem sursum emittit scirrhosa pars, collocatur, subindeque versatur, vt tota vaporem melius excipere queat. Illud autem commode fieri potest in membris exterioribus, vt femore ac cruribus; difficilius vero in liene: ideo fotu vsi sumus cum spongia aut filtro, vt præceptor meus Benedictus Fauentinus vtebatur. A fotu mox ad vnguenta, deinde ad cerata reuertebamur. Quibus remediis æger se fatebatur alleuiari, quamuis non curaretur; hectica non solum inualescente, sed & fluxu ventris obrepente symptomatico & lethali. Sed paulo ante hoc tempus, doctissimus ille Henricus Vergerius medicus, in mensa sedens, cum cyathum vini bibisset, subito animi deliquio, aut subitanea suffocatione periit. Tunc itaque solus in curatione relictus, vtebar fotu sequenti ad lienem: ℞. *rad. alibææ* ʒ j. *cort. rad. cappar. thamarisc. ana* ʒ ß. *cassutæ, ceterach, centaurij minor. flor. cham. melil. an. m.* ß. *sem. lini, fœnug. an.* ʒ ij. *coquantur in aceto acerrimo, pro fotu.* Postea rursus facta est consultatio medicorum, & Cornelij Ericij collegæ mei, & Hugonis Nienenij, & Gerardi senioris medici Leydani: in qua consultatione, quæ acta sint, *lib. 4. obseru. 9.* diximus: Hugone medico proponente vsum ligni sancti; ad quem prius ferè accedebat Cornelius Ericius: nos contra rationibus innixi probauimus, quod nimium exsiccaret lignum sanctum, & hecticam augeret, neque lieni ita proficeret; cum aliqui in scirrho lienis (*vt doctè Iacchinus receuset*) huius vsum administrantes pessimè ægros tractarint, ob nimiã exsiccationem. Ideo hoc relictum est remedium. Et quia fluxus cum hectica lethalis erat: tamen vt huic ægro vitam paululum protraheremus, contra fluxum dedimus conseruam ros. & semen portulac. quod & lienis duritiei prodest. Et licet fluxus aliquo modo iis sedaretur, attamen hectica postea augescente, & fluxu in fine magis increscente, consumptus hic periit: cum ante mortem vere cadauerosus haberi potuerat.

Scholia.

SCirrhus confirmatus quam difficile curetur, hoc vno exemplo constat: licet in principio, si nondum sit exquisitus, curationem facile suscipiat. Sic anno 1568. mense Octobri, Iodocum Weruium, præfectum Brielensem, & virum nobilem, curanimus statim, cum sentiret in liene obstructionem & inflationem quandam, cum magna duritie, non sine dolore, sumpto prius lenitiuo & apozemate aperiente: quibus cum parum auxilij primum sentiret, & in liene doleret, & nullum apetitum haberet, ob succum melancholicum in liene retentum, neque ad ventriculum transmissum: vnde paucis diebus macilentus euadens, me ad se vocauit. Ad quem accitus cum lienis duritiem persentirem, cum inflatione & obstructione, intra octo dies in principio, quod alicui mirum videbitur, his præsidiis sanus factus est, sumens omni mane duo cochlearia argentea, ex syr. acetoso simplici & scolopendria, & oxyzacch. quia intemperies quædam videbatur admixta. Hoc decocto etiam assumpto: ℞. *cort. rad. cichor. dentis leonis, fœniculi, apij, macerat. in aceto ana* ʒ ß. *rad. thamarisc. cappar. ana* ʒ ij. *fumariæ, ceterach. summitat. lupul. borag. buglos. ana m* j. *seminis agni casti, portulacæ ana* ʒ i ß. *coquantur in aqua communi, pro* lb j. *colaturæ adde oxymell. simpl. syrup. acetosi simplicis ana* ʒ j. *oxyzacch. simplicis, syrup. de byzantiis cum aceto, ana* ʒ ß. *misce.* omni mane & vesperi inungebat lienem oleo amygdal. dulc. & de capparibus. Deinde hoc modo fuit purgatus: ℞. *rad. cichorij, fœniculi, asparag. macerat. in aceto ana* ʒ ß. *cassutæ, agrimoniæ, ceterach. ana m.* ß. *semin. portulac. agni casti ana*

ana ʒ j. *foliorum sennæ* ʒ vj. *epithymi* ʒ ij. *cortic. rad. cappar.* ʒ j ß. *polypod. querc.* ʒ ß. *rhabarb. selecti* ʒ j ß. *schœnanthi* ℈ j. *semin. end.* ʒ ß. *uuar. pass. ab artill. repurg.* ʒ ß. *coquantur in aqua communi, pro* ʒ vj. *fortiss. express. adde syrup. acetos. simplicis* ʒ ij. *misce, pro duabus dosibus matutinis*, ex vna quinquies aluum deposuit & cœpit melius habere, ac conualescere, appetitu redeunte. Vtebatur tamen continuo capparibus conditis cum aceto: & pro potu, vino Rhenano lymphato, cum aqua ferrata: & cæpit lien detumescere. Hoc condito quoque vsus est: ℞. *conseruæ borag. buglossæ ana* ʒ vj. *specierum diarrhod. abb.* ℈ ij. *specierum trionsantal. trochisc. de cappar. ana* ℈ j. *semin. portulacæ, agni casti puluer. sat. ana* ℈ j ß. *puluer. ceterach.* ℈ j. *cum syrup. acetoso simplici: fiat conditum.* sumebat omni mane ad magnitudinem fabæ majusculæ. Si lien non fuisset extenuatus, peruenissem ad fortiora, de quibus in præcedentibus diximus. Habes & apud Aetium plures compositiones Veterum, & malagmata, quibus vti solebant, *cap. 11. sermon. 10.* de cura splenis in scirrhum indurati, *ex Galeno, & aliis.* Hæc de lienis duritie ac scirrho dicta sufficiunt. Nunc ad scurbutum, morbum veteribus incognitum, transeamus: cum hoc malum etiam ad lienem pertineat.

OBSERVATIO XI.

De scurbuto malo cognoscendo & curando; loco exempli aliorum morborum, ad Iordanum Forestum, & Adamum Forestum, qui sese medicinæ addixerunt.

CAutum fuit aliquando in Aesclepiadarum familia, ne quis artem & inclytam medendi, possessionem plane diuinam, a Deo solis ipsis concessam, cuiquam communem faceret, qui ab eodem non esset genere exortus. Id quod fuisse in causa videtur, vt peritos artis illius τῶν ἰατρῶν παίδας hoc est filios medicorum, Græci semper vocarunt: ac se sieri vllo modo non posset, vt legitime quispiam medicinam profiteretur, quam minime a genitoribus suis accepisset. Nec perperam quidem illi, meo iudicio, ô iuuenes generosi facitabant: quandoquidem vel optima quæque instituta (vt recte & Lacuna doctissimus dicebat) vilescunt & dilabuntur, variisque fiunt obnoxia adulteriis, dum citra dilectum vllum ab omnibus profanantur, multoque aptiores ad quamcunque artem capessendam exercendamque fient ii, qui a parentibus suis, vna cum generationis primordiis contraxerunt quandam veluti inclinationem, propensionemque in eam artem, cui postea indulserint, quam quibus natura & mens ob diuersam geniturum, ad contraria inclinatur. Recte igitur, Iordane Foreste, & tu Adame Foreste, Iuuenes nobiles, ex familia antiquissima Forestorum prodeuntes, quasi iure hæreditario medicinæ vos addixistis, & mancipastis, non aliter quam præcessores vestri fecerunt, quos etiam imitandos proponimus, vt eam ipsam medicinam virtutibus & arte vestra exornetis. Inter Forestos omnium primo (quem tamen ipse non vidi, nec noui) Petrus quoque Forestus nomine medicinam magna cum laude apud Dordracenos longo tempore exercuit: vt insignia Forestorum & epitaphium sepulchro eius apposita ostendunt: quæ & ego vidi, nunc belli atrocis iniuria ablata. Secundus vero medicus in nostra familia, quem & noui ac vidi, cum puer essem fuit Theodoricus de Foresto eiusdem nominis cum tuo patre, ô Adame, Reuerendissimi Domini Episcopi Villensis in Polonia physicus & chirurgus, cuius imaginem exsculptam eius filius Iacobus Forestus è Regiomontana vrbe, post mortem per filiam suam Vnicam ad me transferri curauit. Medicus, si quis alter, insignis: qui & longo tempore in Italia, deinde etiam apud Turcas Constantinopoli medicinam fecit: deinde apud Episcopum in Polonia physicus exstitit, ac ibidem mortuus est. Hunc semel cum puer essem, apud patrem & matrem ex Polonia reuersum, deinde rursus eo proficiscentem, vidi: eoque ad medicinam me adhortante, postea & huic arti præclarissimæ me totum mancipaui. At Iordanus Forestus, meus pater carissimus, non illiteratus, cuius tu nomen, Iordane, refers, tuus ac Adami Foresti auus, tres filios medicinæ destinatos, vt in ea laborarent curauit: quorum ego senior primus fui, & iert us in ordine medicus ex familia Forestorum: & postquam Louanij aliquot annis medicinæ operam dedissem, in Italiam profectus, vt praxin addiscerem, medicinæ titulum Bononiæ consequutus sum, anno 1543. die Iouis, penult. Nouembr. Deinde in Italia aliquot annis hærens, in Galliam profectus medicinam feci: ac demum in patria: postea apud Delphenses honorario publico condecoratus, medicinam (nunc excedens annum, cum hæc ad vos scriberem 69.) 46. annis exercui. Quartus in ordine est Iacobus Forestus, meus Frater, etiam vester patruus, qui Ferrariæ insignia Doctoratus adeptus in Italia, anno 1565. deinde in patriam reuersus, longo tempore & ibidem medicinam fecit. Quintus in ordine erat Ioannes Forestus, meus frater, & vester quoque patruus, qui etiam medicinæ operam dedit; at post mortem patris iunior vxori copulatus, eo non est progressus, vt medicinam faceret: tamen in theoria egregie profecerat. Hi omnes ex familia Forestorum, vt vestri ante ambulones, non alia de causa à me vobis proponuntur, quam vt eosdem imitari possitis. Quod vt rectè fiat, & probe aliquando praxin exercere possitis, institui per compendium aliqua exempla hic adferre de scurbuto, nouo morbo curando, vti aliquando feci de eodem malo, tum de conuulsione fratri meo Iacobo Foresto, vestro patruo, cum Louanij operam medicinæ daret. Sed is profectus deinde in Italiam, illud exemplar quod scripseram, cuidam Germano dedit, ac ita intercidit. Scripseram illi, (si bene memini) *nunc cum theoria instructus esset, quomodo praxin exerceret: eidem proponens omnia medici officia, scopos omnes, ex quibus indicationes curandi sumuntur. Verum quia hæc habetis in libro meo, meaque manu scripto, omnes Locos medicinæ Communes continente, non opus est eadem hic repetere: nam & de iisdem ad longum scripsimus* in lib. 3. contra Vroscopos, cap. 3. *quod certa sit methodus signorum & causarum, tum morborum & symptomatum; & quod certi sint scopi, ex quibus denuo indicationes curatiuæ sumuntur. Id ipsum Vero nunc Vobis exemplis de scurbuto, nouo morbo, & veteribus incognito ostendemus. Ex qua methodo, & alios morbos tum cognoscere, tum etiam curare licebit.*

Hæc omnia hominem melancholicum declarabant.

Nauta quidam Alcmarianus, anno 1555. annos 38. natus, multis mensibus Alcmariæ deplorate variis symptomatibus affectus decubuit: homo vitibus satis infirmis, hirsutus, nigroque colore, hinc & per antiphrasin *Antonius Albus* dictus, proceræ staturæ, melancholicus, cui cholera adusta admixta erat, habitu gracili, in quo amplæ venæ & vtcunque tumidæ apparebant: quanquam nunc nonnihil concidebant, ob morbi longitudinem. Hic autem sub finem æstatis primo incidit in quartanam, quæ per totum autumnum, ac hyemem sequentem, vltra septem menses perduraui: moxtumor lienis (*eiusdem obstructione præcedente*) subsequebatur, qui ita induruit, vt diaphragma tum pulmonem compresserit; febre hectica subsequente, tum sputi cruenti ac quasi purulenti exscreatione superueniente, cum totius corporis consumptione. Aderat & anhelitus difficultas, ambulandi impotentia, scapulæ ingens dolor, gingiuarum sanguiſluus tumor, genu sinistri, tum totius cruris, vehemens durities scirrhosa, ac

sa, ac inflatio: cùm cutis variegatione,& rigiditate, vt crus mouere non posset, nec ambulare. Medici & chirurgi, qui tunc præsentes erant, eum morbo Gallico (*vt solet hoc genus imperitorum, imo impostorum*) laborare affirmabant. Cæterum nos, qui vltimo ad ægrum accessimus, horum omnium affectuum naturam, tum genera ipsa, differentias, causas, euentusque per signa perfecte inuenimus; & vix homine inspecto, cum laborare eo morbo (*exceptis reliquis accidentibus*) seu affectu, quem alij *sceletyrbem* alij *gingipedium*, alij, vt vulgares, *scurbutum*, nonnulli *stomacacem* vocant percepimus: ita vt postea nihil supereesset quin rationem quoque agendi inueniremus, *vt mox declarabimus*. Nam & hoc inter interrogandum fassus est, sæpe & hoc eodem malo seu morbo se obnoxium fuisse. Cum enim in Hispaniam nauigaret, in naui hac eadem passione scurbutica dicta se correptum fuisse narrabat, ex laridi rancidi, & carnis non bene salitæ ac putidæ,& panis biscocti mucidi comestione. Nam hæc ægritudo, vt vsu quotidiano edocti sumus, in Hollandorum seu Batauorum ac Westfrisiorum nauibus grassari solet; maxime vero in aeris constitutione calida, & aquarum dulcium penuria: aut dum corruptis aquis, in dicta aeris intemperie, vtuntur, cum crassa diæta, hoc malo corripiuntur. Peculiaris enim ipsorum, qui hoc morbo afficiuntur, victus est, caro salsa, laridum rancidum, pisces olidi, panis biscoctus subrnucidus, allia, ceruisia crassa, mali succi procreatiua. Atqui infecti hoc morbo nautæ victu tenuiori tunc vtentes, tum ceruisia absinthite, ac eiusmodi melius valent. Ita etiam hic noster nauta, cum vtcunque eo tempore à scurbutica passione euasisset, domum rediens incidit in quartanam; mox iterum in scurbutum, ac reliqua symptomata dicta. Cæterum, vt aliqua de hoc morbo dicamus, non solum antea incognitus fuit, sed multi eo laborantes interierunt. Ita vt olim Martinus Dorpius, doctor Theologus Louanien sis, dicto morbo multis abhinc annis exspirauerit, maximoperè admirantibus ac stupescentibus medicis Louanien sibus, qui de Scurbuto, vt pote nouo adhuc & incognito malo, nihil tunc determinauere; nec de nomenclatura, nec de essentia, multo minus de curandi ratione. Nos tamen hic plurimos curauimus: & quæ in iis obseruauerim aliquando signa, paucis explicabo. Certum est. *Scurbutum chronicum esse morbum, non simplicem, sed compositum ex pluribus; ex quibus aliqui, morbi tantum; aliqui morbi simul & causæ rationem obtinent.* Id signa hæc pathognomonica ostendunt, *præcordiorum angustia, crurum cum dolore debilitas, gingiuarum prurigino sa rubedo, ac dolor, faciei color in nigredinem vergens.* Et huius principium plerumque longum est & hoc cognitu difficilius, quo longius protrahitur, quia omnia fere signa habet cum aliis communia, vti est totius corporis tum gratuitas, tum spontanea crassitudo, quæ hebetiores non sentiunt, nisi à consueto exercitio. At vbi consequitur, *præcordiorum aliqualis anguslia, crurum debilitas, & exiguus dolor, gingiuarum prurigino sa rubedo ac dolor, faciei color ex pallido in fulcum vergens* hæc inquam vbi coniunctim inuenio, scurbuti principium adesse suspicor; eaque esse huius morbi peculiaria signa; etiam principij huius morbi: quæ eadem quoque increscentia augmentum & statum designant. Quæ vbi in principio adesse viderim, Scurbutum adesse iudico: alioqui subhæsitans, quousque *oris graueolentia gingiuarum laxus sanguifluus tumor, dentes vacillantes, & crurum maculæ plumbeæ, purpureæ, nigris violis obscuriores, lentigines innumerabiles griseæ seu pullæ, aut circa os vel sola crura superuenientia symptomata*, opinionem meam comprobarent. Quoties vero passio magis ingrauescit, sequitur & ambulandi impotentia, anhelitus difficultas, potissimum dum se mouent aut erigunt: & si aliquandiu erecti sedere conantur, quasi deficiente spiritu semianimes deliquio afficiuntur: rursus decumbentes reficiuntur, ac respirant liberius. In his rarissime deficit appetitus, frequenter cibum appetunt, & decumbentes se sanos asserunt: sed quia fieri non potest vt sine omni motu decumbant, eo fit, vt aliquando quasi delinquentes animo langueant: quo deliquio aliquos exstinctos noui. Hoc modo prætor quidam in Castricomio pago obiit, quem Ioannes Gallus medicus Harlemensis in curatione præ manibus habebat. Cuius quidem filius postea in prætura patri succedens, etiam hac passione deplorate laborauit: sed is à me curatus euasit, magna nostra industria, (*vt sequenti obseruatione dicemus*) quemadmodum & alij plurimi. Præter hæc iam dicta in nonnullis obseruaui, *motum aggrauationis quarto plerumque die; aliquibus & tertio in paucioribus, singulis diebus interpositis spatiis inordinatis.* Aliqui simul febriunt, vt hic nauta, qui postea hecticam habuit. Plurimos autem prius habuisse quartanam obseruaui, quæ in scurbutum transiit, vt in nostro hoc etiam ægro euenit. Nonnullos quoque per totum decursum morbi *aluum constrictam* habuisse animaduerti: quosdam vero continuo ventris fluxui fuisse obnoxios. Interdum vidi maculosa illa crura sic intumescere, vt elephantiasin Arabum quispiam opinaretur: rursus vero aliorum crura ita attenuata, vt nuda cutis deturpata ossibus affixa videretur. Cæterum nihil mirum est, quod sæpe varia & quasi ex diametro pugnantia symptomata in eodem morbo obseruaui, & diuersa signa; id enim scurbuto cum plerisque aliis morbis commune. Sic in pleuritide modo sursum, modo deorsum dolor vergit, modo venter adstrictus, modo immodice fluens, &c. Hactenus de symptomatibus: quæ cum à scurbuto, tanquam à causa procedunt, merito eius signa esse constat. Sed quo nomine hic morbus proprie appelletur, vel num apud veteres cognitus fuerit, adhuc sub iudice lis est. Alij Scelotyrbem Plinij esse putant, alij ad alios morbos referunt; quales Auicenna tetigisse videtur in eo loco, vbi de signis apostematum lienis disserit in hæc verba: *Et quandoque denigratur lingua in duritiis splenis, & sentitur durities eius absque rugitu, cum premitur, nisi aggregetur ei inflatio. Et non est cum ea febris inseparabilis. Imo quandoque est secundum ordinem, & quandoque cum ea multiplicantur vlcera crurum, & corroduntur dentes, & gingiuæ propter crassitudinem sanguinis, qui descendit in vlcera crurum, & propter corruptionem vaporis qui ascendit in omnes partes gingiuarum & dentium. Et quandoque est in vlceribus crurum crisis illius.* Horum pleraque cum nostro scurbuto familiaria comperimus. Alij ad scirrhum splenis referunt: quod tactu facile innotescit, explorato scurbutici sinistro hypochondrio. Celsus libr. 2. cap. 6. *At quibus lienes magni sunt, his gingiuæ malæ sunt, & os olet, aut sanguis aliqua parte prorumpit, è quibus si nihil euenit, necesse est in cruribus mala vlcera, vt ex his nigræ cicatrices fiant. Ægmeta quoque eadem scirrhi splenis notas ponit*, lib. 3. cap. 49. *Hoc præsis vitio os fœtet, gingiuæ exedantur vlcera in cruribus cicatricem non recipiunt.* Alexander Trallianus similia fere. *lib. 3. cap. 23.* sed de phlegmone ex atra bile prodiit, hisce verbis:

Imperitorũ medicorum iudicium facile ac inep tum.

Scurbutus.

Vbi scurbutus maxime frequens est.

Victus melancholicus.

Quartana magna ex parte scurbutum præcedit.

Scurbutus morb. medicis Louaniensib. incognitus.

Scurbutus chronicus morbus & compositus.

Signa pathognomonica scurbuti.

Scurbuti principium.

Scurbuti signa peculiaria.

Scurbuti ingraescentis signa.

quidam delinquentes animo ex scurbuto sibi periclitantur.

Variascurbuti symptomata.

Variasymptomata in aliis morbis deprehensa.

Proprium nomen scurbuti adhuc incognitum est.

Varices in crure simul cum scurbuto.

Pauii affectus præter naturam in morbo scurbutico.

Hæc aliquo modo videntur conuenire scurbuto.

quæ lienis magnos esse sequuntur.

Expultrix deprauata.

Phlegmone ex atra bile.

Factadiam ex atrabile inflammatione in splene, laborans paulatim atrabiliario colore suffusus, nigricare videtur, nec tam cutis quam vrina nigricat. Lien per se friger, nec increscit admodum, sed durescit: melancholicus humor redundat in omni corpore, gingiuæ atriores videntur: & siti vexantur, qui si frigidi poculi copiam habet, plus cibi appetunt. Alij ictericam nigram referri volunt. Cæterum de nomine non multum refert, num etiam veteribus fuerit morbus cognitus, nec ne. Videte de *his Balduinum Ronsseum, medicum doctissimum, veterem nostrum amicum, in commentario suo edito, de scurbuto.* Satis est, quod nomen ab essentia cognoscimus, scurbutum morbum esse ex vitio splenis aliquando obstructi, aut intemperati; aliquando etiam cum incipiente scirrho, qui præpedit eius attractionem, ac consuetam sequestrationem atrabiliariæ redundantiæ, ex hepate venisque mesaraicis: eoque vitiante corpus, coloris humore aspergit. Sed peculiariter crassiore fæculentia, cruda; & euaporante acredine, gingiuas contaminat; *vt Echtius addit in sua epitome eidem libello adiuncta*: cum & eadem olim fere ad verbum in epistola scripserat ad Blienburchium, medicum Traiectensem, anno 1541. quam & eodem fere tempore eruditissimus ille medicus Colonien sis, nostri amantissimus Cronenburchius ad me misit, & simul alias duas epistolas Blienburchij ad Iohannem Echtium scriptas, vnam dominica post Cantate, anno 1541. ex Traiecto: alteram 5. Septembr. anno 1541. Ex quibus epistolis quædam decerpta, olim ad patruum vestrum anno 1558. scripsi, & nunc iterum eadem ad vos mitto, cum quædam & hic referuntur ex duabus epistolis illis Blienburchij de scurbuto, quæ nequaquam omittenda esse duximus: & etiam ex epistola Echtij: quæ postea in epitomen (*vt diximus*) redacta sunt, & in fine libri Ronssei etiam impressa. Quare rursus redeamus eo vnde digressi sumus. Raro autem fit, quin lien maxime afficiatur: quanquam in D. Assendelphio, Hollandiæ præside, (*vt nos conspeximus*) hepar maxime affectum fuit: nam in dextro crure etiam plures maculas magisque variegatas habebat. Sæpe etiam animaduertimus in eodem morbo diuersa symptomata (*vt antea diximus*) quemadmodum abhinc vno mense in prægnante, quæ etiam varices in crure habebat, quæ per se in venis erosæ fuere, & apertæ per se; vt ex eis vltra duas libras sanguinis emanasse viderimus: & nisi nostra ope sanguinem profluentem restrinxissemus, actum fuisset de vita prægnantis. Neque hæc postea abortiit. Adest itaque statim in principio scurbuti, morbus in conformatione, lienis videlicet obstructio, cuius symptoma est præcordiorum angustia. Ex hoc sequitur deinceps, tanquam ex causa, morbus in numero, quippe multitudo humoris melancholici in venis portæ vel mezenterij, qua lien eam materiam attrahendo sanguinem depurare erat solitus; quæ homini secundum naturam adesse non debeat. Igitur superfluus est, & morbus in numero. Neque solum in hisce venis, sed etiam in iis, per quas ex liene in ventriculum melancholia transmittitur. Et huius symptoma quoque vnum est, *vt supra*, præcordiorum angustia, ad operationem læsam pertinens; vel, si libet, ad qualitatem præter naturam in sensu tactus. Alterum symptoma est, expultrix deprauata, quippe cum vna cum sanguine fertur humor per corpus totum, vel ad crura præcipue: qui à liene attractus, partim ipsum nutrire, partim in ventriculum transfusus, per ipsum euacuari debebat. Ex hoc symptomate aliud nascitur, in qualitate mutata; nimirum color ille faciei ex pallido fuscus, qui in reliquo etiam corpore vel in cruribus efflorescit. Item ex eadem expultrice deprauata, symptoma oris, rubedo pruriginosa, dolorque originem trahunt: quæ omnia ad qualitatem mutatam pertinere, cum visu percipiuntur, tum etiam tactu, quo ad dolorem & continui solutionẽ referuntur. Ex eadẽ adhuc oritur crurum debilitas, ad operationem tactus læsam pertinens. Hosce morbos inæqualis intemperies proculdubio statim sequitur: quæ quidem intemperies ex humore prædicto diutius præcordia obsidente gignitur: ita reciprocatione quadam, etiam hepate male affecto eum humorem deinceps assidue gignit. Hi morbi prædicti principium scurbuti constituunt. Qui si ægrotorum negligentia, curantisve insciti a, iam augmentum vel statum attigerit (*nam diligentia medici procul dubio, vt nos in multis quotidiana experientia experti sumus, prohiberi potest, ne eo discriminis res adducat*) ex symptomate gingiuarum nascitur vlcus earundem, ad continui solutionem pertinens. Ex crurum vero symptomate, operatio eorundem animalis, vel naturalis, vel vtræque simul auferuntur. Porro animalis operatio, scilicet motus crurum, ablata, vel saltem læsa, comitatur morbum in conformatione; nempe in neruis, tendonibus ac musculis tanta materia inbibita, vt vel facultati animali transitus intercludatur, vel membra illa ad motum inhabilia, propter humorem, etiam si facultas prædicta transeat, reddantur. Huic modo adest magnitudo crurum aucta, modo diminuta, *vt diximus*. Sunt quandoque & alia symptomata crurum, consistentia in qualitate mutata; vt maculæ illæ diuersi coloris; nonnunquam & crurum durities, ad scirrhum pertinens. Hi sunt plerumque affectus præter naturam, qui scorbutum sequuntur. *Nunc quædam de causis dicamus.* Morbi scurbuti causam antecedentem docti illi medici supradicti, humorem melancholicum, in mezaraicis præcordiisque abundantem putant; qui deinde lieni, prius in hepate cum sanguine procreatus, obstructionis causa existit. Potest autẽ vtrumque fieri, vt primo sola crassitie peccans lienem obstruxerit, deinde impedita eius visceris attractione copiam in præcordiis ac mezaraicis auxerit; vel vt primo copia sua in hepate vel venis præcipue portæ, deinde lienem obstruxerit. Id autem grauitas præcordiorum distinguet, vel hypochondrij sinistri aut dextri pondus. Sed vt sit, nihil aut parum ad curationem attinet, siue huius humoris causa sit præcedens in hepate, ex malo victu eum humorem copiose generante; siue in liene. Procatarctica causa, seu primitiua, vel extrinseca, est victus præcedens melancholicus, aër ambiens calidus, tum alia, vt vigiliæ, labores, curæ, quæ melancholiam augent: & etiam febres præcedentes (vt quartana) potissimum talia præstare possunt, Galeno id confirmante *tertio, de locis affect. cap. 6.* quod nonnulli per morbos febriles melancholicum humorem contraxerint. Quod si hepar ipsum etiam continentem causam seu coniunctam facere velis, parum laboro, cum calidum magis humores melancholicos asset. Cæterum, *vt iam diximus*, cum diuersa subinde symptomata habeat hæc scurbutica passio, ad ea conuertamur, quæ in nostro hoc ægro, seu casu, loco exempli adduximus. Breuiter affectus illos omnes præter naturam, qui huic scurbuto aderant, explicemus. Qui sex numero sunt: primo

Qualitas mutata.

Continui solutio. 14

Intemperies inæqualis.

Principium scurbuti.

Augmentũ & status scurbuti.

15 *Magnitudo aucta vel diminuta.*

Scurbuti causa antecedens.

16

Causa scurbuti procatarctica seu extrinseca.

17

Effectus peculiares naturam in hoc ægro sex.

febris hectica primæ speciei: secundo sputum cruentum, & quasi purulentum: tertio duricies lienis, & eiusdem obstructio: quarto dolor scapulæ ingens, ita, vt dormire æger non posset: quinto gingiuarum sanguifluus tumor: sexto genuum duricies scirrhosa, & inflexibilitas, vt ambulare non posset; cum colore nigriusculo, sed paucis maculis, quas crura affecta habebant. Hectica itaque, cum duplex eius causa existat, incipit nonnunquam per se, nullo morbo præcedente, communem causam cum ephemeris habens, ex ira, lassitudine, tristitia, ardore solis, aliisque causis procatarcticis: nonnunquam vero ab aliis febribus, maxime ab ardentibus; vel ex aliis longis affectionibus, vt phthisi, empyemate, diuturnis nobilium partium inflammationibus, vt hepatis, stomachi, lienis; etiam ex diarrhœa, lienteria, colo, renibus, vtero, vesica, & similibus: vnde totum corpus exsiccatur, & præcipue cor ipsum. Non est igitur mirum, quod hic præcedente quartana tam longa, deinde scurbuto superueniente, & liene ita obstructo & indurato, hectica superuenerit ad secundam speciem tendens, tamen cum putredine; nam exquisita hectica non erat. Iste itaque morbus intemperiem sequitur ex adustione, & ex accidente totum corpus exsiccante. Sputum vero cruentum & quasi purulentum, propter defluxum catarrhi obortum esse puto; similiter etiam dolorem illū vehementem scapulæ, qui vsque ad os adiutorij tendebat: talia enim, non tantum ratione febris quartanæ & longitudinis morbi, tum lienis affecti, quam catarrhi similiter euenire poterant. Ratio enim longitudinis morbi, membra nutritiua, præsertim hepar, lien, stomachus, debilitata fuere: vnde concoctio minus peracta, causa multarum superfluitatum exstitit: ex quibus tandem vapores multi eleuati, cerebrum petentes, catarrhum induxerunt, ac cerebrum multum humectarunt ac debilitarunt. Et sic facili de causa, materia illa catarrhalis fuit origo sputi cruenti ac purulenti, tum tussis: quæ quidem partim fluens ad concauitatem pectoris, (*materia etiam melancholica in liene retenta sursum euaporata, & deinde ad partes inferiores fluente*) eius sputi origo fuit; prima à capite defluens ad scapulam, dolorem auxit. Et licet hic aliquis dicere possit, quod melancholia ita fluxibilis esse non posset: huic respondemus, quod facile aduratur, etiam ex bile: vnde ad gingiuas pars subtilior tendit in hac passione scurbutica; & quæ magis crassa, fæculenta grauis existit, ad inferiora, tum crura descendit. Si itaque pars leuior gingiuas petit, verisimile est, ad cerebrum ascendisse; & mox per neruos ad scapulam, multo minori negotio ad pectoris concauitatem. Quomodo sit facta obstructio in liene, & durities ex quartana præcedente tum crasso humore melancholico, iam dictum est. Durities tamen illa non fuit legitimus scirrhus; alioqui fuisset incurabilis. Gingiuarum vero sanguifluus tumor, tum vlceratio, causam habuit ex acriore subtiliore que sanguine melancholico, aut subtilioris materiæ fæcalis melancholicæ portione, quæ vel à natura criticante, post febrem quartanam; vel à calore sursum sublata, tenera loca humidaque facilius erodendo depascebat. Malum autem ipsius cruris vel genu, cum sit dispositio mala, & non vnius generis; causam habere dicimus coniunctam, ex crassa melancholia in genu imbibita, quæ eius operationem impediuit: antecedentem vero redundantiam humoris in superioribus membris, vt liene, venis mezaraicis, atqūe ad ignobiliora, nempe ad crus & genu à natura transmissi. Magnitudo vero, tum durities, habet crurum intemperiem præsentem, ex humore ibi iam collecto, & causam tum intemperiem factam; sientem vero ex superiorum intemperie & humorum multitudine. Tum etiam habet causam illa durities scirrhosa ex humore glutinoso crasso, qui particulis induratis impactus est: qui que tamen eo defluxit, & ibidem induratus difficulter soluī potest. Quoniam itaque horum omnium affectuum genera, differentias, causas, tum signa, vtcunque enucleauimus, nihil restat nisi vt quæramus (*quod in principio maxime polliciti sumus*) agendi rationem, & curandi; omnibus istis inuentis. Quum itaque omnis medendi ratio perficiatur certis quibusdam scopis, & his, quorum beneficio scopos illos assequimur; constat, quod ad scopos attinet, eos vniuersos proponendos esse, tanquam necessarios. Videndum enim imprimis, an agendum sit; deinde, quæ & quot præstanda; tertio quid ex multis primo loco faciendum; & sic deinceps, percurrendo nouem illos scopos, *de quibus alias diximus*. Redeundo itaque ad primum; hunc per indicationes hoc modo assequemur. Cum enim natura affectuum, de quibus nunc agimus, maximam in curando diligentiam requirat, ita lienis obstructio & præsertim durities lienis, quæ à quartana cœperunt, tum reliqua symptomata, & potissimum hectica, curatu difficilia sunt. Attamen non est plane desperandum, cum etiam scurbuticos extreme laborantes, & plurimos ab aliis deploratos habitos curauerim. Et quanquam sciam hecticam adiunctam cum putredine, eoque magis difficilem curatu; tamen quia nondum transiit ad tertiam speciem, nec sputum perfecte purulentum est, vndead phthisin nondum peruenit; spem aliquam cōcepi ægrum ab affectibus dictis posse sanari, modo præceptis nostris auscultaret. Quod quidem fecit: & nos diligentes fuimus in cura, omnia indagantes: sic optime omnia: præter mentem aliorum, successerunt. Igitur cum natura affectuum, *de quibus agimus*, talis sit, vt nec lethales sint omnino & desperati, nec tamen adeo leues, vt solius naturæ beneficio abigi valeant; indicant plane à medico aliquid agendum esse. Quid vero & quot præstanda, ex differentia & numero malorum indicatur. Quoniam vero omnia illa sunt præter naturam, indicabunt primo sui ablationem. Sunt autem sex potissimū affectus, vel septem, qui peculiarem actionem propriaque remedia indicant Tumor, *inquam* lienis & durities, & eiusdem obstructio, febris hectica, sputum cruentum, & quasi purulentum, dolor scapulæ gingiuarum sanguifluus tumor, & vlcus, genuum tum totius cruris durities scirrhosa, & eiusdem inflexibilitas; & vltimo horum omnium causæ. Quapropter ex numero affectuum generatim indicantur necessaria esse septem auxilia, quæ septem malis succurrant. Ex quo patet, numerum indicantium numerum remediorum ostendere. Nam tumor indicet, quæ illum auferant: qui, quoniam durus est, mollientia ostendit necessaria: febris, quæ refrigerent: sputum cruentum, id quod fluit, intercipiendum; quod vero fluxit, euacuandum. Quod purulentum est indicat detersionem, mundificationem, & tandem sui consolidationem, si quid exulceratum est. Dolor scapulæ mitigationem indicat. Gingiuarum vlcus, absterſionem, consolidationem & corroborationem, ne amplius humorum

Quæsto.

Solutio quæstionis prædictæ.

Obstructio lienis vnde.

Gingiuarū sanguifluus tumor.

Malæ ipsius cruris vnde ortum habuit.

Magnitudo & durities.

Scopi certi semper proponendi.

Scopus vnus nium primū considerandus, virum hic morbus curabitur.

Conclusio ægrum cur vari posse.

Indicationes omnes generatim ad scopos consequendos ingredientes.

Septem hic esse præter naturam quibus indicationi seruiendum.

Numerus indicantium numerum remediorum ostendit.

Dictorum omnium confirmatio generales indicationes.

Causæ morborum, tum symptomatum etiam indicant peculiaria auxilia.

24 *Post indicantia, contraindicantia inuestiganda.*

25 *A quibus victus ratio indicatur, nempe ab affectib. iam dictis præter naturam, & præcipue indicatio à viribus, quæ sui conseruationem indicant.*

26

27

rum fiat confluxus, desiderat. Durities cruris scirrhosa, tum emollientia tum discutientia indicat adhibenda. Causæ quoque vniuscuiusque mali, sua similiter indicant peculiaria auxilia. Sic multitudo humoris melancholici, quod euacuet; partium intemperies, quæ noxiam materiam procreat, quod illam auferat: humoris acrimonia, vt ingingiuis, quod eam obtundat; si, quæ sit cruditas, quod concoquat: & ita de aliis. Cæterum cum hi morbi sint atque affectus sibi inuicem contratiantes; statim inuestiganda sunt contraindicantia: & quæcunque singulis repugnent ponenda. Primo enim morbus, qui maxime pertinet ad scurbutum, obstructio lienis est: atque hic morbus iam factus, suo contrario, nempe apertione, tollitur, quæ per subtiliantia & abstergētia perficitur. Sed quoniam hæc fere viribus calida sunt, hecticæ non conueniunt; quæ frigida & humida indicat. Secundus morbus scurbuti, scilicet multitudo humoris melancholici, sui euacuationem indicat. Hectica contraindicat, id non tuto posse fieri; & propter consumptionem, restaurationem desiderat. Hæc & eiusmodi consideranda sunt, antequam ad præsidia veniamus: vt potissimus non solum victus rationem, sed & ea, quæ circa res non naturales versantur, recte præscribere. Ita hic largius diætandum, cum id morbi longitudo, tum hectica, indicant; sed per vices. Quæ autem victus ratio attenuat & incidit, lienis obstructioni conuenit. Sed hectica refrigerantem & humectantem victum contraindicat. Hæc, vt & remedia, moderanda sunt iuxta quod affectus indicant vel contraindicant. Vel quædam omittenda, quædam vero adhibenda, vel moderanda: quod in iudicio excellentis medici, & in artis operibus exercitati consistit. Propterea talem victum præscripsimus, qui etiam partim nutriret, partim incideret; pectus mundificaret, absterget, ad lienem aperiendum faceret; absque tamen caliditate, quæ hecticæ febri contraria erat. Vtebamur igitur aliquando hordeato, aliquando amygdalato, ex amygdalis dulcibus, quibus nonnullæ amaræ, propter apertionem, adiectæ erant, etiam ex seminibus quatuor frigidis maioribus, quæ absterguunt, aperiunt, & non calefaciunt, imo infrigidant ac humectant, & ad melancholiæ adustionem faciunt. Vtebatur & pincis, fisticis, quæ aperiunt, absterguntur & nutriunt: pomis assatis, iusculo pulli, iusculo etiam aliquando pisorum, siue leguminibus; quæ & vim aperiendi & absterendi habent, etiam hæc immutando, aliqua præscribendo, iuxta indicationes affectuum præter naturam: modo exhibendo ea, quæ magis inciderent, modo, quæ magis nutrirent, humectarent, aut refrigerarent, semper indicante proposito quod magis vrgeret. Sunt enim statim ab initio ponenda vniuersa rerum genera, à quibus auxilia omnia emanant, siue res naturales, siue medicamenta, vel alimenta, vt libet appellare. Porro eorum genera apud Galenum quatuor esse constat, *vt docui libro primo, de sanitate tuenda circa finem.* Vnum, *inquam* quod ea continet, quæ in corpus quomodocunque assumuntur: aliud, quod ea comprehendit, quæ extrinsecus adhibentur: tertium, ea habet, quæ à nobis geruntur; vel partim à nobis, partim ab aliis: in postremo vero ponit ea, quæ aliquid educunt à corpore, aut in eo retinent; & horum omnium species. Et appellat hæc quatuor, admouenda, educenda, facienda, extrinsecus incidentia. Admouendorum quidem nomine, cibus, potio, & si quid medicamentorum intro sumitur, etiam aer attractus, intelligitur. Faciendorum vero, fricatio, ambulatio, vectio, equitatio; denique omnis motus & exercitatio: huc etiam referuntur, somnus, vigilia, venus. Foris vero incidentium primus est etiam aer nobis circumdatus, deinde quæcunque lauantium vngentiumve cuti propinquant. Educendorum vero, quæ ex corpore aut partibus educuntur. Ab his igitur quatuor fontibus exhaurietis omnia præsidia: nec vnquam deerit, quod opitulari posset, quantum admittit nostra hæc facultas. Iam igitur in scurbuto videndum, nunquid tale reperiri possit, inter ea, quæ impulsu agunt, vel nos ambiunt, vel admouentur; vel appenduntur aut circumligantur, inunguntur, balneantur, & similia, quæ nos sub primo fonte ponamus, eorum, quæ extrinsecus agunt: quod si quid sit, id in medium proferre oportet. Deinde pergemus ad secundum fontem, qui ad facienda pertinet: atque spectabimus nunquid aliqua actio corporis ambulatio, & cuiuscunque generis exercitatio, conueniat: & denique vitæ conditionem, & animi corporisque omnes actiones expendemus, nunquid huic nostro morbo aliisque affectibus præter naturam, qui adsunt, prodesse aut obesse possint. Tertius deinde succedet fons, qui continet alimenta & medicamenta, quæ in corpus sumuntur, per quamcunque illius partem, & quocunque modo: nam quædam immittuntur, alia deuorantur, alia manduntur, alia biduntur, alia inspirantur, quædam lambuntur, alia paulatim destillantur, alia suguntur, alia aliter forte in corpus sumuntur: quorum vim perspectam habere oportet: & ea capere, quæ ad abigendos affectus præter naturam, qui adsunt, faciant. Quartus demum sequitur fons, in quo continentur, quæ aliquid è corpore euacuant sensibiliter, vel insensibiliter, æqualiter vel inæqualiter: idque vel ab vniuerso, vel à quibusdam duntaxat partibus, quod cum educitur, vtrum vtile sit videndum; & quid quoque retineri debeat, quid vero educi. Quibus quidem fontibus exhaustis, protinus aquiescet animus, tanquam nullum remediorum genus omiserit, quod nostra exhibeat medicina. Et in his victus, medicamentorum aeris, cibi, potus, somni, vigiliæ, inanitionis, repletionis, animi corporisque motus (*vt aliorum omnium*) mentio fit: sed multo sane felicius, & cum maiori compendio, vt memoriæ inhæreat, quam hactenus quidam tantum practici scribunt, quid sit obseruandum in rebus non naturalibus. Nam etiam hæc omnia iuxta indicantia vel contraindicantia, & quædam in principio morbi, non tamen in fine, vt aliquando diximus, conueniunt: vt ambulatio cruri ita affecto non conuenit: postea tamen ad discutiendum aliquo modo conuenire potest, sed motus scurbuticis non conuenit, quum facile animo delinquant. Et ita de aliis omnibus erit ratiocinandum: quæ potius ingenio & iudicio medici exercitati, quam calámo per scripturam comprehenduntur. Nam omnia illa in vnoquoque scopo, mēte quidem tacite percurrere oportet: & siue victum, siue remedia ægro vestro præscribere veliris id nunquam faciendum, nisi proposito indicante. Sultus enim & indoctus videbitur esse medicus, si præsens apud ægrum, vel in consultatione, vbi alij medici periti etiam conuocati sunt, fortasse dicet opus esse adstringentibus, vel euacuantibus, vel sanguinis missione, vel calefacientibus, aut auertētibus, aut vino,

Ex quatuor fontibus omnia auxilia emanant.

Nonus.

Primus fons.

Secundus fons.

28

Tertius fons.

Quartus fons.

29 *Ex illis quatuor fontibus omnia præsidia deprompta.*

Multa ingenio medici percipiuntur, quæ calamo exarari non possunt.

30 *Medici imperiti vim indicantis & contraindicantium ignorant.*

vel aqua; aut alio denique præsidio: item morbos singulos certo numero auxiliorū abigi: si tamen interim nihil proponat ille, aut colligat, ex his, quid sit quod suadeat illud esse faciendum, vel omnino relinquendum. Quod quidem fit eo, quod indicationum vis, & vsus ignoretur: sine quibus nulla agendi ratio in medicina constare, nec aliquod medici officium, Galeno etiam auctore, exerceri potest. Igitur medicus, antequam ad consultationes veniat, prænouisse debet, quæ & quot sint, quæ indicēt: quid præterea vnumquodque indicet, quid singulis repugnet, quid vnumquodque admittat: vt quid indicet conseruationem, quid ablationem, præseruationem, restaurationem, mitigationem; quid victū, quid remedium, quid alimentum, quid cibum, quid potum, alterantia, vacuantia; & quid in singulis generibus singula ostendant. Vt in vacuatione, quid sensibilem, quid insensibilem; quid sanguinis detractionem, vel purgationem, aut aliud denique, quo vacuet, insinuet. Postea vero, quid his repugnare valeat, tenendum est: vt alia, quæ coindicant & admittunt. Ex horum enim consideratione (*vt iam antea ostendimus*) inuenimus an agendum; quid; qua materia, quali quantaque sit opus; quo item modo, quo ve ordine & tempore, & in quo corporis loco ea vti possumus. Nunc itaque exemplo scurbuti docuimus, qui sint affectus in eo præter naturam, & quid generatim, tum causæ eorundem, indicent; quid etiam singulis repugnet; & quæ remedia generatim præscribenda sint, cum ad inferiores actiones descendendum est. Postquam affectus & causæ inuenta sunt, quæ sua indicāt remedia, statim videndum cui prius succurrendum sit, cui secundo, cuique deinceps? quod ordo malorum ostendet: quid prius præcedere debeat, sine quo reliqua fieri nequeunt. Cum itaque obstructio indicet sui ablationem, per subtiliātia & abstergentia, & cum illa calida sint, nec hecticæ conueniant, neque corpori pleno tuto adhiberi possint, propterea multitudinem prius amoliri tētemus. Neque enim febris, nec obstructiones nec tumor; nec intemperies tolli possunt, nisi prius multitudo humoris auferatur. Hæc autem cum sit morbus partim factus, partim fiens, duplicem habet indicationem, partim curatiuam, partim præseruatiuam; Quod enim factum est curabitur per euacuationem; quod adhuc fit, per prohibitionē generationis talis humoris, & retentionis si quid forte iterum genitum fuerit. Prohibitio autem generationis fier per intēperiei iccinoris & lienis curationem, & per causarum procatarcticarum ablationem, ne talia sumantur, quæ melancholiam augere aut fouere possent. Retentionem vero impediens per meatuum reserationem, & splenis postea confortationem. Ita prohibitio retentionis, duplicem præstabit vsum; præseruationem nimirum multitudinis, & curationem obstructionis. Reseratio namque retentionis est prohibitio: intemperies quoque, eius quod factum est per contraria ablationem indicabit: quod vero fit, per suæ ablationem causæ auferetur, nimirum humoris multitudinis; & deinde per roborationem viscerum. Et sic etiam ablatio humoris duplicem & ipsa præstabit vsum; curationem sui, & obstructionis præseruationem. Erunt itaque generatim quatuor intentiones curandi: apertio, euacuatio, alteratio, & cōfortatio. Inter quas secunda, quæ est euacuatio, omnium primo (*si iuuo & viliter velimus procedere*) exsequenda est. Deinde apertio; quia magna ex parte obstructo causa est intemperiei. Deinde alteratio. Vltimo vero confortatio. Hæc autem in scurbuto ordine iam dicto plerumque exsequenda. Quanquam hic in nostro ægro, ob hecticam admixtam, vna quasi vice alterandum sit, & aperiendum, cum eiusmodi, quæ magnam caliditatem non habent, vt in processu curæ patebit. Ex ipsius itaque Galeni, & aliorum medicorum excellentium doctrina concludimus, scurbuticos, quo ad methodum medendi, non prius exoptatam sanitatem nancisci, nisi quatuor illa prædicta præcesserint: nisi enim plenitudo sit amota, & obstructio remota, & intemperies ablata, atque lien roboratus, æger nunquam curabitur. Quod prosper sanitatis successus, adeo euidenter edocuit, vt illis quatuor adhibitis infinitos fere scurbuticos curauerim, & ab omnibus præter naturam affectibus liberauerim: qui tanquam vmbræ postea sublati abiere, vel leui negotio, vt etiam gingiuæ tum crura maculosa persanarentur. Verum tamen subinde morbus ex morbo nascitur, & morbus fit morbi causa: & eadem tursus nunc causæ, nunc morbi, nunc symptomatis rationem obtinet. Itaque pro huius varietatis ratione, & curatiuæ indicationes variantur. Quæ omnia ex prædictis notiora sunt, quam vt in præsentiarum altius repetere conueniat. Ad exemplum igitur curati accedam. Quoniam itaque demonstrauimus, à vacuatione curationem incipiendam esse, ita indicante causa, quæ sibi primum locum vindicat, de ea primum dicendum: quoniam vacuantium plura sunt genera & differentiæ; alia enim est vniuersalis, vt sanguinis missio, eique proxima purgatio; alia est particularis. Sed istis omissis, constat æquali, ac sensibili vtendum esse vacuatione; & propterea adhibenda esse, quæ id præstare possint. Igitur auspicandum erit à sanguinis missione. Hic forte aliquis dicet, hanc indicari à morbo, humore, ætate, viribus, regione, cœli statu, corporis habitu, anni tempore, vitæ conditione, & ab aliis huiusmodi infinitis: quum tamen ex Galeni doctrina, vnicum duntaxat sit quod indicat: reliqua vero omnia vel coindicare, quod est ostendere id quod indicat; vel impedire primo, quod est contraindicare; vel secundario, quod est correpugnare, dicantur. Propterea hæc diligenter inquiramus, & distinguamus: vt sit loco exempli aliorum remediorum. Imprimis sanguinis melancholici multitudo sanguinem demendum esse indicat: atque hic vnus scopus est qui indicat. Aetas vero, venæ vtcumque tumidæ, vitæ conditio præcedens: (*nam quartana præcedente sanguinem non miserat, attamen consuetus subinde sanguinem mittere*) anni tempus (*nam in autumno etiam hæc conuenit, quamuis melius in vere*) niger color, sanguinem etiam abundare demonstrabant, in corpore macilento, vbi venæ etiam magis apparent, vrina crassa, rubea. Hæc inquam missionem sanguinis fiendam coindicabant. Hectica vero contraindicabat. Iam etiam vires imbecillæ correpugnabant. Si vires coindicassent, tunc referendæ vires erant ad signa indicantium: iam vero ad signa contraindicantium. Corporis igitur habitus iam consumptus ob morbi longitudinem, etiam correpugnabat. Cum igitur vires sint nondum plane prostratæ, sed infirmæ; non omnino prohibent, nec prorsus admittunt, sed tolerant: interim tamen quia hectica non facile admittit, pro imbecillitatis quantitate, & aliis conditionibus repugnant quantitati vacuationis, modo, tempori, loco, qualitati. Magnas enim vacuationes, & confertim factas, & magnas incisiones venarum, per quas spirituosa substantia exhalat, dissoluiturque robur, non ferunt infirmæ vires: nec quo tempore admodum laborant, eo admittunt detractionem fieri: sed prius sui restaurationem postulant. Sic igitur contraindicantia ad rem ducenda sunt: ac in omni auxilio, singulisq; scopis spectandū, quid per se repugnet, quid per accidens, quid vero admittat vnūquodque. Habitus vero corporis, color, venarum tumor, ætas, anni tēpus, ostendunt quomodo sint vires affectæ docentq; sanguinē abundare, & illius qualitatem, & quo in loco redundet; & reliqua, quæ postea scopos indicant: & propterea illa tanquam coindicantia, & correpugnantia commemorantur. Sanguis itaque multus multum euacuari postulat, indicante scilicet copia humoris, quantitatem sui præsidij. Verum licet hic abundet, parum educi debet; nec ita abundat, vt in principio, propter longitudinem morbi & quartanam præcedentem: & propterea magis assatus est & crassus; ideo latam sectionem indicat: nam qualitatem remedij qualitas humoris indicat. Sed omnino lata sectio fieri non potest, vt diximus, ne spirituosa substantia exhalet, viresque, quæ iam debiles ex longo morbo sunt, dissoluat. A vena autem extrahendus est sanguis, quoniam in venis abundat. Secanda autem interna siniſtri cubiti, aut ea, quæ est inter annularem & auricularem digitos siniſtræ manus; maxima vt à liene, fomite malorum, humor educatur. Hoc enim modo locus indicantium, locum indicabit remediorum. Eo vero tempore sui vacuationem postulat sanguis, quo facile & commode exire potest. Hæc quanquam magis conueniant in principio; tamen si morbus progressus est, relinquere non oportet, modo vires tolerant. Et quanquam hic quædam indicabant, quædam contraindicabant sanguinis missionem; quædam vero coindicabant, quædam correpugnabant, vt iam satis ostensum est; hanc etiam ob causam ex saluatella seu vena lienari manus siniſtræ, quæ est inter auricularem & annularem digitos, parum sanguinis admodum crassi & fæculenti extraximus; sed in parua quantitate, ob vires debiliores, & morbi longitudinem, & ob hecticam cum putredine, quæ tamen in principio erat. Profuit etiam ad sputum cruentum, ob diuersionem sanguinis. Sed hic aliquis rogabit, *quare non in cubito?* nam Græci fere semper in cubito miserunt sanguinem, & non in manu. Huic respondemus, *nos ab experientia edoctos hanc venæ apertionem in scurbuticis maxime prodesse*: quanquam etiam in illis in cubito quoque misimus. Nam perinde puto, siue in cubito siue in manu fiat. Sic enim in filio illo prætoris Castricomij, in cubito misimus; ac æque contulit. Postea venimus ad reliqua remedia, nempe ad apertionem & alterationem, etiam leuem euacuationem; nam materia melancholica rebellis est, & per vices educi debet, deinde etiam ad confortationem, & supradictas intentiones; eodem modo indicantia & coindicantia, contraindicantia & correpugnantia perscrutando; vt de missione sanguinis; quæ quidem missio sanguinis sit loco exempli aliorum: nam omnia repetere non opus est. Et cum post sanguinis euacuationem opus sit purgatione humoris melancholici, qui crassus est; prius aperientibus opus erit: & sic quo ad secundam & tertiam intentionem: quarum vna est apertio, primo exsecutioni mandanda; quoniam obstructio ex partē causa est intemperiei, deinde vero alteratio administranda; vel vtræque hæ intentiones simul peragendæ. Apertio autem in remediis primæ intentionis magna ex parte etiam adimpletur, vt phlebotomia, quæ iam præmissa est, hæmorrhoidum apertione, si opus est, purgatione, potionibus præparantibus, sanguinem denique mundificantibus. Si quæ autem obstructionis adhuc reliquiæ supersunt, vel seorsim, vel vna cum tertia intentione principali potērunt exstirpari. Tertia enim intentio principalis, cum sit alteratio; alterabitur intemperies facta per contrariorum applicationem; siens vero adhuc; partim in euacuandi aperiendique intentionibus prohibebitur; partim etiam diæta boni succi, & attenuante, quantum ad lienis intemperiem; humectante vero & refrigerante, quantum ad febrem, alterabitur. Et dum hæc fiunt, etiam corroboratione opus erit; quæ est quarta intentio, quæ scilicet debilitatem membrorum ex intemperie propulsabit: & hæc fere simul in alteratione perficitur, & post eam, secundum viscerum exigentiam exsequenda. Nam fieri non potest, quin stomachus & hepar in hoc casu maximam confortationem requirant: tum quod in ipso scurbuto debilitantur, tum quia fieri vix potuit, vt in præmissarum exsecutione intentionum nihil labefactarentur. Istis itaque præmissis, iam ad particularem materiam remediorum, ad singulas intentiones facientes, veniamus. Statim itaque à missione sanguinis decoctum infrascriptum bibendum mandauimus: ℞. *corticum rad. cichorij, petroselini, per noctem in aceto infusarum, & leuiter expressarum ana* ℥ j. infundebamus in aceto, vt magis inciderent, & ad aperrent: Glycyrrhizæ rasæ ʒ vj. propter tussim, & quia sputum purulentum etiam aperit: Vngulæ caballinæ viridis m. ij. ad sputum purulentum & cruentum valet; imo phthisi opitulatur, & hecticæ prodest, & bechicum est: Viol. ob febrem hecticam: nam humectat & infrigidat. Capill. ven. pectori conuenit, & lienem aperit, nec calorem inducit: nam herba est satis temperata: Scabiosæ: pectori enim prodest, vlcerationi & cuius apostemati interiori, *an. m. ß. bekabungæ, cochleariæ*, à proprietate valent ad scurbutum. Fumiterræ; melancholiam mundificat: Hyssopi; pectus aperit: ceterach, scolopendrij vulgaris: *Ceterach.* maxime spleni confert: & *scolopendrion* licet non ita aperit; tamen ad lienem valere experientia constat, *ana m. ß. florum cord. passular. enucleat. ana p. j. coquantur in sero lactis, pro* ib i ß. *Zacchar. candi, hæc potio dulcoretur*, quæ fuit præparatoria. Interim pro alteratione. cum incalesceret, vtebatur lacte ebutyrato, in quo cochlearia & bekabunga incocta erant. Quando minus videbatur febricitare, etiam hæc coquebantur in lacte dulci: & summo diluculo capiebat cyathum vnum. Hoc faciebat ad hecticam simul & ad scurbutum (*nam plurimos solo vsu lactis dulcis, decocti cum cochlearia & bekabunga, qui non febricitabant, curauit*) & quoq; ad sputum cruentum. Vtebatur etiam pro potu cerusia tenui, in qua vngula caball. cum rad. incocta erat. Nonnunquam & his adiiciebantur scolopendria, fumus terræ, cochlearia, bekabunga & ceterach. Post potionem supradictam præparatoriam, eum leuiter purgauimus: & licet hectica per se cōtraindicat, nam hecticis nō cōuenit purgatio; quando

Nota pulcherrima.

31 *Ex quibus cognoscatur quid agendum, tum reliqui scopi actionum.*

Causa & affectus indicant remedia.

Considerandum inuentis indicationibus quid prius agendum sit.

32 *Multitudo humoris primo auferenda.*

33 *Quatuor intentiones generales curandi scurbutum, & quæ omnium primo exsequenda.*

Scurbutici non possunt curari, nisi plenitudo prius amputetur, de obstructione lienis: alterationo vero intemperies: ac demum reliqua symptomata subsequutura scurbutum.

34 *Notata*

Causa indicans omnium primo hic euacuationem fieri debere.

Sanguinis missionem præmittendam.

35 *Confusa distinguenda. Quid indicat sanguinem mitti debere.*

Contraindicantia, correpugnantia.

36 *Hæc maxime distinguenda & in vsum ducenda.*

Quantitatem indicat, vel contraindicant.

Qualitatem indicant vel contraindicant.

37 *Locus indicantium, locum indicat remediorū. Quæ tempus indicant vel contraindicant.*

Quid tandē ex omnibus fiendum cōcludatur.

38

Græci fere semper in cubito sanguinem miserunt.

In reliquis remediis eadē perseuranda.

39

Reliquæ intentiones quomodo etiam explorandæ.

40

Corroboratio.

Aperitio.

Alteratio.

41 *Potio præparatoria similiter aperiens & alterans.*

Remediorū iuxta rationem affectuum variatio.

42

Purgatio.

quando tamen est cum putredine, leuis purgatio dari potest, idque per vices, ob debilitatem vicium: etiam ratione melancholiæ, quæ rebellis est, & vnica vice euacuari non debeat, maxime in corpore consumpto ob longitudinem morbi. Potioni itaque supradictæ adiecimus, *folior. colucca, id est senæ ℥ j. polypodij quercini, epythimi ana ʒ ij. misce.* capiebat omni mane cyathum vnum. Deinde reiterata est decoctio absque sena, nonnunquam etiam in ceruisia communi: nam obseruatione hoc percepimus, melius ad scurbutos valere aliquando etiamsi magis incalesceret æger, ob hecticam, in aqua vngulæ caballinæ & communi incoquebantur. Pectus autem ob tussim & hecticam inunximus butyro recenti, oleo amygd. dulc. & oleo violaceo: etiam vnguento pectorali nostræ descriptionis, quod Alcmariæ in officina paratum habebamus. Ad sputi facilitationem *syrup. liquiritiæ, viol. cap. ven. simul mixtis vtebatur*, etiam tale eclegmate: ℞. *succi vngulæ caballinæ optime depurati ℥ i ß. succi bekabungæ depuratæ ℥ ß. syrup. capill. ven. ℥ j. zacchari penidiarum ℥ i ß.* Zaccharum cum succis post depurationem vnica vice ebulliebat, vt in loch seu eclegma concresceret. Præscripsimus etiam pullam Benedicti Fauentini præceptoris mei, quæ valet ad hecticam & præseruationem à phthisi: & prosputo cruento, in principio decoctum portulacæ cum vngula caballina: deinde decoctum hordei mundati, & vngulæ caballinæ, & alia quædam, quæ in practica Benedicti Fauentini habentur in sua empyrica cap. de phthisi. Et tandē hectica desiit, nec amplius tussiebat: & à sputo cruento & purulento curatus est, & calor febrilis maxime sedatus: & vrina, quæ erat valde passea, subrubea, nigra, crassa, fæculenta, incepit minus esse tincta; ita, vt febris iam euanesceret: tunc demum ad magis lienem aperientia, & tumorem discutientia deuenimus; simul decocto superiori addētes illa, quæ viscera & stomachum magis corroborarent, vt absinthium Romanum, & hoc modo: ℞. *corticum rad. cichorij, petrosel. an. ℥ ß. scolopen. cichorij, ceterach. bekabungæ cochleariæ, fumiteriæ, agrimoniæ, absinth. Romani ana m. ß. florum cord. ana p. j. sem. anisi ℥ j. sem. endiuiæ. agni casti, ana ℥ ß. uuar. pass. enucleat. p. j. corticum rad. cappar. ℥ iij. fiat decoctio in aqua communi, pro lb i ß. colentur. adde syr. sceletyrbic: nostri, syr. de fumoteriæ, de endiuia, de cichor. cum rhabarb. ana ℥ ß. misce.* Syrupus sceletyrbicus noster conficitur ex succo bekabungæ & cochleariæ, cum zaccharo. Nullum præstantius empiricum in scurbuticis inueni. D. Sasbotus consiliarius regius Haghensis cum scurbutica passione deplorate laboraret, & medici sui præsentes, D. Antonius Henricus Vergoir, & D. Hugo, medici Haghenses, de eo desperarent; superuenit illis Doctor Nannius, medicus Amstelrodamensis doctissimus, qui inuenit eundem laborare scurbuto; & breui eum, præter opinionem aliorum, restituit. Fuit tamen semper postea huic passioni obnoxius, & vndique quærebat consultationes. Huic igitur, vt hoc syrupo nostro vteretur, bis aut ter in septimana, consuluimus: & nostra ope in posterum præseruatus, ita, vt quotannis pro eo ac aliis amicis talem syrupum in officinis mihi parari iusserim. Tabulas etiam alterantes, aperientes & confortantes (*cum ex decocto supradicto, cui sena incocta erat, vsus fuisset noster nauta*) similiter ei dedimus, ita præparatas: ℞. *specierum diarrhod. abb.* ℈ ij. *specierum trionsant. trochisc. de cappar. ana* ℈ j. dissolutis in aqua agrimoniæ qu. s. adiecto zaccharo, fiat confectio in tabulis, vt artis est. Cæterum istis præcedentibus, quanquam ipsius scurbuti valentiora symptomata non cessarent, permanente lienis duritie, & cruris scirrhosa dispositione, tum dolore ingenti in scapula. Autumno increscente, ne ad hydropem vel cachexiam tenderet, ad dicta symptomata amouenda, præhabitis dictis intentionibus, accessimus; etiam ad particularia remedia deueniendo, quæ ex quatuor fontibus iam supradictis hausimus. Durities enim illius lienis, tum obstructio, post febrem quartanā relicta, præcipue auferenda erat, antequam ad cruris duritiem, tum nigritiem, curandam accederemus. Obstructione enim ablata, reliqua accidentia facilius (*vt diximus*) curabuntur, tāquam ab hoc trunco procedentia: nam illa rigiditas coxæ, tum color ad nigredinem declinans, cruris tum etiam totius corporis, non solū accidit propter attractricis, quæ est in liene, imbecillitatem: verum etiam quando meatus, per quam atræ bilis fæculentus humor ex iecore in lienem deriuatur, obstructus est, & lien in tumorem eleuatus, impurus ac vitiosus sanguis subinde in vniuersum distribuitur corpus, illud ipsum nigredine afficiens, ac non nunquam immedicabilia vlcera proferens. Sed quia ista materia fuit hic multum tenax & viscosa, potius rigiditatem cum nigredine, quā vlcera in cruribus produxit: nam alioqui materia illa melancholica fuisset actis ac fuliginosa. Est itaque, vt diximus, hæc obstructio lienis, tum durities, causa reliquorum symptomatum, tum cruris, tum gingiuarum sanguifluarum, tum doloris scapulæ. Igitur illa prius amouenda præ cæteris extenuatoriis; & propter tumorem, attenuantibus & discutientibus: & propter duritiem, etiam mollientibus & discutientibus. Et sic præcessit sanguinis missio, deinde potiones dictæ, ex ceterach. cap. Ven. bekabunga, cochlearia, in principio pectoralibus (*ob hecticam, tum sputum*) permixtæ. Sed hectica iam ablata, paulatim ad pure lienem aperientia deuenimus: ad rad. capparum, thamarisci, ad ceterach. bekabungam, nasturtium aquaticū, laurifolium, cochleariam, & similia: & purgauimus subinde cum infus. sennæ, aut cassia, etiam tandem cum cōfectione hamech, secundum quod nobis videbatur vtile. Demū confortauimus cum electuariis, vt speciebus diacapparis, & similibus. Exterius vero lienem inunximus oleo cappar. mox linimētis, quibus vis emolliendi, attenuandi, discutiendi, corroborandi aderat: ℞. *olei amygd. dul. olei de cappar. emplastri de meliloto an. ℥ j. ammoniaci in aceto dissoluti ℥ ii j. pulu. corticum, rad. cappar. ceterach. ana* ℈ ij. *pulu. scolopend. siccæ, rad. filicis an. ℥ ß. ceræ q. s.* fiat linimentum, vel vnguentum pro liene. Talibus & similibus procedendo per duos menses, obstructio & durities tandem ablatæ fuere. Si autem scirrhosam dispositionem lienis incurrisset, fortioribus vsus fuissem, vt cerato nostro ammoniaco. Valet etiam ad miraculum, ad tophos minores, duros & scirrhosos, & maximum honorem ex eo sæpè habui, & lucrum. Nam cum cythepsæ cuidā in scroto, seu, vt barbari loquuntur, in bursa testium tanta durities esset, cum apostemate, vt nullo modo nec emolliri, nec maturari posset, hoc tamē prædicto cerato effeci. In scirrho autem lienis, *vt Galen. etiam docuit, lib. 2. ad Glauc. cap. de scirrho*, vtimur primo solis emollientibus, deinde discutientibus: nam alternatus eorum vsus prodest. Sed nostris prædictis remediis, durities tum obstructio cessarunt. Interim eodem tempore pro dolore scapulæ, qui ad os adjutorij tendebat, & ita vehemens erat hoc symptomata, vt sui quoque mitigationem statim vniuersalibus remediis præmissis indicaret, & ob defluxum humorum per nucham ad scapulam; nucham inunximus oleo chamæmillino & myrtino; scapulam vero oleo anethino & chamæmillino. Sed dolor ita increuit, vt multas noctes insomnes ageret. Inunximus postea nostro vnguento alabastrino; sed frustra: etiam vnguento dialthææ. Tandem applicuimus sacculum quadratum, intersutum ac repletum sale tosto milio, tosto furfure & floribus chamæmillæ: & eo sacculo calide admoto instar incantamenti dolor sedatus est. Iam adhuc duo pathemata scurbuti restabant, sanguifluus tumor gingiuarum, cum vlceratione: & crurum durities scirrhosa. Affectus iste præter naturam non potuit curari, nisi sanguinis missione peracta, & purgatione, tum iis, quæ lienem aperirent, ac causam scurbuti prius, tum intemperiem amouerent. Illa cum iam præmissa forent, gingiuas ablui iussimus variis decoctionibus, ex plantag. consolida minore, rosis, cimis rubi, bekabunga & cochlearia. Quibus colatis, tum mel. rosaceum, tum rob. diamoronis adiecta fuere. Etiam hoc puluere in pollinem redacto gingiuas post lotionem confricabat: *alum. vsti, salis vsti, gallarum exsiccatarum, cornu cerui vsti, saluiæ exsiccatæ ana ℥ j. in pollinem conterantur.* Aliud quo vsi sumus: ℞. *pernincæ, plantag. cum rad. cinarum rubi matricariæ, saluiæ ana m. j. corices arantij vnius, bulliant in lb. 2. cernisiæ veteris claræ, & lb j. vini Pictau. vel rubei Gallici & styptici, ad dimidium fere in olla æneā, colatis adde mellis ros. ℥ iij.* eo os abluatur, ac gingiuæ confricentur: ℞. *alum. vsti, ℥ ß. salis vsti ℥ ij. gallarum, cornu cerui vsti ana ℥ j. maceris ℈ ij. foliorum saluiæ ficcæ, num. iiij. in pollinem conterantur, eodem modo & pulueres cochleariæ & bekabungæ exsiccatarum valent.* etiam si gingiuæ solo succo cochleariæ confricentur: vel cochlearia & bekabunga cocta cum lacte, & eius decocto gingiuæ sæpe abluantur, Noster vero patiens ex sola aqua destillata cochleariæ & bekabungæ, eaque abluens sæpe gingiuas, fuit curatus. Vltimum autem symptoma erat totius femoris sinistri, tum cruris, & præcipue genu, tumor ad durities propemodū schirrhosa, ac in lapideam materiam conuersa. Eandem intentionem desiderabat qua scirrhus curatur: emollientibus primo, deinde discutientibus, & moderate emollientibus: vicissim ijs vtendo, *vt Gal. lib. 2. ad Glauc.* narrat de puero Cercilij, quem à tumore scirrhoso curauerat: tamdiu vtens emollientibus, donec mollities manifesta sentiatur, & caro exterius ruborem quendam extendat: mox ad nonnulla discutientia deuenit: demum ad emollientia, absque discutientibus, tandem ad maiora discutientia: vicissim tum his, tum illis vtendo: nam si altero tantum medicamentorum scirrhum curare tentauerimus, *vt dicebat Gal.* nequaquam sanabimus. Quæcunque enim nimis digerunt, ob calorem vehementem, digerentem, scirrhum in tophaceam duritiem concrescere faciunt: quæ vero nimis emolliunt, non possunt sola præstare, vt scirrhus decrescat. Alterarus igitur eorum vsus moderatus confert. Sed nec, quæ molliunt, continuo affectum curant. Opus enim est & digerentibus; non quidem vehementer, sed quæ molliendo commode id præstent. Cum itaque crus ob tumorem & duritiem ita inflexibile erat, vt non nisi scipionibus incedere posset, hunc affectum vltimum præter naturam, aliis præmissis vniuersalibus, hoc modo topicis & lo-

calibus medicamentis curauimus. Primo inunximus *oleo liliaceo & amygd. dul.* postea adjecimus parum *olei chamæmillini*: deinde *oleo liliaceo*; & propter dolorem, etiam ad discutiendum, simul cum *vnguento alabastrino, mox dialthææ, cum mucci laginibus, axungiæ vitulinæ & felinæ, aliisque emollientibus.* Postea fomentauimus totum crus cum decocto pedum vituli & intestinorum, spongia in eo immersa fouentes. Postea iterum inunximus linimento compositio *ex oleo chamæmill. & emplastro de meliloto.* Tandem ad varia cataplasmata cerata, emplastra maxime emollientia deuenimus: idque longo tempore. *Vt est ceratum de mucci laginibus*; quo ego vtor etiam in doloribus, & tumoribus duris inuiscatis, quales etiam in Gallico morbo laborantibus apparent tophacci: etiam nostrum ceratum de ammoniaco hic confert. Sed istis omnibus parum profecimus: quanquam illo tempore non vtebar cerato ammoniaco nostro, cum eius inuentionem nondum haberemus; sed hoc Delphis nostro Matre, & egregia obseruatione inuenimus. Cum autem crus æque rigidum maneret, per multos dies per os dedimus omni mane cochlear vnum; postea dosin augendo, ad quatuor cochlearia, aquæ cochleariæ distillatæ in arena. Et coxam tum femur inunximus oleo laurino. Et ne nimis incalesceret, parum adjecimus olei rosacei completi. Deinde iterum ad emollientia deueni: mox ad discutienda. Et quotidie omni mane iussimus crus tum femur ac genu cuaporari hoc decocto: ℞. *parietariæ, meliloti, florum chamæmillæ cum toto, absinthij communis, foliorum & summitatum althææ, malvæ, vrticæ vrentis ana m. ij. sem. fœnugræci, lini an. ℥ ß. rad. althææ ℥ iij. incidenda incidantur, & contundenda contundantur, & coquantur, in aquæ q. s. ac ponatur pes nudus super vasculum decoctionis dictæ, & vndique pannis tegatur; vaporemque ascendentem ex aqua decoctionis calida, per horam integram matutino tempore suscipiat*; idque per plures dies continuando, vt totum crus sudore madescat & perfluat. Deinde abstersо sudore calide obliniatur. Deinde *oleo castorino florino* & deinde *pannis laneis* fouebatur calidissime totum crus: idque continuando per plures dies. Illoque euaporatorio vtens, paulatim ad miraculum hic noster patiens à symptomate dicto conualuit; & potuit tandem crus mouere: ita vt illo medicamento diuino cessauerit, tum tumor, tum durities, vt relictis scipionibus optime inambulauerit. Attamen cum iam conualuisset, ac obambulare posset, pro confortatione iuncturarum, tum neruorum; & ad reliquias duritici emolliendas, tum discutiendas, circa genu iussimus applicari ad tempus *emplastrum de oxycroco.* Nigrities autem totius corporis, tum cruris; ex assumptione per os aquæ cochleariæ distillatæ in arena, eiusque solius vsu quotidiano euanuit. Sed hoc etiam addendum, quod fere omiseram, in decocto euaporatorio postea etiam adiunximus *cochleariam, bekabungam & nasturtium laurifolium*, quod vulgares loco cochleariæ intelligunt. Et ita egregie hunc nautam, ab aliis pro deplorato habitum, tum alios multos à simili duritie scirrhosa crurum in scurbutica passione persanauimus. Ita & Cornelium Buscopium, organistam Delphensem insignem, cui femora & crura ex scurbuto per totam hyemen indurata fuerant. Memini me quoque aliam mulierem à simili duritie scirrhosa in crure curasse, quæ tamen parum tendebat ad œdema, ex scurbutica passione; missione sanguinis præcedente, tum purgatione, & decoct.

Quæ phthisi & hecticis conueniunt.

Decoctio magis aperiens, discutiens, corroborans.

Syrupus sceletyrbicus noster.

Tabulæ alterantes, aperientes, confortantes.

Inunctio.

Eclegma.

Nova sacculum.

Processus ad lienis duritiem.

Quomodo gingiuæ sanguifluæ fuerint curatæ.

Experimenta ad gingiuas sanguifluas in scurbuticis.

Infusio sennæ, cassiæ, confectio hamech.

Quæ lienē extrinsecus applicabantur.

Ceratū nostrum ammoniacum.

Scirrhi perfecta curatio, ex Galeno.

Quomodo scirrhus curetur.

Processus in dolore scapulæ.

Processus curæ tumoris scirrhosi ipsius cruris.

Inunctio. 52

Fomentat.

Cerata.

Aquæ cochleariæ mira efficacia.

Cruris enēoratorium. 53

Oleum cāstorinum.

Emplastrum de oxycroceo. 54

Alia mulier scurbutica à duritie crurisquæ ædematosa curata.

cochleariæ; bekabungæ, & similibus: & his infrascriptis duritiem postea curasse: primo totum crus inungendo (*quia nomihil incalescebat*) duabus partibus vnguenti popul. & vna parte olei chamæmil. deinde hæc, quæ sequuntur cruri applicabantur. *Emplastrū.*

℞. *florum chamæmillæ, meliloti, florum lupulorum, florum anethi, foliorum ebuli ana m. ij. artemisiæ m. j. cumini, anisi ana* ʒ ß. *pistentur, postquam cocta fuerint in cereuisia cõmuni ad mollitudinem extremam, & adiecto butyro recenti, in formam cataplasmatis coeant*: & cruri apponebatur. Tumor statim paulatim desiit; hoc subsequenti emplastro adhuc admoto: ℞. *stercoris bouini* ℔ iij. *farinæ fabarum m. j. butyri recentis, olei rosacei, olei chamæmillini ana q. s. pro emplastro; quo totum crus inuoluatur.* idque continuando per aliquot dies, sana euasit: quanquam hoc malum inueteratum non esset: nam à quartana in scurbutum, & deinde in cruris duritiem incidit. Sed præmissis vniuersalibus, ab affectu cruris præter naturam breui prædictis localibus remediis conualuit. Medicamenta vero ante topica adhibita, hæc erant: Primo à 55
venæ sectione, sanguine pauco demisso, ex vena lienari in manu sinistra, in pituitosa ac melancholica muliere, vtcunque debili; hoc *Aliud emplastrum.* apozemate hæc ipsa bis in die vtebatur: ℞. *cort. rad. fœniculi, apij, petroselin. glycyrrhizæ ana* ʒ j. *sumariæ, scolopend. ebuli, nasturtij aquatici, cochleariæ, bekabungæ, cassuæ, chamæd. chamæpiteos ana m.* i ß. *florum cordialium p.* j. *seminis anisi* ʒ ij ß. *sem. quatuor frig. maior. & minor. ana* ʒ ß. *cort. rad. thamarisc. cappar. ana* ʒ i ß. *polypodij querc.* ʒ iij. *trochisc. de cappar. de rhabarb. simul ligatorum in nodulo, ana* ℈ ij. *coquantur in aquæ communi, ad* ℔ ij. *fient deinde infusa per noctem: mane expressioni adde syr. de scolopend. de fumo terræ an.* ʒ i ß. *syrup. de end.* ʒ ß. *misce.* Postea adhuc semel reiteratum fuit: & imposita, ʒ i ß. 56
folliculorum senæ. Eoque finito decocto, eandem hoc modo purganimus: ℞. *confectionis hamech.* ʒ iij. *diacarthol. diaphœnic. ana* ʒ i ß. *cum* ʒ iij. *vel* iiij. *decoctionis radicis filicis*; fiat potus. Quo septies satis copiose aluum deposuit. Lienem vero bis in die inungi iussimus cum oleo de capparibus. Et quod ad crus attinebat, tandem ad topica supradicta accessimus. Mulier hæc, vxor erat illius Iacobi cognomento *Magni*, quæ ad viam vulgo dictam *Lutkeomeropiam* Alcmariæ decumbebat. Eodem modo & alius quidam, crus induratum habens ex scurbuto: vt multis mensibus inambulare non posset, hoc fomento tum linimento subscripto, pristinum statum recuperauit: ℞. *florum meliloti m ij. florum chamæmillæ m. j. maluæ cum toto, artemisiæ ana m.* i ß. *bekabungæ, cochleariæ, fumi terræ, ana m. j. sem. fœnugræci* ʒ ß. *rad. althææ* ʒ j. *sem. ammeos, petroselin. ana* ʒ j. *coquantur in aqua communi, pro fomento.* Primo recipiebat *Alius nauta à simili symptomate à nobis curatus, an. 48 robustus.* euaporationem: deinde calide lauabat crus: mox *Fomentum.* lienis pannis intinctis calide crura inuoluebat. *Linimentū.* Idque continuando per aliquot dies, demum totum crus linimento sequenti inungebat: ℞. *emplastri de meliloto* ʒ iij. *olei amygd. dul. olei lilior. olei chamæmil. ana* ʒ ß. *misce.* atque ille similiter conualuit. Huic tamen, tum mulieri, præcessit quoque missio sanguinis. Hic tamen non febricitabat, nec admodum incalescebat, cum scurbuto afficeretur. Ideo præcedentibus potionibus præparatoriis, antequam cruribus remedia apponerentur vsus est, hoc modo: ℞. *nasturtij aquatici, cochleariæ, bekabungæ fumiterræ, scolopend. cuscutæ, chamæd. chamæpit. ebuli cum toto, apij cum toto an. m. j. flor. cordialium, p. rad. liquir. bruscі, asparagi, petrosel. an.* ʒ ß. *semin. anisi* ʒ i ß. *sem. quatuor frig. ma-* 57
Potio præparatoria & similiter enacuans.

ior. an. ʒ ß. *folior. senæ* ʒ i ß. *epithymi, polypod. querсini an.* ʒ ß. *hellebori nigri* ʒ ß. *cicerum rub.* ʒ ij. *coquantur in sero lactis, pro* ℔ ij. *dulcoretur zacch. potio.* *Purgatio* sumebat bis in die, quia fortis erat nauta & robustus. Deinde peracta venæ sectio in manu sinistra, post ij. dies, ex vena lienari. Deinde *Gingiuæ curatæ.* eum hoc modo purgauimus: ℞. *confectionis hamech, cassiæ recenter extractæ an.* ʒ ß. *seri lactis* ʒ iiij. *syr. scelerybici nostri.* ʒ ß. *summo diluculo exhibitum.* Et excreuit plus octies. Huic gingiuæ non erant admodum vlceratæ: & ideo solo decoct. cochleriæ, bekabungæ & nasturtij latifolij curabantur. Mox ea quæ diximus, cruri adeò rigido 58
vt flecti non posset, applicuimus: hominemque *Numerus malorum numerum remediorum ostendit.* dictis remediis breui curauimus. Videtis quod numerus malorum numerum remediorum ostendat. Et quod non semper in omnibus iisdem remediis vsi sumus.

Habetis itaque exempla curatorum, in aliis etiam morbis vobis imitanda; vt iam vestro Marte, modo diligentes esse velitis, omnes scopos curandi assequi possitis, tum instrumenta, quibus scopi inueniantur; eo modo quo nos inuenimus scurbutum curari per medicationes, vel etiam ratiocinationem, in his, quorum naturam & vim certo percipere potuimus. Sic per indicationem in scurbuto inuenimus multitudinem humorum melancholicorum prius esse amouendam, deinde obstructionem tollendam; tum reliqua omnia per ordinem transigenda; affectu præter naturam, tum causa eorundem indicante. Iam etiam quædam inuenimus (in quibus indicatio locum non habuit, nec vis ipsa aut natura certo percipi potuit) per obseruationem seu experientiam: vt cochleariam, bekabungam huic morbo vi quadam occulta conferre: quæ etiam à plebeiis habuimus, sed in meliorem formam redegimus, vt in syrupos: vel iisdem in decoctis aut etiam in fomentis exterius vsi sumus. Tertio etiam quædam inuenimus per analogismum, cum adhuc sub iudice lis sit, ad quem morbum referri certo debeat: ita vt etiam medici præstantiores hactenus de eius essentia dubitarint; præsertim qui non adeo multos scurbuticos præ manibus habuerunt, ac nos in nostra regione, vbi plurimi scurbutici inueniuntur, ac melius resistuuntur. Ideo etiam Haghenses medici, licet expertissimi, in Sasboto de scurbuto, ne cogitabant quidem, nisi postea, Namio medico Amstelrodamensi accedente: nam & Amstelrodami inter nautas morbus magis notus est: sic & nobis Alcmarianis. Ergo cum naturam affectus, tum causam, non ita perfecte cognitas, haberemus, similitudine affectus admoniti, hæc quæ lieni conferebant adhibuimus. *Quæ per indicationem in hoc morbo inuenta.* *Quæ per obseruationem.* *Quæ per analogismum.* 59

Habetis ad amussim, cognati carissimi, vt spero, exemplum curandi, quod in omnibus aliis morbis imitari possitis, vt in expertos medicos euadatis, nostra diligentia, qui hæc in compendium colligimus. Valete. Prima scripta fuit epistola 1558. ad fratrem meum Iacobum Forestum, nunc demũ anno 1590. ad vos rescripta. *Ex hoc exemplo alia discendo.* 60

Petrus Forestus; Reipubl. Delphensis medicus, patruus vester.

Scholia.

IVuenes isti cum insignia Doctoratus in Academia Patauina cum honore consequuti essent, anno 1594. mense Iunio, feliciter & incolumes in patriam redierunt. Ita vt iam intra centum annos sex medici ex familia nostra Forestorum exstiterint. 61

Cæterum scurbutus morbus, fuit veteribus incognitus: de quo Ronsseus, vetus noster amicus,

cus, cum quo Louanij quondam familiariter viximus, medicus si quis alius eruditissimus, nostra ætate libellum edidit insignem, de magnis lienibus Hip. Pliniique stomacace. At stomacace & sceletyrbe, veterum, videtur esse scurbutus. Scripserunt autem de stomacace & sceletyrbe Plinius *lib. 25. cap. 3. & Strabo lib. 16. suæ Geographiæ.* Græcorum tamen & Arabum regioni ignotus hic morbus fuisse videtur, quia Pliniana appellatione nusquam vtũtur. Sceletyrbe autem, quæ depingitur ab auctore definitionum medicarum, diuersum omnino est malum ab affectibus crurum, qui in scurbuto visuntur. Apud Auicennam tamen, *cent. 3. sen. 13. tract. 2. cap. 5.* vbi differit de signis apostematum lienis, possimus quasi inuenire congeriem symptomatum, quæ in scurbuto visuntur. Et Ægineta scirrhi notas ponit, & Alexander Trallianus, vbi agit de phlegmone ex atra bile: quamuis nec ictteritia nigra est; nec etiam voluulus hæmatites, *vt Iohannes Langius putabat*, vt etiam longo sermone docet idem Ronsseus *cap. 4. contra Langium.* Atque is vult, quod maxime accedat ad illa, quæ Hippocrates de magnis lienibus scripsit. Vulgares nostri scurbutum vocant, à (*Schorbuck*) quæ dictio Danica est, sed à Saxonibus etiã vsurpata, nostra lingua vulgari (*Schuerbuyck*) appellata. Scribit Blienburchius *in epistola ad Echtium scripta*, de qua antea diximus, suo tempore quodam Regnerio Snoy, multæ eruditionis & exercitatæ praxis medico, vocatum fuisse *Gingipediis.* *Gingipedium*, à gingiuis & pedibus corrupto sanguine infectis; eoque sanguinem mundificantia recte ad curandi rationem adhiberi. Non tamen 63
in hoc malo semper gingiuæ & pedes inficiuntur: quin & brachia infici possunt; quod in Nosocomio Delphensi in quodam ægro decũbente ex scurbuto, obseruauimus; cui brachia purpurea, violacea, plumbea & variegata erant: quemadmodum & in Cornelio Iohanne Bokello, cerusiario, & vrbis consule, anno 1565. mense Aprili conspeximus. Adeo vt etiam gingibrachium, aut *πυχυτόρεν* dici possit. Causæ & signa ex præcedentibus obseruationibus satis innotescunt: & etiam ex parte curatio, quibus modis recta methodo perficiatur. Quamuis hæc ipsa adhuc clariora euadent ex obseruatione sequenti, ac scholio etiam subsequente; nonnullis simul exemplis adiectis eorum, qui probe curati fuerunt.

OBSERVATIO XII.

In qua agitur de quinque ægris à scurbuto curatis.

PRætor Castricomius, annorum triginta, vir admodum crapulæ deditus, sine vxore viuẽs, Veneri valde addictus, & egregius potor cerusiarius; victu vtens inordinato, cerusiis admodum crassis fæculentis, & diæta corrupta; post quartanam in scurbutum incidit. Huius enim mali causæ procatarcticæ sunt (*vt diximus*) primo diæta crassa & corrupta, vt in nauibus nostrorum Batauorum, seu Hollandorum & Frisiorum, fieri assolet. Hinc nauta ille, de quo agimus obseruatione præcedente in scurbũtum inciderat. Vsus quoque aquarum corruptarum, in aquarum dulcium penuria, hunc morbum creare potest, præsertim in aere calido, quo citissime aquæ corrumpi possunt. Ad hoc facit & caro suilla, à coctura etiam subolida, caro venatica putida, pisces crassioris substantiæ, panis bis- 1

coctus submucidus; allia, cerusia mali succi; quibus omnibus hic æger perpetuo fere vsus erat. Huc accedebat secunda causa; aer ambiens calidus, sanguinis subtiliores partes resoluens, & reliquam sanguinis massam crassiorem relinquens: Vigiliæ quoque, labores, curæ, febres præcedentes: nam & quidam, *teste Galeno 3. de loc. affect. cap. 6.* per febriles morbos melancholicum humorem contraxerunt. Non fuit igitur mirum, quod hic prætor in hunc morbum inciderit. Hæc enim vltima possunt generare humorem melancholicum, causam videlicet proegumenam huius morbi; etiam si praua victus ratio non præcessisset: & id quidem hic tanto magis, quod omnes causæ concurrerent. A quartana itaque cum in scurbutum incidisset, integris tribus mensibus lecto ex scurbuto decubuit, antequam me vocaret: vsus tamen fuerat opera illius Ioannis Galli dicti, medici Harlemensis, sed frustra. Qui simul & patrem huius, multo tempore, vt per annum dimidium, in lecto decumbentem eodem malo, curare non potuit, cum subito syncope oborta scurbuto obierit, vt filius nobis postea narrauit, patri quoque succedens in cura prætoria, eodem morbo tanquam hæreditario correptus, post Galli abitum nihil sentiens commodi, varios deinde consuluit medicos, verum potius empiricos, quam vere rationales: ex quorum numero quidam ex his, conspectis cruribus maculosis, hominem Gallica lue infectum dicebant, *vt solet hoc genus nebulonum*, inscitia vel imperitia eo pertractum, vt incognitos morbos Gallicum malum iudicent; vel potius impostura, vt ægros eo melius nummis emungant: qui omnes misere corpus huius ægri suis medicamentis truculentis, vel carnificinis, ita macerarunt, vt ad restim deductus videretur. Dederant autem empirici illi, & succum bryoniæ: bis carnifices. Quibus & accessit 3
tandem presbyter quidam Alcmarianus, egregius ouroscopus, quanquam homo insulsissimus, plebeiis tamen, tanquam cœcis de coloribus male iudicantibus, gratus: qui & laxantia calidissima superaddidit: ex quibus postremo durities haud exigua lieni superuenit, cum maxima virium imbecillitate. His denuo relictis, lotium spectandum ad me deferri curauit; quod vineum passeumque erat, quale significare solet sanguineum humorem plerumque assari, vel in rubeam aut atram bilem transmutari; lienis oppilationem, solutionem quartanæ, ictteritiam, *vt Actuarius de vrinis docuit.* Ideo cum vrinæ nequaquam fidendum sit, vt alias etiam tribus libris ostendimus, latorem cœpi interrogare de dolore hypochondrij sinistri, de morbi longitudine, de quartana, de anhelitus difficultate; &, vt paucis absoluam, per interrogationes per me factas intellexi scurbutum morbũ adesse: quo & diuersis temporibus antea quoque (*vt nuntius referebat*) laborauerat. Instat itaque nuntius, vt medicamenta præscriberem: quod difficulter annuebã, cum vtilius foret ægro prius inspecto id perficere. Attamen vt illi obsecundarem (cautione adhibita, vt si medicamenta non proficerent, neque iuuarent, me ad ægrum potius deduceret) hoc decoctum sequens præscripsi: ℞. *cort. rad. cichoreæ, petrosel.* ʒ ß. *scolopend. ceterach. cichoreæ cochleariæ, fumiterræ an. m. j. agrimoniæ, flor. cord. ana p. j. semin. anisi* ʒ i ß. *sem. end. agni casti ana* ʒ ß. *uuar pass. ab avill. mundat. p. j. corticũ rad. cappar.* ʒ iij. *fiat omnium secundũ ordinem decoctio in aqua communi, ad* ℔ i ß. *colaturæ adde syrup. de fumoterræ, de end. de cichor. cũ rhab.* 4

ana ℥ i ß. *misce*: ℞. *rhab. incisi* ℈ ij ß. *specier. diarrhod. abb.* ℈ i ß. *trochisc. de cap. grana* xv. *ligentur in puppara*; *& pendeat in dicta decoctione, sumebat bis in die.* Postea rursus lotium misit, quod videbatur minus tinctum. Sed cum in eodem statu permaneret, nuntius me ad ægrum deduxit: ad quē veni quarto die Maij, anno 1555. quem inueni ad summam desperationem lecto decumbere: nam si sese leuissimo motu erigeret, in syncopen cadebat; ita vt sæpe pro semimortuo reputaretur. Illud enim signum scurbuti inualescentis est, vt scilicet sequatur, ambulandi impotentia, anhelitus difficultas, potissimum dum se mouent aut erigunt, vt in hoc ægro erat: si enim aliquandiu erecti sedere conantur, quasi deficiente spiritu (*vt diximus antea*) semianimes deliquio afficiuntur: rursus decumbentes reficiuntur. Aderant huic & reliqua signa dicta in Obseruatione præcedente, quæ scurbuti ingrauescentis signa esse solent. Et ideo ego metuebam eidem, ne ex syncope subito, vt pater eiusdem, vitam finiret. Crura autem habebat attenuata, sed non maculosa, quæ antea maculosa fuerant, *vt idem narrabat.* Iuerim gingiuas sanguinolentas experiebatur. Similiter & dolorem intensum in hypochondrio sinistro sentiebat. Ob quem dolorem, ex vena nigra sinistri brachii tantum ℥ iij. sanguinis detrahere iussi. Quo dolor cessauit: nam plus mittere, ob virium imbecillitatem, ne syncopis obreperet, tutum non fuit. Illo quoque decumbente sanguinem extrahere mandaui: nam erectus sedens syncopen incurrere solitus erat.
6 Cum dolor iam remissus erat, hoc decoctum sequens præscripsi: ℞. *rad. liquir.* (aderat enim tussis, cum sputo tenaci; pectorisque angustia, ex scurbuto, ob tumorem lienis comprimente diaphragma & pulmonem) *cort. rad. fœniculi an.* ℥ ß. *cochleariæ bekabungæ, scabiosæ, vngulæ caball. ana m.* j. *scolop. hyssopi ana m.* ß. *capill. ven. ceterach, florum cord. an p.* j. *uuar. pass. enucleat.* ℥ j. *coquantur in sero lactis ad* ℔ j. *colatur & colatura dulcoretur zaccharo candi pro sapore.* Bis sumebat cyathum in die, & illico (*quod mirum erat*) sensit alleuationem. Interim gingiuas sanguifluas abluebat sæpissime lacte decoct. cochleariæ & bekabungæ: quibus fluor ille cessabat, & gingiuæ vlceratæ curatæ fuerunt. Lienem induratum inunximus cum oleo cappar. amyg. amar. & liliorum. Deinde 9. Maij ad sanguinem melancholicum purificandum, & faciem melancholicam purgandam, sequenti decocto vsi sumus: ℞. *cort. rad. fœniculi, bugloss. liquir. rasæ an.* ℥ ß. *vngulæ caball.* (pro tussi) *capill. ven. ceterach. scolopend. scabiosæ, bekabungæ, cochleariæ, hyssopi, borag. summitatum bugloss æ* (omnia viridia erant, quia in majo eramus) *an. m.* ß. *cort. rad. cappar.* ℥ ij. *uuar. pass. enucl.* ℥ j. *seminis anisi* ℥ ij. *follicul. sennæ* ℥ vj. (quia debilis erat, & facilis solutionis) *epithymi, polypodij querc. an.* ℥ ij ß. *fiat decoctio secundum ordinem in sero lactis, pro* ℔ j. *colatur zaccharo cand. dulcoretur.* Eo decocto vtens modo semel, modo bis in die, cum aluum subinde deposuisset, hæc præter spem omnium à diuturno & deplorato morbo conualuit: gratia diuina nobis adsistente.

Secundus casus.

Henricus quoque ille Ceruisiarius Delphensis, qui in Nola habitabat, postquam trimestrem febrem prius tertianam, mox erraticam, deinde quotidianam habuisset, scurbuto correptus est, ita, vt omnes de eius salute desperarent. Imperaui, vt quotidie vteretur decocto bekabungæ, absinthij communis & Romani, & nasturtij aquatici & cochleariæ in ceruisia. Dentes & gingiuas confricabat *aqua bekabungæ, & plantaginis: cui aluminis vsti momentum incoctum erat, simul quoque cortices granat. & balaustior. adiecta.* Atque hoc puluere deinde inspersо: ℞. *aluminis salis vsti, cornu cerui vsti, gallarum, maceris, foliorum saluiæ, an.* ℥ ß. *in pollinem conterantur.* Cum idem tussi afficeretur. ℞. *diapenid. specier. diarag. frigid. ana* ℥ j. *dissolu. cum aqua bekabungæ, & vngulæ caball. adiecto zacch. optimi q. s. fiat confectio in tabulis.* vtatur ad libitum. Et hic, quia temperatura calidiore erat, perpetuo sumebat decoctum *bekabungæ, cum syr. ex succo bekabungæ*: postea addito succo cochleariæ, in minima quantitate. Et sic præter hominum opinionem conualuit.

Sebastianus quoque Isbrandus anno 1565. in *Tertius.* foro frumentario, per plures menses ex scurbuto decumbebat. Huic crura erant variegata, valde dura. Accedebat & animi defectus, si se erigeret: neque se erigere poterat, quin in lypothymiam incideret. Gingiuæ parum corruptæ erant: lotium valde crudum. Cum autem ad desperationem diu laborasset, neque chirurgorum opera curari posset, nos eundem restituimus, sæpius hoc iulebo exhibito: (*nam asperrima hyems erat, vt viridibus vti non possemus*:) ℞. *syr. sceletyrbici nostri* ℥ iij. *aquæ cochleariæ* ℥ iiij. *aquæ bekabungæ.* ℥ j. *misce pro duabus dosibus.* Fuit sæpe reiteratum, cum continuo sumeret. Crura pannis lienis intinctis in infrascripto fomento moderate calido, & expressis inuoluebantur: mox panno laneo fasciisque inuolutis circumducebantur: ℞. *rad. althææ* ℥ iij. (& quia magna durities aderat) *foliorum maluæ m.* iiij. *flor. chamæmill. m.* j. *flor. meliloti, folior. absinth. communis ana m.* j. *bekabungæ m.* iij. *coquantur in s. q. aquæ communis, pro* ℔ vj. *addendo aquæ bekabungæ, cochleariæ an.* ℥ ij. *misce.* Hanc curationem ita prosequebamur ad sex septimanas. Verum cum circa talum & pedium ex scurbuto duritiē tophaceam quasi incurreret, accepi *flor. meliloti m.* iij. *flor. malvæ m.* ij. decoxi in ceruisia crassiusc ula, & cum panno in ea intincto pedem inuoluebam. Cum autem durities prædictis emollita esset: denuo fomento consueto superius scripto, ad finem curationis vtebatur. Sed huic post longam fomentationem, cum cutis rarior euaderet, vesicæ exortæ sunt, instar bullarum: deinde subsequuta est leuis corrosio epidermidis, seu cuticulæ externæ: à quibus materia calida humida emanabat. Ideo imperaui vt chirurgus vnguentum de cerusa supra pannum lineum induceret, ac cruribus apponeret. Quibus hoc symptoma facile curatū est. Verum & in Aprili mense, cum herbæ iam è terra prodirent, relicto iulebo, ad finem curationis decoquere mandaui nastur. latifolium, bekabungam, cochleariam, in ceruisia communi, quam perpetuo bibebat: & instar miraculi cum fotu superiori curatus est. Interim gingiuas abluebat quotidie cum aqua cochleariæ, bekabungæ, cui aluminis parum incoctum erat: deinde syr. sceletyrbico nostro adiecto, parum ebulliendo. Quibus gingiuas confricabat. Hic absque missione sanguinis, cum in principio in hyeme essemus, ac debilis esset, egregie curatus est.

Eodem modo, & eodem fere tempore, Eli- *quartus.* dius pellio Delphensis, vicinus noster, scurbuto quoque correptus est. Hunc bis purgauimus: sed à missione sanguinis abstinuimus, eo quod corpus cacochymum esset. Purgatio constabat *ex decocto senæ, cochlearia, bekabunga, & similibus.* Herbas autem dictas in sacculo cōsutas, & decoctas, cruribus ex fotu admouimus. Cum & gingiuas male

male olentes putidas mucosasque haberet, ac sanguifluas, & flaccidas: sequenti linimento vt sæpe confricarentur, mandauimus: ℞. *saluiæ exsiccatæ & puluerizatæ* ℥ ij. *aluminis* ℈ ß. *cum succo cochleariæ, bekabungæ, & melle q. s. fiat mixtura.* Quibus gingiuæ confricatæ, sanguine emanante tandem persanatæ sunt. Ad finem autem curationis similiter vtebatur decocto cochleariæ, bekabungæ, nasturtij aquatici & latifolij, in ceruisia communi. Quibus remediis & hic sanatus est.

Quintus. Nicolaus Volckerus, pictor, triginta octo annorum, aut circiter, qui apud templum antiquum Delphis habitabat, in femoris sinistri scirrhosam duritiem incidit: quæ in maximam molem excreuit: ita vt per totum autumnum præcedentem, ac hyemem subsequentem inambulare non posset: verum perpetuo sedere ac decumbere coactus fuit; neque adhuc medici consilio vsus erat. Tantum ad vigesimum Februarij diem, anno 1566. lotium ad me (*vt fieri male consueuit à vulgaribus*) misit: postea vero & me vocauit. Crure autem inspecto quod valde liuidum ac purpurascens erat, & in tophaceam duritiem quasi concretum, ingentis magnitudinis spectabatur: illico scurbutum esse suspicatus sum: loco quoque nigriusculo existente, & valde rubro. Sunt enim signa scurbuti remotiora, & communia aliorum morborum, *quæ etiam Obseruat. præcedente recensuimus*: quæ sex numero fere consistunt. Primum est, *corporis totius grauitas*; Secundum, *spontanea lassitudo, quæ tamen hebetiores non sentiunt, nisi à consueto exercitio.* Tertium, *præcordiorum aliqualis angustia.* Quartum, *crurum debilitas.* Quintum, *gingivarum pruriginosa rubedo ac dolor.* Sextum, *faciei color ex pallido in fuscum vergens.* Hæc vbi coniunctim inueniuntur, scurbutum adesse iudicare licet. Hic vero præter illa supradicta signa remotiora, etiam hæc propinquiora & certiora signa aderant: de quibus etiam mentionem fecimus præcedente obseruatione. Primum signum aderat, *oris grauedolentia.* Secundum, *gingivarum laxus sanguifluus tumor: gingiuæ enim inspectæ subtumidæ parum erant, ad liuidum suppurpurascentes: meamque de scurbuto opinionem confirmabant.* Tertium, *dentes vacillantes.* Quartum, *crurum maculæ plumbeæ, purpureæ, nigris violis obscuriores.* Quintum, *lentigines innumerabiles grisea, sine pullæ: non solum circa os, vel sola crura supervenientia symptomata.* Verum huic durities liuida suppurpurascens (*vt diximus*) totum sinistrū femur occupauerat, à genu vsque ad coxam, dextro illæso, neque indurato: & dolor similiter sinistrum hypochondrium, seu minime effatu dignus, affligebat. Id magis in sinistro crure, per consensum (*vt opinor*) lienis frequenter euenire animaduerti: quanquam in Domino Assendelphio, etiam in pede dextro idem conspexi: cui & hypochondrium dextrum duriusculum erat, non sine scirrho hepatis. Cuius & antea memini. Verum, quod mirabar, in hoc pictore, licet sinistrum femur non solum duritie, sed & colore liuido suppurpurascente infectum foret, in brachio quoque dextro liuor exiguus paululū supra cubitum apparebat, sine duritie tamen ac dolore. Sed quanquam fere semper in scurbuticis (*vt antea diximus*) coxæ vel tibiæ nigro quodam liuore suffundantur: brachia vero rarissime, quod se tantum semel vidisse Balduinus, amicus noster, qui de scurbuto scribit mihi narrauit: mihi tamen hactenus non semel, sed iam ter hoc vidisse contigit. Primo in ægro illo, qui in nosocomio Delphensi decumbebat, *de quo scholio præcedente diximus*; cui non solum crura, sed & brachia

Signa scurbuti vernotiora, & cōmunia aliorum morborū.

Signa propinquiora & certiora.

liuore multo inficiebantur, etiam in ventre tum pectore stigmata illa variegata liuida subpurpurascentia conspeximus. Secundo hoc animaduerti in Cornelio illo Bokello, Ceruisiario Delphensi, sexaginta fere annorum: *vt etiam eodem scholio recensuimus.* Hunc autem Ericius noster præ manibus habebat: huic quoque brachia liuida erant. Tertio vero in hoc pectore brachia variegata conspeximus: verum minus quam in duobus supradictis. Sextum signum proprium scurbuti, *est passione magis ingrauescente ambulandi impotentia.* Septimum, *anhelitus difficultas, potissimum dum se mouent, aut erigunt: & si aliquandiu erecti sedere conantur, quasi deficiente spiritu semianimes, deliquio afficiuntur.* Octauum signum est, *quod rursus decumbentes reficiuntur, ac respirant liberius: imo decumbentes se sanos asserunt. Sed quia fieri non potest, vt sine omni motu decumbant, sit interdum vt delinquentes animo langueant.* Nonum signum est, *quod in his varijssime deficit appetitus, & frequenter cibum appetunt.* Decimum est, *quod obseruatur hic aliquando motus aliquis aggrauationis: in pluribus quarto quintoque die; in aliquibus, tertio die: in paucioribus, singulis diebus, sine tamen omni febre; aliqui, simul febrimt. Sed hic æger febre carebat.* Vndecimum, *præcesserunt aliquando febres, quæ quasi per crisin in scurbutum terminatæ fuerunt.* Hinc sæpe post quartanas, *vt iam exemplis ostendimus*, vnde etiam talis scurbutus natus, contagione serpit in totas familias, & in tota monasteria: definitque in lethalem dysenteriam commutatus, vt Blienburchius ille, aliique doctiores obseruarunt, & nos quoque sæpe animaduertimus. Aliquoties deficiunt subito ac mortali deliquio animi: sicut & pater prætoris supradicti obiit. Duodecimum signum *quibusdam aluus per totum morbi decursum est constricta, ac ad egerendum difficilis: contra aliis moderate fluit, vt Sebastiano illi Isbrando euenit: ita vt in eodem non fuerimus vsi aliqua purgatione.* Quidam & continuo ventris fluxui obnoxij sunt: vt quidam diarrhœa corripiantur lethali: quemadmodum euenit filio Iacobi Heemans Alcmariano. Alij & licentia corripiuntur, ac moriuntur: vt euenit mercatori Comen Ruchio, etiam Alcmariano: de quo alias dicturi sumus. Hunc autem endemium aliquando morbum esse vult Ronsseus noster ex aere patrio, vel aquis: aliquando epidemium & pestilentem, ex humida cœli constitutione. Sic enim cum anno 1556. pluuiæ imbresque grassarentur, flante austro ac fauonio, insequente anno plurimos sceletyrbe ac stomacace inuasit: atque ita inuasit, vt multos in vitæ discrimen redegerit. Similiter & anno 1562. Decimumtertium signum est, *quod interdum maculosa illa crura sic intumescunt, vt elephantiasin Arabum suspicari possis; vnus sus vero aliorum crura sic attenuantur, vt nuda cutis deturpata ossibus affixa videatur. Aliis in molem accrescunt, dura & scirrhosa euadunt: vt in hoc pictore: aliis œdematosa, vt in muliere, de qua ante dictum est: aliis varicosa, vt non semel conspexi. Nec mirum: quia etiam aliis morbis contrarta aliquando supervenium symptomata, vt in pleuritide aliisque vsuenire videmus.* Decimum quartum *maculæ aliorum in nigras, aut pullas squamas resoluuntur, vti morphea & Græcorum lepra assolet: aliorum vero leues, æquales splendentes permanent, cum quodam vestigio ad impressionem digiti.* Decimumquintum: *item morientibus quibusdam delitescunt maculæ, quibusdam à morte vbertimæ efflorescunt.* Decimum sextum: *Conspicitur etiam aliquando, licet perraro, varicosa venarum plenitudo. Id vidimus nos in Arnolda muliere Delphensi: & in alia virgine ac famula.* Sic & sub tota lingua minutissimæ etiam venæ varicibus

ſimillimæ,& ſimiles in inferiori labio varices viſæ fuerũt. Quod in Henrico illo zythepſa,(*de quo paulo ante diximus*) etiam conſpeximus. Cæterũ in hoc pictore cum totum ſiniſtrũ femur durũ eſſet, ac gingiuæ ſubtumidæ (*vt diximus*) quæ ex obſtructione lienis eueniebant, ad eam tollendam imperauimus inter reliqua remedia, vbi bekabungam & cochleariam decoqueret in ſua ceruiſia, nec alio potu, quam eo vteretur, etiam tempore prandij aut cœnæ. Et his remediis infrà ſcriptis paucos dies ſanus euaſit, & ſimiliter à cruris ſymptomate,magno cum meo honore. 20. itaque Februar. hoc die decoctum primo præſcripſi: ℞. *fumiterræ,capill. ven. ceterach, agrimoniæ, bekabungæ, cochleariæ* (habebat enim has duas vltimas herbas virides apothecarius) *ana m. j. ſcabioſæ m. ß. flor. cord. p. j. liquir. raſ. ʒ vj. cort. rad. cappar. ʒ iij. ſem. aniſi, fœnicul. carui ana ʒ j. folior. ſenæ ʒ j. rhab. ſelecti, myreb. indor. ana ʒ j. vuar paſſ. enucleat. ʒ j. hordei mundati p. j. ſchœnanthi ℈ j. coquantur in aqua communi, pro ℔ j. maneant infuſa per noctem, colaturæ adde ſyr. ſceletyrbici noſtri ʒ ij. ſyr. ex infuſ. roſ. ac cich. Nicoli, cum rhab. ana ʒ ß. miſce pro tribus doſibus matutinis.* Hoc decocto quotidie ter quaterue multa melancholica fœtida excernebat. Deinde 21. Februar. ℞. *olei amygd. dul. ʒ j. olei irini, pingued. gallinæ ana ʒ ß. cerati noſtri de ammoniaco ʒ ß. miſce pro linimento femoris.* Lienem inungebat oleo de capparibus. Poſtea 24. Februar. cum nulla medicamenta ſumeret, ex vena ſaluatella in manu ſiniſtra (*nam ea, quæ in brachio erat, minus apparebat*) ad vncias quatuor aut quinque ſanguinem detraximus valde nigrum.Plus detrahere non erat tutum, eo quod paulo debilior eſſet, & quia æſtate præcedente ter quaterue, cum ophthalmia laboraret, ex præſcripto Hugonis Nieuenij medici Haghani, ſanguinem demiſiſſet: deinde Delphos veniens in ſcurbutum inciderat. Sed quia nunc faciem ſubtumidam habebat, quaſi cachecticus, parum ſanguinis, licet nigerrimi ac viſcidi, ad lienis obſtructionem tollendam,vrina quoque rubra & nigra exiſtente, detrahere mandauimus. A cuius detractione bene ſe habuit. Deinde altero die ſequenti hanc ſequentem purgationem exhibuimus: ℞. *confect. hamech. elect. lenitiui ana ʒ ß. diſſolui cum* iij. *decoct. bekabungæ, cochleariæ: addendo ſyrup. de epithymo ʒ ß. miſce.* fiat potio: qua multa melancholica pituitoſa,pauca vero biliosa, deinde plurima aquea excrementa depoſuit. 27. die Februar. à purgatione hoc ſequenti fotu pro femore vſi ſumus: *flor. chamæmillæ. meliloti ana m. iij. folior.abſinthij communis, folior.malvæ,cochleariæ, bekabungæ an. m. ij. folior. artemiſiæ m. j. rad. althææ ʒ ij. cymini ʒ ij. conquaſſata coquantur in aqua communis q. ſ. & in fine adde aceti veni Rhenani optimi ʒ iiij. miſce pro fomento, ad* ℔. iiij. *ſummo diluculo & hora quarta pomeridiana fomentabatur*: mox vnguento ſequenti femur inungebatur: ℞. *vnguentum ſuperius deſcriptum: cui adde emplaſtri de meliloto,vnguenti Agrippæ an. ʒ ß. miſce.* faſcia intincta in fomento ſupraſcripto, expreſſoque, totum femur bene cingatur. Quo remedio egregie crus ſanatum eſt. Interim & hoc decocto, quod ſequitur in principio Martij vſus eſt; ℞. *fumiterræ capill. ven. agrimoniæ,ſcolopendriæ, bekabungæ, cochleariæ an. m. j. ſem. fœniculi ʒ j. folior.ſenæ ʒ vj. agarici fœmin.rhab. ſelect. an. ʒ j. zinzib. alb. ſchœnanthi an. ℈ j. vuar. paſſ. enucl. ʒ vj. liquir. raſæ ʒ ß. coquantur in aqua communi, pro ʒ viij. ſient infuſa per noctem*, mane fortiſſimæ expreſſioni adde *ſyr. ſceletyrbici noſtri ʒ ij. miſce pro duabus doſibus matutinis.* Bene excreuit: & valde profuit. Sed quia circa lumbos nonnihil dolebat, eos vnctione ſequenti inungi mandauimus; ℞. *pinguedinis gallinæ, olei amygd. dulc. olei anethini, roſacei, muccilag. althææ extract. cum aqua maluæ an. ʒ ß.* miſce pro linimento. Interim cum vitium gingiuarum exiguum eſſet, ſtatim à purgatione loco decocto bekabungæ & cochleariæ perſanatum eſt. Alioqui ad fortiora deueniſſem: quale hoc eſt: ℞. *balauſt. aluminis de pluma, ſciſſilis dicti, an. ʒ ij. myrrhæ,olibani, maſtichis an. ʒ ß. fiat pul. pro gingivis inſpergendus.* In vlceribus gingiuarum & ſanguifluo fluxu frequenter eo vſi ſumus.

Scholia.

De cauſis ſcurbuti procatarcticis, *in vtraque Obſeruatione præcedente* ſatis diximus: ſimiliter & de ſignis: & etiam de cauſis proegumenis, & coniunctis, quæ à procatarcticis generantur; potiſſimum *Obſeruatione octaua.* Sed vt hæc omnia in compendium contrahamus: Primus morbus aſſignatus fuit in eadem Obſeruatione, *obſtructio lienis*: huius cauſa proegumena eſt, vel antecedens, primo *hepar, copioſe generans humorem melancholicum, vt vetulimus*: ſecundo, *humor melancholicus, in meſaraicis præcordiiſque redundans.* Cauſa continens eſt idem humor melancholicus, lieni iam infarctus, vel copia, vel craſſitie ſua obſtructionem ipſi viſceri afferens. Secundus morbus aſſignatus fuit, *multitudo humoris melancholici.* Huius cauſa proegumena & continens, primo *hepar generans humorem melancholicum*: ſecundo *obſtructio lienis.* Tertius morbus aſſignatus fuit, *intemperies inæqualis*: quæ ſi fuerit ſine febre, cauſam principem & continentem habet frigidam & ſiccam: ſic vero cum febre,calidam ſeu aduſtionis particpem, & ſiccam. Quartus morbus aſſignatus fuit,*gingiuarum vlcus*: huius cauſa proegumena & continens eſt *aurior ſubtiliorque materiæ peccantis portio*, quæ vel à natura criticante, vt ſic dicam, vel à calore ſurſum ſublata, loca tenera humidaque facilius corrodit. Quintus morbus aſſignatus fuit *crurum mala diſpoſitio*: huius cauſa proegumena & continens eſt *humor melancholicus craſſus, magnitudinem augens & motum impediens*; vnde crura maculoſa ita intumeſcunt, vel elephantiaſin Arabum quiſpiam eſſe opinetur: huiuſmodi autem magnitudo aucta cauſam habet intemperiem crurum, ex humore præſente factam, & ſientem inuicem, eo prius confluxam: poſtea debilitatum membrum facilius recipit, & ſua ponderoſitate eo depellitur. Item antecedentem habet cauſam ex ſuperiorum intemperie, & humorum multitudine. Magnitudo vero crurum diminuta, cauſam habet atrophiam, atrophia autem, operationes ablatas ſequitur. Summa ſummarum cauſa princeps ſeu proegumena, atque adeo fere coniuncta ſcurbuticæ paſſionis, eſt humor melancholicus, id eſt, *multitudo fæculentæ bilis aruæ in hepate cum ſanguine procreatæ, aut putidus ſanguis ex prauo atque puri victus ratione procreatus.* Quod ad ſigna attinet, ea iam diximus. Et quod ad indicationes curatiuas, primus morbus tollitur apertione, *quæ per ſubtiliantia atque abſtergentia perficitur.* Secundus, videlicet multitudo tollitur partim intentione curatiua,videlicet *euacuatione eius quod iam factum eſt*; partim præſeruatiua eius quod fit: idque bifariam; primo prohibendo, ne talis humor amplius generetur, quod fit per curationem intemperiei iecinoris, & per ablationem cauſarum procatarcticarum; ſecundo, prohibendo ne retineatur, ſi quid ſorte iterum genitũ ſit:quod fit per meatuum reſeruationem, & per ſplenis confortationem. Ita prohibitio retentionis duplicem præſtabit vſum; nempe præſeruatiuum in hoc ſecundo morbo, videlicet multitudine: curatiuum in primo morbo, videlicet obſtructione lienis. Tertius morbus, videlicet intemperies, tollitur partim intentione curatiua, videlicet *correctione facta intemperiei per contraria*, partim intẽtione præſeruatiua ſimilis adhuc intemperiei: idque bifariam, primo per ablationem ſuæ cauſæ nimirum humoris multitudinis; quod fit partim euacuando, partim aperiendo, partim diæta attenuante, & boni ſucci; ſecundo per roborationem viſcerum. Ita ablatio humoris duplicem & ipſa vſum præſtabit; nempe curatiuam in ſecundo morbo, videlicet multitudine; & præſeruatiuam in tertio morbo. Sunt igitur quatuor intentiones: apertio, euacuatio, alteratio, confortatio. Euacuationi debetur primus locus, quæ partim vniuerſalis, partim particularis eſſe debet. Secundus locus cedit apertioni: deinde repetetur aliquoties euacuatio. Tertio loco ſuccedit alteratio, quæ etiam corroborationem ex parte exſequitur. Nam corroboratio nis quoque eſt, debilitatem membrorum ex intemperie propulſare. Priuatim tamen magis exſequitur viſcerum indigentiam, nempe lienis, hepatis & ſtomachi. Quo modo hæc particulatim, tum aliæ indicationes perficiantur, ad longum diximus *Obſeruat. 11. præcedente*; & iam quoque exemplis multis oſtendimus t vt non opus ſit eadem hic refricare. Ideo qui de ſcurbuto morbo plura deſiderat, quam hic ſcripſimus, Balduinum Ronſſeum, amicum noſtrum legat. Verum quoniam hic frequenter mentionem fecimus ſyrupi ſceletyrbici noſtri, quem nos primum in vſum deduximus, is hoc modo paratur: ℞. *ſucci cochleariæ, bekabungæ ana* ℔ iij. *zucchar. optimi* ℔ ij. *cum ovi albumine depuretur, coquantur ſimul; colæ, & fiat ſyr. ſecundum artem.* Non deſunt nunc & alij quidam, qui ſyrupum conficiunt ex radice raphani. Quidam ſyrupum ex ſolo ſucco bekabungæ parant: ſed mihi non ita placet, cum & cepæa, quæ ab aliis bekabunga dicitur aquea ſua, qua pollet, humiditate, excreſcentiæ lienum potius materiam ſuppeditet. Ideo & Ronſſeus, in libello ſuo perſtringit eos, qui ſolius decocto bekabungæ, id eſt, cepææ, ſanitatem ſcurbuticis pollicentur: quo illæ nihil alienius eſſe dicit, vt pote cum aquea ſua humiditate, excreſcentiam lienum, ſi intro ſumatur, augere ſoleat. Ad oris certe & gingiuarum ablutionem admittit, cum particeps alicuius adſtrictionis ſit; vnde & gingiuas firmiores quodammodo reddit, atque atram illam bilem ſua humiditate refrenat ac compeſcit. Cum cochleariam intus aſſumptam, quæ vim habet detergendi aperiendi, vt eius acrimonia declarat, vtiliſſimam eſſe experior; ſi nempe bekabungæ ſuccus cochleariæ addatur, quæ ſua tunc adſtrictione leui lienem roborat, & caliditatem cochleariæ refrenat. Hinc cum tanta vtilitate hoc noſtro ſceletyrbico ſyrupo vſi ſumus, vt etiam nunc à Brabantinis medicis, & Flandricis expetatur: vt maximam copiam huius ſyrupi pro amicis annuatim confici iubeamus. Mittimus etiam aliquando integras libras huius ſyrupi ad Liuinum Sanderium, reipubl. Gandenſis medicum, amicum noſtrum ſingularem: cum quo vna in eiſdem ædibus Bononiæ in Italia diu habitaui. Eſt autem hæc herba apud nos valde frequens. Conficimus & ex ea conſeruam valde vtilem. Balduinus autem cochleariam Telephium eſſe putat: hinc & vlcera ſceletyrbica Telephia eſſe exiſtimat, quæ & Telephi opera indigeant: vnde de ſcurbuto cap. vij. de vlcere ſceletyrbico agens, vult hanc cochleariam Telephium Dioſcor. eſſe, Britannica, qua vtitur Plinius ad ſtomacacem & ſceletyrbem, cum nondum intumuerit, eius loco vtitur Ronſſeus biſtorta, quæ Britannicæ facultatibus plane reſpondet: nam & vim adſtringentem habet, & ad oris & tonſillarum vlcera depaſcentia accommodata eſt. Habemus autem & multa alia remedia experta: quale hoc compoſitum medicamentum eſt: ℞. *plantaginis, biſtortæ ana m. j. roſ. rubr. ʒ ij. ariſtoloch. rotundæ ʒ i ß. myrrhæ ʒ j. viridis ʒ j. aluminis ʒ ij. coquantur in* ℔ ij. *vini rubr. ſtiptici ad dimidium*: in olla ænea exprime: cola: *adde mellis roſ. colati,diamoronis ana ʒ i ß. miſce.* Reliqua vero apud Ronſſeum videas. Poſſem & hic infinitas hiſtorias adferre eorum, qui à me curati ſunt: ſed exempla iam ſupradicta ſufficiunt. Atque ita pleroſque omnes, aut præcipuos ſaltem morbos ac affectus lienis recenſuimus. Laborat præterea lien interdum palpitatione, & dolore punctorio, quem multi ſentiunt poſt curſum; & tunc de punctione in loco lienis conqueruntur. Dolor autem iſte non eſt punctorius, alioqui ad membranam lienem ſuccingentem pertineret. Sed eſt potius pulſans dolor, de quo dolore nos in Schol. Obſeru. 7. De lienis dolore, ſtatim in principio egimus. Et eiuſmodi dolor pulſans quando vehementior eſt, contingit in inflammatione, ob multitudinem & magnitudinem arteriarum in ipſo liene exiſtentium.Atque hic dolor pulſatilis palpitationis inſtar, pertinet ad arterias. Ex curſu igitur facile inflatur lien, ob arterias: & ſentitur quaſi palpitatio vel pulſatio, propter motum arteriarum in ipſo liene inſertarum. At vbi paululum homo quieuerit à curſu, facile ceſſat illa palpitatio, ſeu pulſatio. Quare nec medici de ea vllam mentionem faciunt, niſi dolor ille continuo pulſans manſerit, vt in inflammatione lienis contingit. Sed cum talis affectus non ſit effatu dignus, non putaui operæpretium, vt de eo obſeruationem aliquam peculiarem conſcriberem. Hanc etiam ob cauſam falluntur vulgares, qui nugantur cutſoribus magnatum & Principum lienes exciſos eſſe; & ob id eos velocius currere poſſe. At recte dixit Benedict. Veronenſ. medicus doctiſſimus, 2. *lib. 2. de partibus corporis humani cap. 12.* de liene: *Cutſoribus, vt traditur lien peculiare impedimentum, propterea quandoque nonnullis laboratibus Splen inuritur. Adimi poſſe homini ſine vitæ periculo, veriſimile non eſt.* Et bene Galen. noſter nullam humani corporis partem ſine munere aut naturali vtilitate, ſatis ſuperque egimus *in princ. lib. 19. in præfat. ad lect.* Quamobrem & hoc viſcus non minus quam reliqua alia cuſtodiendum eſt, ne vllo modo afficiatur; atque etiam omni cura, vt cætera membra, potiſſimum interna, ſanari debet.

Sic itaque hunc librum de affectibus lienis finire decreueramus, ad meſenterij vitia, tum ſæua inteſtinorum tormenta tranſeundo. Verum nuper ad me doctiſſimus Henricus Bra, Reipub. Campenſis medicus, epiſtolam ſcripſit de morbo quodam incognito, proxime ad ſcurbutum accedente, quoad membra, quæ exteriùs læduntur, longe tamen aliter, quam in ſcurbuto,

Cauſæ proegumenæ & coniunctæ.

Indicationes curatiuæ.

Syrupus ſceletyrbicus.

De palpitatione & pulſatione in liene poſt curſum.

Britannicæ.

buto. Operæpretium igitur duxi, epistolam illam ad me scriptam hic inserere, antequam vlterius progrediamur, quæ ita habet.

EPISTOLA HENRICI A BRA, Reipubl. Campens. medici.

De morbo quodam nouo & incognito, Vvestphalis, Geldris & Frisiis quasi endemio; quem illi (die Barenn) vocant, diuersis symptomatibus agros infestante.

CL. V. D. D. PETRO FORESTO S. P.

NOn dubito, Clarissime Foreste, quin ex postremis meis literis intellexeris, de reditu meo ad Campenses. Iam biennium est. Toto eo tempore nihil quicquam à te literarum vidi. Sed ignosco tibi propter commune bonum; nam suspicor, te totum nunc esse edendis tuis Obseruationibus & Curationibus Medicinalibus. Faxit Deus, vt feliciter, quod præ manibus adhuc est absoluas. Misi nuper carmen in libros tuos de pectoris & pulmonis affectibus: sed quia non est additū, puto serius allatum. Nunc ne omnino asymbolus ad te veniam en tibi, quòd data occasione inseras Obseruationibus tuis, si placebit; sin minus, concerpas. Legenti mihi nuper locum Galeni, qui est in libr. 6. locor. affector. cap. 3. vbi agit de Dracunculis, in quodam Arabiæ loco in tibiis hominum natis, venit in mentem morbus nobis vicinisque Vvestphalis & Geldris quasi endemius pluribus quoque similis hereditarius, populari lingua (die Barenn) dictus. Hic se prodit cum vagis doloribus, valde excruciantibus, in omnibus corporis membris, potissimum in dorso & lumbis, primumque vnam aliquam solet inuadere particulam deinde celeri motu & discursu vicinas quoque partes occupare. Si quidem videre est, vt in hac lue sopitis doloribus pedum illico scapulæ afficiantur; illis tranquillis è vestigio manus crucientur; ac ita per omnes artus malum ipsum dissiliat. Vnde etiam cum Epitheto (die loopende Barenn) nominant. Plerumque tamen vnum aliquod membrum, quod per interualla excruciat, obsidere comperitur. Doloris speciem statuunt ipsi ægri exedentem corrodentemque qui vermiculum, musculos & alias partes subito ac nonnunquam momento, variis simul locis permeantem depascentemque arcere videtur; ab inseparabili proprietate ipsius morbi Etymologiam deducentes: si quidem (Barenn) patria lingua singulare quoddam lumbricorum genus denotat. Morbi huius duæ flatuuntur differentiæ: quarum prima cum tumore circa dearticulationes copulatur; qui vbi diu perseuerat, profert tandem plerumque maculas & lituras, scorbuti notis non valde dissimiles, quæ interdum suppuratæ in vlcus conuertuntur malignum, imò rimis circa pedes, ex quo vermiculi instar ascaridum educi videntur. Interdum quoque tota materia vnam in partem aliquam decumbit: vnde, corpore toto doloribus liberatur, abscessus excitatur, qui in fistulæ malitiam desinit. Altera differentia est absque tumore: sed cum priore participat dolore. Hæc interdum peculiarem habet corporis maciem, & quasi marasmodem, cum aliquali articulorum impotentia coniunctam. Vtrique commune est, quod dolores noctu magis exacerbantur. Febris aut lenta aut nulla comitatur. Alius in pluribus adstrictior. Vrina non admodum discrepat ab vrinis sanorum; nisi quod interdum vermiculi, instar illorum, qui è putridis cæsis prorepunt, in fundo matulæ innatare sicut & alui excrementis misceri, videantur; estque hoc illis certissimum iudicium huius morbi. Cibum alij semper bene appetunt, alij eum omnino respuunt. Hæc variant iuxta humoris peccantis & corporis affectii diuersitatem.

Differentia.

Signa.

Causam morbi statuunt in omnium humorum ichoribus, non quidem vno in subiecto coniunctam, sed pro cuiusque temperamenti varietate. Quicquid sit id, quod hanc luem causare possit, certum est materiam esse tenuem & turgidam, non eam quidem simplicem, sed alicuius virulentiæ malignitatisque participem. Mineram morbo statuunt neruosum genus, per quod humor ille subtilis & malignus diffunditur. Idque his potissimum incidiis confirmant: tum quia in dorso ac lumbis propter substratam medullam valde luxuriat dolor, tum quod facultatis motricis actio læditur; denique quod à confirmantibus respicientibusque neruos iuuantur hac lue infecti. Ad curationem quo l attinet simul ac aliquem hac lue affici contigerit, protinus ad certa quædam alexipharmaca seu Bezoartica medicamenta, nulla corporis vel humorum præmissa præparatione, sine vlla methodo vel ratione præscripta, pro regionum diuersitate, incolarum obseruatione & experientia, decurrunt. Inter alia commendant, tanquam præsentissimum remedium, lumbricos terrestres maxime quorum collum annulis & cingulis cingitur, quos diuersimode cum superstitiosa etiam numeri obseruatione præparant. Alij talpam viuam in ollula comburunt, donec in cinerem conuertatur: de hoc puluere exhibent cum cerusisa aut vino, diebus aliquot, crescente Luna; & itidem in eius defectu. Alij spem totius curationis ponunt in exhibitione venenosi cuiusdam vermis, quem patria lingua (Meyvurm) vocant, Itali Cantarello nominant. Alij alia huiusmodi vehementia & virulentia remedia propinant, quibus curationem pollicentur: vt sunt oua pauonis; solanum somniferum, ossa sturionis dicti piscis. Noui qui extractis esulæ & hellebori viterentur. Sunt qui ex saluia, ruta, betonica & aliis huiusmodi herbis neruos respicientibus potiones conficiunt: quibus lumbricos terrestres vino prius ablutos, dein contusos, & per setaceum traiectos admiscent: aut etiam circa eorum admixtionem exhibent septimanas aliquot: semper operam dantes vt ab assumpta potione sudor prouocetur: quod cum primis in hoc morbo vtile prædicant. Rectius faciunt, qui vacuato primum corpore; sequenti haustu vel apozemate laxatiuo potionem inscriptam propinant. Hausti talis esto. ℞. pul. senæ solut ʒ ij. infunde horis 12. in aqua beton. ℥ iiij. à forti expressione, add. diacarthami ʒ ß. vt fiat haustus. Apozema tale esto. ℞. rad. polypo. cucurc. ā ʒ j. saluiæ, beton. ana m. j. scabios. rutæ, abrotani ana p. j. sem. anis. citr. an. ʒ ij. passul. munda. ʒ ß. coq. in aqua ℔ ij. ad remanentiam mediet atis: adm scendo in fine coctionis folior. senæ Alexãd. ʒ x. stent in infusione per noctem, hinc liquor à forti expressione clarificetur: cumque eo per colum transmittantur lumbrici vino abluti numero nouem: Zacchari quantum placet, ad conuersationem: ter in die sumat ægrotus. Potionis forma talis esto: ℞. radic. suceisæ ʒ j. aristoloch. rot. ʒ iij. saluiæ nobilis, beton. ana m. j. abroton. rutæ, vincæ peruincæ, sabinæ ana p. j. coq. in aqua flumi. ad consumpt. medietatis: cum huius decoct. expressi iiij. pro vice traiiciantur lumbrici terrestres, circulis in collo insigniti, vino prius abluti, & triti, num. v. deinde misce theriacæ electæ ʒ ß. pul. cinnam. ℈ j. Zacchar. q. placet, exhibeatur mane calide, & corpus contegatur ad sudorem. Repetatur potio hæc diebus aliquot continuis. Cura huius morbi aliquando in septimanas plures extenditur. Quod si vnam aliquam in partem virus prorumpat, & abscessum excitet: is vt aperiatur, plantaginem cum sale in mortario contusam applicant, abscessu aperto, vnguentum ex radicibus cicutæ aquaticæ conficiunt, quas lino vel stuppa malida inuolutas sub cineribus coquunt, & contusas cum melle miscent in formam vnguenti (putantque vermes dulcedine mellis Attici & cicutæ virulētia interfici) indeque applicant. Alij cataplasma ex radicibus sigilli Salomonis, cum aqua vel cerusisa componant: cui quandoque

Causæ.

Curatio.

Curatio quæ vulgo vsu venit.

Curatio methodica.

Si in abscessum vim permanetur, quid agendum.

que radicem filicis quercinæ miscent. Noui nobilem matronam, quæ inspergebat puluerem de talpa, combusta, vt supra.

Habes breui, doctissime domine Foreste, Luis tam virulentæ descriptionem, partim ex Casparis Hoffmanni medici Brandeburgici, partim ex meis obseruationibus consarcinatam. An Veteribus hic morb. cognitus fuerit, & quo nomine, ex te, pro ea, qua es doctrina, & humanitate, data occasione scire desidero. Ego omnino nouum morbum existimo, nec quicquam cum Græcorum Draconis aut cum Bartapaliæ Ventositate perambulante communicare: multo minus arthritidem ex tenui materia ortam dixerim. Bene vale, Vir clarissime, & me, vt incepisti, amare perge. Ignosces quod prolixior fuerim. Si quid habebis ad me literarum, Melchiori Vviingtes huius aliquando Reipublicæ Monetarij filio, nunc apud Vos cerusiario ad intersignium Ciconiæ, committes. Iterum feliciter vale. Campis ex Musæo nostro, die 20. Aprilis, stylo veteri, Anno 1594.

Tuæ dignitatis studiosissimus.

Henricus Bra, D. Reipubl. Campensis Medicus.

Clarissimo Viro.

D. D. HENRICO A BRA. S. P. D.

LIteras tuas, doctiss. D. Doctor accepi, simul & historiam illam de morbo quodam incognito, de quo iudicium nostrum exspectas. Vellem equidem voto tuo satisfacere, & quid certi de hoc malo in medium adferre, præsertim cum ipsemet dubitem, quantum ad signa attinet, quæ docte à te explicantur, dracunculum esse. Scio equidem Galenum de dracunculo mentionem facere lib. 16. de loc. aff. cap. 3. qui in Arabia quodam loco (vt referunt) in tibiis hominum dracunculi vocati nascuntur, neruosa natura colore crassitudineque lumbricis similes. Tamen Galenus eodem in loco ait, multos audiuisse qui sese vidisse dicerent: ipse vero ingenue fatetur, se nunquam vidisse. Idcirco se neque de ortu, neque de essentia ipsorum exacte conjicere posse refert. Ita & ego, vt veritatem proferam, hoc genus morbi (quanquam Anno 1595. mense Martio instante quinquagesimus agitur annus, quod medicinam fecerim) nunquam vidi: neque quemquam nominari audiui, nisi te, qui dracunculum viderit; modo idem sit malum, de quo Arabes (cum in Arabia fiat) forte scripserunt. Conferam tamen de hoc morbo cum viris doctis. Interea remedia, quibus vulgus ad hoc malum depellendum & exstirpandum vtitur, de quibus scribis, licet ea ipsa varia sint ac diuersa: tamen vt mihi videtur, mere empirica, & sine ratione & methodo tam inuenta, quam vsurpata videntur; quamuis ea ipsa, quæ tu adjicis, multo meliorem rationem sequantur: & ob hoc mihi magis placent. Non ego tamen, aliquando experimentis nos contensos esse debere, vbi ratiocinatio locum minus habeat. Recte tu quidem facis, quod nostra studia promoueas; & gratias maximas tibi habeo, quod nunquam asymbolus ad me venias. Historiam hanc addam Obseruationibus meis post scorbutum malum. Interea vnicuique liberum relinquemus de hoc morbo suam adferre sententiam. Vale raptim Delphis 15. Maij, Anno 1594.

Petrus Forestus, Reipubl. Delphensis Medicus.

CVm hanc Epistolam D. Henricus à Bra mihi remisisset, vna cum epistola D. Iohannis Heurnij V. Clar. Medicinæ in Academia Lugdunensi Professoris celeberrimi, nostri amici dilectissimi, ad eundem D. Hen. à Bra scripta: placuit eandem hic in gratiam studiosorum adiungere. Illius enim viri iudicium plurimum apud me semper valuit: licet, vt antea quoque ingenue fassus sum, nouum hunc morbum nunquam viderim, quamuis hoc mense Martio artem medicam 50. annis exercuerim.

I. Heurnius.

D. D. HENRICO A BRA salutem dico.

CLarissime ac ornatissime D. Doctor, pergratæ mihi fuere tuæ literæ, & ob argumentum, & ob amorem in me tuum. Hic facit, vt tibi, quantum in me est bene velim: Illud, vt te maximi faciam, qui tam accurate perpenderis atrocissimum, quod apud vos grassatur, symptoma. Vtinam cuncti πεδίοις ἰατροὶ hoc agerent, vt singuli, qui singulis populis Endemij ac inquilini sunt morbi, ita examinarent, ac patria vsque deprehensa remedia proderent ad illa mala. Quod de dracunculis quæris, idem mihi morbi genus olim valde monstrosum legenti visum fuit, dum viderem, Galenum id genus morbi nunquam vidisse nec eius causam intellexisse, sed in quodam Arabiæ loco vagari asserere. Scribit etiam Iulius Pollux in Aethiopia (& maxime, vt scribunt alij in regione ad mare rubrum) dracunculum exstitisse, qui crura hominum & femora edebat: Aethiopes solos fere, inquit, exercens, raro aliis molestus. Adest hic vlcus, cui eminet quid neruosum putridum. Et dubitantem notabam Æginetam 4. lib. cap. vlti. num sint animalia, vel eorum solum ideam præ se ferentia. Nam Auicenna titubat valde de horum specie. Iurarem fere Aetium animal id fuisse existimasse: idem de Rhaze dixerim. Sed Soranus Ephesius medicus sectæ methodicæ, qui Galeni temporibus vixit, cuiusque scripta Cælius Aurelianus latina fecit, negauit dracunculum animal esse, sed tenuis cuiusdam nerui, qui medicis & ægris motu quodam cieri videtur, subcute condensationem. Manardus hoc nasci ait ex vredine succi crassi. Gorræus negat, nos de his iudicium posse ferre, quod nunquam occurrat. Auctor definitionum medicarum & Guido, ad varices referunt. Quid tandem dicas? rem incertam. Quidquid sit, tumor est tibias occupans colore ac crassitudine lumbricis similis: hoc est teres & longus. Nonnunquam puto protendi illum tumorem in obliquum & in anfractus trahi, vt dracunculorum imaginem præ se ferat. Sed patrius ille tuus Varen locum mutat, quod resedit, maculas adfert. Causam quam tu scribis eandem & ego puto esse, orgasmum succi venenosi, tenuisque ac aduste pepasmique expertis bilis flatulentæ. Vltraiectini tale quid patiuntur etiam, vocant (die springende Bicht:) quasi articularem dicas insilientem dolorem. Ita cuique fere regioni sua sunt & mala & bona. Illi qui Americanum attigere nuper littus, ibi familiare obseruarunt malum Ton dictum, quod digitos pedum, pediculi animalculi idea excedit, sub unguibus se insinuans, ac in gangrænam conuertit, oleo rubro ex fructu succurrunt. Sic referunt Aretæus & Lucretius elephantiasin morbum Ægypto vernaculum exstitisse, Podagras Athenis, in Achaia ophthalmias. Erat etiam huiusmodi morbi genus Leucophlegmatia, quam narrat Aeschines, in epistolis Græcis Philocrati, se vidisse in cunctis, qui in Delo insula habitabant, qui vultus & capillos albescentes habebant, collo & pectore intumescebant,

tumescebant, sine febre, sine dolore vllo, nec inferiores partes quicquam immutatæ fuerant. Atque hæc Apollinis ira sibi euenisse putabant. Nos fuga capta nocte aufugimus, nos ipsos inter abeundem percunctantes, an quisquam colorem & pilos quos domo gestauerat, haberet. Refert enim Cælius Aurelianus, huiusmodi etiam morbum Romæ interdum exstitisse. Veteres hos morbos Inquilinos vocabant. Quin mala quædam morbifica se toto orbe spargunt: inuenusta illa Venus ex nouo orbe profecta argumento est, & maxime fuit. Quin peculiaria quædam ac inuisa mala hominē interdum occupant: adeo vt recte scripserit Celsus, monstra in medicina euenire. Audi quæso, doctissime D. Bra, Crateri summi medici meminit Cicero in epistola quadam ad Atticum, de Attica tunc ægrota loquens: Commouet me Attica, etsi assentio Cratero; & Horatio in Satyra tertia, secundi libri; Non est cardiacus, Craterum dixisse putato. Hic æger. Et Persius: Sed quid opus Cratero magnos promittere montes? Huius Crateri seruus in nouum inauditumque morbum incidit: idemque admirabili quadam curatione sanatus est: vt memoriæ prodidit Porphyrius Tyrius in primo libro περὶ ἀπορίας ἐμψύχων. Cum huius caro discessisset ossibus: nec medicamentis quicquam profici potuisset, vipera, piscis in morem conformata, deuorataque ab eo liberatum eum ipso morbo narrat. Ita namque carnem ossibus hærere cœpisse, ac conglutinatā esse. Scribit Iosephus decimi sexti Antiquitatum octauo, Herodem Magnum, Antipatri filium interno æstu flagrasse, quam tamen foris positæ partes non sentiebant; fames illum in perpetuos cibos cogebat, pudendorum fœtor aderat cum satyriasi vermiculosa. Balnea naturalia, & illa ex oleo, hunc non iuuarunt. Tanto tædio affectus, vt tandem cultello sibi manus intulisset, nisi ab astante cognato ictus exceptus fuisset. Mirum etiam, quod r. ferri Plutarchus libro De Claris Mulieribus, capite vndecimo, vbi de morbo, qui inuaserat virgines Milesias, cuius nullum remedium, inquit, poterat inueniri. Fanaticam quandam contagionem ab aere infusam putabant, quæ eas in insaniam abigeret, adeo vt mortis cupidine tactæ, seipsas strangularent. Tanta, inquit, mali erat calamitas, vt neque parentum lacrymæ, neque amicorum monitus, aliquid remedij attulerint huic malo; tantaque erat furoris immanitas, vt omnem custodientium diligentiam superaret. Nullum mali huius remedium inuentum, ante quam decreuerentur, vt virginu, quæ sibi mortem consciuissent, per medium forum nuda cadauera efferrentur. Et res virginum furorem non solum compressit, verum etiam sedauit & exstinxit. Tantum ignominiæ metus valuit, vt quas humorum malorum grauissima mors non auerterat ab instituto, turpitudinis species commouerit. Mirum si ab aere hoc illis euenit solis. Scimus ab aere miasmatibus fœdato, & ab eo, qui propria substantiæ corruptione in vitio est, monstrificæ non raro vitia pullulare. Scribit Ammianus Marcellinus libr. 23. historiæ suæ, monstrosam rem. Post hanc, inquit, Seleucia, ambitiosum opus Nicanoris Seleuci, quæ per duces Veri Cæsaris expulsa, auulsum sedibus simulacrum Comæi Apollinis, perlatumque Romam in æde Apollinis Palatini deorum antistites collocarunt. Fertur autem, quod post direptum hoc idem figmentum incensa ciuitate, milites fanum scrutantes inuenere foramen angustum, quo reserato vt pretiosum aliquod inuenirent, ex adyto quodam concluso à Chaldæorum arcanis labes primordialis exsiluit, quia insanabilium vt concepta morborum, eiusdem Seueri Marci Antonini temporibus ab ipsis Persarum finibus ad vsque Rhenum, per Gallias, cuncta contagies polluebat & moribus. Hæc ille re & verbo monstrosa. Ita quædam mala se spargunt toto mundi theatro: quædam rursus angulo aliquo mundi habitabant, raroque in alias regiones migrant. Hoc de dracontiis profiscene scribit Pollux, vbi ait, σπανίως μὲ τοῖς ἄλλοις ἐπιχωρίαν. Frustra ergo ad aliena conamur, sæpè reuocare mala nostra. Sunt certa vitia, certæ terrarum partes, membrisque hominum certis, auctore Plinio, vel ætatibus & etiam fortunis: tanquam malo eligente, hæc proceres, illa pauperes sentire. Hodie in Stiria & Carintia, ob aquas metallis tinctas, homines strumæ ac bronchocele voce fere priuantur. Ante Pompei tempora, Elephantiasin non nouit Italia. Carbunculus Narbonensis prouinciæ familiaris: & primum in Italiam, venit L. Paulo, & Q. Martio censoribus. Mentagram ante Tiberij principis tempora Italia non vidit. Gemursa morbus olim grassabatur, iam esse desiit. Ita noua interdum exsplendescunt in nobis, alta in nobis desinunt. Ita Varen. Transiuanis peculiarem diccmus? Sed ne ἀφορμὰς Curatio sit epistola hæc, te scire velim, optimum quoddam remedium ac ἐνπάθειον nuper ad me venisse. Accipimus radicum ellebori albi crassiusculæ contusarum semunciam; fiolæ indimus, ac affundimus vini Hispanici, quod Petrus Semenus vocatur, libram. Solibus æstiuis exponimus. Damus cochlearium vini. Valide vomitum mouet, nec afflixit admodum. Interdum semicochlearium miscemus cum aliis laxantibus. præclare abducit aluum sine vomitu. Quin linctibus, in empycmate guttulas aliquot miscemus, ac copiosissime expectoratum moueri hinc videmus. Sed quid tu interim? quin pergis in lucem, quæ methodo solebas, simplicia morbis peculiariter dicata proferre? Ego totus in Hippocrate vertendo & breuibus commentariis illustrando sum; sed vereor ne, antequam amphora exierint, vita mea vt in Alexidis versus est ἔσπερον ἦγεν. Quod summo Deo, Iesu placuerit fiat: facilis iactura scripti nostri. Interim subscisiuis horis, particulares exercitationis scribo. Quas de capite nuper dedi, ac nobilissimis ordinibus Hollandiæ & Vvestphriæ dicaui. Vale, ac me ama. Vvollensem medicum si nosti, admoneas quæso, vt interdum ad me aliquid literarum mittat, ac dicas, si aliqua re ibi opus sit, quæ apud nos mea in manu, graue mihi fore, si non confecero. Is enim prope sanguine iungitur vxori meæ, cuius auus maternus erat Gerardus Lystrius, magni Erasmi in studiis socius, illique amicissimus. Anno CIↃ. IↃ. XCIV. die V. Maji.

CVRATIO LXIV. LIB. VI.
apud AMATVM.

In qua agitur de Dracunculo in tibia nato: quem Arabes Venam Medenam appellant.

ÆThiops maris præfectus, seruus iuuenis 18. annorum, cum primum ex Memphi, Ægypti celebri ciuitate, Thessalonicem aduectus esset, illico de cruris dolore conquestus est, in quo iuxta talum primo vlcus excitatum est, in quo venæ modo caput conspiciebatur. Quod aduertentes Turcæ morbum cognouerunt: periculosumq; esse in Ægypto & India, ac reliquis regionibus quibus innascitur, significarunt, quem Arabes, præcipue Auicenna, venam medenam *fen. 3. lib. 4.* appellari tradit: veluti Abinzoar, & cæteri huius doctrinæ homines, quibus morbus hic satis cognitus & familiaris erat, pro cuius curatione accersitus medicus Parahyas, linguæ Arabicæ doctus, ita orsus est. Primo *debita victus ratione proposita, patiens extremum venæ, aut verius neruosæ cuiusdam substantiæ, subtili ligno alligauit, quam paulatim ligno trahebat, rotabat-ve, adeo, vt ad eius vltimam partem, hoc est, ad trium cubitorum longitudinem, post multos dies peruenerit.* Vnde Æthiops à doloribus & angustiis, morboque ipso liberatus est nullo supraposito cataplasmate, concoquendi vim habente, aut calida superfusione aliqua: quæ ex Serano & Leonida, Paulus vltimis verbis libr. 4. suæ medicinæ, huic morbo auxiliari tradit.

SCHO-

SCHOLIA.

VEna, aut neruus, vel lumbricus, morbus hic fit, in dubium vertunt auctores. Ego vero oculatus testis, multis auritis verior, testor morbum hunc tanquam lumbricum conspici, album, subtilem, tineæ contortæ modo, qui ex se foras prodit, & pars extra missa cum arescit, eam neruum exsiccatum quiuis dicet; qui si abrumpi contingat, intensos excitat dolores, & non leues animi angustias concitat. Nascitur autem morbus hic frequenter apud Ægyptios, indos & Arabes: sed præcipue apud Mediam, iuxta Persidem: vnde nomen venæ *Medinæ* traxit, quam Galenus *Dracunculum* appellat, & nunquam vidit, *vt memoriæ commendauit lib. 6. de locis affectis.* Euenit autem morbus hic fortē, vt in renibus pili à materia crassa lentaque, quam calor plus iusto calefecit, exsiccauit-ve: vnde medicamentis & remediis atram bilem respicientibus purgantibus-ve, morbus hic curari tractari-ve debet: prout imperat Auicenna, & cæteri Mauritani illi assentiuntur.

HÆc autem pro Coronide huius libri de lienē post nouum morbum scurbutum, de nouo hoc morbo Endemio adiungere libuit. Vnicuique tamen liberum iudicium relinquimus, num sit dracunculus, de quo Gal. tum Auicen. præcipue, ac reliqui Arabes scripserunt. Quanquam fortasse eidem locus aptior dari poterat, de morbis externis, vt alij faciunt.

Finis Libri vigesimi.